BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
4 C
1

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
III . 14 . h

68.4.5.

III
13
C

III
10
C

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HYDRA SOCINIANISMI EXPUGNATA:

Sive

JOHANNIS VOLKELII

MISNICI, DE VERA RELIGIONE,

(*ut falsò inſcribuntur*) libri quinque:

quibus præfixus eſt

JOHANNIS CRELLII Franci (*ejuſdem commatis*) liber de DEO & EJUS ATTRIBUTIS, ita ut unum cum illis opus (*integrumq; Sociniana impietatis Syſtema*) conſtituat:

Cum eorundem Refutatione exacta per additas Annotationes & Cenſuras neceſſarias,

AUTHORE

SAMUELE MARESIO, S. Th. Doctore ejuſdemque Facultatis in Academia Illuſt. Ord. Groningæ & Omlandiæ primario Profeſſore, ac in Templo Academico Verbi Divini linguâ Gallicâ Adminiſtro ordinario.

Cum indicibus neceſſariis;

TOMUS PRIMUS.

GRONINGÆ,

Apud JOANNEM NICOLAUM Typographum,

ANNO M.DC.LI.

Digitized by Google

DEO OPT. MAX. UNI ESSENTIA,
TRINO PERSONIS,

PATRI CREATORI,
FILIO REDEMTORI,
SPIRITUI SANCTIFICATORI,

VITÆ, VERITATIS, GRATIÆ & SALUTIS
FONTI INEXHAUSTO,

UT acceptum jure debeo, ita Sacrum eſſe volo
in perpetuum,
Quicquid, per varias infirmitates quibus circundor,
Opellæ & Induſtriæ inſumpſi hactenus
ac porro ſum inſumpturus
privatim & publicè,
Ad Orthodoxiæ Saniorisque Theologiæ Vindicias
& Eccleſiæ Ædificationem,
Præſertim in hoc Opere Anti-Sociniano,
ex Fidei Catholicæ Norma
ad Ipſius Gloriam,
Ingratorum Adverſariorum ſuorum oppoſito Blaſphemiis;
Quas ut brevi compeſcat,
& omnes tam periculoſé errantes
ad ſui Salutarem Cognitionem traducat,
Me vero in eadem conſervet & confirmet,
ac condonatis mihi gratuitò omnibus meis peccatis,
admiſſâ pro illis pleniſſimâ τοῦ Θεανθρώπου
ſatisfactione,
Tandem in æternum ſuum Gaudium recipiat,
Eum etiam atque etiam ſuppliciter oro.

SAMUEL MARESIUS.

Digitized by Google

Nihil poſſumus contra veritatem ſed pro veritate.

MEUM PROPOSITUM EST ANTIQUOS LEGERE, PROBARE SINGULA, RETINERE QUÆ BONA SUNT, ET A FIDE CATHOLICA NON RECEDERE. *Hieron.*

Ampliſſimo

Digitized by Google

Ampliſſimo Conſultiſſimoque VIRO;

DN. CAROLO DES-MARETS,

Domino de Canneſſiere, du Feret &c. J. U. L.

ac in Suprema Pariſienſi Curia Advocato Celeberrimo, Fratri meo Germano,

Multis nominibus Colendo & Chariſſimo,

S. P.

SEmper benè meriti ſunt de publico, *Dilectiſſime & Honorande Frater*, qui belluas aut feras aut venenatas ac generi humano formidoloſas & infeſtas, aggredi cordatè & fortiter expugnare potuerunt. Hæc prima ferè fuit ſub Gentiliſmo eaque compendioſiſſima via ad Apotheoſeôn honores, & populi titulorum liberales in album Deorum faciles eos retulerunt qui noxias ſibi beſtias interemiſſent ac confeciſſent: Non aliunde ἀλεξίκακος debuit Hercules cognominari quam à famoſis illis duodecim laboribus, quos in domandis Cleonæo Leone, Apro Erimanthæo, Stymphalidis avibus, Hydra Lernæa, ſimilibuſque monſtris, fœliciter exantlavit. Pythius itidem Apollo dictus fuit, quod prodigioſæ magnitudinis ſerpentem, Pythonem appellatum, ſagittis ſuis confodiſſet. Hinc etiam prima laus acceſſit Venaticæ, quod illius ſubſidio viæ & agri præſtarentur immunes à nocentibus feris, quarum ut quiſque plurimas ſuſtuliſſet, eo certiora Fortitudinis & Nobilitatis inſignia conſequebatur; Unde etiamnum hodie ſtemmata Nobilium, Leonum, Urſorum, Aprorum, Gryphorum, Draconum ac ſimilium belluarum,

Digitized by Google

imaginibus diſtinguuntur: Et cùm apud priſcos Angliæ Reges ſolemne præmium ijs eſſet decretum qui Lupi caput in Aulam attuliſſent, tandem hac arte ab illa ſtabulorum peſte tota Inſula fuit liberata. Quin ab hominibus tranſijt ob ſimile ἐυεργέτημα cultus iſte ad animantes deſtitutas ratione; Nam apud veteres Ægyptios & Ibis & Ichneumon Divinos obtinebant honores, hic quod Crocodilum eroſis illius viſceribus enecaret, illa quod cum alatis ſerpentibus toti regioni infeſtis ἄσπονδον & fœlix bellum exerceret. Imò fabulones Legendarij, Divorum ſuorum plurimos à ſimili Θηριομαχίᾳ auſi ſunt commendare. Nam & finxerunt ſuo Georgio, qui inde cataphractus pingitur, cum immani Dracone pugnam interceſſiſſe quem vicerit, & Romano Rhotomagenſium Epiſcopo, haud diſſimilem de ſimili bellua, quæ Gargovilla diceretur, quo jure qua injuriâ victoriam vindicarunt. Nemo itaque inficias ibit ſtudere me benè mereri de Nomine Chriſtiano & Eccleſia Catholica, quod multicipitem Socinianiſmi Hydram pluſquam Lernæam, cujus venenum omne in ſex libris Crellio-Volkelianis *de vera Religione* ingenioſâ malitiâ contractum eſt, auſim aggredi, & telis ex Fidei Catholicæ Sacrarumque Scripturarum armamentario depromptis non conficere modò, ſed penitùs obruere. Vigeſimus jam præterijt annus ex quo peſtilentiſſima hæc Natrix, in Sarmaticis paludibus primùm nata, caput exerit, & per Germaniam ac Belgicam noſtram ſibilis & halitu fœdiſſimo graſſata, etiam tetrum ſuum virus ſuperato Oceano intulit in Angliam, in qua triſti hoc tempore dicitur incredibiles progreſſus feciſſe: Nemo tamen hactenus, quod ſaltem noverim, repertus eſt qui

cum

Digitized by Google

am illa manus conſerere ex profeſſo ſuſceperit, & nocentiſſimum librum κατὰ πόδα refutarit. Non quod in Eccleſijs & Academijs noſtris defuerint Viri longè Doctiſſimi, fortiſſimique Athletæ Veritatis Chriſtianæ, quibus hæc victoria non minus glorioſa quam facilis extitiſſet; Sed tamen dum illi, aut alijs laboribus diſtinentur, aut ſperant nefarij Operis memoriam abituram in fumum cum quem aliquot ejus Centuriæ Decreto Ampliſſ: Magiſtratus Amſtelodamenſis adjudicatæ Vulcano excitaverant, aut *ſævam* quam exhalat *mephitim* abominati ideo ejus in Deum & Chriſtum contumelias refutare detrectant ne eas retractare & repetere cogantur, ut Echo ſolet *ludificata* ſequi *verba aliena* ſuis, aut exiſtimant jam ſatis ſuperque nervos infandi libri ſucciſos eſſe per ea quæ Socinis, Oſtorrodijs, Smalcijs, Enjedinis, Dudithijs, Catechiſtis Racovianis, Tranſſylvaniæ Neo-Arianis & ſimilibus excetris, Orthodoxi Theologi ſuo loco & tempore repoſuerunt, manſit huc uſque abſque expreſſa, integra & directa Refutatione; imò ex ſuis renaſcens cineribus Amſterodamenſibus, Latinas ſuas voces, quas ſoli Eruditi percipiebant & deteſtabantur, cum vernaculis ante biennium commutavit, ut ad imitationem Rabſacis ſuas idiomate populari licentiùs & inſolentiùs evomeret Blaſphemias. Quod cum viderem cum probro Caſtrorum Iſraelis & præſentaneo evidentiſſimoque Eccleſiæ periculo conjunctum, haud diutiùs cunctandum ratus, in nomine Domini & ejus fretus auxilio, fortis armaturâ, ipſam Belluam cominus aggreſſus ſum, eamque, ſic confido, tam fœliciter confodi & expugnavi, ut queam revulſos illius artus & ferales exuvias *truncis* affixas *Trophæis*, in Veritatis & bonæ Cauſæ Triumphum

Digitized by Google

phium Eccleſiæ conſecrare. Ut hos labores non defugerem, effecit Zelus Gloriæ Divinæ, Amor Domini Jeſu Chriſti, Eccleſiæ Cura, & Conſcientia Muneris quod ſuſtineo: Nunquam enim eouſque fui φιλόψυχος, ut vellem ijs Doctoribus umbraticis annumerari qui extra Scholæ in qua docent pomœria egredi non audent, ac revera ſeipſos præſtare quod audiunt, nempe Profeſſores publicos; quibuſque, ut noſtri hîc Auſonij uſurpem verba, *Sedulum cunctis ſtudium docendi, Fructus exilis tenuisque ſermo.* Latiùs ſe extendit Profeſſoria vocatio, Sacra potiſſimum; neque præſentium duntaxat Diſcipulorum ſpectat ſubſellia, ſed etiam abſentibus & procul diſſitis lucem ſuam ſtudet fœnerare, & ora obturare Adverſariorum qui hinc inde illi ſe opponunt Salutari Veritati, cujus Vindicias ſibi commiſſas novit. Potuiſſem & ego, ſi ullus, prætexere ordinariarum mearum occupationum molem, quę quanta ſit norunt, vident & ſtupent, quod magis eſt, ij ſub quorum verſor oculis: Sed pati non potui Volkelianum Syſtema diutiùs *impunè diem conſumere* & de noſtrorum ſilentio proterviter triumphare, iſtudque Tzopharis illi tacitè repoſui, *An multitudini verborum non reſponderetur? aut an vir loquax juſtus haberetur? Ad mendacia tua homines ſilerent? & te ſubſannantem nemo pudore ſuffunderet?* Operæ autem, *Frater Chariſſime*, quam in eo refutando poſui, partem hanc primam, eamque potiſſimam, quæ in mali occultioribus radicibus & earum ſubtiliſſimis tenaciſſimiſq; fibris revellendis occupatur, eò Tibi acceptiorem futuram cenſui, quod Orthodoxiæ noſtræ retinentiſſimus, maſculam & ἀνυπόκριτον profitearis Pietatem, in qua ἀπὸ βρέφους optimorum noſtrorum Parentum ſollicitudine fuimus educati; nec

poſſit

poſſit hujus devicti non tam Hoſtis quam Monſtri caput; non eſſe fragrantiſſimi odoris omnibus ijs quibus, ut Tibi, Servatoris unici noſtri Nomen & Numen in pretio eſt. Nihil equidem, Dei beneficio, noſtræ per Gallias Eccleſiæ ſibi metuunt ab hac Peſte; non ſolet enim *Gallia*, Hieronymo teſte, talia proferre *monſtra; ſed viris ſemper fortisſimis & eloquentisſimis abundat*; Ipſæ tamen omniaque earum membra, quæ inter & Tu nomen Tuum profiteris, illam meritó deteſtantur. Quod vero Ambitioſo hoc ſæculo grandia Mecœnatum Nomina hîc non appellem in limine, ſed Te ſolum, Germanum & Unicum Fratrem meum, decennio me natu majorem, Auguſtiſſimi toto Terrarum orbe Fori Decus non ultimum, Familiæ noſtræ columen, mei meorumq; ſtudioſiſſimum & amantiſſimum, à me meiſque Parentis loco ſemper habitum & porrò habendum, non alia me movit ratio quam ut Cippum erigerem Amori illi verè Fraterno, quo me ſub alio Sole poſitum, & χαλεπὸν imò ἐυλοιδόρητον τῦ ξένυ χῆμα in hac Borea ſuſtinentem, tantaque locorum intercapedine à Te divulſum, tenerrimè proſequeris; Ac prout illius ſenſus penitiſſimis meis infixus medullis non minorem mei adverſus te amorem excitat, quo fit ut dies noctesque Te in oculis, in animo, in ore habeam, ut debet amoris pretium amor eſſe, ſoletque animâ magis eſſe ubi amat quam ubi animat, & nullâ ferè aliâ re durior hæc mea Statio ſit mihi, quam quod procul ſim à Patria, procul à Te, *ô & Præſidium & dulce decus meum*; ita conor hîc ejus memoriam animo grato victuris committere Chartis & ad poſteros tranſcribere, eoque vel ſolo nomine me illis commendare, quod in Te verè Philadelphum Fratrem, quo

tempore aliàs *Fratrum quoque gratia rara eſt*, conſequutus fuerim. Propoſueram hoc anno ad Vos excurrere, tum ut in amplexus Tuos ruerem, tum ut ſemel adhuc inviſerem grandævam mœſtamque noſtram Matrem, id ſummoperè expetentem, poſt elatum ante ſeſquiannum Optimum noſtrum Patrem, quo cum ultra ſexaginta annos conjunctiſſimè vixerat, & cujus memoria utrique noſtrûm eò charior eſt, quod nihil *ſanctius habeat*, ut ait ille, *reverentia ſuperſtitum, quam ut amiſſos venerabiliter recordetur*. Verum enimvero, ingraveſcens etiam mea Ætas ac pedetentim accedens metuendum illud γῆρας quod οὐκ ἔρχεται μόνον, attritæ vires ſtudijs & vigilijs, vixque pares amplius itinerationum difficilium vehementioribus concuſſibus, illis ſaltem poſt tam diutinum ſitum haud temerè committendæ, Profeſſioniſque meæ vincula & continuandi labores, cogunt me, non quidem penitùs Vadimonium deſerere, ſed tamen etiamnum comperendinare & differre, donec *grata* ſuperveniat quæ *non ſperabitur hora*, ac per Coronarum Pacem publicam faciliorem ſecurioremque tranſitum in Patriam adeptus fuero. Interea temporis, hac mei loco provinciâ defuncturum filium meum primogenitum, quem ceu Tuum Paterno ſemper amore complexus es, Vobis mitto, ut ipſius ſaltem oculis, manibus & ore, meis cùm nondum detur, Vos coram tueri, amplecti, alloqui, poſſim. Nulluſque dubito quin hoc Veritatis Catholicæ Trophæum, Philothecij æterni vice Nomini Amorique Tuo, Honoris Amoriſque ergo inſcriptum, eò ſit acceptius Tibi futurum, quod offerendum ipſius manibus quem aliquoties ad Te reviſere optaſti. Perge, *Chariſſime Frater*, Illi Meiſque omnibus

omnibus mecum ut ſoles benè velle, prout pergimus Omnes Deum Opt. Max. pro Tua incolumitate & proſperitate venerari, Teque ex animo vigere & valere Neſtorios in annos vovemus & optamus. *Vale*. Groningæ Friſiorum, pridie Paſchatis, anno Chriſti M. DC. LI.

Tuus, magis quam ſuus, omni ſtudio
& obſequio,

SAMUEL MARESIUS.

Digitized by Google

Fides Catholica hæc eſt, ut Unum Deum in Trinitate & Trinitatem in Unitate veneremur, nec confundentes Perſonas, neque Eſſentiam ſeparantes.

Μονὰς ἐν τριάδι νοεῖται,
καὶ τριὰς ἐν μονάδι γνωρίζεται.

Abi Ariane ad Jordanem & videbis Trinitatem.

SAMUE-

Digitized by Google

Præfatio ad Lectorem.

VT Apparatu prolixo & Prologo Galeato, te in limine detineam, *Amice Lector*, nihil attinet. Gemit Eccleſia ſub mole Controverſiarum Theologicarum, & illas hoc diſputaci ſæculo multiplicari gratis, ægrè ferunt omnes ij quibus pax Jeroſolymorum cordi eſt: Sed inter eas quæ neceſſariò tractantur, primarium locum tenent quæ inter Catholicos & Socinianos, omnium Hæreticorum fæcem, ſolent agitari. Socinianiſmi enim virus, cor ipſum Chriſtianiſmi rectà petit, eſtque tanto cœteris Hæreſibus nocentius, quanto peſtis aliàs febres ſuperat. Nempe id petinuit ad hanc ſæculorum & ultimorum temporum amurcam ut non minus acriter de Religionis dogmatis diſputetur à plerisque, quam parum de vita Religioſè inſtituenda vulgò cogitatur: Multos ſiquidem hodie reperias Pacuviano dignos odio, philoſophâ ſententiâ, ignavâ operâ, & qui de rebus Sacris diſſerunt *μίχει τῦ λέγειν ἄνευ τῦ πράττειν*. Ipſi Sociniani qui morum majori ſanctimoniâ cœteris volunt antiſtare, & quos haud immeritò dixeris Phariſaiſmum & Sadducæiſmum ſimul, mirâ ſanè vafritie, in Chriſtianiſmum invehere, magis tamen vacant Diſputationi dogmaticæ quam emendationi vitæ; nec poſſunt aliter, ſi ſuis inhæreant placitis, quam ſimulare Curios & vivere Bacchanalia: adeo *obdurant ſe*, (ut loquar cum Lactantio *lib.* 1. *de Rel. cap.* 1.) *contra manifeſtam veritatem, non tam de ſuis Religionibus quas pravè adſerunt benè meriti, quam de ſe malè, qui quùm habeant iter rectum ſequuntur anfractus; planum deſerunt, ut per præcipitium labantur; lucem relinquunt, ut in tenebris cæci ac debiles jaceant.*

Ut quæ ad Socinianiſmi deteſtationem & errorum quos ſectatur perniciem exaggerandam dici poſſent, huc congeram, opus non eſt. Præoccupavit ante aliquot menſes Celeb. D. Hoornbeeck, Academiæ Ultrajectinæ Profeſſor, & qui in ea, meo judicio, ſolidè ac fœliciter θεολογῶ. Satis habuero, ſi te, *Benevole Lector*, de meo in hoc Opere ſuſcipiendo, conſilio & ordine paucis moneam; Cùm itaque expenderem, quantum periculi à Socinianiſmi lue immineat Eccleſiæ in communi, nominatim Eccleſijs Belgicis, quarum Ædificationi in hac ſtatione, mea

opella

Digitized by Google

opella hactenus ſpeciatim conſecratur, haud abs re me facturum exiſtimavi, ſi inter alios πρόμαχυς Orthodoxæ veritatis contra eam, licet me multis paraſangis ſuperiores, meum quoque nomen profiterer, mihique cœlitùs concreditum talentum etiam huc explicarem. Eum in finem mihi delegi hoc Religionis non Chriſtianæ ſed Socinianæ Crellio-Volkelianum Syſtema quod κτ̀ πόδα refutarem. Nec enim humeros meos pares putavi vaſtiori conſilio de omnibus Socinianis ſimul & turmatim impetendis, quod molis eſt majoris quam ut ei ſufficiant vires unius hujus homuncionis laboribus aliàs ordinarijs Miniſterij Eccleſiaſtici & Profeſſionis Academicæ ſupra modum occupati: Cogitavi me ſuperato jam Ætatis meæ meridiano circulo, & poſt vitæ annum quinquageſimum primum exactum, Eccleſiæ Domini mei Jeſu Chriſti plus præſtiturum, ſi unicum è primipilis Hæreticis adorirer cominùs & ſedulò, quam ſi incerta velitatione omnes ſimul eminùs provocarem. Quare hunc mihi ſelegi cum quo manus eò utiliùs confererem, quod & totius doctrinæ Socinianæ Corpus complectatur, & publicâ Factionis illius authoritate prodierit; quod ipſe Crellius mox dicet in *Præfatione* quam ei præfigere voluit. Plus etiam ab hoc uno libro imminere periculi quam à cœteris omnibus ejus colluviei agnovit jam olim Ampliſſimus Magiſtratus Amſtelodamenſis, qui pio & laudabili Religionis Chriſtianæ vindicandæ zelo, aliquot ejus Centurias in illa ſua Mercuriali Urbe clam recuſas, Vulcano adjudicavit. Et quantum præſidij in eo reponant clancularij teterrimæ Hæreſeôs emiſſarij & promotores, palàm fecerunt ante biennium, illo in Belgicum idioma tranſlato, & quò ad ejus lectionem magis invitarentur homines præpoſterè curioſi, quibus ſolemni niti in vetitum ſemper cupereque negata, præfixo hoc Elogio, quod opus illud eſſet **in Hollant by Schepen vonniſſe gedoemt / openbaerlijck geexecuteert / en met vyer verbrant anno 1642. in Januario.** Si ergo hunc Goliam ſub auſpicijs Divinis proſtratum dedero, actum erit de cœteris, & confirmabitur adagium Arnobio *lib. 6. contra Gentes* uſurpatum, *cadere fabrum cum ferias fullonem.* Ut huic etiam obſiſterem ſtimulus mihi fuit, quod exceptis pauculis Diſputationibus de Divinitate Chriſti, à D. Polyandro τοῖς ἐν ἁγίοις ſub titulo *Concertationis Anti-Volkelianæ*, haud ita ante ſuum obitum editis, neminem viderim qui ex profeſſo Volkelium refutandum ſuſceperit. Quin nec Tarnovio, nec

Stegmanno,

Stegmanno, nec Joanni Junio, nec Biſterfeldio, nec Becmanno, nec Frantzio Jeſuitæ, cùm adverſus Socinianos ſcriberent & diſputarent, innotuiſſe viſus eſt. Audio quidem Alſtedium in Hungaria paullò ante ſuum obitum generalius aliquid contra illum emiſiſſe; ſed necdum mihi contigit videre quid illud ſit.

Mihi autem vitio verti non debet quod textum integrum libri nefarij curarim recudendum. Cum enim ſupprimi per hominum curioſitatem & malitiam nequeat, nec in eo voti ſui compos extiterit Ampliſſ. Magiſtratus Amſtelodamenſis, malui illum integrum ſiſtere Lectori, ne crederer ſuffurari velle victoriam, quod nolebat Alexander, & datâ operâ delumbare atque extenuare Adverſarij mei argumenta; Ubi Lector *ipſam Beſtiam ſua verba reſonantem* audierit, (ut hîc adhibeam dictum Æſchinis de oratione Demoſthenis in ſe habita, relatum Hieronymo *Epiſt. ad Paul. de lib. Divin. cap.2.*) & ſimul noſtras ad illam Cenſuras & Annotationes ἀλεξικάκους expenderit, faciliùs de totius Cauſæ natura & merito judicabit. Oppoſita ſibi mutuò appoſita magis eluceſcunt. Et ſicut vinum dulcius eſt quod prope mandragoras creſcit, & ſuavius olent lilia & roſæ quæ juxta cæpas & allia carpuntur, ſic ex hac antitheſi plus accedet ſuaveolentiæ illi veritatis Cauſæ quam ſuſcepi propugnandam. Ita vident Lectores nihil nos metuere nobis ab iſtorum hominum ſtrophis & cavillationibus, quandoquidem eas integras, omnibuſque ſuis veſtitas coloribus, proponimus & expendimus, confiſi bonitati noſtræ cauſæ, & quod eorum *Sententias prodidiſſe ſuperaſſe eſt*, ut loquitur Hieronymus *ad Cteſiph.* Præluxerunt mihi in eo, Franciſcus Junius, qui textum anonymi Samoſateniani intexuit triplici ſuæ *Defenſioni Catholicæ* pro S. Trinitate; Sibrandus Lubbertus, qui ipſius Fauſti Socini opus pernicioſum de *Chriſto Servatore* refutaturus, illud cum ſuo labore recudendum curavit; Paulus Tarnovius, qui ejuſdem Socini librum *contra Bellarminum & Wiekum*, quæ illius refutationi interſeruit; Johannes Junius, qui *Trælectiones* Socini cum earum diſtincta refutatione emiſit in publicum; Alſtedius, qui Theologiæ ſuæ Polemicæ totam *Catecheſim Rakovianam* inſeruit; & ejus quondam gener Celeberrimus Biſterfeldius, qui Crellij libros duos *de Uno Deo & Patre*, diſtinctos ab eo libro *de Deo & ejus Attributis*, qui hujus ſyſtematis noſtri primus eſt, unà cum eorum refutatione in hoc Belgio ante complures annos recudi voluit. Cùm enim non penitùs poſſint

(*) 2 deterreri

Digitized by Google

deterreri homines, à nefariorum iſtorum librorum lectione, præſtat eos emitti cum alexipharmaco neceſſario, ut non tantum nihil damni, ſed etiam aliquid utilitatis ad emptorem & lectorem ex illis redire poſſit. Non propono tamen textum Hæretici unico tenore legendum, ſed exartuatum & in früſta diſſectum illum exhibeo, ut ubi venenum ſuum nocentiùs exerit, ibi illicò proſtet antidotum, & tota quidem vipera, ſed tamen in trochiſcos concerpta, noſtram ſubeat Theriacam. Non auſim profiteri nihil me in hoc meo Adverſario intactum reliquiſſe, atque ſic ejus omnes errores demeſſuiſſe, ut nulli ſpicilegio poſt me ſuperſit locus; Spero tamen cordato & Orthodoxo Lectori me in plurimis & graviſſimis ita ſatisfeciſſe, ut ex iis quæ apud me leget, etiam eorum quæ ex profeſſo non refutaverim refutationem percipiat. Ubique ſtudui iiſdem armis vafrum Adverſarium debellare, quibus ſe pugnaſſe videri vult, nempe Perſpicuitate, Scripturâ, & Ratione: Inde major mihi ubique cura ſoliditatis quam ornatus, & malui continuâ oratione Hæreticum refutare ac mea confirmare, quam operoſè ejus argutias ad formas Syllogiſticas revocare, aut noſtra argumenta ſimilibus formulis concludere: Hic enim modus diſputandi aptior eſt Academicis velitationibus quæ fiunt vivâ voce, quam juſtis Concertationibus quæ ſcripto nobis intercedunt cum Anteſignanis partium, in quibus res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione conferri debet. Maneo quoque intra metas quas mihi præſcripſi, nec vagor ad alias Quæſtiones vel Sectas, ut earum Syncretiſmum cum Socinianis oſtendam & vellicem; quod canis qui duos lepores ſimul inſectatur plerumque neutrum capiat; & Socinianâ doctrinâ in hoc ſuo Syſtemate everſâ, ſuapte corruant quæcunque cum illa communia habere aut ex ea adoptare alij Heterodoxi vel Paradoxi Theologi voluerunt. Abſtineo quoque multorum Authorum citationibus ad pompam & oſtentationem congeſtis, tum ne prolixitate nimia fiam tædioſus, tum quod nobis ſit negotium cum hominibus qui nulla annorum & canorum reverentiâ ducuntur; quibus nihil magis ſordet quam Patrum Teſtimonium & Authoritas, dixerit licet Tertullianus, *Primum quodque veriſſimum*; & quos de ſuo conſenſu cum vaferrimis & teterrimis Hæreticis ab Eccleſia primitiva ſolemniter damnatis, gloriari paſſim non pudet. Titulum operi toti feci *Hydram Sociniaſmi expugnatam*; Nam revera ipſa Sociniana impietas, cujus Syſtema refutandum ſuſcepi, Hydra eſt,

nulli

Digitized by Google

nulli ſerpentium inferior veneno, ut cum Plinio loquar, & quâ nulla nocentior, nulla ποικιλώτερος aut magis verſicolor Hæreſis ab orbe Chriſtiano condito extitit, ut illam omnium Hæreſeôn Lernam haud immeritò quis dixerit; Hydra ſanè eſt ac beſtia multorum capitum, ex quibus tetras ſuas exhalat Blaſphemias contra Deum & Chriſtum illius; impugnando ipſiuſmet Dei Perfectionem, Simplicitatem, Omniſcientiam, Juſtitiam, Immenſitatem, Immutabilitatem; Æternam & indiviſam Trinitatem perſonarum in Eſſentiæ Divinæ unitate; Filij & Spiritus Sancti veram Deitatem & Conſubſtantialitatem cum Patre; Chriſti Satisfactionem pro nobis & Eccleſiæ ſuæ per illius ſanguinem pretioſam Redemptionem; Animorum extra corpus exiſtentiam & immortalitatem; Carnis reſurrectionem; Tormenta mortis æternæ impijs debita; Magiſtratus legitimam Authoritatem; Sacramentorum neceſſitatem & uſum; & plurima alia Religionis Chriſtianæ primaria firmamenta; Hydra eſt in qua Satan ex orco, Ebionem, Paulum Samoſatenum, Photinum, Arium, Macedonium, Manetem, Hermogenem, Marcionem, Pelagium, Mahumetem, & ſimiles excetras, jam olim ſeorſim Fidei Catholicæ infeſtiſſimas, ſimul orbi ſiſtit redivivas; & quæ ſub ſpecioſo ſanctitatis majoris ſectandæ ſtudio & morum meliùs informandorum prætextu, adeò verè dictum à Publio Syro quod *Malus ubi bonum ſe ſimulat tunc eſt peſſimus*, Veritati ac Pietati evertendæ & Thalmudi atque Alcorano cum Euangelio Chriſti confundendis, unicè incumbit; ut Sociniano cuilibet dici queat quod habet Tertullianus *lib. 3. contra Marcionem*, *Deſinat nunc hæreticus à Judæo, aſpis quod ajunt à vipera, mutuari venenum.* Hanc vero Hydram multicipitem belluamque Lernæam, labore Herculeo conficere, debellare, exarmare igne Scripturarum & rectæ ratiocinationis ex Dei verbo contortis ſpiculis, aggreſſus, hunc primum Tomum, *Benevole Lector*, emitto in publicum, qui jamdiu prodijſſet, ſi præli celeritas noſtræ diligentiæ reſpondiſſet. Quid in eo genere præſtiterim & porrò præſtare poſſim, ſi Deus Tranquillitatem, Otium & Vitam largiatur, tuum eſto judicium: Brevi ſequentur duo reliqui, ſi eorum quorum intereſt pios & honeſtos noſtros conatus ac labores ad Dei Gloriam & Ædificationem Eccleſiæ ſuſceptos promovere, Favonium illis adſpirantem ſenſero. Habes in hoc Syſtematis Sociniani duos priores libros, cum eorum Refutatione; ſingularem ſcilicet Crellij *de Deo & ejus attributis*,

Digitized by Google

in quo ſubdolè occulta ſemina ſparſit & jecit fundamenta totius impiæ ſuæ doctrinæ,& primum Volkelij qui *de Dei operibus* inſcriptus eſt.Cùm autem in hac noſtra Editione ſequuti ſimus exactè Volkelianum exemplar quod prodijt *Racoviæ Typis Sebaſtiani Sternacij*, *anno à nato Chriſto* 1630. etiam curavimus ad marginem notari numerum paginarum juxta illam editionem; & ſicut mox præfigemus indicem Capitum utroque libro hujus prioris tomi comprehenſorum, in quo duplex nota paginarum occurret, altera Editionis Racovianæ, cui correſpondent numeri noſtri marginales, altera hujuſce noſtræ Editionis, ad illius paginas accommodata, ita in calce adjecimus ad textum Adverſarij, ne quid ex illo videremus ſubtraxiſſe, idque juxta notas paginarum Editionis Racovianæ, prout nobis ſignantur ad marginem, Elenchum duplicem Locorum Scripturæ & Materiarum quæ in illo tractantur, excerptum fideliter quoad eos duos libros ex generali Indice duplici quem habet ad calcem Racoviana Editio; Hos duos Indices tres alij ſequuntur noſtris Scholijs, Cenſuris & Annotationibus adaptati; prior Locorum Scripturæ,alter Rerum præcipuarum, tertius Authorum nobis ſparſim & parcè toto opere citatorum. In quorum duobus prioribus paginæ noſtræ accuratè deſignantur. Ne vero te perturbet quod videbis ſingulis ferè Capitibus præfixa quorundam Ornatiſſimorum Studioſorum nomina; Etenim cum illi in Controverſijs Socinianis profecturi magis, has noſtras Lucubrationes prout excudebantur, ſibi ſumpſerint in materiam Diſputationum extraordinariarum,quas Collegialiter, valuis tamen apertis, ſingulis ſeptimanis me Præſide habuerunt, & præterea Indices ipſos Cenſurarum noſtrarum colligere & concinnare voluerint, non debuit ipſis hoc publicum μνημόσυνον ſuæ & Diligentiæ & Eruditionis vel invideri vel denegari. Plura non habeo, *Benevole Lector*, de quibus te moneam, niſi ut vel παροράματα noſtra vel Errata Typographica quorum majorem partem poſt omnes Indices ſubnotatam reperies, pro tua humanitate feras aut auferas: Interea precare pro me, ut Deus Opt. Max. meis ſtudijs & laboribus ad Sacroſancti ſui Nominis Gloriam & Veritatis ſuæ elucidationem ſuſceptis, ac porrò continuandis, quamdiu hic Spiritus hos reget artus, affatim benedicere dignetur; VALE.

Digitized by Google

Præfatio Crelliana toti Operi præfixa, cum ejus Cenſura:

JOHANNES CRELLIUS
Eccleſiæ Racovienſis Miniſter,

CHRISTIANO LECTORI SALUTEM.

Iohannes Crellius Eccleſiæ] Abuſivè iſti homines ſuæ factionis conventicula *Eccleſiarum* nomine exornant; nec aliter id intelligendum quam quomodo dixit Tertullianus *lib. 4. contra Marcion. Faciunt favos & veſpæ, faciunt Eccleſias & Marcionitæ*; Item Lactantius *lib. 4. divinarum inſt. cap. 30. Singuli quiq; cœtus hæreticorum ſe potiſſimum Chriſtianos & ſuam eſſe Eccleſiam Catholicam putant.*

QUantum in cognitione rerum ad veram religionem pertinentium ſit poſitum, Chriſtiane Lector, ignorare nemo poteſt eorum, qui ſacroſanctum Jeſu Chriſti nomen ſincero pectore profitentur. Ea enim notitia vitæ lux eſt, quâ qui carent, ij cœcorum inſtar in tenebris palpant, quid ſequantur, quidve declinent, ignari. Arctum certè illud æternæ ſalutis iter invenire nequeunt, nec per tot ſalebras, tam anguſto inter præcipitia tramite, ad ſupremæ felicitatis faſtigium eniti. At quibus cœleſtis illa veritatis lux affulſit, ea præſertim, quam orbi caliginoſo Chriſtus intulit, ij & extremam, ad quam tendant, vitæ metam cernunt, & viam, quæ ad eam ducat, vident, ac ducem nacti Deum, iter iſtud beatitatis ingredi, & ejuſdem ope adjuti feliciter emetiri poſſunt. Quare omnibus, quibus ſua ſalus eſt cordi, rerum ad religionem cultumque divinum ſpectantium ſcientia ſedulò eſt inquirenda; & ſi qua etiam ſtrictura hujus lucis illorum oculis ſeſe inferat, cavendum eſt, ne eam ſpernant, ſed quamvis obſcuriùs lucentem tam diu ſequantur, donec dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus ipſorum, ac clarum tandem Solis jubar omnes ex animis illorum tenebras pellat. Quod cùm divina illis benignitate aliqua ratione contigit, alios etiam monere atque excitare debent, ut evigilent è ſomno, & velut è mortuis reſurgant, ut Chriſtus eos illuminet.

Quantum in cognitione] Ut hæc generalia probamus, ſic negamus Socinianos ijs annumerandos, *qui ſacroſanctum Ieſu Chriſti nomen ſincero pectore profitentur*, utpote qui omnes ingenij ſui nervos intendunt ad Chriſti Divinitatem

nitatem æternam, ſalutare Officium, & Redemptionis noſtræ ſuo ſanguine precioſo Beneficium evertendum & impugnandum; nec ſublimius quid de Chriſto æterno, proprio & naturali Dei Filio ſentiunt, quam Mahumetes in Alcorano; ut potius Achriſtiani & Antichriſtiani, quam Chriſtiani dicendi ſint; niſi ſe Chriſtianos dictos velint ab impugnato Chriſto; ut Imperatores Romani ſe Gotthicos, Alemannicos, Vandalicos &c. ab expugnatis illis gentibus vocitabant.

Ea præſertim quam orbi] At nullam dari poſſe datam-ve unquam fuiſſe aliam lucem veritatis cœleſtis inter homines, quam quæ eſt à Chriſto, luculenter docemur Joh: 1, 9.

Quare cùm Pater ille luminum poſt denſiſſimas ignorantiæ tenebras, quę terrarum orbi per multa ſecula incubuerant, vitæ lucem iis reddidiſſet, qui in umbra mortis ſederant; noſtri homines eo ſplendore tum ipſi ad ſalutis viam rectiùs cognoſcendam ſunt uſi, tum ut alios in eandem traducerent, operam dederunt, & quam ab iis, qui antecesſerunt, acceperant facem, Solis cœleſtis radiis luculentiùs accenſam, aliis iterum præferre pro ſua virili ſunt conati. Eam ob cauſſam non paucos in lucem ediderunt libros, quibus vel univerſam Chriſti religionem breviter explicarent; vel de quibusdam illius capitibus fuſiùs diſſererent, & ab errorum ea nebulis, quibus adhuc involuta eſſent, vindicarent. Qua quidem in re & neceſſitati ſatisfeciſſe, & utilitati, quæ illius lineam egreditur, non una ex parte conſuluiſſe videntur. Nam & rudiores habent, unde ſalutarem veritatem pietatisque doctrinam diſcant; & eruditiores, unde ad uberiorem rerum divinarum cognitionem inſtruantur.

Poſt denſiſſimas] Non tamen ita fuerant condenſatæ, quin & Deus plurimos ſibi reſervaſſet qui genu Baali non flecterent, & inviolati remanerent fundamentales illi articuli, de SS. Trinitate, Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejusque Satisfactione pro peccatis noſtris, Animarum immortalitate, Reſurrectione carnis, Pœnis infernalibus impiorum &c. quos Titanio conatu Sociniani ſtudent evertere.

Noſtri homines] Viderunt quidem ad ſuborientis Reformationis lumen abuſus quoſdam deſerendos; ſed prout *Dum vitant ſtulti vitia in contraria currunt*, ita hi dum voluerunt fumum fugere in ignem ſe conjecerunt, & Scyllam declinantes Traditionum ac Superſtitionum humanarum, inciderunt in Charybdim teterrimarum Hæreſeôn, apertè Chriſtianiſmi fundamenta ſubruentium, ad quam aliòs ſecum conantur deducere, non facem veritatis *Solis cœleſtis radijs luculentiùs accenſam*, ijs præferendo, ſed Pharum Naupactæam

Digitized by Google

paſtæam erigendo, & ignes fatuos Ratiocinationum inſanarum accendendo, quos qui temerè ſequuntur in eaſdem voragines Errorum capitalium & perditionis æternæ ſe præcipitant.

Non paucos in lucem] Sed libros æternis dignos tenebris, in quibus *lurida terribiles miſcent aconita novercæ*; & tectorio fucatæ eloquentiæ argutijsq; Sophiſticis è Scriptura perniciosé detorta ac fallaci fallenteque ratione, horrendæ blaſphemiæ artificiosé circumveſtiuntur, ad ineſcandos ſimpliciores,

--- Veluti pueris abſynthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt dulci mellis flavoq; liquore.

His ſanè libris Socinianis *univerſa Chriſti religio* non explicatur, ſed evertitur; non errores refutantur, ſed pluſquam decumani liberaliſſimè propinantur; ut eos acceſſuris meritò pij inclament,

Frigidus, ô pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

Eſt in illis quod *rudiores* decipiat & *eruditiores* meritò exſecrentur. Habent priores quod metuant, poſteriores quod refutent.

Deſideratus nihilominus à non paucis fuit ejusmodi liber, qui & religionis myſteria pleniùs aliquantò explicaret, quàm in compendiis factum; & ſimul, quæ alibi ſparſim eſſent fuſèque diſputata, velut in ſynopſin redacta, divinæ veritatis ſtudioſis exhiberet legenda. Quem laborem cùm non parùm utilitatis alijs allaturum cerneret, Vir aliquando tum pietate, tum eruditione præſtantiſſimus JOHANNES VOLKELIUS, Eccleſiæ Smiglenſis paſtor, eum in ſe ſuſcepit, & hos, quos nunc edimus, de vera religione libros conſcripſit. Eos cùm alijs viris pijs atque eruditis legendos dediſſet, dignos judicârunt qui ſimul ac ultima illis eſſet ab ipſo manus addita, lucem aſpicerent. Sed morte præventus, rem, ut voluerat, perficere non potuit. Itaque labor hic illis ex parte fuit relictus, quibus ante obitum de toto opere judicium Auctor permiſerat. Quia verò id ipſi ab initio fuerat propoſitum, ut ea potiſſimùm explicaret, quæ ad ipſam religionis præſcriptionem pertinent, & illa doctrina Chriſtianæ capita defenderet, de quibus noſtræ ab alijs ſententiæ abirent diverſæ; breviùs de attributis divinis diſſeruit, de quibus minus eſſet inter nos & alios controverſiæ. Quamobrem ij, quibus judicium de totius operis editione fuerat permiſſum, cenſuerunt, fuſiorem attributorum divinorum explicationem operi reliquo eſſe præmittendam, ne præcipua ſacroſanctę Theologiæ pars præ cæteris veluti neglecta videretur.

Deſideratus nihilominus] In id ergo fuit incumbendum Socinianis, ut ſuę doctrinæ integrum ederent Syſtema, &impietatum, vel ſtrictim vel ſeorſim in aliis ſuorum libris diſperſarum, corpus efformarent, ei haud diſſimile quod deſcripſit Horatius *ad Piſones*;

Humano capiti cervicem pictor equinam
Iungere ſi velit & varias inducere plumas,
Vndiq; collatis membris, ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſupernè,
Spectatum admiſſi, riſum teneatis amici.

Eccleſiæ Smiglenſis] Quo ſenſu ipſe Crellius, ut ſupra notavi, *Eccleſiæ Rakovienſis Miniſter* inſcribitur. Tales ſanè non doctores, ſed seductores ſunt Eccleſiæ; non Paſtores qui ſequaces ſui abducunt à pabulis veritatis, ſed impoſtores Hyænis ſimiles quæ Paſtorum voces imitantur ad Greges diſſipandos: Habitu ac nomine Oves imò Paſtores mentiuntur; ſed revera ſunt, ut cum Philone loquar, ἀνθρωποειδῆ θηρία, & judice Chriſto Matt: vii, 15. lupi rapaces, *Quamq; lupi ſævæ plus feritatis habent.* De illis iſtud Senecæ lubet uſurpare; *Erras ſi iſtorum qui tibi occurrunt vultibus credis; hominum effigies habent, animos ferarum.*

Eos cùm aliis viris] Habent ergò hactenus approbationem Factionis Socinianæ; ut totum Socinianiſmum evertiſſe credendus ſit qui illos refutarit.

Et illa doctrinæ Chriſtianæ] Circa vera doctrinæ Chriſtianæ capita non agit κατασκευαστικῶς ſed ἀνασκευαστικῶς; nec clypeum pro illis, ſed gladium in illa arripit.

Breviùs de attributis] Ex quorum tamen everſione pendent reliquæ hypotheſes Socinianæ; ut non immeritò homines ſubdoli cenſuerint huic rei à limine Syſtematis ſui fortiter inſiſtendum.

Hunc laborem cùm mihi, auctoritate Eccleſiæ accedente, demandaſſent; facilè animadverti, quàm grave humeris meis onus imponeretur. Veruntamen cùm illi, qui ita cenſuerant, rem urgerent, negare id, quod poſtularent, religio mihi fuit. Quare Deum ſuppliciter precatus, rem ſum aggreſſus, &, quod unum potui, fidem ac diligentiam in me deſiderari paſſus non ſum. Etſi verò non defuerunt, qui ordinem operis Volkeliani alicubi mutandum, & quæ Auctor libro quinto tractaſſet, à ſe invicem divulſa, locis magis proprijs ſparſim inſerenda putarent; ſatiùs tamen judicavimus, compagem operis non diſſolvere, ne alia etiam, quę ordinis conſtituendi cauſâ ſunt ab Auctore dicta, mutanda eſſent. Satis æquo lectori fore putavimus, ſi ea, quæ aſſeruntur, vera eſſe ac ſalutaria deprehenderet, & ordinis etiam, quem Auctor ſequutus eſt,

Digitized by Google

eſt, rationem ei aliquam conſtitiſſe animadverteret. Cùm verò Volkeliani libri editioni jam tum eſſent maturi, cùm liber de Deo ejusq; attributis vix à nobis adfectus, nedum confectus eſſet; viſum eſt illos tantiſper edere, donec hunc conſcriberemus, ut tempus aliqua ratione redimeretur. Quæ cauſſa eſt, cur duplicem paginarum ordinem hîc deprehendas; licèt librum de Deo ita Volkelianis junxerimus, ut unum cum ijs opus conficiat.

Hunc laborem] Fateor impudentiori Sophiſtæ peſſimæ cauſæ patrocinium committi non potuiſſe; *Etſi quâ Pergama dextrâ, Defendi poſſent vel hac defenſa fuiſſent.* Interim hinc colligo *Eccleſiæ* malignantium & Socinianæ *authoritate* in lucem prodijſſe hoc omne monſtrum, *horrendum, ingens, informe, cui lumen ademptum*; adeo ut illius Societatis homines non poſſint pro ſuis non agnoſcere quæ toto hoc Syſtemate ſuo continentur.

Quare Deum ſuppliciter] Nempe eadem fronte quâ apud Phædrum, *Lucernam ſur accendit ex ara Iovis, Ipſumq; compilavit ad lumen ſuum.* Hæc enim Theomachia Crellij, non Deo invocato & benedicenti debetur, ſed Deo irato & ſpiritum vertiginis huic Scriptori juſto ſuo judicio ad efficaciam erroris immittenti.

Fidem ac diligentiam] Utramque agnoſco; Fidem datam ſuis ſociennis de impugnanda Dei natura & ſubruendis veritatis Chriſtianæ fundamentis; Diligentiam & ſedulitatem in errore propugnando; Verum illi hactenus quis meritò dixerit, *Non amo nimium diligentem.*

Vera eſſe ac ſalutaria] Cordatus Lector talia illa non deprehendet, ſed falſa & pernicioſa.

Cur duplicem paginarum] Talem decuit Authorem δίψυχον ϗ ἀκατάστατον ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς αὐτοῦ Jac: 1, 8. Nos verò ne quid Sociniani immutatum à nobis ſuſpicentur hunc duplicem ordinem annotavimus ad marginem textus Syſtematici quem refutamus.

Quicquid autem à nobis præſtitum eſt, quod uſibus tuis, benevole lector, ſerviat, id Dei optimj maximi ac Servatoris noſtri Jeſu Chriſti benignitati debetur. Nobis nihil inde decerpimus. Nec eos ſua fraudatos laude volumus, qui ante nos hoc argumentum de Deo ejusque attributis tractarunt, quorum libri verſantur in hominum eruditorum manibus. Quicquid apud nos inveneris, quod ab illis dictum ſit priùs, id ipſis ſecundùm Deum ac Chriſtum adſcribas. quin per me licet omnia illis adſcribas. Neque enim novitatis laudem quærimus; ſed ut priſca illa veritas, ſacris literis comprehenſa, in lucem proferatur, ac priſtino ſuo nitori reſtituatur,

Digitized by Google

tur, laboramus. Utinam verò omnia jam ita eſſent ab alijs dicta atque explicata, ut nihil prorſus reſtaret dicendum, quod cum ipſorum dictis ſcriptís-ve comparatum, novum videri poſſet; nihilque nobis relictum eſſet aliud, quàm ut, quæ à clariſſimis viris ante nos aſſerta defenſaque eſſent, tum ipſi diſceremus, tum alijs inculcaremus.

Id Dei Optimi] Agnoſco & ego quędã non incommodè dicta fuiſſe à Crellio & Volkelio; tùm quia ea eſt mendacij inanitas, ut conſiſtere nequeat deſtitutum fulcro quarundam veritatum; tùm quia opportuna verba quandoq; olitor loquutus eſt; Interea tamen & quę benè dicta ſunt, ad peſſimum finem referuntur, & plurima ſunt peſſimi commatis, ſuntque reliqua inſtar paucorum granorum frumenti in grandi acervo paleæ. Igitur hic liber Crellio Volkelianus hactenus dignus eſto elogio quod Martialis ſuo operi aſſignabat;

Sunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura,
Quæ legis; hic aliter non fit Avite liber.

Quapropter de eo dixerim jure quod habet Auguſtinus *lib. 3. de doct. Chriſt. cap. 30.* de opere Ticonij Donatiſtę, mutatis mutandis: *Liber ipſe & legatur à ſtudioſis quia*, non *plurimum*, ut Ticonij labor, ſed quandoque *adjuvat ad Scripturas intelligendas, & non de illo ſperetur tantum quantum non habet. Cautè ſanè legendus eſt, non ſolum propter quædam in quibus ut homo erravit, ſed maximè propter illa quæ ſicut* Socinianus *hæreticus loquitur.*

Nec eos ſua fraudatos] Videtur Crellius ſpeciatim Vorſtium reſpicere, cujus paſſim veſtigia premit, & quem etiam quandoque teſtem palam laudat: Nemo enim hactenus præter ipſum ex quo cœpit θεολογεῖν ex Socino, tam ſolemnia circa Dei naturam & attributa deliraverat: Habent itaque hîc *ſimiles labra lactucas*, & quod Crellius acceptum fert Vorſtio, prior Vorſtius Socino debuerat.

Neque enim novitatis] Imò quam nova ſint, quam inaudita hactenus in Eccleſia Chriſti, quam remota *à priſca illa veritate, quæ ſacris literis comprehenditur*, quę hîc commentus eſt Crellius, Lectori cordato & noſtras Cenſuras cum illius textu conferenti facilè apparebit.

Utinam vero omnia] Etſi hactenus omnia non fuerint in Eccleſia Chriſtiana ſic *ab alijs dicta & explicata, ut nihil prorſus reſtet dicendum quod novum videri poſſit*, tamen nihil ſupereſt jure dicendum quod illis evertendis & refutandis ſit adhibendum, ut eò collimant adverſarij.

Quòd ſi aliquas putabis in hoc opere laboris noſtri fuiſſe partes, eas tribuas velim Venerando Seni, & non pietate minùs, quàm generis nobilitate præſtanti viro DN. STANISLAO LUBIENIECIO, cujus ut in pluri-

in plurimis alijs, ita & hac in re ſingulare extitit de Eccleſia Chriſti hominumque ſalute benè merendi ſtudium. Is enim opus Volkelianum poſt Auctoris obitum, tanquam prolem parente orbam ſuſcepit, & curâ ſuâ ita fovit atque aluit, ut in publicum tandem prodire poſſet. Nam & poſtquam operis edendi labor mihi fuit ab Eccleſia demandatus, velut ἐργοδιώκτης hortari me nunquam deſijt, donec rem videret confectam; ac ut ſumtus non deeſſet, pupillæ velut elocandæ dotem conquiſivit. Itaque illum tanquam alterum hujus operis parentem agnoſces, lector benevole, & pro ejus noſtráque ſalute, qui tuæ ſaluti conſultum ex animo cupivimus; Deum orabis. Vale, lector amice, & creſce in gratia & cognitione Domini noſtri & Servatoris Jeſu Chriſti. Ipſi gloria & nunc & in diem æternitatis. AMEN.

Quod ſi aliquas] Ne jactet ſe qui accingit ſe ac qui diſcingit 1 Reg: xx, 11. Fruſtra totius operis hujuſce utilitatem deprædicat hæreticus: Et ipſe & ſuus ἐργοδιώκτης qui tantopere illi eſt obſtetricatus, in eo peſſimè *de Eccleſia Chriſti hominumq; ſalute* meriti ſunt, nec melius quam Ulyſſes & Sinon de Teucris, equum ſuum fatalem & inſidiarum plenum, Trojam invehentes.

Ab Eccleſia] Sed ab Eccleſia malignantium, contra Deum & Chriſtum ejus iniquiſſimè conſpirantium: quanquam & hinc apparet, hoc opus habendum pro ſcripto publico totius factionis, ut ex ejus impugnatione & refutatione plus ædificationis redeat ad veram Eccleſiam Chriſti.

Qui tuæ ſaluti] Non ſtudent iſti homines Lectorum ſuorum ſaluti, ſed deſtructioni: *Quicquid ſit metuo Danaos etiam dona ferentes.*

Et creſce in gratia] Ut Lector in *gratia & cognitione Domini noſtri & Servatoris Ieſu Chriſti creſcat*, Scholam Socinianam debet fugere & odiſſe cane pejus & angue, eo quod Chriſtum ore quidem Servatorem dicat, re neget, & per ſummam ingratitudinem tantum ſubtrahat ejus Gratię quantum addit cum Pelagio viribus naturę & arbitrij.

Ipſi gloria.] Paria faciebant Pilati milites, qui induebant eum purpurâ quem virgis volebant cædere, & ad genua Domini accidentes, eum Regem Judæorum ſalutabant; In hoc verò ficto & ſimulato cultu Jeſu Chriſti ſunt Sociniani rei ἐπ' ἀυτοφώρῳ illius evidentis Idololatriæ & Anthropolatrię quam Antiquitas Catholica meritò in Ariomanitis & Neſtorianis damnavit, his nominatim *l. 5. & 6. Cod. de ſumma Trin.* dum nempe eum quem negant eſſe naturâ Deum, & meram Creaturam atque ψιλὸν ἄνθρωπον ſtatuunt, nihilominus cultu Divino & religioſo uni Deo debito Matt: iv, 10. ſe proſequi profitentur; cùm in eo

(**) 3 graviſſimè

Digitized by Google

graviſſimè peccarint Gentiles quod iis ſervirent *qui naturâ Dij non ſunt* Gal: IV, 8. & maledicti pronuncientur in genere omnes Dij illi qui cœlum & terram non condiderunt Jerem: X, 11. Quoad nos colimus Chriſtum cultu Divino, ſed tanquam Immanuelem noſtrum, unum naturâ & eſſentiâ cum Patre Joh: X, 30. per quem condita ſunt omnia tam viſibilia quam inviſibilia Col: I, 16. Deumq; ſuper omnia benedictum Rom: IX, 5. & de quo conceptis verbis dixit Johannes I. V, 20. *Hic eſt verus Deus & vita æterna.* Ipſi hoc reſpectu ſit honos & gloria nunc & in diem æternitatis, AMEN.

INDEX

INDEX LIBRORUM

[*duorum priorum*]

DE VERA RELIGIONE,

& capitum cujusque libri.

Litera A. *paginarum numeris ſubjecta, primam earum ſeriem denotat.*

LIBER I.

De DEO & *ejus attributis.*

Cap. I.	Aditus ad tractationem de Deo. *pag.*	1 A.	1.
II.	Deum eſſe ex univerſa rerum natura demonſtratur.	2 A.	3.
III.	Ex mundi hujus opificio Deum eſſe demonſtratur.	7 A.	8.
IV.	Pergitur in opifice hujus mundi demonſtrando, ut Deum eſſe intelligatur.	22 A.	21.
V.	Deum eſſe oſtenditur ex rebus homini propriis.	47 A.	49.
VI.	Deum eſſe ex iis oſtenditur rebus, quæ præter naturam ſunt aut fiunt.	58 A.	59.
VII.	De nominibus Dei.	68 A.	73.
VIII.	De nomine *El.*	69 A.	75.
IX.	De nomine *Eloah.*	70 A.	77.
X.	De nomine *Adon & Adonai.*	73 A.	84.
XI.	De nomine tetragrammato, vulgò IEHOVA: quædem etiam de nomine *Iah.*	75 A.	89.
XII.	De nomine *Schaddai.*	87 A.	113.
XIII.	De nomine θεός.	89 A.	115.
XII.	De nomine κύριος & δεσπότης.	102 A.	140.
XV.	Deſcriptio quædam Dei traditur.	106 A.	147.
XVI.	Attributorum divinorum diſtinctio.	109 A.	152.
XVII.	De Vnitate Dei.	111 A.	154.
XVIII.	De Æternitate Dei.	120 A.	171.
XIX.	De Vita Dei.	131 A.	195.
XX.	De Intellectu Dei.	135 A.	201.
XXI.	De Voluntate Dei.	137 A.	223.
XXII.	De Potentia Dei.	143 A.	220.
XXIII.	De Poteſtate Dei.	161 A.	242.
XXIV.	De Sapientia Dei.	191 A.	320.
XXV.	De Sanctitate Dei.	224 A.	393.
XXVI.	De Beatitudine Dei.	269 A.	473.
XXVII.	De Magnitudine, Immenſitate, & Omnipræſentia Dei.	272 A.	477.
XXVIII.	De Benignitate ac Clementia Dei, & huic oppoſita Severitate.	279 A.	500.
XXIX.	De illis, quæ Affectuum inſtar Deo inſunt.	294 A.	533.
XXX.	De Amore, Gratia, & Miſericordia Dei; eorumque contrariis, Odio & Ira.	298 A.	545.

XXXI. De

Digitized by Google

XXXI.	De Deſiderio, Spe, ac Lætitia, eorumque contrariis, Deo in ſacra ſcriptura tributis.	314 A.	578.
XXXII.	De Decretis Dei.	326 A.	604.

LIBER II.

De DEI Operibus.

Cap. I.	De Creatione.	*pag.* 1.	689.
II.	De Creatione Angelorum.	*ibidem.*	690.
III.	De ſtatu Angelorum.	4.	696.
IV.	De creaturis inferioribus, & primùm de mundi Materia.	5.	699.
V.	De Creationis modo.	8.	707.
VI.	De Hominis creatione.	9.	708.
VII.	De Providentia Dei.	10.	712.
VIII.	De Gubernatione hominis, & primùm de religione primi mundi.	13.	713.
IX.	De Religione Abrahamo tradita.	16.	725.
X.	De Religione Moſaica.	18.	729.
XI.	De Lege Ceremoniali, & primùm de ſacerdotum electione.	19.	731.
XII.	De ſacrificiorum ritu.	21.	735.
XIII.	De ſacrificio Pacifico.	24.	746.
XIV.	De Sacerdotum vitæ ratione.	25.	747.
XV.	De Ritibus communibus	*ibid.*	748.
XVI.	De Lege Iudiciaria: & primùm de Iudicibus.	28.	753.
XVII.	De Iudicum officio.	*ibid.*	755.
XVIII.	De ipſis legibus judiciariis.	29.	756.
XIX.	De Promiſſis religionis Moſaicæ.	31.	759.
XX.	De Confirmatione promiſſorum Moſaicorum.	32.	761.
XXI.	De Legis difficultate.	33.	763.

DE VERA

Digitized by Google

DE VERA RELIGIONE

Liber Primus,

Qui eſt

DE DEO ET EJUS ATTRIBUTIS.

CAP. I.

Aditus ad tractationem de DEO.

† *Reſpondente* GUILIELMO BONNIVERTIO, Sedanenſi.

DE vera religione dicturis, primùm omnium, quid nomen ſignificet, explicandum eſt. Denotat igitur Religio cultum divinum, ſeu Dei colendi rationem: & vera quidem eam, quę & circa verum Deum, & recto convenientique modo verſatur. Dei vero nomen naturâ ſuâ, ut inferiùs intelligetur, (*cap. 13. conf. & capp. 8. 9.*) pluribus eſt commune: ſed tamen inſignitè denotat ſupremum omnium rerum dominum. Circa hunc religionem veram primò ac per ſe occupari, & in eo, tanquam ultimo ſcopo, penitus conquieſcere eſt neceſſe.

‡ *Dei verò nomen naturâ*] Atqui nomina non ſignificant φύσει aut naturâ, ſed θέσει & inſtituto: & eo quod nomen hoc *inſignitè* denotat ſupremum omnium rerum Dominum, primaria & maximè propria debet eſſe hæc ejus ſignificatio, adeo ut ſecundariò demum & minùs propriè, nec aliter quam per quandam analogiam, alijs tribuatur: cum nomina *communia* ſive appellativa ſint nomina ſpecierum, quæ pluribus illis quibus communia ſunt æquè conveniunt, juxta definitionem Synonymorum Ariſtotelicam *cap. 1. de Categ.* quod ea ſint ὧν τό τε ὄνομα κοινὸν, καὶ ὁ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ὁ αὐτὸς; *quorum & nomen eſt commune, & ad illud nomen accommodata definitio eadem.* Sed de hoc poſtea fuſiùs ſuo loco.

Circa hunc] Cùm autem ita verſetur religio Chriſtiana circa Chriſtum, qui in ea facit utramque paginam, vel eo ipſo illum profitetur *inſignitè* Deum, contra quam ſtatuunt Sociniani: Expendatur potiſſimum ad hanc rem locus Ioh. XIV, 1. & XVII, 3.

Quare & numen iſtud ſupremum cognoſcendum eſt iis, qui ad veram religionem ſunt inſtituendi, & ratio inquirenda, quâ id ritè colatur: ita quidem, ut ſumma ſimul cultus illius pateat tum utilitas, tum neceſſitas. Hac enim ſublata, religionis quoque veræ ſtudium, vel penitus tolletur, vel frigebit. Poteſt autem cognitio Dei tam latè extendi, ut cognitionem quoque rationis, quâ is ſit colendus, ambitu ſuo complectatur. Siquidem ad Deum pleniùs cognoſcendum, non tantùm Attributorum ipſius, ſed & Operum notitia requiritur, quæ niſi ſint aliqua, nec religionis ulla fuerit utilitas, nedum neceſſitas. Inter ea verò eſt & religio-

Digitized by Google

religionis præſcriptio. Itaque univerſa hæc de Religione vera tractatio, ad cognitionem Dei revocabitur; cujus primùm Attributa, ad quorum cognitionem & Nomina ipſius nos ducunt, dein Opera explicabuntur. Attributa autem appellamus omnia, quæ ipſi ſive naturâ, ſive voluntate inſunt. Opera verò actiones ab ipſo proficiſcentes, ſeu quicquid is extra ſe perficit.

‡ *Attributa autem*] Non debuiſſet omitti Diſſertatio de Divinis Perſonis, quæ ſunt propriè in eſſentia Divina; Sed eas negant Adverſarij. Vocabulum autem *inſunt* hîc minùs commodum eſt, cum ineſſe ſit accidentium, Deus vero ſit ſuorum attributorum ſubjectum non *inhæſionis*, quale poſtulant accidentia, ſed tantum *prædicationis*; quia ob ſummam Dei ſimplicitatem, nihil in Deo eſt quod non ſit Deus; quod Axioma Weidnerus & alij ſtatuunt eſſe Rabbenu Haccados in *Gale Razeia*.

Opera vero] Sed etiam actionibus divinis Dei Decreta poſſunt annumerari, ut & actiones perſonales generandi & ſpirandi, per quas Perſonæ conſtituuntur & à ſe invicem diſtinguuntur; Quarum illæ opera Dei intrinſeca ſive immanentia, hæ ſpecialiùs opera Dei *ad intra*, in Chriſtianorum Scholis ſolent appellari.

Et inter attributa quidem primo loco occurrit Exiſtentia. Nam in omni diſci-
2. plina primò conſtare debet, ſubjectum, in quo tractando ea occupatur, exiſtere, aliàs fruſtra de cæteris laboraveris. Quare & nobis primò omnium docendum eſt, extare Deum; idque tantò magis, quod hoc primum eſt religionis fundamentum, quo ſublato eam penitus ruere foret neceſſe. Unde & ſacri noſtri libri aſſerunt, (*Heb. 11, 6.*) *eum, qui velit accedere ad Deum*, (hoc eſt, ipſum colere, eique placere) *credere oportet, quòd ſit* ſeu revera exiſtat, *& quòd remunerator ſit eorum, qui ipſum quærunt*, h.e. qui ipſum colunt, & ea ratione favorem ipſius ambiunt; quod quidem poſterius, priori demonſtrato, haud difficulter creditur, ſi modò intelligas, quid Dei nomen hic ſignificet, de quo ante omnia neceſſe eſt conſtare. Diximus autem, id ſignificare ſupremum rerum omnium Dominum. Hoc ergo primum Religionis veræ fundamentum, primò etiam collocabimus, & rationibus firmabimus; ut cætera deinde validiùs ei ſuperſtruantur. Etſi verò ex iis, quæ de Sacrarum literarum auctoritate alibi in hoc opere diſputabuntur, (*lib. 5. cap. 5.*) perſpici ſatis poſſit, Deum eſſe: placet tamen aliis quoque argumentis idem hoc loco demonſtrare, ut & illi id agnoſcant, qui auctoritatem ſcriptorum ſacrorum nondum admittunt.

‡ *Placet tamen alijs*] Quamvis enim inſita ſit omnium mentibus quædam de Deo notitia, quæ penitùs induci non poteſt, ut Phidias clypeo ſuæ Minervæ, ita propriam effigiem inſculpſerat, ut nequiret inde revelli abſque totius operis jacturâ, tamen cum abſtruſior & obſcurior evadat plurimùm illa communis notio, per nativam eam corruptionem quam Adverſarij detrectant agnoſcere, alijs argumentis meritò juvatur & excitatur.

Triplici autem argumentorum genere ad id probandum utemur; Primùm enim ex univerſa rerum natura ducemus argumenta: deinde ex rebus humanis, ſive

Digitized by Google

ſive à natura, ſive ab alia ſuperiore cauſſa ortis: denique ex iis quæ præter naturam ſunt aut fiunt. Deum autem ſupplices rogamus, ut ipſe Spiritu ſuo mentem noſtram ac calamum in univerſo hoc opere gubernet.

‡ *Deum autem*] At ſanè Deus erat invocandus in opere ſuſcepto pro ipſius Gloria & Veritate: non vero, quale hoc Socinianum eſt, animo & ſtudio utriuſque evertendæ & impugnandæ.

CAP. II.

Deum eſſe ex univerſa rerum natura demonſtratur.

‡ *Reſpondente* PETRO BECUDIO, *Caletenſi.*

UT igitur ab univerſa rerum natura incipiamus; illud primò eſt monendum, ſatis hic nobis eſſe, ſi docuerimus, hujus mundi, & rerum in eo exiſtentium, ſupremum aliquem eſſe dominum ac rectorem. Quandoquidem ii qui Deum eſſe negant, res alias præter hunc mundum, & naturas in eo exiſtentes, agnoſcere non ſolent. Itaque ſi illis demonſtraverimus, hunc mundum ſupremi alicujus rectoris arbitrio temperari, protinus fatebuntur, rerum omnium rectorem aliquem ſupremum eſſe. Deinde, quia haud difficile eſt videre, ſi hujus mundi ſupremus aliquis ſit rector, etiam cæteris rebus, quæ præter hunc mundum extare creduntur, eundem præeſſe rectorem, ſi modo eæ cum hoc mundo, ac nominatim cum hominibus aliquid commune habeant, & ad eorum gubernationem quippiam adferant momenti.

‡ *Extare creduntur*] At præter Deum Rectorem & hunc mundum qui regitur, alia *extare* credi non poſſunt ab eo qui nec mundos infinitos Metrodori ſtolidè imaginabitur, & meminerit Mundi nomine τὸ πᾶν ſive *Univerſum* intelligi oportere.

Quòd ſi quis ejuſmodi res fingat, quibus cum mundo, & hominibus in eo exiſtentibus, nihil planè ſit negotii; earum nulla hic habenda eſt ratio. Quandoquidem nobis ſatis eſt oſtendere, ſupremum aliquem eſſe, tum ipſorum hominum, tum rerum ad eos quoquo modo ſpectantium dominum ac rectorem. Ideo enim hîc Deum eſſe demonſtramus, ut oſtendamus, homines religione devinctos eſſe. Ad hoc autem id, quod diximus, ſufficit. Supremo enim domino & rectori ſuo, ſummum etiam cultum atque obſequium debent homines, in quo religio tota conſiſtit.

‡ *Ad hoc autem*] Nimis laxè & periculoſè: Nam ſi quis legitimè poſſet res ejuſmodi fingere, quibus cum hoc mundo nihil ſit planè negotij, pari ratione poſſet alium earum ſupremum dominum ac rectorem concipere. Quare præſtat oſtendere illi fictioni aliarum rerum extra hunc mundum, nullum locum per rationem concedi poſſe.

Adde, quòd hoc loco non dum id agimus, ut unum tantùm eſſe Deum demon-

Digitized by Google

ſtremus: ſed ſimpliciter, ut Deum eſſe doceamus, cui nimirum homines cultum & obſequium longè maximum debeant. Itaque ſatis eſſet demonſtrare, hominum ſupremum aliquem eſſe dominum, qui nimirum occulta quadam ratione & naturæ limites excedente, humanum genus gubernet; etiam ſi tandem aliarum rerum, vel nullus, vel alius eſſet dominus ſupremus, vel denique ipſius hominis plures; quod tamen à nobis ſuo loco refutabitur. Ut autem demonſtremus, ſupremum hujus univerſi rectorem eſſe, non adeò multum nobis in eo eſt laborandum, ut probemus, non infinitam eſſe rectorum ſeriem, ſed vel unum protinus eſſe collocandum, qui à ſuperiori non dependeat; vel ad talem tandem eſſe deveniendum.

‡ *Adde quod hoc loco*] Sed cum Deum eſſe & unum eſſe convertantur, hoc eo ipſo intelligitur quod illud demonſtratum fuerit.

Vel unum protinus] Cur ergo paullò ante ſupponebat ſuâ non referre *plures*-ne eſſent hominis Rectores & ſupremi Domini?

Siquidem apud omnes conſtat, in cauſis per ſe agentibus, quales ſunt rectores, progreſſum in infinitum non dari. Et ſanè ad regimen omne ordo requiritur; & ad optimum quidem, quale neceſſe eſt regimen hujus univerſi eſſe, ordo maximus & exquiſitiſſimus. Ordo autem inter infinitos rectores (ſi modo rectores ſunt appellandi) nullus revera eſſe poteſt. Ubi enim nullum eſt primum, nullum eſt etiam ſecundum aut tertium; atque adeo ordo nullus. Regimen omne conſilio conſtat. Conſilium in infinita multitudine nullum eſt, ſed infinita potiùs confuſio ac perturbatio. Quare id ſolum nobis probandum reſtat, eſſe aliquem hujus univerſi rectorem.

‡ *Siquidem apud omnes*] Hoc benè, ut ſiſtatur in uno primo, à quo, per quod & propter quod ſint omnia: Id tamen ita *unum* debet eſſe naturâ, ut non repugnet plures perſonas in eo dari & adorari.

Ordo autem] Non probatur τὸ κρινόμενον: & à rejecta infinitate Rectorum ad eorum pluralitatem negandam, non procedit argumentum. Licet enim *inter infinitos* nec ordo ſit, nec conſilium, poteſt tamen eſſe inter plures numero Rectores, unicum Regimen conſtituentes, ut patet in regimine Ariſtocratico.

Id autem primùm hac ratione demonſtrabitur: Si omnia naturalia finis gratiâ agunt, neceſſe eſt eas rectoris alicujus conſilio gubernari. Nam quæcunque finis alicujus gratiâ agunt, vel ſuo ipſorum conſilio, vel alieno ad finem illum diriguntur, ad cumve collimant. Siquidem neceſſe eſt, vel ipſa & finem, ad quem collimant, noſſe atque appetere, & ſeſe ad eum conſequendum componere; vel
4. quippiam aliud, quod ea dirigat. Alia ratione finis gratiâ fieri nihil poteſt. Naturalia verò ſuo conſilio ad finem, cujus gratia agunt, non diriguntur aut collimant. Siquidem eorum alia nullius ſunt conſilii capacia, ut quæ intellectu ſunt deſtituta: alia, ut ut conſilii ſint capacia; tamen quæ naturæ ſolius inſtinctu faciunt,

Digitized by Google

ciunt, conſilio ſuo non faciunt. Sic, quæ homini ſunt cum brutis ac plantis communia, conſilio humano propriè non fiunt; licet conſilio & induſtriâ humana juventur: quemadmodum & naturalis plantarum, tum propagatio, tum nutritio ac ſuſtentatio. Cum ergo res naturales, cùm ipſius naturæ inſtinctu agunt, ad finem ſuo conſilio non dirigantur; reſtat, ut dirigantur alieno, & quidem illius, qui rerum naturam in ſua poteſtate habeat, & ejus curſum moderetur. Naturalia autem omnia finis alicujus gratia agere, adeò manifeſtum eſt, ut jamdudum in proverbium abierit, *Naturam nihil agere fruſtra.* Fruſtra verò agit, quicquid finem, cujus gratiâ agat, ſibi non habet propoſitum. Probat idem Philoſophus fuſè, ſecundo inprimis Phyſicorum libro, & aliis non paucis locis aſſerit. (*vid. præcipuè cap. 8. lib. 2. Phyſ.*) Patet id manifeſtè in animalibus, quæ naturali appetitûs inſtinctu, etiam ante experimentum, ad opera ſibi aliiſque utilia incitantur. Appetitus autem omnis, & quicquid appetitu fit, finis gratiâ eſt. Ex quo facilè etiam intelligitur, quid ſentiendum ſit de cæterarum rerum naturalium actionibus aut motibus, ut aſtrorum, aut plantarum, ad quas naturali quodam inſtinctu atque impetu incitantur; nempe eas quoque finis alicujus gratia eſſe. Nam de ſimilibus idem judicium eſt: & naturale eſt, ut ait Philoſophus, (*8. Phyſ. tex. 63.*) ſimiliter ſe habere in omnibus. Quare ſi ille animalium inſtinctus appetituſque naturalis, & actiones inde prodeuntes, finis alicujus gratiâ ſunt; etiam hic cæterarum rerum inſtinctus naturalis, & quæ ab eo prodeunt, actiones ac motus, finis alicujus gratiâ erunt. Eſt enim inſtinctus hic appetitui brutorum analogus, adeoque affinis, ut apud Philoſophos etiam appetitûs nomen fuerit ſortitus. Et ſanè, niſi oculos claudere velimus, manifeſtè cernimus, quis ſit ille finis, ob quem Sol. v. g. perpetuò in orbem moveatur; quis item finis, ob quem plantæ ſemina producant, ſemina rurſus plantas, & ſi quæ ſunt his ſimilia. Neque enim refert, quòd hæc ſenſu & appetitu propriè ſic dicto, quo in finem cognitum ferantur, deſtituta ſint. Nam nec telum novit aut appetit ſcopum, in quem dirigitur, & tamen finis cauſâ movetur; nec navis portum novit aut appetit; nec horologium finem ſuum intelligit, aut deſiderat; & ne equus quidem ſemper, quò dominum vehat. Ab alio enim, qui finem novit, & appetit, diriguntur ac gubernantur. Atque hoc ipſum eſt, quod nos hoc loco quærimus. Præterea ex eo quoque apparet, naturam finis gratiâ agere, quòd ea ceſſet ab iis actionibus, quarum utilitatem, ad quam fertur, jam eſt adepta; niſi fortè ad eam conſervandam eodem actionis genere ſit opus. Quæ enim finis cauſâ non agunt, ſed quia ſimpliciter neceſſe eſt agere; etiam utilitate remota agere pergunt. 5.

‡ *Quæ enim finis*] Sed cum in rerum natura nihil ſit quod non agat vel ad finem vel propter finem, non debet gratis fingi eſſe quæ abſolutè finis cauſâ non agant, & quæ utilitate remotâ pergant agere; Neq; verum eſt accuratè loquendo ea ſemper agere ex inſita neceſſitate quæ finis cauſâ quadantenus non agunt: Siquidem per incogitantiam multæ

multæ nobis excidunt actiones etiam aliud agendo, ut tollere feſtucam aut caput ſcalpere, quæ noſtri reſpectu nec finis cauſâ fiunt, neque ſemper & neceſſariò pergunt fieri. Imo neque verum eſt ea quæ *ſimpliciter neceſſe eſt agere*, eo ipſo non agere finis cauſâ; cum è contrario quò major eſt neceſſitas agendi in rebus naturalibus, eò magis neceſſaria ſit agentis tendentia in finem.

Denique naturam imitata ars finis gratiâ agit; & niſi eum primò ſibi proponeret, non ars, ſed mera foret ſtultitia. Utilitate enim vel careret, vel non niſi caſu attingeret, quemadmodum qui nullum ſibi locum, ad quem tendat, præfixum habet, hinc inde tantùm oberrabit, & vel nunquam eò perveniet, quò debebat, vel caſu tantùm ac fortuitò eò deferetur, niſi alieno conſilio dirigatur. Quare idem in natura contingeret, niſi finis gratiâ ageret. Omnia cæco quodam ferrentur impetu, & alia in alia incurrerent ſine ordine, ſine utilitate, ſi finem certum, veluti ſcopum, ſibi non haberent præfixum; non niſi caſu ac fortuitò atque adeo raró ſcopum ferirent. Hæc enim eorum eſt ratio, quæ caſu ac fortuitò agunt. Quòd ſi quis nihilominus dicere velit, hæc omnia, etiamſi nec ſuo, nec alieno conſilio dirigantur, ad ſcopum tamen, ad quem debebant, rectà ferri; is perinde faciet, ac ſi dixerit, infinitos eſſe cœcos, qui, cum nec ſuo, nec alieno conſilio, ad ſcopum dirigantur, & ne ferire quidem eum cupiant, aptiſſimè tamen ad eum ſemper colliment, & niſi quid impediat, eum ſemper attingant. quæ oratio cæci, aut ne cæci quidem eſſet, ſed potiùs inſani. Patet ergo, res naturales conſilio alicujus gubernari. Non poſſunt autem gubernari, niſi ab illo, qui naturam habeat in ſua poteſtate, ejuſque ſit dominus. Quo pacto enim aliàs naturam, tantamque univerſi molem gubernaret, atque ad finem ſuum dirigeret? Quare dominum & rectorem aliquem huic rerum univerſitati præeſſe neceſſe eſt.

Dicet fortaſſe aliquis, ipſam naturam ſuo conſilio res omnes ad finem ſuum dirigere; ac porrò nullo alio rerum moderatore opus eſſe. Nam & nos ipſos affirmare, naturam finis gratiâ agere; & uſu receptum eſſe, ut eidem providentia tribuatur. Dicere enim ſolemus, naturam hæc aut illa providè feciſſe, rebuſque utiliter proſpexiſſe. Sed hi loquendi modi facilem reſponſionem habent. Proſopopœiâ enim utimur, ex Metonymia ſeu Metalepſi ortâ, & in vulgari ſermone uſitatâ, ut, quæ cauſſæ efficientis ſunt propria, effectui tribuamus. Naturæ igitur tribuimus, quod Deo naturæ auctori ac moderatori competit.

‡ *Proſopopœiâ enim*] Proſopopœia propriè non eſt, ſed potiùs Metonymia, eaque fortè non tam cauſæ, quam ſubjecti, quâ id cenſetur natura facere, quod in illa fieri & evenire videmus: Sed adverſarij lubenter hic Proſopopœias fingunt, ut viam ſibi ſtruant ad eas per quas Spiritus Sancti Divinitatem conantur evertere. Quod ſi hæ loquutiones de *natura naturante* intelligantur, ut Author poſtmodum indicat, per eam ipſe Deus citra Proſopopœiam vel Metonymiam connotabitur.

Quod ad rem ipſam attinet, interrogare licebit eum qui hæc objicit, quid Natu-

ræ nomi-

Digitized by Google

ræ nomine intelligat. Vel enim naturam intelligit particularem, in ſingulis rerum 6.
naturalium individuis extantem; vel univerſalem, ex ſingularum rerum naturis collectam; vel denique ſubſtantiam aliquam per hoc univerſum diffuſam, & omnium rerum naturas ſuſtentantem, atque in fines ſuos dirigentem. Si naturam intelligit particularem; egregiè fallitur. Quid enim? Num triticum fortè conſultat, ut granum producat, quod vel generis ſui propagationi, vel hominum alimentis cedat? Num temporum articulos novit ei producendo aptos, & tempeſtates obſervat? & granum rurſus conſultat, ut radices in terra figat, ut culmum, ut ſpicam proferat, & cætera ſeminibus aliis, aut procreandis, aut tuendis apta? An porci, aut aſini, dum generationi dant operam, conſultant, ut tam aptam partium ac membrorum ſtructuram è materia effingant, tam admirabiles facultates ei indant; quarum rerum artificium humanum ingenium vix aſſequi, nedum excogitare, quantò autem minùs efficere poteſt? Fortè iidem porci, aut aſini deliberant, quomodo cibus in ventriculo concoqui, quomodo in chylum, chylus in ſanguinem verti, & per venas atque arterias diffundi poſſit; quomodo ſpiritus vitales inde gigni, quomodo membra eo nutriri queant? Quòd ſi ullius rei natura iſtis de rebus conſultaret; hominum certè natura ratione prædita id faceret, idque ipſi homines non poſſent non ſentire. At quis iſtud conſilium in ſe unquam eſt expertus? Ex his jam porrò apparet, nec univerſalem naturam, ex ſingularium rerum naturis collectam conſilio uti, & de rebus in finem ſuum dirigendis deliberare. Cùm univerſalis illa natura, nihil ſit præter naturas ſingulares, quas cogitatione nos conjungimus. Neque enim idea eſt aliqua, extra ſingularia ſubſiſtens. Quòd ſi quis Naturæ nomine ſubſtantiam aliquam intelligat à rebus naturalibus diſtinctam, quæ ſingularum rerum naturas ſuſtentet ac gubernet, & in ſuum quamque finem dirigat; is ipſam revera naturam Deum ſtatuet, &, ſi Deum, tali natura poſita, exiſtere negaverit, ſeipſum non intelliget. Deum enim eſſe, uti vidimus, eſt omnium rerum Dominum eſſe & rectorem. At talis erit natura illa, quæ ſtatuitur ſubſtantia omnes res naturales ſuſtentans, & conſilio ſuo in ſuos quamque fines dirigens. Nam quid aliud eſt hoc, quàm res univerſas regere, eaſque in ſua poteſtate habere? Neque verò naturam hujuſmodi, rerum genera ſeu univerſalia tantùm, ſed & ſingularia noſſe ac gubernare neceſſe erit. Neque enim dirigere omnia in fines ſuos poterit, niſi v. g. Solem & cætera aſtra ſingularia, noverit ac rexerit, è quorum virtute ac motu genera plan- 7.
tarum atque animalium univerſa, eorumque ſalus pendet. Adde, quòd cum univerſalia nihil ſint præter ſingularia inter ſe collecta; non poteſt univerſalia ſuſtentare, ac in fines ſuos dirigere, niſi qui ſingularia ſuſtentat, & in ſuos fines dirigit. Quare quiſquis hujuſmodi naturam fingit, Deum ex natura facit, vel Deum naturæ nomine deſignat.

CAP.

Digitized by Google

CAP. III.

Ex mundi hujus opificio Deum eſſe demonſtratur.

‡ *Reſpondente* ANTONIO à DORTH, Clivo - Veſalienſi.

SEd jam ulteriùs progrediemur, & oſtendemus, hujus univerſi aliquem eſſe opificem, ſeu cauſſam efficientem intelligentiâ conſilioque præditam, quam nos Creatorem appellamus. Unde iterum patebit, eſſe aliquem hujus univerſi dominum ac rectorem. Etenim ipſius naturæ jure quivis opifex dominus eſt operis ſui, quâ tale eſt, &, ſi id ex materia produxit, quæ alieni juris non ſit, totum opus, quantum quantum eſt, ipſius eſt. Unde ei ſoli pro arbitrio opere uti licet: cæteris non niſi ipſius voluntate ac permiſſu; niſi fortè ipſemet opifex alieni ſit juris, non ſui; id quod in ſupremum hujus univerſi opificem non cadit. Supremum autem aliquem eſſe neceſſe eſt, ne in cauſis per ſe agentibus progreſſus in infinitum detur. ac præterea, ut ut hujus univerſi opifex alii alicui ſubeſſet; nihilominus tamen ad ſupremum rectorem tandem eſſet deveniendum, ut ſuperiùs jam docuimus. Id ergo tantùm probandum eſt, hujus univerſi opificem eſſe aliquem.

‡ *Sed jam ulterius*] At Socinus *Præl. cap.* 2. eam ſententiam arguit falſitatis quæ & *inſitam* Divinitatis propugnat notitiam, & ſtatuit ex ſola hujus mundi machina, ſi quis animum advertat, poſſe quemlibet non ſolùm Deum eſſe manifeſtè cognoſcere, verum etiam rebus humanis proſpicere, planè percipere; atque pertendit nonniſi Patrum traditione iſtam opinionem de Divinitate ad omnes gentes dimanaſſe. Quam ſanè ſententiam impietatis damnare debet hic noſter Author dum tam prolixè ex rerum natura Deum eſſe demonſtrat. Nec revera valet in contrarium Socini ratio, quod quidam præſtantiſſimi Philoſophi, ipſeque Ariſtoteles inter cœteros, negarint Deum ſingula curare, ipſumque mundum conditum in tempore: Nam 1. agnovit Ariſtoteles mundum à Deo eſſe & conſervari. 2. In univerſalibus ſingula quoque regi, utcunque admiſit, ut volunt plurimi. 3. Philoſophi multa dixère magis ſtudio contradictionis, quã quod reverè ita ſentirent. 4. Non quæritur quouſque aſcenderint illi, ſed quouſque aſcendere potuerint. Huc pertinet illud Senecæ *epiſt.* 65. *Multum egerunt qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt.* Creationem mundi Pythagoras, Anaxagoras, Orpheus, Plato, &c. admiſerunt; & ipſe Ariſtoteles *lib.* 5. *de part. anim.* laudat Heracliti ſententiam, *Nequidem à caſa furnaria Deos abeſſe.* Sed laus Deo quod Socini Diſcipuli, ut in hoc noſtro videre eſt, incipiant palàm ejus Paradoxis reluctari.

Probari autem poteſt tum eo ipſo, quod antea docuimus, nempe res omnes conſilio alicujus gubernari, & in fines ſuos dirigi; tum ratione illi vicinâ, quâ id ipſum probavimus. Quod enim ad prius attinet; ſi res, quæ in hoc mundo cernuntur, ſine opificis alicujus conſilio extiterunt, & ita, ut videmus, conſtructæ colligatæque inter ſe fuerunt; ſine conſilio etiam cujuſpiam in fines ſuos diriguntur. Siquidem eæ in fines ſuos ideo diriguntur, quia talem naturam habent,

Digitized by Google

bent, & cum cæteris ita ſunt colligatæ. Quod ad poſterius attinet; ſi res hujus univerſi omnes, finis gratiâ non tantùm agunt, ſed & exiſtunt; neceſſe eſt eas à cauſa efficiente intellectu prædita productas eſſe. Quicquid enim finis gratiâ exiſtit, (exiſtit autem, quicquid non ſuipſius, ſed alterius gratiâ eſt) id ejus cauſſæ vi exiſtit quæ & finem illum habeat cognitum, & eundem appetat, & denique media ad illum conſequendum comparet. Id verò, cùm res ipſa ſenſui nondum eſt objecta, ejus tantùm cauſſæ eſt, quæ intellectu ſit prædita, & certo conſilio agat. Patet id etiam ex eo, quòd quæcunque finis gratiâ exiſtunt eo- 8.
rum cauſſa finis eſt. At finis non alia ratione cauſſa eſt rei, quàm quatenus cauſſam efficientem, cognoſcendi facultate & appetitu præditam, ad rem producendam movet. Nam ut, præter manifeſtam rationem, communis Scholarum conſenſus docet, finis duplici modo ſpectari poteſt. Primùm quatenus adhuc eſt in agentis, ut loquuntur, intentione, h. e. quatenus ab efficiente rei cauſſa cognoſcitur, & appetitur, eàmque ſuavitate ſua ad rem producendam impellit: deinde, quatenus jam reipſa exiſtit, ac poſſidetur. Poſteriori modo non cauſſa eſt rei, ſed effectus; operis conſequens, non antecedens. Priori modo tantùm cauſſa eſt, & ad exiſtentiam rei aliquid confert. Unde patet, quæcunque finis gratiâ exiſtunt, cauſſam efficientem habere, cognoſcendi facultate, & appetitu præditam. Ea autem cognoſcendi facultas hîc non niſi intellectus eſſe poteſt, qui res nondum exiſtentes ſolus poteſt cognoſcere: appetitus autem ille voluntas eſt. Res tota adhuc manifeſtior fiet infrà (*cap. 4.*) ubi Peripateticorum quorundam refutabimus ſententiam, qui omnia finis cauſſâ ita exiſtere contendunt, ut efficientem eos hujus univerſi cauſſam non agnoſcere appareat.

Nunc id, quod tota Peripateticorum, imò & Platonicorum ſchola, non modò fatetur, ſed & urget, probabimus, nempe res hujus univerſi omnes finis gratiâ exiſtere, ſed ita, ut controverſiam de materia prima, quæcunque tandem ea ſit, non faciamus noſtram. Satis eſt enim nobis conſtare, res omnes quatenus formam aliquam ſunt adeptæ, finis gratiâ exiſtere; & materiam primam, ſi finis gratiâ ipſam non extitiſſe contendas, ad finem tamen certum adhibitam eſſe. Neque enim id nunc agimus, ut omnia, quæ ad creationem rerum pertinent, vel explicemus, vel demonſtremus; ſed ut hujus univerſi opificem aliquem eſſe oſtendamus. Oſtendemus autem, etiamſi non probaverimus, materiam primam per ſe conſideratam, finis gratiâ extitiſſe; modò docuerimus, res ex ea formatas, finis gratiâ eſſe; materiam autem primam ei fini ſubſervire. Operis enim ratio in forma & diſpoſitione conſiſtit, non in materia per ſe conſiderata. Adde, quòd ne ſacræ quidem literæ, cùm creationem hujus mundi deſcribunt, in materiæ productione eam collocant, ſed in ejus formatione. Quin etiam rerum quarundam creatarum materiam apertiſſimè commemorant, ut alibi in his libris explicabitur. (*lib. 2. cap. 4.*)

Digitized by Google

‡ *Controverſiam de materia prima*) Mirum eſt quod iſti homines hanc controverſiam ſuam non faciant, cum cæteroquin non modo materiam primam admittere videantur, ſed etiam ut præexiſtentem creationi ſupponere, dum negant creationem ex nihilo. Illa tamen materia prima, quà prima, nequit concipi ut exiſtens, cum exiſtentia ſit actus rei; materia vero prima meram ſonet potentiam; imo eo quod forma ſit quæ dat eſſe rei, ut vulgò loquuntur, qui dixerit eſſe vel exiſtere materiam planè informem, ille ſtatuet oppoſitum in appoſito.

Adde quod) Verum enimvero cum creatio ſit non partialis ſed totalis totius mundi productio, ea non minus ad materiam, quam ad formam debet extendi: Neque vox ברא neceſſariò denotat *formationem* ex præjacente materia, ſed potius rei productionem ex nihilo.

Quinetiam rerum) At non valet argumentum à particulari: Nec ſi quædam creata leguntur ex præjacente ſed inhabili materia, & quæ eſſet nihil ſecundum quid, inde ſequetur omnia ſimiliter producta eſſe ex materia præjacente, nec poſſe Creationem ſaltem primam & immediatam dici rei productionem ex nihilo.

Quanquam autem haudquaquam obſcurum eſt, omnia quæ in hoc univerſo cer-
9. nimus, finis gratiâ exiſtere; quia tamen non omnes ad ea, quæ in natura ſunt manifeſtiſſima, attendunt; ideo placet, lectorem in hoc univerſi theatrum aliquantùm introducere, ut rem ipſis quodammodo oculis cernat. Tantò autem id faciemus libentiùs, quòd eâdem opera illud exemplis confirmabimus, quod antea aſſeruimus, naturalia finis gratiâ agere. Simul & fundamenta quædam ſternemus doctrinæ de potentia, ſapientia, arbitrio, imperio, benignitate, ac providentia Dei, de quarum rerum poſtrema in cæteris hujus operis libris agetur: de prioribus nos ipſi in hoc libro infrà dicemus. Et ſanè Sacri quoque libri non ſemel ad rerum in natura exiſtentium contemplationem nos vocant, ut divinæ majeſtatis radios in iis relucentes, & admirandarum ejus proprietatum veſtigia illis impreſſa luſtremus. Etenim non tantùm omnia naturæ opera, ſed & ſingula etiam divinitatis argumenta nobis ſuppeditant, ita ut tot hujus, quam defendimus, ſententiæ argumenta dicere queas, quot naturæ cernimus opera. Eo autem hæc tractabimus pacto, ut oſtendamus, omnium rerum naturam ita eſſe comparatam, ut ad utilitatem aliquam tendat: unde facilè intelligetur, omnia finis gratiâ exiſtere.

Incipiamus à corporibus ſimplicibus, ex quibus hoc univerſum conſtat; inde ad mixta animatáque progrediamur. Inter ſimplicia ordinem ducunt cæleſtia, è quibus primus oculis ſe noſtris offert Sol, quem aſtrorum regem ac ducem non immeritò appellant. Huic ob apparentem nobis magnitudinem, & lucis quam terris impertit, claritatem, veluti regina ſuccedit Luna. Sequuntur cæteræ ſtellæ, inſtar ſtipatorum quorundam, aut exercitûs ducem ſuum ſequentis. Utilitatem Solis longè maximam, ad quam naturâ comparatus eſt, qui non cernit, cum cæcum eſſe oportet, quanquam & is, qui eam non videt, ſentit tamen. Ita naturâ factus eſt, ut & lumen animantibus, ac præcipuè homini, ad variarum

rerum

Digitized by Google

rerum cognitionem, atque ad actiones operáque neceſſaria præbeat; & calore ſuo rerum omnium generationem promoveat, genitas foveat, & ad maturitatem perducat. Itaque ſine eo vita rerum inferiorum conſtare non poſſet, nedum ut ulla ſine eo poſſet eſſe vitæ jucunditas. Ut autem vim ſuam ſalutarem in omnes terræ partes, quatenus opus eſt, ſpargere poſſit; motus illi naturæ vi ineſt, & quidem, ut communis fert ſententia, duplex: alter diurnus, quo intra viginti quatuor horarum ſpatium, totum orbem circumiens, utrumque mundi hemiſphærium luſtrat: alter annuus, quo nunc ad ſeptentrionem, nunc ad auſtrum propiùs accedens, nunc his, nunc illis terrarum partibus ſeſe pleniùs indulget. Quòd enim quidam priorem inprimis motum Soli negent, & terræ adſcribant, quæ ab occidente orientem verſùs quotidie circumrotata, aliam atque aliam ſubinde ſui partem Soli obvertat, id noſtra nihil refert. Eadem enim hujus motûs, quod ad noſtrum inſtitutum attinet, vis & ratio erit; quanquam terræ ac Solis naturæ conjunctim utilitas illa imputabitur.

. ‡ *Quod enim quidam*] Paullò crudius hæc dicuntur à Theologo qui intra ſtylum Scripturæ ſe continere debet, ex quo facile motus ille terræ Copernicianus evertitur. Haud ægrè quidem patimur eum admitti à Mathematicis ὑποθετικῶς, & in quantum certiorem & breviorem ſuppeditat rationem phænomena explicandi; ſed θετικῶς & abſolutè defendi nequit, cùm Scripturæ, Rationi, Senſui, nimis apertè contradicere deprehendatur.

Quanta verò utriuſque illius motus, & porrò *naturæ illius* corporis, unde is fluit, utilitas ſit, dici vix poteſt. Inde enim fit, ut Sol unus toti orbi ſufficiat, & omnibus terræ partibus proſit; nulli autem, vel ob perpetuam abſentiam, ita noceat, ut ea rebus viventibus penitùs reddatur inutilis. Nam ſi Sol eandem terræ partem perpetuò ſpectaret, hanc quidem penitùs exureret; cæteras verò frigore enecaret, ac prorſus redderet otioſas: &, etiamſi tandem in locis aliquibus, ab eo nec nimiùm diſſitis, nec nimiùm ei propinquis, aliqua poſſet eſſe rerum generatio: ii tamen animalia, quæ generarentur, tandem capere atque alere non poſſent. & præterea facem quidem Sol laboribus hominum atque animalium præferret; at tutius quieſcendi ſpatium iis non præberet, ob perpetuam luminis præſentiam. At nunc omnibus orbis terræ partibus ſalutarem vim ſuam impertit, & non modò accedens, ſed & recedens prodeſt. Nam dum recedit, ea, quæ nimiùm incaluerant, refrigerari ſinit: &, quæ laboribus diurnis laſſata fuerant, iis quieſcendi largitur opportunitatem. Quia verò ejus abſentia, præſertim diuturnior, omni prorſus incommodo carere non poteſt; ideo ne nimiùm rebus viventibus noceat, ſapientiſſimè proſpectum eſt. Nam primùm ejus curſus verſùs ſeptentrionem & auſtrum iis eſt incluſus cancellis, ut, cùm in alterutram partem deflectit, non tamen adeo longè ab altera diſcedat, ut, quæ in ea generata fuerant animalia, omnino perire ſit neceſſe, præſertim præſtantiora, quorum nova quo-

tannis generatio non redit. Deinde quantò diutiùs iis lumen ſuum ſubtraxerat, tanto poſtea diutiùs indulget. Ita enim diſpenſat lucis ac tenebrarum, caloris ac frigoris vices, ut dimidio annui curſus tempore, cuilibet terræ parti lumen caloremque impertiatur, dimidio ſubtrahat; & quod diuturniore abſentia veluti neglexerat, id diuturniore rurſus præſentia compenſet. Itaque videmus, iis in regionibus, quę ſeptentrioni ſunt viciniores, aptę tamen ut colantur, intra ſat breve tempus fruges & provenire, & matureſcere, ob dierum longitudinem, ac diuturniorem Solis, operi veluti inſtantis, commorationem: cum eam ad rem
§ 11 tempore longiori ſit opus in regionibus temperatioribus. Præterea cùm in adverſum hemiſphærium ſol tranſit, & noctes regionibus à tergo relictis facit longiores; non nimis longè infra illarum horizontem deſcendit. Itaque noctes illis propemodum crepuſculi cujuſdam inſtar ſunt, & nec calore penitùs deſtituuntur, nec lumine: ſed illo frigus, hoc tenebrę aliquo ſaltem modo temperantur, ut nec nimis noxium illud, nec hę nimis moleſtę ſint. Quam utilitatem Sol magis adhuc auget, dum Lunę lumen ſuum commodat, & per eam averſas, nec ſibi conſpicuas terrę partes illuſtrat ac fovet. Cùm enim plurimum lucis habet Luna, eam illa terrę partem luſtrat, à qua Sol abeſt longiſſimè. Et hæc quidem motui Solis annuo ac diurno ferè ſunt communia. Illud autem annuo magis proprium eſt quòd ſuo illo acceſſu receſſuque, & diverſo terrarum aſpectu, infinitę tum plantarum, tum animalium varietati ſervit. Alia enim majori, alia minori indigent calore aut frigore. Itaque diverſas tum annorum tempeſtates, tum in terra zonas, caloris ac frigoris ratione inter ſe diſtinctas extare, rerum, quę in terris naſcuntur, univerſitati utile eſt. Neque verò eſt, quòd quis dicat, zonam torridam, quę tropicis, ſeu extrèmis ſòlaris curſûs terminis interjacet, & frigidas, quę polis ſunt vicinę, illam ob vicinitatem Solis, has ob longinquitatem, reddi inutiles. Zonam enim torridam inutilem non reddi, manifeſtè docet experientia. ſiquidem ſub ipſo etiam ęquatore mediáque Solis via, cultiſſimas quaſdam regiones, inſulaſque fertiliſſimas repèriri conſtat. Nam præter terræ venas, indéque natos rivos ac flumina, duplici adhuc ratione proſpectum eſt, ne terrę illę exareſcerent penitus, & ad cultum ineptę fierent: nocturno frigore, & pluviis, quę, tum cum Sol loco alicui verticalis eſt, ibi perpetuò cadere dicuntur. (*vid. And. Cæſalpin. Quæſtion. Peripatet. lib. 3. quæſt. 5.*) Nam cùm Sol infra illarum regionum horizontem noctu, quàm poteſt longiſſimè deſcendat, frigus veluti in alteram partem abigit, & vim æſtus diurni temperat. Pluvię verò, quę in eas regiones, quibus Sol perpendiculariter imminet, eo tempore perpetuò cadere ſcribuntur, unà cum venis terrę, eam penitus exareſcere non ſinunt. Qua quidem in re, uti & in cæteris omnibus & utilitatis habitam eſſe rationem, & porrò ſapientia & conſilio rerum naturam conſtitutam eſſe, quis non cernit? Sapientię enim ac conſilii eſt, quòd plures non ſunt Soles, cum toti orbi unus ſufficere

poſſet

Digitized by Google

poſſet. Deinde quòd, cum neceſſe eſſet regiones Solis vię ſubjectas vehementiùs aduri, ſi omnibus terrę partibus unus calorem impertiri deberet; ita tamen ejus vis eſt temperata, ut nec penitus inculta jacerent, & hominibus inacceſſa, tanta medii orbis ſpatia; nec humanum genus, cui in temperatis utrinque zonis ſeu regionibus ſedes eſſet, à ſe invicem divelleretur. quod quidem factum eſſet, ſi ob intolerabilem æſtûs vim, à ſeptentrione in auſtrum, aut ab hoc in illum, tranſitus hominibus fuiſſet negatus, & omnis commerciorum via interclusa. Nam ſi ſervari nihilominus generis humani unitas ac conjunctio debuiſſet; altera orbis pars, ac porrò longè plus quàm dimidium, hominibus prorſus redditum fuiſſet inutile. Denique, quia hoc pacto effectum eſt, ne ita omnia ferverent æſtu, quin ut caloris, ita & frigoris perpetuus quidam fons eſſet. Quandoquidem ut ſine calore res inferiores nec generari, nec conſervari poſſunt: ita nec ſine frigore, &, qui frigore omni ſublato penitus periret, humore aqueo. Itaque ſi nullæ eſſent orbis partes, quibus frigus terræ & aquæ perpetuò veluti aleretur, & è quibus id cæteris regionibus adſpiraretur; non ea tantùm, quæ æſtum nullo modo poſſunt ferre, ſed omnia tandem exareſcerent, & in flammas cineréſque abirent. Ex quibus (ut hoc nunc dicere occupemus) intelligitur uſus earum, quæ polis ſubjectæ ſunt, regionum, licèt hominibus ob perpetuum frigus inacceſſarum. Hi enim ſunt perennes quidam frigoris fontes. Illic frigus terris & aquis incumbens, in totum hunc inferiorem orbem ſeſe inſinuat. Duos autem frigoris fontes eſſe oportuit, alterum ab hoc, alterum ab altero terræ latere; non unum, ut caloris. Caloris enim fons in medio poſitus, in utramque partem vim ſuam diffundere poteſt. At unus frigoris fons in altero extremo poſitus, ad alterum orbis extremum vim ſuam protendere non potuiſſet; partim locorum intercapedine prohibente, partim intermediæ regionis æſtu tranſitum frigori in alteram partem negante. Itaque utile toti terrarum orbi, & rerum inferiorum omnium naturæ fuit, extare regiones aliquas, quas nunquam ita vicinus Sol luſtraret, quin perpetuo rigerent gelu. Neque tamen conſultum fuit, nunquam eas partes à Sole luſtrari, aut omni calore deſtitui. Ita enim nimia frigoris vis fuiſſet, & in regiones, quæ nunc temperatiores ſunt, latiùs ſeſe ſpargens, commodas hominum & animalium ſedes nimis coarctaſſet, quæ nunc ſunt laxiores. Eandem ob cauſſam etiam conſultum non fuit, latiùs diſtendi extremas Solis vias, quas Tropicos vocant. Plures enim terræ, quæ nunc temperatiores ſunt, nimio æſtu ferverent. Sufficiunt autem hominibus & recipiendis & alendis eæ regiones, quæ frigidiſſimis interjacent, ut ſine ſuo incommodo his carere poſſint; aut, ſi quod eſt incommodum, id alio longè majori commodo compenſetur. Videmus enim per tot ſecula nondum omnes, quæ habitari poſſunt, orbis regiones hominibus ita repletas eſſe, quin longè plures capere & alere poſſent. Quantus ergo Solis, ac facultatum ejus naturalium, illuminandi nimirum,

Digitized by Google

calefaciendi, & in orbem perpetuò circumeundi, ſit utilitas, liquet. Non perſequor autem ea, quæ de motu ipſius à Philoſophis & Mathematicis ſubtiliùs diſputantur. Illa enim, quæ vulgò etiam nota ſunt, aut quorum veritas unicuique facilè poteſt innoteſcere, hîc afferre ſatis eſt. Sed non eſt tamen de utilitate Solis agentibus prætermittenda illa, quę in vaporibus ex mari, fluminibus, aliiſque locis humidioribus, in aërem attrahendis cernitur. Ex illis enim nubes, ex his iterum pluvię ac nives oriuntur; quę quantopere ſint terrę humectandę, ac fœcundandę neceſſarię, clarius eſt, quàm ut verbis res egeat. Poſſent & alia addi; ſed nolumus eſſe prolixiores. Nam & hæc alicui fuſiùs, quàm pro inſtituto noſtro, dicta videbuntur. Verum ea præterire noluimus, quia ipſa ſacra ſcriptura (*vid. Pſal. 19.*) Solis miraculum celebrat; utpote quod valdè manifeſtè opificem hujus univerſi ſapientiſſimum demonſtrat, atque aliis etiam nonnullis, quæ dicemus, lucem adferet.

Quod ad Lunæ utilitates attinet; nec eæ ſunt obſcuræ, & aliqua ex parte iis
ſimiles, quas à Sole manare diximus. Etenim à Sole mutuata lumen ac calorem,
veluti minor quidam Sol, ut Philoſophus ait, (*Ariſt. lib. 4. de Generat. Animal. cap.
ult.*) efficitur, & ejus abſentis vicaria eſt. Nam & lumine noctis tenebras ita
temperat, ut quieti tamen non reddat ineptas; & calore moderato inferiora ita
fovet, ut nec ob diuturniorem Solis abſentiam frigoriſque inclementiam, vim
ſuam penitus amittant; & interea læto quodam humore ac ſucco repleantur. No-
tum enim eſt, eam humorum incrementum, tum in aliis rebus, tum in animali-
bus ac plantis parere. Itaque rerum generationi atque incremento efficacia ipſi-
us eſt neceſſaria. Quod ne agricolæ quidem ac hortulani ignorare videntur, qui
plantarum quarundam ſationem ad Lunæ curſum moderantur. Taceo eum fru-
ctum, qui Lunæ cum Sole communis, in univerſa hominum vita eſt maximus.
Eſt autem temporum diſtinctio, quâ omnes populi uti queant, non ab arbitrio
cujuſquam, ſed ab ipſa natura pendens; ac porrò non incerta, ſed certa, ſtata,
ac perpetua. Quæ enim humanarum actionum ac negotiorum foret confuſio, ſi
14. ejuſmodi temporum diſtinctio tolleretur? Tolleretur autem, ſi aſtrorum, inpri-
miſque Solis ac Lunæ curſus tolleretur. Ut non immeritò ſacræ noſtræ paginæ
(*Gen: 1, 14.*) hunc etiam aſtrorum uſum commemorent, cùm de eorum in cœlis
conſtitutione loquuntur. Ad diſtinctionem enim temporum certam, certâ quo-
que rerum varietate ac mutatione opus eſt. Nam quod prorſus uniforme eſt, ni-
hil diſtinguit. Mutatio autem omnis ſtata in aſtris eſt primùm, ab aſtris deinde
in his inferioribus.

In hujus autem, uti & cæterarum utilitatum ſocietatem, etiam reliqua præter Solem & Lunam aſtra venire, facilè patet. Nam ad temporum diſtinctionem facere ortus atque occaſus ſtatos ſiderum, eorúmque converſiones ac motus, non tantùm iis, qui in literis humanioribus aliquantulùm ſunt verſati, notum eſt, ſed

& nautis

Digitized by Google

& nautis atque agricolis peritioribus. Ij enim aſtrorum præcipuorum motus obſervant, & tum tempora ex eorum ratione diſtinguunt, tum operas quaſdam ſuas ad eam diſponunt, præſertim quia certam etiam eorum in rebus inferioribus vim ineſſe deprehenderunt. Idem multò magis Philoſophi longa temporum obſervatione didicerunt docuerúntque. quanquam non pauci longiùs in eo progreſſi ſunt, quam decuit. Conſentaneum autem, imò neceſſarium eſt, illa corpora, quę ejuſdem ſunt generis, eandem etiam in genere vim habere. Nam & ſuprà diximus ex Philoſopho, Naturale eſſe ſimiliter ſe habere in omnibus. Quare cum omnia aſtra ejuſdem ſint cum Sole & Luna generis; neceſſe eſt etiam eandem in genere vim habere, & uſum rebus inferioribus præſtare ſimilem ei, quem duo illa aſtra præſtant; alia quidem majorem, alia minorem, prout ipſorum aſtrorum ratio ac conſtitutio naturalis ad illorum naturam propiùs accedit, aut ab ea longiùs recedit. Quę enim ſtellę vel luminis claritate, vel motûs ratione, vel magnitudine, aut terrarum propinquitate, duobus illis aſtris ſunt ſimiliores; virtute atque uſu etiam ſimiliores ſunt. Et ſanè lumen ab iis aliquod manare cernimus. à lumine verò calor ſejungi penitus non poteſt. His autem duabus rebus Sol ac Luna his inferioribus proſunt. Quare & cætera aſtra. Neque verò credibile eſt, tantam aſtrorum multitudinem ac varietatem otioſam eſſe, ſi & conſpirationem rerum ſuperiorum cum inferioribus amicam, & infinitam utrarumque multitudinem ac varietatem conſideraveris.

Aſtrorum utilitate viſa, haud difficile eſt & corporis illius cœleſtis, per quod, aut in quo feruntur aſtra, videre. Quòd ſi quis illud non agnoſcat, illi nihil eſt neceſſe ejus utilitatem monſtrare. Satis enim nobis eſt, eorum corporum monſtrare utilitatem, quę in natura extare agnoſcuntur. Et ij quidem, qui cœlum 15.
vel ex una ſolida ſphæra conſtare aſſerunt, per cujus profunditatem circuli quidam ſolidi, aſtra vehentes, permeent; vel ex pluribus id ſphæris componunt; non poſſunt corporum iſtorum utilitatem non agnoſcere. Aſtris enim ferendis inſervient, & quidem ita, ne eorum ordo aliquando turbetur, aut penitus diſſolvatur. Qui verò pręr æthera purum ac liquidum aſtra ferri contendunt; ij itidem noſtram ſententiam confirmant. Siquidem corpore ſolido cœlum conſtare ideo negant: partim quia ad motum aſtrorum ſit inutile; partim quia quorundam ſaltem aſtrorum motui ſit futurum impedimento. Eo enim ipſo naturam ab inutili abhorrere oſtendunt. Ætheris autem illius duplex erit uſus: prior, ut motus aſtrorum locum habeat: ſiquidem, ut Peripateticorum ſcholę placet, omnis motus aliquo nitatur immobili: niti autem non poſſent aſtra, ſi per inane volverentur. Poſterior eſt, ut vis aſtrorum, etiam ſupremorum, interventu corporis, ſive unius, ſive plurium, continua ſerie poſitorum, ad nos uſque perveniat. Corporum enim vis ad alia corpora, non niſi interveniente corpore intermedio deferri poteſt. Unde Ariſtoteles ſcriptum alicubi reliquit, (*lib. 2. Meteor. cap. 2.*)

neceſſe

Digitized by Google

neceſſe fuiſſe mundum hunc inferiorem cum ſuperioribus lationibus (hoc eſt, cum corporibus cœleſtibus, quę in orbem continuo motu feruntur) continuum quodammodo eſſe, ut omnis ipſius virtus inde gubernaretur.

Hinc jam etiam apparet, quę corporis inter cœlum & terram interjecti, & qualitatum, quę illi naturaliter inſunt, ſit utilitas. Perſpicuum enim eſt, ut lumen aſtrorum excipere, & nobis impertiri poſſit. Nam ſi opacum eſſet, aſtrorum nobis conſpectum eriperet, & lumen auferret. Liquidum autem, non ſolidum eſſe oportuit, ut corpora, quę vel naturali, vel ſpontaneo motu per illud feruntur, ſecare id poſſent alioquin illorum motus penitus impediretur. Liquidum verò illud, aëreum eſſe debuit, non aqueum; ut ea, quę non niſi in aëre degere queunt, animalia, & naſci, & nata ſervari poſſent, non verò ab aquis ſuffocarentur. ſimiliter ne earum plantarum, quę in aquis creſcere nequeunt, generatio impediretur. Caloris denique ac frigoris capax eſſe oportuit; quia hac utraque qualitate omnia, quę vel ex terra, vel circa terram naſcuntur, indigent: capax tamen & humoris aquei, ſeu mavis vaporum; quia his ad humectandam terram, ad generandas plantas, ad animalium denique nutritionem ac refocillationem eſt opus, quorum uſui & plantæ inſerviunt.

16. Hinc porrò facilè eſt oſtendere uſum terræ aquis magna ex parte denudatæ, fluminibus tamen ac fontibus irriguę; ſimul & aquæ, partim terræ incumbentis, partim per illius venas diffuſę. Nam ſolidum neceſſe fuit eſſe fundamentum rerum animatarum: quarum pars magna quia non niſi in ſicco aut creſcere, aut vivere apta eſt, ideo terram aquis denudatam oportuit. Earundem tamen cauſa & fluminibus & fontibus irrigari, & pluviis deſuper cadentibus ſubinde humectari neceſſe fuit. Ita enim & potus animantibus, & cibus, qui ſine humore ex terra educi nequit, ſuppeditatur. Simul autem neceſſarium fuit Mare, fluviorum tum fons, tum receptaculum. Notum enim jam etiam vulgò eſt, è mari oriri fontes & aquarum ſcaturigines, quę in rivos ac flumina collectę, iterum in mare relabuntur, & in circulum redeuntes, perpetuam tum cæteris animantibus, tum homini præſtant utilitatem. Adde his, quòd & maria & flumina omnigenos alant piſces, & in uſus humanos ſuſtentent. ut navigationis commoda, alióſque multiplices aquę uſus præteream, vulgò adeo notos, ut, cùm ob neceſſitatem ac magnitudinem digni ſint, qni commemorentur; ob id ipſum, quòd nimis ſint noti, commemorari non debeant.

Ex iis autem, quę de fontium ex mari derivatorum origine diximus, patet, & ſubterraneos terrę meatus ac venas utilitate haudquaquam carere. Non carere & cætera, quę in terrę gremio condita ſunt, tum metallorum, tum aliorum foſſilium, quę thermarum quoque ſaluberrimarum cauſſæ ſunt, uſus quotidianus docet. Quin ne illæ quidem exhalationes ex terra erumpentes, quę vel venti ſunt, vel ventorum cauſſę, fructu carent, licèt poſtremum inter opera naturę locum videantur

antur

Digitized by Google

antur obtinere. Partim enim mitigando æſtui; partim aëri purgando, & à pu-
tredine ac corruptione vindicando; partim impellendis ac differendis per orbem
nubibus, imbrium materiam continentibus, aliarúmque rerum, ſive naturali-
um, ſive hominum ſolertia comparatarum, motui ſerviunt.

Jam ut ab inanimatis ad animata tranſeamus; hic adhuc manifeſtiùs utilitatis
apparet ratio. Nec mirum. Nam quantò longiùs à materia prima recedunt, &
quantò plus, ut ita loquar, formę ſunt adepta; tantò propiora ſunt fini, tantóque
plus illis ineſt utilitatis. Quia enim materia prima utilitatem per ſeipſam non ha-
bet, ſed eatenus tantùm, quatenus formis ſubſervit: ideo quò quidque propius
eſt materię primę, tantò minus in eo cernitur utilitatis: quantò longiùs ab ea re- 17.
cedit, tantò major in eo apparet utilitas. Sunt autem corpora ſimplicia materiæ
primæ propiora, & inanimata animatis. Itaque in illis minor apparet utilitas; niſi
quatenus ad plures pervenit, & diutiùs durat; in his major. Et ſanè manifeſtè
cernimus, ſimplicia mixtis, non hæc illis ſervire. Quia verò tanta occurrit &
ipſarum rerum, & utilitatis, quam eæ præſtant, varietas; ideo nobis ſumma tan-
tùm capita ſunt attingenda. Inter animata, ſi ab imis incipias, primùm occur-
runt plantæ; quarum nomine & herbas, & frutices, & arbores, communi Scho-
larum uſu complectimur: omnia, inquam, terrâ naſcentia, & animâ, quam ve-
getativam vocant, prædita. Utilitatem, ad quam naturâ ſunt comparatæ, fa-
cilè perſpicere potes ex facultatibus animæ, quibus ſunt à natura inſtructæ. Fa-
cultas animæ vegetativæ duplex eſt, nutritiva, quę eadem & auctrix eſt, & ge-
neratrix. Priori facultate ſibi ipſis primò ſingulæ proſunt plantæ. ſiquidem ut vi-
vere atque vigere poſſint, nutritione illis eſt opus; ut ad juſtam magnitudinem
perveniant, etiam augmento. Poſteriori facultate totius generis propagationi ac
perpetuitati ſerviunt; ne id pereuntibus individuis totum intereat, ſed aliis per
generationem ſubſtitutis conſervetur. Hinc jam porrò & partium, ex quibus
plantæ conſtat, utilitas patet, ad quam ſunt à natura formatæ. Partim enim ali-
mento attrahendo, partim digerendo ac diſtribuendo, partim fructibus ac ſemi-
nibus, quibus genus propagetur, proferendis, partim aliis ſive partibus nobilio-
ribus, ſive fructibus tegendis ſerviunt. & ſic aliæ aliis, omnes toti, ſive indivi-
duo, ſive generi conſervando naturæ lege miniſtrant. Ex his verò alia iterum e-
mergit utilitas, qua plantæ tum animalium, tum verò maximè hominis vitæ, qui
rerum terrenarum omnium dominus eſt & finis quidam, ſerviunt. Nam & vi-
ctum nobis atque animantibus præſtant plantæ, & medicinam: quædam etiam
tegendo fovendoque corpori faciunt: quædam denique, præſertim grandiores,
materiam ſuppeditant variorum inſtrumentorum, quorum in vita maximus eſt
uſus.

Plantis proxima ſunt bruta, quæ ſupra vegetativæ animæ vim ſenſu quoque ſunt
præditæ; cui & appetitus, & facultas locomotiva, ſeu vis membra ciendi. In

quem uſum animæ vegetativæ vis animalibus ſit data, ex iis, quæ de plantis diximus, intelligi poteſt. Senſuum autem utilitatem quis ignorare poteſt, niſi qui ſenſibus ipſe ſit deſtitutus? Appetitus eò prodeſt, ut ad jucunda, & tum ſibi,
18. tum generis ſui propagationi utilia perſequenda, injucunda autem ac noxia fugienda incitetur animal. Facultas denique locomotiva, ut illa quidem reipſa perſequi atque aſſequi, hæc verò declinare atque evitare queat.

Unde jam porrò & ſingularum partium, quibus animalia conſtant, patet utilitas. Aliæ enim nutritioni naturâ ſuâ inſerviunt; aliæ generationi; aliæ motui; quædam ſenſui ſimul & aliarum facultatum functionibus. quòd ſi quę fortè ſint, quę illis functionibus proximè non inſerviant; famulantur tamen iis partibus, quarum opera ad functiones ſuas anima utitur. Quòd ſi ſingularum partium ſtructuram intueri placeat, videbimus eam ad utilitatem ſummo artificio comparatam. Illud enim jurę affirmari poteſt, & ſitum, & magnitudinem, & figuram ſingularum partium ſive externam, ſive, quę aliquibus ineſt, internam, & cæteras qualitates, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, ſiccitatem, raritatem, denſitatem, mollitiem, duritiem, & ſi quę ſunt ſimiles, omnes utilitatem habere. quod fatebitur, quiſquis doctorum virorum, qui his de rebus diſſerunt, libros adierit. Idem facilè cernes in varietate partium, quæ diverſis animantium generibus datæ ſunt, prout vel locis, vel victus ratione, vel aliis ſunt rebus inter ſe diſtincta. Terreſtribus enim pedes ſunt, aliis præterea alæ; aliis, quæ in aquis degere nata ſunt, pinnæ, aut alia membra natatui utilia; pulmones iis, quibus reſpiratione eſt opus; piſcibus eorum loco branchiæ. Addita ſunt animalibus arma, quamquam aliis alia, quibus hoſtem impetant atque abigant: ſimul & ſolertia indita iis utendi. Itaque videas quædam recèns nata, arma ſua nullo dum experimento cognita noſſe, & vel fronte, vel aliis partibus, lædenti minari. Plurimis ſingularis contigit induſtria latibula quærendi, cavernas, in quibus habitent, aut cuniculos moliendi; aliis nidos tum ſuâ, tum prolis cauſſâ extruendi; aliis mira cibos conficiendi, & cellulas ſibi extruendi ſolertia, ut apibus; aliis indefeſſa cibos congerendi diligentia, ut formicis; aliis aſtutia in fugiendo eludendoque hoſte; aut in præda capienda. Omiſimus eam providentiam, quòd lac illis datum eſt animalibus, quorum fœtus ſolido ſtatim cibo ali nequeunt; quod quidem alimentum tum demum effluit, cùm ſoboles in lucem jam prodiit, aut mox eſt proditura. ſimul autem tum ipſis matribus, tum ſoboli ea vis ineſt, ut & illæ lac præbere velint, & hæc ſugere, atque unde alimentum petere queant, nullo demonſtrante nôrint.

Et has quidem utilitates vel ſibi ipſis, vel generi ſuo præſtant animantes, earumque ſive facultates, ſive partes. Hominis autem, ut jam antè indicavimus,
19. utilitati omnia ſerviunt. Nam primum, quem plantæ præbent homini uſum, eundem genere & animalia eidem præſtant. Sed deinde quædam majoribus à natura

tura viribus ac robore prædita, laborem homini minuunt. Nonnulla ut ut in cibis ipſa non ſint, cibum tamen gratiſſimum parant, ut apes. Alia etiam materiam veſtium pretioſiſſimarum, filis tenuiſſimis ductis, conficiunt. Et alia quidem pluribus ſimul rebus humano generi proſunt, alia paucioribus.

Nec refert, quòd quædam venenata ſint, quædam aliàs hominibus ſæpè noxia. Nam primùm, multa eorum utilitate damna compenſant, ſi accedat ſolertia atque induſtria, ad quam homines natura finxit. Quòd ſi in eam rem plures incumberent, in quam pro tanta hominum multitudine incumbunt pauci; non dubium eſt, quin plures eſſent reperturi multorum noxiorum etiam animalium utilitates. Nunc negligentiæ ſuæ pœnas humanum genus meritò luit. Nam quæ venenata ſunt, ſæpè medicamenta præbent utiliſſima; imò adverſus ſua venena remedium nonnunquam adferunt. quædam artium quarundam operibus ſerviunt: quin & partes nonnulla habent non venenatas, adeò ut etiam in cibis ſint. Præterea etiamſi homini per ſe ipſa non ſerviant; ſerviunt tamen aliorum animalium, quæ hominis naturæ ſunt amiciora, uſibus. Nam & beſtias admodum venenatas ab aliis animalibus ſine noxa ſumi, & in eorum alimentum converti videmus. Eorum autem animalium carnes (ut de aliarum partium uſu taceam) victum hominibus præbent. Itaque nihilominus ad hominem redit utilitas. Adde, quòd, cum homo naturâ ſit & virtutis & vitii, artis atque inertiæ capax; utile eſt, extare in rerum natura quædam, quæ partim virtutem ac patientiam ejus exerceant, ſimul & induſtriam ac prudentiam excitent; partim in peccati aut inertiæ pœnam cedant. Taceo, quòd cauſſæ, ex quibus venenata animalia, aut ipſa eorum venena proficiſcuntur, elementa nimirum, & caloris aut frigoris vis, infinitâ ſuâ, quam humano generi præbent, utilitate, hæc incommoda facilè compenſent. Poſtremò, etiamſi natura hominum utilitati non conſuluiſſet, cui eſt aliàs abundè ſatis proſpectum: utilitas tamen etiam in hujuſmodi animalibus cerneretur ea, quam partes toti, aut tota generis ſui propagationi præſtant.

Jam de utilitate earum, ſive facultatum, ſive partium, quas homini proprias natura dedit, quid opus eſt multa dicere? Quid enim ratione atque intellectu, quo ſupra cæteras animantes eminet homo, eſſe poteſt, vel ad utilitatem, vel ad 20.
jucunditatem uberius? Eo & aſſequi res in natura abſtruſiſſimas, & agere honeſtiſſima, & utiliſſima comparare, & conficere pulcherrima poteſt. Docet id ſcientiarum atque artium, tum ingenuarum, tum mechanicarum, infinita multitudo. At ſingularum quanta utilitas? quanta vel ipſarum, vel operum ab iis profectorum jucunditas? Intellectu homo omnes res terrenas in ſuam poteſtatem redigere, atque adeo omnia, quę ſenſibus ſunt ſubjecta, in uſus ſuos poteſt convertere. Diſtinxit eundem hominem natura à brutis ſermonis facultate, cujus quanta ad ſocietatem humanam colendam vis ſit, vix ipſa, quæ eum præſtat uſum, lingua effari poteſt. Sermonis beneficio docemus alios ea, quæ magno labore, aut diu-

Digitized by Google

turno rerum uſu, ipſi vel invenimus, vel ab aliis inventa didicimus, eademque ad ſeram poſteritatem propagamus. ſine eo foret, intra paucos ſtaret ejus rei, quam quiſque didiciſſet, utilitas. Ejuſdem beneficio alios monemus; à vitiis dehortamur; ſalutaria illis conſilia præbemus; ſolamur mœſtos; dejectos erigimus; amicitias conciliamus; opem alienam nobis paramus; odia extinguimus; pœnas deprecamur. Diſtinxit natura hominem à brutis etiam corpore. Neque enim ad terram pronum finxit, &, ut illa, ad paſtum abjecit, ac ventri obnoxium finxit: ſed os ei ſublime dedit, cœlumque tueri juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus. Manus ei dedit, quæ inſtrumenta inſtrumentorum rectiſſimè dicuntur. Iis enim & parare ſibi, & apprehendere inſtrumenta neceſſaria poteſt; & eadem, cùm neceſſaria aut utilia eſſe deſinunt deponere. Qua quidem parte natura eorum inſtrumentorum defectum, quibus alia animalia inſtruxit, abundè compenſavit; uti & indumentorum defectum. Omnia enim intellectus humanus manuum ope comparare poteſt. Et tantò quidem melius eſt, nullo eſſe naturali veſtimento tectum, nulli inſtrumentorum armorúmve generi veluti alligatum, quàm eo à natura inſtructum eſſe: quód hoc pacto varia pro neceſſitate aut commoditate aſſumere, & cùm utilitas ceſſat, eadem rurſus deponere licet, ne ampliùs ſint oneri. id quod in brutis non licet. Itaque nihil eſt, quód, ut nonnulli faciunt, naturam hominum accuſes, & de miſeria, quâ infra cæteras animantes ſimus dejecti, conqueraris. Quin & illa ipſa, quæ in hominibus recèns natis apparet, imbecillitas & inopia, quanta in aliorum animalium ſobole non cernitur, utilitatem habet: & ne nimium noceat, alia ratione eſt proſpectum. Nam ea
21. facit, ut parentibus liberi tantò magis concilientur, & ad eorum aliquando imbecillitatem atque inopiam viciſſim ſublevandam obligentur. ſimul etiam, ut humanæ ſocietati, ac parendi officio ab ineunte ætate tantò magis adſueſcant, & porrò earum utilitatum, quas ſocietas, & obſequendi aliis voluntas hominum generi præſtat, tum ipſi fiant participes, tum alios reddant. Ne autem nimis noceat tanta eorum imbecillitas, ratio parentibus data, & ipſa hominum ſocietas, omni brutorum conjunctione perfectior, facit. Itaque cum cætera animalia, quód ratione careant, tantâ ſolertiâ ſuæ ſoboli proſpicere nequeant; non ita imbecilla in lucem produci utile fuit, ne plæraque curâ parentum deficiente perirent. Nihil nunc dico de ſexus diſtinctione, quę multis quidem animantibus communis eſt, nec utilitate caret; ſed cujus uſus in homine maximè apparet. Ita enim ſimul & conciliantur homines hominibus, & alio ſexu huic, alio illi muneri diligentiùs incumbente, atque in commune commoda ſua conferente, omnia rectiùs curantur. Atque ut videas, quantopere ab inutili natura abhorreat, in iis etiam, quę viliſſima ſunt, ac propè ſuperflua videntur, utilitatem ea reperit. Quid vilius pilis? certè res in proverbium abiit, ut, quod viliſſimum eſt, ne pilo quidem dignum eſſe, vulgaribus quibuſdam linguis dicamus. Et tamen

men illorum quoque non exigua utilitas apparet iis in partibus, quas natura iis contexit. Nam quód caput iis tegitur, utile eſt ad fovendum ac muniendum cerebrum, quod cæteroqui frigidum eſt ac humidum, ne nimiùm aut refrigeretur, aut incidentibus deſuper humoribus humectetur. ſupercilia utilia ſunt ad ſudores arcendos, ne in oculos à fronte, è qua illi copioſiùs erumpere ſolent, influant. Cilia viſûs gratiâ ſunt data, ut per ea oculi radios ſuos ad rem objectam dirigant, & ad eam veluti colliment; &, ſi quid fortè oculis immineat, quod eos lædere poſſit, ciliorum contactu, ut ut ſenſûs per ſe expertium, deprehendatur, & oculis averſis vitetur. Genas quoque virorum utiliter veſtiunt pili, cùm ad pubertatem accedunt, & jam libidinis ſtimulis agitari incipiunt. Conſulitur enim hoc pacto pudicitiæ, ut ea re notato diſcretoque virili ſexu, vitari à fœmineo inſidiæ, & animadverti ab aliis fraudes, ac præverti tantó faciliùs poſſint. Unde & à pueris, in quibus minùs eſt periculi, ea diſtinctio abeſt. Taceo alia, in quibus natura pudori ac honeſtati, diſciplinę, ordini publico privatoque proſpexit.

Cum ergo videamus, omnia naturâ ita eſſe comparata, ut aliquam præſtent
utilitatem; annon manifeſtum eſt, omnia ejus utilitatis gratiâ extitiſſe, ſeu for- 22
mata conſtructaque eſſe? Etenim, ut ſuprà quoque diximus, ſi negare audeas; ea utilitatis gratiâ exiſtere, perinde facies, ac ſi dixeris, infinitos eſſe cœcos, qui cum ſcopum nec ipſi videant, aut ferire cogitent, nec ad eum à quoquam alio dirigantur, ad eum tamen aptiſſimè colliment, & eum, niſi impediantur, ſemper attingant.

CAP. IV.

Pergitur in opifice hujus mundi demonſtrando, ut Deum eſſe intelligatur.

† *Reſpondente* RODOLPHO CRANS, Tranſiſulano-Zwollenſi.

SAtis quidem hucuſque oſtendimus, aliquem eſſe hujus univerſi opificem; qui proinde ſupremum in omnia imperium habeat, atque adeò Deus ſit. Sed libet tamen aliam adhuc rationem addere, quâ idem probetur: idque ea maximè de cauſſa, ut Philoſophorum quorundam occurramus opinionibus, qui à ſapientia hîc longè deflexerunt. Ita ergo concludimus: Si mundus aliquando non extitit, neceſſe eſt eum ab opifice aliquo fuiſſe productum. Nam ut aliquando non fuerit, & poſtea tamen ſine ulla cauſſa efficiente extiterit, id unum eſt ex maximè impoſſibilibus. Fieri enim nihil poteſt, niſi ab eo, quod faciat. Fit autem, quicquid eſſe aliquando incipit. Itaque ſcholârum omnium conſenſu receptum illud eſt, quod ab Ariſtotele (*lib. 9. Metaph. text. 13.*) fuit pronunciatum: Quicquid fit actu ex eo, quod potentia eſt, ab eo fit, quod actu eſt.

Digitized by Google

‡ *Si mundus aliquando*] Propriè loquendo non fuit *aliquando* cum mundus nondum eſſet, ſed æternitas; in quam cum non cadant illæ temporis differentiæ, potius dicendum fuiſſet, Si mundus non extitit ab æterno, neceſſe eſt eum ab opifice aliquo productum in tempore fuiſſe.

Ab iis qui mundi creationem oppugnant, id inter alia vel maximè urgeri conſuevit, quòd ex nihilo fieri nihil poſſit, nempe quia quicquid fieri videmus, ex materia aliqua præcedente fiat. At ſi hæc ratio quicquam habet momenti, habebit & illa, quòd à nihilo fieri nihil poſſit, ſeu, quòd nihil poſſit fieri, niſi ab aliquo efficiente. ſiquidem quicquid fieri videmus, ab aliquo efficiente fieri cernimus. Imò hoc poſterius priori illo propterea certius debet cenſeri, quòd effectionis ex nihilo aliqua ſaltem cernatur ſpecies. Quandoquidem varias rerum formas, quæ antea non extiterunt, videmus produci. Etſi verò illæ ſine materia vel ſubjecto aliquo non exiſtunt; ex materia tamen non fiunt. At quòd aliquid ſine ulla cauſſa efficiente fiat, ſeu eſſe incipiat, ejus rei ne umbra quidem apparet. Itaque etiamſi tandem conſtaret, creationem non niſi ex nihilo, quod negativum vocant, eſſe poſſe; non liceret tamen eo argumento adverſus mundi creationem
23. niti. Nunc autem multò minùs, cum id creationis natura non exigat, ut nos ſuprà jam indicavimus, & alibi in hoc opere fuſiùs docebitur.

‡ *At ſi hæc ratio*] Imò accuratè loquendo non valet neceſſariò hoc axioma niſi hoc ſenſu; cum quicquid fit ab aliquo fieri oporteat.

Quandoquidem varias] At productionis terminus non eſt forma ſed formatum: Ipſæ Scholæ Ariſtotelicæ, in quibus tam multa de formis diſputantur, ſtatuunt formas nec generari nec gignere. Præſtaret urgere ad hanc rem quod etiam privatio, quæ aliquam rationem habet nihili, principiis phyſicis ſoleat annumerari; Vnde illud natum & obſervatum quod ex non homine homo producatur.

Etſi vero illæ] Et hominis forma ſubſtantialis, anima ſcilicet exiſtit & operatur ſine materia & extra illam, cum ſoluta corporis vinculis ſedem ſuam finalem vel gaudii vel tormentorum conſequitur, quod tamen ad formas aliarum rerum quæ materiales vulgò dicuntur, extendi nullo modo poteſt, cum non minor ſit talium formarum dependentia à materia, quam accidentium à ſubjecto; Neque ſi vulgari ſententiæ adhæreatur negari poterit has formas materiales hactenus *ex materia* fieri, quatenus ex illius potentia & quaſi ſinu educi ſtatuuntur.

Itaque etiam ſi tandem] Sed id in dubium vocari non poteſt, ſi attendatur ad locum Pauli Heb. XI, 3. Nolim quidem abſolutè reſpuere diſtinctionem *nihili* in negativum & privativum: Verum niſi omnia ex nihilo priori ſenſu conſtiterint, nulla ſupererit differentia inter creationem & generationem, cum & hæc procedat à nihilo privativo ad aliquid: Illud porro nihilum negativum tale eſt vel *abſolutè*, quo ſenſu cœlum & terra, ut Moſi eorum creatio deſcribitur Gen. 1, 2. ex nihilo facta ſunt, vel *ſecundum quid* ob ineptitudinem & indiſpoſitionem materiæ præjacentis ad talem formam: & ſic Adami corpus ex nihilo, quia ex luto planè inepto, Deus formaſſe cenſendus eſt.

Nunc autem multo] Id falſiſſimum eſt & impium: Hinc enim ſequetur aut nihil materiale dari in rerum natura, aut ſtatuendum cum Hermogene & aliis *Materiariis*, uti dicuntur Tertulliano, materiam eſſe increatam & Deo coæternam; adeoque nullum jus Deo competiiſſe in illam ut ex ea tam varias Creaturas efformaret.

Vt

Digitized by Google

Ut igitur ad inſtitutum redeamus, certum eſſe debet, ſi mundus aliquando non
extitit, eum à cauſſa efficiente fuiſſe productum. Quòd ſi quis nihilominus nega-
re audeat, mundum hunc ab opifice aliquo conſtitutum, licet aliquando non ex-
titerit, quia caſu exiſtere potuerit; ex eo primùm quærere licebit, an viderit un-
quam, aliquid caſu factum eſſe, nec-ne? Si nihil unquam caſu factum vidit, aut
comperit, quî mundum, opus omnium pulcherrimum, caſu factum eſſe dicere
audet? Si verò aliquid caſu factum eſſe vidit, ſimul etiam videre potuit, id nihi-
lominus à cauſſa aliqua efficiente factum eſſe. Etenim caſus cauſſa eſt per accidens,
in iis, quæ rarò ac præter intentionem agentis fiunt. (*vid. Ariſt. lib. 21, Phyſ. c. 4.
5. 6.*) Cauſſa verò per accidens ſemper nititur eâ, quæ per ſe eſt. Quemadmo-
dum enim accidens omne nititur eo, quod per ſe eſt: (nam aliàs accidens non
foret:) ita & cauſſa per accidens nititur eâ, quæ cauſſa per ſe eſt. aliàs nullo mo-
do cauſſa foret. Caſus verò nonniſi ad cauſſas efficientes refertur. Quòd ſi per
exempla ire libet, facilè id erit oſtendere. Nam ſi lapis v.g. delapſus aliquem
fortuitò vulneret; gravitas lapidis in cauſſa fuit, ut vulneraret. eæ verò ſunt cauſ-
ſæ iſtorum effectuum per ſe, & cauſſæ quidem efficientes. ſed quia rarò fit, ut è
fornice delapſus lapis aliquem vulneret; nec id ſpectabat lapis, qui ſpectare nil
poteſt; ideo caſui id tribuitur. Sic ſi aliquo deambulante cœlum tonet, caſu id
fieri dicitur: quia & rarò fit, & præter intentionem agentis. ſed utrinque tamen
cauſſa hujus effectus aliqua eſt per ſe: illinc quidem conſilium ac voluntas deam-
bulantis; hinc cauſſa naturalis, tonitru in nubibus excitans. Idem de cæteris
omnibus judicandum eſt. Itaque & illi, quî mundum ex fortuito atomorum con-
curſu, ſomniantes, credo, potiùs quàm vigilantes extruxerunt, eo ipſo cauſ-
ſam mundi efficientem, licet ineptiſſimam poſuerunt, ipſum nimirum tumultua-
rium atomorum motum, & quæ hujus iterum cauſſa fuit, eorum levitatem aut
gravitatem. Sed deinde caſus ſemper cæcus eſt. alioqui caſus non foret. Dixi-
mus enim, tum demum caſu aliquid fieri, cùm præter intentionem ejus qui
agit, quippiam accidit. Unde vulgò fortuna, quæ vel idem eſt quod caſus,
vel ſub caſu continetur, cæca dicitur pingiturque. At quo pacto is, qui cæcus
ipſe non ſit, cæco quodam impetu hoc univerſum conſtitiſſe, auſit aſſerere; in
quo & pulcherrimum cernat ordinem, & conſtantiſſimum miniméque perturba- 24.
tum ſiderum motum, atque ad vitam & ſalutem rerum inferiorum aptiſſimè com-
poſitum; conſenſum præterea rerum omnium ſingularem; ſtructuram tum plan-
tarum, tum animalium adeò artificioſam, adeò ad uſum accommodatam, ut
eam undiquaque perſcrutari, nec ſatis admirari humanum poſſit ingenium. Hæc
ſanè ſi quis cæco ſive caſui, ſive neceſſitati tribuenda ſtatuat; dicam, cæcitatem
omni & oculorum & mentis acie eſſe perſpicaciorem. hoc eſt, tenebras eſſe lu-
cem, & lucem tenebras. Itaque ſi cui, præſertim de veritate admonito, ad tan-
tam ejus lucem cæcutire placet; is ſuæ ſanè cæcitati, vel voluntariæ potiùs inſa-
niæ, quæ meritas ab eo pœnas exiget, relinquatur. Nunc

Digitized by Google

Nunc ad eos nos convertamus, qui ab omni æternitate hanc rerum univerſitatem extitiſſe volunt, qua in ſententia ſunt Peripatetici; quibus & hodie celeberrimos quoſdam Philoſophos, Ariſtoteli, quàm ſacris literis addictiores, non obſcurè videas adſtipulari. Horum ſententiam ſi refutaverimus, argumentum noſtrum paulò antè propoſitum penitùs confirmabimus, & opificem aliquem eſſe hujus univerſi evincemus. Res verò ita patet: Si hoc univerſum ab æterno extitit, ab æterno etiam extiterunt homines & animalia, perpetuaque fuit eorum generatio. Hoc autem eſt impoſſibile. Prius & per ſe manifeſtum eſt, & apud eos, qui mundi æternitatem aſſerunt, probatione non indiget. ſiquidem & humanum genus, & univerſæ plantarum atque animalium familiæ, non minùs ad hujus univerſi conſtitutionem pertinent, quàm aut aſtra, aut elementa, ne dicam magis. ſiquidem corpora ſimplicia, ſaltem hoc modo digeſta, mixtorum animatorum ſunt gratiâ; aſtra quidem ut cauſſæ efficientes neceſſariæ, elementa ut materia. Quare etiam ſi quis tandem cœlum tantùm atque aſtra, & elementa ita digeſta, ab æterno dicat extitiſſe, de rebus autem animatis vel dubitet, vel neget; eò tamen adigetur, ut de his quoque id fateri cogatur. Impoſſibile enim eſt, hanc mundi machinam innumeris ſeculis fine ſuo caruiſſe, & Solem cæteroſque planetas ac ſtellas, fruſtra terrarum orbem undiquaque luſtrâſſe, & lumen illi ſuum ac calorem impertiiſſe. Quorſum enim id totum ſpectat, niſi ut plantarum, animalium, & denique hominum generatio perpetuò locum habeat, earumque rerum omnium vita conſervetur? Adde, quod, ſi quis unà cum aſtris atque elementis neget homines atque animalia extitiſſe, neceſſe habeat dicere, eos & præter naturæ ordinem, & non neceſſariò extitiſſe, id quod Peripateticorum ſen-
25. tentiæ prorſus adverſatur. Etenim quicquid naturali ordine fit, id neceſſe eſt infinito tempore aliquando factum eſſe. Sed quid dico, infinito tempore? cùm quicquid naturali ordine fit, neceſſe ſit fieri finito tempore, quanquam fortè longiſſimo. Siquidem ordo naturæ tempore definitus eſt, & in circulum aliquando redit: cum motus omnium illorum corporum, unde univerſus naturæ ordo pendet, tempore ſit definitus. Quod ergo tempore finito, quanquam longiſſimo, non fit; id naturæ ordine fieri non poteſt. multò autem minùs, quod infinito tempore factum non eſt. Etenim in infinito tempore neceſſe eſt ordinem naturæ infinities in circulum redire: ac porrò neceſſe eſt, infinities id factum fuiſſe, quod ordine naturæ fieri potuit. Ideò rectè pronunciatur à viris doctis, omnem potentiam naturalem habere determinatum aliquod tempus, intra quod ea deducatur in actum. Atqui ſi ab æterno homines unà cum cæteris animalibus non extiterunt; neceſſe eſt, ut infinito tempore non fuerint generati. Nam ante quodlibet tempus certum ac finitum, præceſſiſſe oportet infinitum. Si enim finitum tantùm præceſſiſſet, jam id principio non caruiſſet; & ſic totum fuiſſet finitum. Nam ex finitis, licèt maximis, ſi numero ſint finita, non niſi finitum fit.

Digitized by Google

‡ *Nam ante quodlibet*] Imo infinitum tempus dari implicat contradictionem: quia non datur in infinito prius & poſterius: & cum tempus ſit numerus motus, debet concipi primum inſtans, quo motus cœperit, & à quo tempus numerari potuerit: Cum ergo ante tempus finitum præceſſerit æternitas, nec potuerint homines & animalia ab æterno exiſtere, eo quod quicquid fit, in tempore fieri debeat, neceſſe eſt homines & animalia nonniſi in & cum tempore incœpiſſe.

Sed quicquíd tandem dixeris; neceſſe eſt generis ſaltem humani atque animalium aliquem agnoſcere opificem ac conditorem, qui eos liberè produxerit, ſi ab æterno non extiterunt. Id quod nobis ad Dei exiſtentiam demonſtrandam ſatis eſt; & ſimul præcipuum, quo æternitas mundi Ariſtotelica nititur, fundamentum convellit. Etenim inde liquet, non neceſſarió, ſed contingenter homines atque animalia extitiſſe. Si enim neceſſarió extitiſſent, ſemper extitiſſent. Neceſſarium & ſemper, inquit Ariſtoteles, (*2. de Gener. & Corr. cap. ult. tex. 68.*) ſimul ſunt. Itaque quicquid neceſſarium eſt, nempe ſimpliciter, ſemper eſt, fuit, & erit. Quod ſi contingenter extiterunt homines atque animalia; vel conſilio alicujus extiterunt, vel ſine conſilio. Si conſilio alicujus; datur cauſſa hominum efficiens conſilio prædita, & liberè agens; ſiquidem non neceſſarió, ſed contingenter homines produxit. Hujuſmodi autem hominum cauſſam, ipſorum rectorem ſupremum, ſeu Deum eſſe, jam ſuprà docuimus. Si ſine alicujus conſilio homines atque animalia extiterunt, caſu extiterunt; ut ex ſuprà dictis apparet. Caſu autem non extitiſſe, & Peripateticorum ſchola, & nos unà cum illis, antea docuimus.

Id ergo nunc reſtat, ut demonſtremus, impoſſibile eſſe, ut homines atque animalia omnia ab æterno extiterint. Id autem ex eo patet, quód in cauſſis hominum efficientibus, & quidem per ſe agentibus, daretur progreſſus in infinitum. 26. Similiter & in cauſſis efficientibus eorum animalium, quæ non niſi ex ſemine generari conſtat. At in cauſſis per ſe progreſſum in infinitum, Ariſtoteles æternitatis mundi conditor, & omnes ejus ſectatores meritó rejiciunt ac refutant. Jam veró neceſſarió ſecuturum ejuſmodi progreſſum in infinitum in cauſſis per ſe, poſita æterna hominum atque animalium generatione, patet. Etenim cum homo non niſi ab homine naturaliter producatur; neceſſe eſt quemvis hominem habuiſſe infinitos majores, à quibus ortum duxerit. Si enim finiti numero fuiſſent; cum ſinguli etiam tempore finito extiterint; neceſſe eſſet, eorum ſeriem aliquando initium habuiſſe. At ponitur ea ſeries à parte antè (ut loquuntur) infinita, omnique principio carens. Idem ſtatuendum eſt de cæteris rebus animatis, quę non niſi ex ſemine generantur. Viderunt hunc nodum nonnulli ex Peripateticorum ſchola viri acutiſſimi, (*Andr. Cæſalpin. Profeſſor Acad. Piſanæ, poſtea Medicus Romanus Quæſt. Peripat. lib. 5. quæſt. 1.*) ideoque dixerunt, & libris publicè, ac cum privilegio editis, docuerunt, non neceſſariò hominem ex homine gigni, ſed

D poſſe,

poſſe, imó ſolere ex putredine fieri à calore ac motu Solis, in locis temperatiſſimis, quos in zona torrida, media aëris regione collocant. Generari enim & plantas, & animalia quædam ex putredine, calore Solis. Idem ergo fieri in homine. Naturale enim eſſe, ut ſimiliter fiat in omnibus. Et hanc quidem volunt eſſe veram cauſſam, à qua tum humani generis, tum cæterarum omnium rerum animatarum pendeat æternitas; non generationem ex ſemine. Hanc enim non neceſſariam eſſe, ſed contingentem. æternitatem autem re contingente non niti. Sed cum huic illorum ſententiæ de generatione hominum ex putredine, ipſa rei experientia vehementer obſtaret; illud ſunt commenti, loca illa, ubi ea generatio peragatur, ob varia impedimenta cæteris hominibus eſſe quodammodo inacceſſa atque adeo incognita. Sed vaniſſimum eſſe hoc commentum liquet. Quî enim fieri poſſet, ut intra aliquot annorum millia, nec hominum ullus ad ea loca pervaſerit, nec ullus inde ad nos pervenerit? Nam quò hominum vel induſtria, vel audacia non eſt progreſſa? præſertim cum regiones orbis medij, in quibus illi hæc cœli miracula ponunt, fuerint ab hominibus dudum perluſtratæ ac cognitæ. Adde, quòd ijdem fatentur, hominibus quocunque modo genitis, datam eſſe facultatem generandi ſibi ſimilia, ut multiplicati in terras dividerentur, ne eæ jacerent inertes ac ſine fructu. Nam aliàs cogerentur fateri, fruſtra datam eſſe ho-
27. minibus facultatem generandi ſibi ſimilia; ſiquidem à cœlo generari potuerunt. Naturale enim eſt, ne per plura fiat, quod poteſt fieri per pauciora, ut & ipſi affirmant, & res loquitur. Quî ergo factum eſt, ut homines, qui illis in locis generantur, ſeſe in orbem non diffuderint? At animalia, inquiunt, quædam fiunt ex putredine à calore Solis. Ignobiliora quidem, atque adeò imperfectiora, videmus ita procreari: ſed nobiliſſima perfectiſſimaque nunquam vidimus; nec id Ariſtoteles auſus eſt aſſerere, ut ipſimet fatentur. Non ſequitur autem: ſi imperfectiora ita generantur, ergo & perfectiora; & denique homo, omnium animalium perfectiſſimus, & intellectu præditus. At naturale eſt, ut ſimiliter fiat in omnibus. Similiter quidem: ſed non eodem prorſus modo. Nam ut perfectione res differunt; ita & rerum primò producendarum aut generandarum modus aliqua ſaltem ratione differt; uti tum in plantis, tum in animalibus videmus. Nonnulla enim majori providentia, ut & generentur & ſerventur, egent. Itaque magna in illis parentum cura cernitur. Maximâ autem omnium eget homo. Itaque nos rationabiliùs ſtatuimus: quemadmodum aliarum quarundam & plantarum, & animantium cura delegata eſt homini intellectu prædito, ut earum propagationem ac ſalutem curet: ita hominis ipſius, tanquam nobiliſſimæ plantæ in hunc mundi agrum inſertionem ac curam, reſervatam eſſe alteri quod omnem hominum intellectum ſuperat. Ita enim rectè ſervabitur naturæ ordo, & graduum quædam ſimilitudo ac proportio.

Sed præterea & illud obſtat hominum ab omni æternitate generationi ac ſucceſſioni,

Digitized by Google

ceſſioni, quód primorum, qui artes ac ſcientias invenerint, auctorum nomina literarum monumentis conſignata ſint à viris doctis; priorum autem hominum, qui eaſdem tenuerint atque excoluerint, ne veſtigia quidem appareant. Impoſſibile autem eſt, ſi genus humanum ab æterno extitit, artes ac ſcientias, præſertim magis neceſſarias, ante pauca annorum millia, quibus eæ ſunt repertę, vel non extitiſſe, vel cum aliquando extiterint, earum etiam memoriam penitus fuiſſe ſublatam. Quód veró Peripatetici comminiſcuntur, eaſdem artes infinities & inventas, & rurſus ignorantię tenebris involutas fuiſſe; id mirum eſt, ſi cuiquam homini cordato perſuaderi poſſit. & eſt id tantùm illorum, quibus decretum eſt theſin ita tueri, ut quicquid illi conſentaneum eſt, licèt abſurdum, admittant ac defendant. Etenim ſi in paucis artibus ac diſciplinis id contigiſſet, mirandum non eſſet. At nullius hominis nomen celebrari, qui ante hæc pauca annorum millia, quibus nos genus humanum extitiſſe volumus, eaſdem artes co- 28.
luerit, id nullo modo eſt credibile, ſi ab infinitis ſeculis humanum genus extitit. Eadem ratio & regionum eſt, quarum aliquas olim incultas jacuiſſe, alias ne nunc quidem coli videmus. At ſi ab infinitis ſeculis genus humanum extitiſſet; quî fieri poſſet, non omnes jam pridem cultas, hominibuſque repletas eſſe?

Verùm ut hujus erroris etiam radices, unde is repullulare fortè poſſit, evellamus, & noſtra, quę à fine rerum naturalium ſuperiùs duximus, argumenta adhuc magis confirmemus; libet eorundem Peripateticorum, quorum pauló antè mentionem fecimus, ſententiam confutare de modo, quo res omnes à primo ente dependeanr. Ea enim ſi admitteretur, & rerum creatio in ſacris literis deſcripta, & primi entis arbitrium atque imperium, & providentia omnis, ac porró omnis tolleretur religio. Eſt autem illa ex Ariſtotelis dictis ita concinnata, ut ipſius omnino eſſe videatur. Itaque tantó magis convellenda eſt, ne homines incauti, dum ejus Philoſophi, & quorundam ipſius ſectatorum acumen mirantur, & multa præclara eorum inventa diſcunt, impietatis ſimul venena hauriant. Statuunt enim illi, (*Vid. Andreæ Caſalpini Quæſt. Peripatet. lib. 2. quæſt. 1. & ſeqq. ſparſim. adde quæſt. ult. lib. 1. & Inveſtigat. Dæmon. Peripatet. cap. 2. & d. confer Ariſt. lib. 12. Metaphyſ. cap. 7. & ſeqq.*) Ens ſummum, quod unà nobiſcum Deum appellant, intellectum eſſe, non practicum, qui conſilio agat, aut præter ſe quippiam ſive conſideret, ſive efficere velit; ſed qui in ſeipſo tantùm contemplando perpetuó ſit occupatus; imó nil aliud ſit, quàm ſui ipſius contemplatio ſive intellectio. Itaque non quia is ita apud ſe decernat ac velit; ſed ipſo hac de re ne cogitante quidem, neceſſarió hoc univerſum ab ipſo manare. Modum veró ejus rei hunc eſſe volunt. Deum, inquiunt, finis ac boni rationem habere. Bonum autem omne deſiderabile eſſe, ſeu appetibile. Appetibili poſito neceſſarió poni etiam id, quod appetat. Id hoc loco eſſe materiam; quę per ſe boni expers atque indiga, bonum atque adeó formam appetat. Formam enim in ſubſtantiis eandem cum fine eſſe.

ne eſſe. Ex hoc ergo materiæ appetitu formas pendere; & primò quidem eas, quæ in partibus hujus mundi perpetuis cernuntur, cœlo nimirum, & elementis totis. Variari autem earum rerum formas atque operationes, prout partes materiæ univerſæ, vel propiùs, vel longiùs à Deo abſint. propiores enim nobiliorem ſortiri formam; remotiores ignobiliorem. Ab his iterum pendere varietatem formarum, quę in mixtis cernatur. Materiam enim elementarem à cœleſtium cor-
29. porum motu, calore, ac virtute variè præparatam, innato ſuo appetitu, quo in finem feratur, varias formas induere; atque adeò participatione quadam divini illius entis, mixta perfectiora animam ſortiri, alia vegetativam tantùm, alia etiam ſenſitivam, alia denique rationalem. Cujus quidem ſententiæ abſurditatem ac vanitatem ut tantò rectiùs intelligamus; animadvertendum eſt, duplicem eſſe finem, ut ipſemet Ariſtoteles docuit. Alius ab eo dicitur finis *cujus*, alius *cui*. Finis *cujus*, eſt bonum quod appetitur ac paratur. Finis *cui*, eſt res vel ſubjectum aliquod, cui bonum aliquod paratur. Et cauſſa quidem efficiens, quę conſilio agit, ſemper eſt aliqua ratione finis *cui* ſui effectus, licèt non ſemper ſolæ. Sæpè enim aliis quoque boni quippiam parat; & nonnunquam aliis magis, quàm ſibi. Veruntamen niſi aliquo modo etiam ſeſe reſpiceret, nunquam ad actionem accederet. Finis enim eam ad actionem movet. at non moveret; niſi aliqua ſaltem ratione ei allubeſceret. Nam ſuavitate quadam ſuâ finis movet, quicquid movet. Quare aliquam ſaltem jucunditatem id quod conſilio agit, ſua ſibi actione comparare ſtudet. Et nos quidem hoc modo Deum, ut primam mundi efficientem cauſſam, ita & ultimum finem eſſe ſtatuimus. Sed ij, adverſus quos nunc diſputamus, Deum finem *cujus* eſſe volunt. Atqui finis cujus vel ſubſtantia prorſus non eſt, vel non eſt ſubſtantia prima, à qua cæterarum eſſentia pendeat, quemadmodum ipſi volunt. Nam finis *cujus*, vel actio eſt, vel quippiam actione productum ſive effectum. Quòd ſi interdum id videatur eſſe finis, cujus gratiâ quippiam ſuſcipitur, quod & ſubſtantia ſit, & jam reipſa exiſtat; ut ſi quis auri argentive gratiâ quippiam faciat; non ipſa revera ſubſtantia, ſed illius acquiſitio, & multò magis uſus, qui in actione conſiſtit, finis eſt. adeò ut finis ultimus neceſſariò ſit actio aliqua, aut actionis conſequens. Quamquam quid multis hîc opus? cum illi homines eum, de quo agimus, finem putent eſſe ipſam intellectionem. Atqui actio nulla ſubſtantia eſt: quia per ſe non ſubſiſtit. & opus omne ab agente pendet. Non ergo finis prima eſt ſubſtantia, & cæterarum omnium cauſſa. Sed deinde, quomodo ab hoc fine, quem intellectionem eſſe volunt, pendent omnia? Quia appetibile eſt, inquiunt, ideò neceſſariò eſt & id, quod appetit. Si appetibile pro eo ſumunt, quod appeti poteſt; falſum eſt, appetibili poſito, neceſſariò poni id quod appetat. Poteſt enim extare bonum, quod appeti poſſit, reipſâ tamen à nemine appetatur. Quemadmodum & res viſibilis eſſe poteſt, quę à nemine tamen actu ipſo videatur. Præterea quicquid appetit, id jam eſſe
neceſſe

neceſſe eſt. Non entis nulla eſt affectio, nulla nec actio, nec paſſio. Si ergo materia appetit finem, ab appetitu finis ipſa non poteſt proficiſci. Duæ igitur ſubſtantiæ ponentur, quarum una ab altera non pendeat; nempe appetibile, quod illi Deum vocant, & appetens, quod materiam. Atqui illi etiam materiam primam à Deo pendere volunt; & abſurdiſſimum eſſe judicant, duas in hoc univerſo ſubſtantias primas ponere: ut certè abſurdum eſt, ‡ ſi earum neutra conſilio eſt prædita, ut poſſit alteram ſibi pro arbitrio ſubjicere, & eâ ad opera ſua uti. 30,

‡ *Si earum neutra*] Hæc exceptio valdè abſurda eſt, & evidentem ponit contradictionem: Nam quod ſimpliciter primum eſt, ſubjici nequit pro arbitrio alterius. Et fingere ſubſtantiam aliquam ſimpliciter primam, quæ conſilio prædita non ſit & alterius arbitrio ſubjiciatur, ut iſti homines ſtolidè fingunt de materia prima, quam Deo coæternam faciunt, eam eſt nomine quidem primam, revera tamen ſecundam profiteri: Nam quod *Primum* eſt eo ipſo independens eſt, ac nullius arbitrio ſubjici poteſt: Vt è contrario quod alter ſibi pro arbitrio poteſt ſubjicere, eo ipſo non primum ſed ſecundum haberi debet. Et cum ſupra ſtatueret Author formas *ſine materia vel ſubjecto aliquo non exiſtere*, deberet pari ratione profiteri materiam ſine forma exiſtere non poſſe; Et niſi Deus author illius & creator foret, nullo jure poſſet eam ſibi pro arbitrio ſubjicere & eâ ad opera ſua uti.

Ampliùs: quomodo materia appetit illam intellectionem? Num fortè ipſa quoque cupit intelligere? Non videntur admodum ab ea ſententia homines illi abhorrere. Intelligentiam enim æternam materiæ apponunt. quod quàm nugatorium ſit, inde apparet, quòd hoc pacto omnia materiata intelligerent. Adhæc; appetat materia iſtam intellectionem. quid hoc ad formas materiales aſtrorum, & elementorum, quas ex hoc materiæ appetitu volunt pendere? Propter finem enim id tantùm appetitur, ſine quo finis vel planè non poteſt, vel commodè non poteſt obtineri. Formæ autem materiales rerum inanimatarum ad intellectionem nihil prorſus conducunt. Præterea, ſi formæ illæ materiales ex materiæ appetitu pendent; neceſſe eſt eas à materia appeti. At quî poſſunt; cùm nec ipſa eas per ſe cognoſcat, nec intellectio illa, unde pendere dicitur. Intellectio enim illa, ex iſtorum ſententia nihil, prẹter ſe ipſam cognoſcit, materialia percipere non poteſt. Quòd ſi intellectio illa formas materiales non cognoſcit, nec materia cognoſcet: cùm ea nihil per ſeipſam cognoſcat. ſi quid cognoſceret, cognoſceret ideo, quia intellectio ipſi appoſita per ſe cognoſceret. Hanc autem materialia non cognoſcere viſum eſt. Atqui quicquid appetitur neceſſe eſt cognitum eſſe vel ab eo ipſo quod appetit, vel ab eo quod illi appetitum hunc inſeruit, & à quo ipſius eſſentia pendet. Ignoti enim prorſus nulla eſt cupido. Accedit, quòd dependentia rerum ex fine ejuſmodi eſt, ut prius illud ſit, quod fini eſt propius, ultimum illud, quod ab eo remotiſſimum. Jam verò formæ, quæ materiæ inſunt, propiores ſunt fini ultimo, quam materia. Unde, ut ſuprà ex ſententia Philoſophi (*vid: lib. 4. Meteor. cap. ult.*) diximus, quò quidque propius eſt materiæ, tantò

ei minus ineſt pulchri ac boni. Quî ergo factum, ut à fine primò omnium effluxerit materia, quæ ab eo eſt remotiſſima? & non priùs formæ materiales, fini propiores? Unde iſte ſaltus? An non res ipſa docet, cum formæ materiales ſine materia exiſtere non potuerint, materiam, tanquam ſubjectum, primò exiſtere
31. debuiſſe, tum demum formas? At hic progreſſus non eſt mediorum ex fine, tanquam ex cauſſa, ſed ad finem, tanquam ad effectum: qui progreſſus non eſt niſi cauſſæ efficientis. quod illi ipſi docent, cum quibus diſputamus.

‡ *Materiam tanquam*] Intelligitur quidem præexiſtere huic aut illi formæ, ordine naturæ, omni tamen formæ ordine temporis præexiſtere non poteſt: Quam verè enim ſtatuitur *formas materiales ſine materia* exiſtere non poſſe, tam verum eſt nequire materiam exiſtere abſque omni forma. Nam quod exiſtit actu eſt; quod actu eſt nonniſi per aliquam formam actuatur.

Sed nondum finis. Veniendum enim eſt ad formarum materialium à primò ente dependentium varietatem. Unde illa? Intellectio ſui ipſius unum quippiam eſt atque indiviſibile, nullam varietatem, ne cogitationis quidem, admittens, quemadmodum illi docent, & res ipſa demonſtrat. Materia ſimiliter per ſe uniuſmodi eſt. Unum autem in uno, non niſi unum facit. Unde ergo tanta formarum in eadem materia varietas? Ajunt ergo illi, ut antea vidimus, ex diverſitate materiæ ſecundùm locum, ſeu ex propinquitate, aut diſtantia ab illa intellectione, quam Deum vocant, formarum pendere diverſitatem. Intellectionem autem illam in ſummo collocant. Huic ergo proximum eſſe cœlum; quod propterea nobiliſſimam inter partes hujus mundi formam ſit adeptum, & motum celerrimum ac perpetuum, qui vitæ ſit inſtar. Huic, ut loco, ita & formæ præſtantiâ proximum eſſe ignem. Huic iterum proximum aërem; huic aquam; huic denique terram, quæ veluti fex univerſi in imo ſubſidat. Non diſputabimus hîc de nonnullis, quæ hîc ponuntur, licet à doctis quibuſdam viris in dubium vocentur, aut prorſus etiam falſa judicentur. Habeant ſe nunc illa, ut poſitum eſt. nihilominus tamen non uno modo falſitatis ſententia iſta convincetur. Primùm iſti intellectioni, quam Deum appellant, ſupremum locum, ſeu tu mavis *ubi* appellare, per ſe attribuunt. Atqui, intellectioni nullus per ſe locus attribui poteſt. Locus enim per ſe non niſi ſubſtantiæ alicujus eſt, ſeu rei per ſe ſubſiſtentis; tum demum actionum aliarumque rerum, quæ non niſi in ſubſtantiis ſubſiſtunt. Intellectio autem res non eſt per ſe ſubſiſtens, ſed actio.

‡ *Locus enim per ſe*] Imò per ſe locus non convenit Deo, qui eſt immenſæ & infinitæ perfectionis: Vnde dictus eſt Triſmegiſto, quicunque ille ſit, Circulus cujus centrum eſt *ubique*, circumferentia *nuſquam*. Nec omnis actio naturæ ſubſiſtentis locum exigit; Cum enim ante-creationem mundi Deus *ſibi eſſet & locus & mundus & omnia*, ut loquitur Tertullianus *contra Praxeam cap.* 5. in ſeipſo demum agebat, non alicubi extra ſe. Sed nec ſatis accuratè author *ſubſiſtentiam* tribuit actionibus, quæ ita ſunt à natura ſubſiſtente, juxta illud *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, ut tamen ipſæmet *ſubſiſtere* non

ſint

Digitized by Google

ſint dicendæ, ſed duntaxat *eſſe* vel *fieri.* Interim quod hic benè notatur, actiones eſſe tantum ſubſtantiarum ceu rerum per ſe ſubſiſtentium, comprobat contra Socinianos, Spiritum Sanctum eſſe ſubſtantiam atque rem per ſe ſubſiſtentem, eo quod tot illius actiones atque operationes recenſentur in Scripturis.

Deinde ſi ob ſolam propinquitatem aut longinquitatem materiæ ab illa intellectione, variant formæ partium hujus mundi; neceſſe eſt à ſupremo cœlo uſque ad centrum terræ infinitum eſſe formarum diſcrimen, & ſuperiores ſemper eſſe præſtantiores inferioribus. Atqui & cœlum, aut æther, qui immenſæ eſt profunditatis, uniformis eſt; & ſphæræ elementorum ab illis conſtitutæ craſſiſſimę ſunt, & tamen uniformes. Quæ igitur cauſſa eſt, ut cum per innumera propè cœli milliaria, una ætherei aut cœleſtis corporis (de aſtris poſtea dicemus) forma ſit; poſtmodum demum ſequantur aliæ? cur intra exiguum ſpatium maxima eſt formæ differentia, cum in maximo fuerit aut nulla, aut exigua? quî fit, quòd aër, cujus vel 323
uſque ad cœlum vel uſque ad ſphæram ignis ab illis conſtitutam, magna eſt profunditas, non ſubinde aliâ atque aliâ formâ appareat? Præterea, cur æquè propinqua eſt terra cœlo, imò propinquior multis locis, quàm aqua, ſupra quam & littora, & montes eminent? Atqui contrà debebat fieri; cùm aqua præſtantiorem ſit formam adepta.

Quo quidem loco non poſſum non facere, quin aliquantò pluribus hoc divinæ providentiæ opus perſequar, quod in digeſtione infimorum duorum elementorum præcipuè cernitur. quia & Peripateticorum, & cæterorum omnium, qui creationem hujus mundi negant, ſententias apertiſſimè convellit. Id verò eſt, quòd terra non tota eſt aquis circumfuſa, ſed magna ejus pars aquis eminens, commodiſſimam hominibus & cæteris animalibus ſedem, ac natale plantis ſolum præbet: Oceanus autem certis limitibus circumſcriptus, non inundat terras; ſed per ſubterraneas venas ex imo in altum aſcendens aqua, ſeſe in omnes, quæ habitantur, terræ partes diffundit. Et enim cum terra gravior ſit aquâ; unde, quæ admodum ſunt terrea, in aquis protinus ſubmerguntur; debuiſſet tota terra infra aquas ſubſidere, aqua autem tanquam levior illi ſupernatare. Quæ enim ratio eſt partis terræ ad partem aquæ, eadem eſt ratio totius ad totum: cum tota ſint ſimilaria. Ut ergo pars terræ gravior eſt parte aquæ ejuſdem molis, & infra eam ſubſidit, eique incumbens illam dividit, atque ad latera pellit: ita & tota moles terræ deberet toti aquæ moli ſuccumbere, hæc autem illi undique innatare. Et hanc quidem ob cauſſam Peripatetici, dum partibus hujus machinæ mundanæ loca ſua diſtribuunt, ſphæram cæleſtem, ſeu tu mavis ſphæras dicere, complecti ajunt ſphæram ignis; hanc rurſus aëris, hanc aquæ; hujus iterum ſphæram terræ globum. Quę ergo cauſſa eſt, cur tanta terrarum ſpatia ſupra aquas emineant? Quę cauſſa, cur alibi tantos hiatus terra aperuerit, ut vaſti Oceani aquas complecteretur? Cur iſtic haud paulò depreſſior eſt (nam in declive cur-

runt.

ſunt flumina, ex altiſſimis ſæpè montibus orta, & fundus maris multis locis deprehendi non poteſt) illic adeò eminet? cur itidem alibi laxa eſt, & meatus aquę ſeſe iterum in varias terrarum partes diffundenti, atque in altum enitenti præbet? Si ad aſtra cauſſam referas, fruſtra es. Quandoquidem inter illas etiam globi terreſtris partes tantum diſcrimen apparet, quę æqualiter ab aſtris diſtant, &
33. eodem modo ab illis luſtrantur: ut quę in eodem climate ſitę ſunt. Eadem enim cauſſa eodem ſe modo habens, idem ubique deberet efficere. Si ad materiam hæc referre velis, itidem fruſtra es. Neque enim hæc materiæ ſunt naturalia, ſed ab ea ſeparabilia. Nam non minùs vel terra, vel aqua, vel corpus eſt, vel quicquid materiam eſſe velis, ſive inferiori, ſive ſuperiori ponatur loco. & raritas ac denſitas partium terrę, haudquaqnam illi naturalis eſt. (*l. 2. de Gener: & Corr. c. ult. t. 68.*) Ob hanc autem, ut illi docent, contra quos hîc inprimis diſputamus (*Cæſalp. Quæſt: Peripat. lib. 3. quæſt. 5.*) fit, ut partim alterum terrę hemiſphærium ad occaſum, in quo vaſtitas Oceani Atlantici patet, ſit depreſſius, alterum magis extuberet: partim etiam ad ſeptentrionem apud Scythas aliquantò altior ſit terra, quàm ad meridiem, ubi itidem Oceanus. Illud certum eſt, ob laxitatem aut denſitatem terrę, hîc venas ejus aperiri, & tranſitum aquę dari, illic negari. Præterea ſi materia hîc in cauſſa eſt; cur in hac parte magis, quàm in illa? Materia enim per ſe ubique ſibi ſimilis eſt. An non manifeſtiſſimè patet, efficiens aliquod, & quidem liberrimum eſſe, quod ad generationem ac ſalutem animantium, maximè hominum, aquas à magna terrarum parte abire juſſerit, inque certos terrę ſinus collegerit: interim tamen partim per venas terrę aquas in altum eniti, & in varias illius partes derivari; partim à Sole atque aſtris è mari, fluminibus, lociſque udis in aërem elevatas, in terras decidere voluerit, Qui id admonitus non agnoſcit, indignus eſt cum quo diſputetur. Ex quibus (ut hoc quoque velut in tranſitu addamus) apparet, rationi prorſus eſſe conſentaneum, quod ſacrę literę aſſerunt, antequam mundus, omnibus ejus partibus digeſtis, conſtrueretur, terris undique profunditatem aquarum incubuiſſe, quæ poſtmodum à magna illarum parte ſecedere juſſæ, & omnipotente Dei vi pulſæ, illinc aridam reliquerint, quæ terra inſignitè dicitur, hinc mare conſtituerint. (*Gen. 1, 2. 6. 9. 10.*) & ſummo jure moneri homines, ut adorent eum, qui fecerit cœlum, & terram, & mare, & fontes aquarum. (*Apoc. 14, 7.*)

Sed redeamus ad eos, quorum ſententiam refutare antea cœperamus, de prima varietatis formarum, quę in partibus hujus mundi perpetuis cernitur, origine. quanquam in his & cæteri, qui vel ſimplici neceſſitati, vel caſui hujus univerſi ſtructuram imputant, inventuri ſint, quod eorum errorem convincat. Nihil dum enim diximus de aſtris, eorumque tum poſitu, tum motu. Uterque autem Peripateticorum ſententiam apertiſſimè refellit. Nam cur, quæſo, Sol planetarum ſplendidiſſimus, & cæterorum dux ab illis non immeritò appellatus, in cœli

medio

medio conſiſtit? cur non in ſummo? Præſtantiſſimum enim aſtrum Deo eſſe de- 34.
bebat proximum. Deinde cur in eadem à ſummo cœlo diſtantia, in diverſis ejus
partibus hîc ſtellæ ſunt, illic nullæ; hîc majores, illic minores; hîc lucidiores,
illic obſcuriores? quæ hujus diverſitatis ratio? Adde, quòd Deum, ex Peripate-
ticorum ſententia, non niſi in uno eoque indiviſibili cœli loco exiſtere neceſſe eſt.
quantitate enim caret omni: nec totus poteſt eſſe in pluribus ſimul locis. Aliàs
enim totus ubique eſſet; & ſic omnia illi æquè eſſent propinqua; ac porrò ex iſto-
rum ſententia, omnia eandem haberent formam. Quòd ſi in uno tantum ſupre-
mi cœli loco conſiſtit; eædem cæleſtis materiæ partes, eademque aſtra nunc illi
maximè ſunt vicina, nunc, cùm in adverſam partem atque è diametro oppoſitam
quotidie diſcedunt, longiſſimè ab eo diſcedunt. Itaque neceſſe erit illa ſubinde
formam mutare, & nunc præſtantiſſimam habere, nunc omnium deterrimam:
illam, cùm maximè ſunt Deo vicina; hanc, cùm ab eo remotiſſima. interme-
dio tempore, medio etiam ſe modo habebunt, pro vicinitatis aut diſtantiæ ratio-
ne. Qua de re plura dici poſſent, niſi alia adhuc reſtarent abſurda, quæ ex iſtorum
ſententia manant. Etenim omnem ea motum tollit cœli & aſtrorum, ac porrò
omnia, quæ ab eo pendent. Quæ enim cauſſa eſt, cur aſtra aut quæcunque pars
cœli, Deo maximè propinqua, velit ab eo diſcedere? Finis, ſi quid movet, ad
ſe trahit, non à ſe pellit. Deinde quam cauſſam illi afferre poſſunt, cur ab oriente
in occidentem potiùs moveatur cœlum, quàm contrà ab occidente in orientem?
Nam in Deo, ſi iſtorum hominum ſententiam ſpectes, nulla ejus diverſitatis cauſſa
eſt. ſiquidem in eo nec dextrum, nec ſiniſtrum eſt, nec impetus ullus ad hoc potiùs
latus, quam ad illud; voluntas extra ſe agendi nulla, multò minùs arbitraria ac libe-
ra, qualis hîc requiritur. Nam cum per ſe nihil interſit, ſive in hanc, ſive in illam
partem, primus cœli motus tendat; non niſi arbitrium, ſeu voluntatis libertas effice-
re poteſt, ut in hanc, non in illam partem flectatur. Libertatem autem voluntatis
omnem Deo ſuo Peripatetici abſtulerunt. Ex quo apparet, nec in materia eſſe
ejus rei cauſſam. Nam appetitus illi in hanc potiùs partem, quàm in illam, non
ineſt, niſi propter finem & intellectum. Ille autem non magis hoc, quàm illud
requirit. Similiter autem nec illius rationem reddere homines iſti poſſunt, cur
non potiùs, ubi nunc ſeptentrio eſt ac meridies, aut intra hæc ſpatia alicubi, o-
riens ſit & occidens. Nam in ſphæra omnia ſimiliter ſe habent; & tam potuiſſet
cœlum ab ea parte moveri, ubi nunc meridies eſt, aut ſeptentrio, quàm ab 35.
oriente aut occidente. Similis eſt & aliarum partium ſphæræ cœleſtis ratio. De-
nique cur tam inæquabili motu feruntur planetæ? cur iidem, cùm unà cum cœ-
lo ſeu primo mobili quotidie circumvolvantur, proprio tamen motu in contra-
rium tendunt? Notum enim vulgò eſt, ex communi tum Ptolemæi, tum Ari-
ſtotelis aſſeclarum ſententia, Planetas quidem unà cum toto cœlo quotidie ab
ortu in occaſum moveri, atque ita in ortum per adverſam partem redire: inte-

 rea ta-

Digitized by Google

rea tamen proprio atque obliquo motu ab occaſu in ortum paulatim tendere. Unde illa motûs, non tantùm inæqualitas, ſed & contrarietas? Finis enim, qui cœlum & aſtra movet, prorſus uniformis eſt; ſimiliter & materia, quæ per ſe illam tantùm differentiam ſecundùm partes ſortitur, quòd earum alia ſit Deo propior, alia ab eo remotior. Propinquitas autem aut longinquitas illa, inæquabiles motus efficere non poteſt; multò minùs ſibi invicem contrarios. Cum ergo tanta ſit motus inæqualitas, ac denique contrarietas, quid eſt, quod eam effecit, præter conſilium atque arbitrium ejus, qui generationi ac conſervationi plantarum atque animalium hac in re conſuluit?

Sed nimirum iſtorum hominum ſententia, ſi rectè expendatur, omnem illam providentiam tollit, quæ in rerum animatarum generatione ac conſervatione cernitur. Etenim ſi primum illud ens in ſeipſo tantùm contemplando occupatum, ut alia etiam exiſtant, nec cogitat nec curat; materiæ autem pars quælibet nil deſiderat aliud, quàm ut primi illius entis, quantùm licet, fiat particeps, & de ſe ipſa tantùm perficienda laborat: quî factum, ut perpetuæ rerum animatarum generationi ita fuerit proſpectum? Cur aſtra in cœlis conſtituta? cur illis lumen, cur calefaciendi, & propemodum animandi vis illis conceſſa? cur motus ille obliquus planetis datus, quo fit, ut vim terris omnibus ſalutarem impertiantur, & nullam ſuo beneficio defraudent? Num fortè ſibi ipſis ſingula lucent aſtra, aut ſeipſa calefaciunt? At ſuum tantùm deſiderium cupiunt implere, & ſuum quærunt bonum. Quî verò obliquus planetis ſub Zodiaco curſus ita placet, ut malint tranſverſum, quàm rectum iter ſequi? cur malunt cœlo contraniti, quàm obſequi? Aut cur omnino cœlum rotatur? Diſcurrere illi placet, & imitari intellectionem ſui ipſius, quæ Deus eſt? Nugæ. Nónne vel cœcis patet, hæc inferiorum gratiâ inſtituta eſſe? At finis ille non actu, atque naturâ anteceſſit aſtra, ut ex
36. eo aſtra pendere poſſent; Siquidem perpetua rerum generatio ab ipſis aſtris, tanquam à cauſſis efficientibus pendet, eſtque his actu poſterior. Non poteſt autem prius à poſteriori pendere. Reſtat ergo, ut intentione, quemadmodum loquuntur, prior fuerit. At quis illum finem intendit? Deus ille Ariſtotelicus, à quo tamen aſtra pendere volunt, de eo non cogitavit. Reliquum ergo eſt, ut alio modo à primo ente aſtra ac cætera omnia pendeant, quàm ut à fine: & Deus ſit agens practicum, quod nimirum certo conſilio ac fine, quem ſibi proponat, alia extra ſe producat entia.

Idem & alia probant, quæ ad conſervationem rerum animatarum ſpectant. Cur enim, quæſo, plantæ perpetuò naſcuntur, fructus proferunt, & animalibus atque hominibus alimenta præbent, aliiſque eorundem uſibus ſerviunt? Hîc verò illi apertè ajunt, non ideo plantas creſcere aut fructus proferre, ut animalibus proſint: ſed quamque rem creſcere ſui, generiſquè ſui gratiâ. per accidens ergo fieri, quòd vel nos animalibus, eorumque partibus, vel animalia unà nobiſcum

biſcum

Digitized by Google

biſcum fruantur plantis. Et illud quidem certum eſt, ipſam plantarum naturam, aut animalium, non id ſpectare, ut ea nobis proſint: ſed earum rerum autorem id ſpectaſſe, adeò affirmamus, ut id ex ipſa rerum natura cerni poſſe aſſeramus. Et quatuor potiſſimùm ſunt, quæ id oſtendant. Primùm, quia ſi id per accidens fit, & præter intentionem ejus, unde plantæ pendent; caſu fit, vel cœca quadam neceſſitate. At caſu non fit, quia perpetuo fit. caſus autem, ut ipſe docet Ariſtoteles, in illis tantùm locum habet, quæ raró fiunt. Sed nec cœca neceſſitate fit. quî enim cœcitas tam oculata nihilominus fuit, ut cùm innumera ſint animalium genera, & diverſo victus utantur genere, nulli non accommodatum præbuerit victum, plantis inprimis, aut aliis animalium generibus conſtantem? Deinde quia omnia naturæ opera, Peripateticis urgentibus, bonum aliquod ſpectant. Quid autem ipſæ plantæ inde conſequuntur boni, quòd creſcunt, quòd fructus proferunt, quòd genus ſuum propagant? Non certè magis ad illas quicquam inde redundat boni, quàm ad lapidem ex eo quòd extet. Cùm enim ſe eſſe non ſentiat; perinde illi eſt, ſive ſit, ſive non ſit. Similis autem ratio & plantarum eſt: cum non magis ſentiant, quàm lapides. Omnis revera boni in perceptione ac perfruitione conſiſtit ratio; conſequenter tantùm in illis, quæ perfruitionis gratiâ fiunt. Cur ergo non cenſeamus animalium potiùs, quàm ſui gratiâ plantas creſcere ac propagari? cùm animalia tantùm, quicquid in plantis boni eſt, percipiant ac ſentiant; plantæ ipſæ nihil. Præterea videmus, plantas quaſ- 57
dam tantam ſeminum ac fructuum vim proferre, ut vel maximam eorum copiam inutiliter perire neceſſe ſit, vel, ſi omnia ad generis ſui propagationem converti debeant, neceſſe tandem ſit, univerſam terram à paucis plantarum generibus occupari, cæteris, quarum infinitus eſt numerus, excluſis. At ne iſti quidem credunt, vel fruſtra illa à natura produci, vel in eum finem, ut paucæ tantùm plantæ terram occupent, ſed ut omnia plantarum genera locum habeant. Eadem autem ratio & in animalibus locum habet, quorum tantus ſubinde ſurgit numerus, ut cætera, & ſæpè quidem nobiliora, conſumtura videantur, niſi ab aliis ipſa conſumerentur. Denique ſi plantæ animalium gratiâ non creſcunt; vel aliud plantarum, aliud animalium erit ponendum principium; vel ſummæ ſtultitiæ natura erit accuſanda, in qua tot immenſæ ſapientiæ cernuntur argumenta. Etenim cùm animalibus daret eas partes, quibus cibos ſibi aptos eligerent, ſumerent, conficerent, digererent, inque ſui nutrimentum converterent; vel ſimul etiam curavit, ut cibos ſibi accommodatos haberent; vel eos aliunde jam extare, aut extituros novit; vel denique nec curavit ut haberent, nec eos extituros novit. Si primum; cum animalium innumera vel plantis tantùm, vel aliis iterum animalibus nutriantur; neceſſe eſt, ut plantæ animalium gratiâ extiterint: id quod nos volumus. Si ſecundum; neceſſe eſt, ut alius plantarum, alius animalium autor fuerit: quod nec nos, nec illi volunt. Si tertium; neceſſe eſt, ut maximè impro-

vida atque adeò ſtultiſſima fuerit natura, vel potiùs (quod horret animus dicere) illius autor. qui inſtrumenta dederit animalibus ad cibos ſumendos, conficiendos, ac digerendos, cùm nec curaret, ut ea cibos ſibi accommodatos haberent, nec eos aliunde extare, aut unquam extituros, noſſet. Caſu tantùm, ſed nimiùm felici, in tantam alimentorum copiam incidiſſent animalium dentes. Similis autem ratio foret hominis, cui fruſtra data eſſet tanta ſolertia atque ingenium varia ſibi vitæ parandæ ſubſidia, niſi is, qui eum produxit, eorum ipſi materiam paraſſet. Materiam autem vel maximè plantæ præbent atque animalia.

Quod de plantis hucuſque diximus reſpectu animalium, idem etiam dicendum eſt de ſingulis ſive plantarum ſive animalium individuis reſpectu ſui generis; & maximè de iis animalibus, in quibus ſexus eſt diſtinctus, & utriuſque conjunctio ad generationem eſt neceſſaria. Nam ſi quælibet materię pars id tantùm agit,
38. ut perfectionem ſuam conſequatur, eamque retineat, quàm poteſt diutiſſimè; quid de alterius individui productione laborat? imò illam averſari etiam deberet. Quia vigorem illa ſuum diutiùs retinere ſolent, quę non generant, quàm quę generant, cæteris paribus. eſtque res in animalibus, atque in ipſo homine ſatis nota. Deinde quid hæc materię pars novit, eſſe aut fore aliquam aliam materię partem, quę ejuſdem generis formam, quam ipſa habeat, recipere poſſit? Cur ergo, ut forma eadem in alia materia propagetur, laborat? Quî item novit materia ea, ex qua mas fit, eſſe aut fore alibi fœminam, quicum junctus ſobolem procreare poſſit? aut contrà, quî ea materia, quę in fœminam abit, novit, alibi marem eſſe, aut fore? Similiter quî hæc materię pars novit, fore alibi hominem alium, cum quo poſſis ſermones conferre, amicitiam ac ſocietatem colere? cur ergo loquendi facultatem appetiit? cur ad ſocietatem aſpiravit? Hæc omnia ſanè non caſu, ſed finis gratiâ fieri cernunt illi, quibuſcum diſputamus; & inſanirent ni faterentur. Quis iſta ergo providit? quis hunc finem ſibi propoſuit? ſi illorum hominum ſententiam ſpectes, nemo. Iſte enim illorum hominum Deus, qui nihil aliud eſt quàm ſeipſum intelligere, his de rebus ſollicitus non eſt, nec poteſt quicquam extra ſe intelligere. Quicquid fit, illo fit ignorante, ac ſibi uni intento.

Satis hucuſque oſtendimus, Ariſtotelicam, ſeu ex Ariſtotelicis hypotheſibus extructam, de prima hujus univerſi cauſſa, rerumque æternitate ſententiam, conſiſtere nullo modo poſſe; & neceſſariò primę rerum omnium cauſſæ tribuendum eſſe arbitrium, ſeu voluntatis libertatem. ſiquidem aliàs nec ulla ejus rei reddi poſſit ratio, cur motus cœli ab ortu potiùs ſit in occaſum, planetarum ab occaſu potiùs in ortum, quàm contrà: cur item ea regio, quę nunc ſeptentrionem ſpectat, vel auſtrum, non extiterit oriens aut occidens. Nulla etiam ratio, cur non omnes cœli partes, æqualiter à ſummo, aut à principio rerum primo diſtantes, lucidæ ſint, aut ſaltem æquè ſtellatę; cur non omnes æquè nobiles. cur

in

in magna à ſummo diſtantia formę diverſitas nulla, in exiguo magna; cur aqua terram non undique contegat, & quę ſunt his ſimilia ſuperiùs à nobis explicata, in quibus conditoris arbitrium cernitur. Unde jam illorum etiam hominum concidit ſententia, qui Ariſtotelem itidem ſequi ſe putantes, mundo quidem efficientem cauſſam tribuunt, ſed neceſſariò agentem; & Solis eam inſtar conſiderant, qui neceſſariò lucem in inferiora ſpargat; & ſi ab æterno extitiſſet, ſemper in 39.
inferiora ſparſiſſet. Nam nullam iſtarum, quas diximus, rerum cauſſam reddere poſſunt; & motum omnem è rerum natura coguntur tollere; nec niſi ex propinquitate aut diſtantia à primo illo mundi principio, formarum diverſitatem petere. Contraria principium illud facere non poterit, niſi per accidens. Nam quę neceſſariò agunt, non utrumque contrariorum poſſunt efficere, ſed unum tantùm. Unde & in ſcholis vulgò traditur hoc inter agentia diſcrimen, quòd quę naturaliter agant (hæc autem agunt neceſſariò) ad unum tantùm contrariorum efficiendum comparata ſint: nam ignis v. g. calefacere tantùm poteſt, non frigefacere: voluntaria autem etiam contraria. Hæc enim voluntatis natura eſt, ut ad contraria ſit flexibilis, quamquam non in omnibus eodem modo. Poteſt agens voluntarium rem & ſurſum movere & deorſum; antrorſum & retrorſum; majorem minorémve facere; rectam aut obliquam; quin & calefacere & frigefacere: quamquam hoc homo, qui voluntarium agens eſt, non niſi naturalibus mediis efficere poteſt, calefaciendi aut refrigerandi vim per ſe habentibus, quę nimirum vel in ſeipſo reperit, vel aliunde aſſumit, & rei admovet. Jam verò in hoc univerſo multa videmus contraria, & talia quidem, quę ad conſtitutionem ac conſervationem rerum, ad earundem motus actioneſque naturales, per ſe ſint neceſſaria. qualia v. g. ſunt calidum & frigidum, humidum & ſiccum, durum & molle, rectum & obliquum. quarum rerum omnium maximus eſt in natura uſus, vel ad conſtitutionem mixtorum, etiam animatorum, eorumque conſervationem; vel ad corporum motum atque actionem. Quare fieri non poteſt, ut hoc univerſum à cauſſa efficiente neceſſariò agente fuerit productum, ſed ab agente voluntario conſtitutum fuiſſe neceſſe eſt. Adde, quòd, ſi mundi aliqua eſt cauſſa efficiens, neceſſe eſt, ut is aliquando non extiterit, atque ut in ſcholis loquuntur, ex non ente factus fuerit ens. Etenim vel mundus perpetuò efficitur; vel aliquando fuit factus, & fieri poſtea deſiit. Quicquid enim efficitur, vel ſemper effici neceſſe eſt, vel aliquando. Perpetuò autem mundus non efficitur. Non enim ulla ejus pars per ſe moveretur. Nam id demum per ſe movetur, quod jam factum eſt, quodque idem antea quidem fuerit in termino à quo, ut in ſcholis loquuntur, poſtea verò in termino ad quem. Atqui infinitæ hujus univerſi partes per ſe moventur, ut aſtra, ut animalia, ut elementorum partes. Quòd ſi verò aliquando effectus fuit mundus, poſtea effici deſiit; neceſſe eſt ut aliquando non extiterit, & 40.
ex non ente ens factus fuerit. Quare non ab æterno. Si non ab æterno, liberè cum

Digitized by Google

eum ab opifice aliquo factum oportuit, non neceſſariò. Si enim neceſſariò effeciſſet, nunquam non effeciſſet: cùm nullam potuerit agens ſummum ſimul ac neceſſarium pati mutationem. Exemplum luminis à Sole manantis huc non quadrat. Nam lumen illud ſubſtantia non eſt, nec per ſe movetur: & tam imbecillis ejus eſt eſſentia, ut perpetuâ corporis lucidi præſentiâ effici neceſſe ſit. qualem naturam in nulla ſubſtantia cernere licet. Non repetimus id, quod antea docuimus, æternitate mundi poſitâ progreſſum cauſſarum per ſe in infinitum ponendum eſſe, quem omnes ſani abſurdum, atque adeò impoſſibilem eſſe agnoſcunt.

‡ *Exemplum luminis*] Infirma ſolutio: ſive enim illud lumen ſit ſubſtantia, ſive accidens, ſemper major inter ipſum & ſolem intercedit proportio, quam inter Deum & mundum, adeoque non magis repugnaret mundum eſſe Deo coæternum, quam lumen cœxtitiſſe ſoli: cum mundi entitas ad Deum ſit æquè & magis diminuta ac luminis ad ſolem: Sed vera reſponſio eſt lumen eſſe à ſole per emanationem, quod reſpectu Dei nec mundo, nec ulli creaturæ poſſet convenire: Quod enim emanativè foret à Deo, & neceſſarium foret & ejuſdem cum ipſo naturæ & eſſentiæ, quorum neutrum poteſt ulli creaturæ competere.

Sed ajunt illi: ſi mundus ab æterno non extitit, neceſſe eſſe ut cauſſa aliqua fuerit, quę Deum ad mundum condendum poſtea mouerit, quę antea non moveret. & hujus mutationis iterum aliam eſſe quærendam cauſſam, cur nimirum antea non moverit, poſtea moverit. Nihil enim à ſeipſo mutari poſſe, ſed quicquid mutatur, mutari ab alio. Mutari eſſe pati. nihil autem pati poſſe à ſe, ſed ab alio. Idem enim fore agens ac patiens. Atqui agere & pati eſſe relata; relata oppoſita. oppoſita eidem ſecundùm idem, reſpectu eodem, eodemque tempore ineſſe non poſſe: cùm hæc ſit oppoſitorum natura. Sed ſi hæc ratio firma eſt, non tantùm primi motoris, vel potiùs Creatoris, tolletur arbitrium, ſed penitus ex rerum natura exterminabitur; & cum arbitrio omnis & virtus & vitium, omne utriuſque meritum, præmium & pœna. Si enim iiſdem cauſſis impellentibus poſitis, non poteſt is qui agit, aliter agere quàm agit, non erit in hominis poteſtate, ut vel probus ſit, vel improbus, virtutem aut vitium colat: ſed quicquid aget, neceſſariò aget, & omnis, quę videatur eſſe culpa, in res externas referetur, quę eum ad agendum primò impulerint; & tandem in primum motorem, qui omnium cæterorum fuerit cauſſa.

‡ *Si mundus*] Ad hanc objectionem aliter reſpondendum, nempe ab æterno quidem extitiſſe cauſſam mundi creandi, ſed tamen ejus creandi in tempore, hoc & illo modo, quo conditus fuit: adeoque Deum permotum quidem fuiſſe motu *morali*, qualis eſt finis & conſilii ſapientiſſimi de fine, ad eum ita condendum, nec tamen ideo *phyſicè* mutatum fuiſſe: Quare cum *motus* dicitur fuiſſe à ſeipſo & conſideratione finis quem intendebat ad condendum mundum, *grammaticè* quidem paſſus eſt, quia *moveri* eſt verbum grammaticè paſſivum, non tamen *phyſicè*.

Et cum arbitrio] Nempe iſti homines non abhorrent a *merito*, & *meritorum* duntaxat

gratiâ

Digitized by Google

gratiâ hanc Pelagianam arbitrii libertatem propugnant. Attamen ut poteſt eſſe ſalva arbitrii *libertas*, etiam ceſſantibus meritis, ut de comprehenſoribus ſtatuunt Scholaſtici, quibus etſi non ſint amplius in merendi ſtatu, uti loquuntur, ſuum tamen ſaluum remanet arbitrium, ita non illicò tollitur meritum, etſi non reſtet in agente facultas in oppoſitum: nam dæmones & impii non poſſunt niſi malè agere Matt. VII, 18. Ioh. VIII, 44. nec tamen ideo negabimus pœnam ipſos commereri: Ipſe Chriſtus nec peccavit nec peccare potuit; nec ideo minùs nobis meritus eſt ſuâ obedientiâ vitam æternam. Quin ipſum Dei *arbitrium*, quod hic propugnare vult Adverſarius, nullum meritum propriè dictum ex ipſius parte ponit.

Si enim iiſdem] Ac ſanè ſi poſitis omnibus cauſſis ad agendum prærequiſitis, poſſit homo vel agere vel non agere, ideſt vel actum ſuſpendere, vel ferri in contrarium, tum poterit agere contra evidens lumen rationis, & dictamen ultimum judicii practici, & ſic ferri in malum quà malum eſt, aut bonum quod hìc & nunc tale proponebatur non proſequi & appetere; quorum utrumque repugnat & naturæ boni, & conditioni voluntatis, quæ ipſi Ariſtoteli ὄρεξις νοερὰ, ſive *appetitus intellectivus* dicitur. Malè ergo arbitrium ponitur in illa indifferentia ad oppoſita, etiam poſitis cauſſis prærequiſitis ad agendum: cum multi dentur caſus liberè agentium, in quibus tamen *hìc & nunc* neceſſariò agere deprehendantur. Liquet exemplo dæmonum & irregenitorum ac impiorum quos in eo ſtatu malè agere neceſſe eſt, etſi id faciant ſuâ ſponte, ultrò & liberrimè. Chriſtus in his terris non potuit non benè agere, tamen ultrò & liberè Deo obedivit: Nequeunt ampliùs peccare Angeli & beati in cœlo: Spontè tamen & liberrimè Deo obſequuntur, & agnum ſequuntur quocunque iverit. Ipſemet Deus, quod eſt agens liberrimum, à quo omnis creata libertas & eſt & conſervatur, *neceſſariò* bonus eſt, nec poteſt vel mentiri vel ſeipſum abnegare, idque citra ſummæ ſuæ libertatis imminutionem. Quid igitur? Arbitrii libertas nihil aliud eſt quam facultas agendi quod lubet, præeunte conſilio & judicio. Repugnat itaque libertas, non neceſſitati vel *infallibilitatis* eventus, quùm liberè & ſpontè fiunt, quæ ex certa hypotheſi ita tamen fieri & evenire, nec aliter, oportet; vel ei quæ *moralis* dici poteſt, quæ nempe oritur â conſtitutione non phyſica, ſed morali ipſius agentis; quo ſenſu neceſſe eſt malos & corruptos per peccatum nonniſi malè agere Ierem. XIII, 23. Rom. VIII, 7. 1 Cor. II, 14. & benè agere bonos, ſaltem in quantum & quouſque boni ſunt 1 Ioh. III, 9. Sed tantum neceſſitati tùm *phyſicæ* quæ intrinſecam & ex natura rei determinationem ad unum infert, & juxta quam agens agit ſemper & quantum & quo uſque poteſt; tum violente & *coactionis*, ſive illa coactio iterum ſit phyſica ſive ſit moralis; quo ſenſu Scripturæ quandoque τὸ ἑκούσιον τῇ ἀνάγκῃ opponunt, ut Philem. 14, 1. Pet. v, 2. Præterea cum juxta Philoſophos diſtinguendum ſit inter τὰ ποιητὰ καὶ τὰ πρακτὰ, quorum hæc verſantur circa bona vel mala in genere moris, illa non, negari nequit majorem neceſſitatem, *officii* ſaltem reſpectu, incumbere hominibus circa hæc quam circa illa: Debent enim *neceſſariò* quamdiu attendunt Dei legem & ſuum officium à malo declinare & facere bonum: quo ſenſu Paulus agnoſcit ſibi incumbere neceſſitatem euangelizandi 1 Cor. IX, 16. Quæ omnia obſervo quo magis conſtet, nec arbitrii libertatem exigere ut *in hominis poteſtate* ſit *virtutem* colere vel *vitium*, cum illud in ſtatu naturæ corruptæ donum ſit ſingulare & ſupernaturale Gratiæ Ioh. XV. 5. 2 Cor. III, 5. nec ideo non ſpontè & liberè fieri, quod ſuo ſenſu eoque multiplici *neceſſariò* tamen fit; nec culpam malè actorum in *res externas* eſſe rejiciendam & *tandem in primum motorem*, eo quod laus & gloria omnis ejus quod fit à Creaturis in genere entis, & quod *benè* fit in ge-

in genere moris, tandem in Deum ceu primum motorem, *in quo ſumus, vivimus & movemur* Act. XVII, 28. ſit refundenda; Nam ut hoc non demit Creaturæ laudem ſuorum benè factorum, eo quod agat acta, & ſeſe eò determinet, ſed determinata ab ipſo Deo ad agendum; ſic illud locum habere nequit, cum primus motor concurrat ad entitatem actionis, non verò ad illius malitiam & vitium. Quod ſi iſti homines ſeriò agerent, ſic omnis mali culpam ſtatuerent Craturæ adſcribendam, ut omnis boni gloriam Creatori relinquerent.

Atqui nihil vel ſanorum omnium judicio, vel doctrinæ Ariſtotelicæ in Ethicis explicatæ, magis eſt adverſum quàm in noſtra poteſtate non eſſe, ut vel boni, vel mali fiamus; ut vel peccemus, vel à peccato abſtineamus. Omnia ſcelera excuſationem ac veniam merebuntur; nec virtus laudem merebitur, nec vitium reprehenſionem; niſi quo modo laudare ſolemus aut vituperare inanimata, cùm vel ex animi noſtri ſententia cadunt, vel contrà. Itaque multò magis merita præmiorum ac pœnarum tollentur.

‡ **Atqui nihil*] Verum non ex Ariſtotele ſed ex Paulo, quid poſſimus vel non circa bonum morale, erat definiendum: Non ideo minus hæretica eſt doctrina Pelagianorum & Socinianorum, quod ei Ariſtoteles præluſerit: Fuerunt enim Philoſophi ab ævo, Tertulliano teſte, *Patriarchæ hæreticorum.* Ad hæc ea ἐφ' ἡμῖν eſſe dici poſſunt, juxta Ariſtotelem, non ad quorum oppoſitum ſemper indifferentia ſuperſit nobis & poteſtas, ſed quod circa illa verſemur ἐκ προαιρέσεως, quod etiam hominibus per neceſſitatem quandam moralem ad alterutrum oppoſitorum, ſaltem genericé, determinatis, convenire poteſt. Erat equidem in poteſtate primi hominis vel ſtare, vel peccare; verum ut ſcitè monet Auguſtinus *Enchirid. cap.* 30. *Libero arbitrio malè utens homo & ſe perdidit & ipſum*; ut libertati iſti ſucceſſerit dira illa ſervitus peccati, cujus ſit mentio Joh: VIII, 34. Rom: VI, 16. 2. Pet: II, 19.

Omnia ſcelera] Hoc fruſtrà dicitur; Sufficit enim ad vituperium & laudem, pœnam & præmium, ut quod fit vel benè vel ſecus, non fiat ἀκελτως, ſed ultrò & ſponté, id eſt non coacté, neque ex neceſſitate naturæ. Nec impotentia moralis benè agendi in impiis, eos poteſt excuſare, tum quia eam ſuâ culpâ ſibi accerſiverunt, tum quia attenditur non quid poſſint, ſed quid debeant ex officio: Poteſt creditor etiam urgere debitorem ex ſuo chirographo, etſi hic non ſit amplius ſolvendo, ſed cum filio prodigo, omne ſibi creditum in luſtris & popinis abſumpſerit.

41. Quòd ſi vero iiſdem cauſſis impellentibus poſitis, poteſt nihilominus homo aliter agere quàm agit; & cauſſa, cur hoc, & non potiùs alio modo agat, non alia præter ipſum quæri debet: cur non idem de primo rerum omnium principio ſtatuamus? præſertim cum tot, tamque manifeſtis argumentis arbitrium ipſius, ſeu libertas voluntatis ſit demonſtrata, & pluribus adhuc oſtendi poſſit. Quis enim v. g. credat, Solem, qui toties eſt terrâ major, non potuiſſe vel unum palmum aut digitum, ſive majorem eſſe, ſive minorem? Quis credat littora maris non potuiſſe latum pedem eſſe laxiora, vel anguſtiora? Montes altiores, aut minùs altos? hoc potiùs in loco, quàm in illo extare fontes? cum videamus hæc inferiora ſine ullo detrimento naturæ rerum ſæpiùs mutari.

‡ *Quod*

Digitized by Google

‡ *Quod ſi vero*] Nec verum id de homine, cujus libertas arbitrij in eo ſita non eſt, ſaltem in *ſenſu compoſito*, ut Scholæ loquuntur; nec per omnia creata libertas componi debet cum libertate Creatoris: Hæc enim eſt omninò & independens & indefectibilis; illa verò & dependet & in ſuo eſſe & in ſuo operari à Creatore, & defectibilis eſt; quia ex illa homo poteſt malè agere & ſæpè de facto malè agit: Poſſe autem peccare, non ſonat perfectionem, ſed potius imperfectionem & defectum.

Præſertim cùm tot] Hæc ſummam Dei libertatem oſtendunt circa τὸ ποιεῖν, prout & ejuſdem haud dubia veſtigia in ſimilibus ſuperſunt homini; Interea tamen in his omnibus quæ hic notantur, ita Deus voluit demonſtrare ſummam in agendo libertatem, ut ſimul ſummam & ſingularem Sapientiam in ſuis operibus peragendis exhibere voluerit; Fecit enim omnia in numero, pondere & menſura: Itaque ex hypotheſi ſapientiſſimi ſui conſilii de omnibus benè & convenienter faciendis, ita debuerunt fieri non aliter: Vnde dicitur Deum vidiſſe omnia quæ fecerat, & *valdè bona* deprehenſa fuiſſe Gen. 1, 31. Bonitatem autem illam habuerunt, non ex mera Dei Libertate in agendo, ſed ex ſumma illius Sapientia, juxta quam, ut optimus eſt, etiam ſemper facit quod optimum eſt.

Quid ergo iſtarum rerum magnitudinem aut locum ita deſinivit, præter arbitrium conditoris? Finis, ut videmus, non deſinivit; cum eodem ſine poſito variari res illæ potuerint, & nunc quoque ex parte ſoleant. Materia ſeipſam deſinire non potuit. nec forma, quę illam ipſam determinationem vel in ſe continet, vel præſupponit. Efficiens autem non potuit determinare, niſi liberè ageret; cum appareat effectum eſſe contingentem. Contingens autem effectus omnino cauſſam contingenter, ac porrò liberè agentem requirit, quę nulla eſt niſi arbitrio prædita. Cum ergo Deus arbitrio ſit præditus, potuit eâdem cauſſâ poſitâ, quæ eum ad creandum mundum impelleret, eum nunc non creare, nunc creare. Itaque deceptionem in illa Peripateticorum argumentatione eſſe neceſſe eſt. Quæ ut tantò evidentiùs appareat, ſingulas ejus partes videamus.

‡ *Quid ergo iſtarum*] Inepta eſt oppoſitio inter arbitrium & finem conditoris: Licet enim *finis rei* hæc non definiverit, tamen id fecit *finis Dei*, quo collimabat in ſapienti ſuo opere, & per quem moraliter movebatur ad agendum; Nam agens ex arbitrio agit propter finem: & quò ſapientior eſt eò melior & magis neceſſarius eſt finis quem intendit, ac convenientiora ſunt media quæ adhibet ut finem ſuum conſequatur. Debuit igitur Deus, ex hypotheſi ſui Decreti, hoc modo agere, non aliter, ut talem hunc finem inde conſequeretur.

Contingens autem effectus] Licet quæ liberè fiunt, ſuo ſenſu contingentia ſint, quia non repugnat nec implicat contradictionem ea non fieri, vel aliter fieri, etſi aliquam habeant neceſſitatem hypotheticam aut moralem, tamen non viceverſâ liberam habent cauſam quæcunque contingenter noſtro reſpectu eveniunt

Cùm ergo Deus] Cùm nihil extra Deum ipſum impulerit ad mundum condendum, quippe qui omnia fecerit propter ſeipſum Prov. XVI, 4. Rom. XI, 36. nec cauſa προηγουμένη tanti operis alia ſit quam ſapientiſſimum & liberrimum conſilium ſummi opificis, de ſe ipſo communicando ad extra creaturis ſuis & ita gloria ſua illuſtranda, ex illius liberrrimi conſilii hypotheſi, & hac cauſâ impellente poſitâ, quæ unica eſt, tam neceſſe fuit mundum condi, quam impoſſi-

Digitized by Google

impoſſibile eſt non fieri, eo modo quo decrevit, quod ſemel futurum decreverit & conſtituerit; Eſt enim Iehova qui *non mutatur* Malach. III, 6.

Quòd ergò dicitur, ſi mundus certo demùm tempore creatus fuit, neceſſe eſſe ut cauſſa aliqua fuerit, quę Deum ad creandum mundum poſtea moverit, quę antea non moverit; id duplicem habet reſponſionem. Nam primùm ponatur, ita ſe rem prorſus habere, ut illi volunt: quid tum? Cauſſa iterum, inquiunt, quærenda erit alia, cur Deum hoc tempore ad creandum moverit, antea non moverit. Hoc quoque nunc concedatur. Progreſſus, inquient, in cauſſis moventibus dabitur in infinitum. Sed in quibus cauſis? per ſe agentibus, an per accidens? Etenim cauſſæ, quę ad agendum impellunt, ſæpe cauſſæ per accidens tantùm ſunt. Nam & id, quod occaſionem rei gerendæ præbet, cauſſa rei eſt, & ad eam perficiendam movet. At quæ occaſionem præbent, ſæpè per accidens tantùm præbent; atque adeo per accidens tantùm cauſſæ ſunt. Id vel inde patet, quòd à contrariis ad contraria, ab oppoſitis ad oppoſita, occaſionem ſæpè ſumimus,
42. & ab illis ad hæc movemur. Contraria autem contrariorum cauſſæ non ſunt, niſi per accidens. Sic ex malis moribus, nonnunquam & legibus non ſatis bonis, bonæ naſcuntur leges. ſic morbo alicujus ad ſanitatem ipſi reſtituendam impellimur, inopiâ ad vitæ ſubſidia illi ſuppeditanda. ſic & quies ad laborem, labores iterum ad quietem nos deducunt. Agimus enim ſæpè aliquid, quia diutiùs quievimus: & rurſus quieſcimus, quia aliquid egimus. At in cauſſis per accidens progreſſum in infinitum dari, apud Peripateticos abſurdum non eſt, imò neceſſarium; cum apud ipſos perpetuus fuerit generationis & corruptionis ab omni æternitate circulus, & generatio corruptionis, corruptio rurſus generationis alterius fuerit cauſſa, quanquam per accidens. Nam nihil generari apud ipſos poteſt, niſi aliquid fuerit corruptum: corrumpi autem poteſt nihil, niſi antea generatum. Sic in aliis quoque neceſſariò nexis progreſſus in infinitum datur. Nam nec præſens datur, quin præteritum præceſſerit, & hoc rurſus aliud, & ſic deinceps. Sic nec Sol in occidente ex eorum ſententia eſſe poteſt, niſi antea fuerit in oriente: & rurſus in oriente eſſe non potuit, niſi priùs eſſet in occidente, idque in infinitum; & ſic in cæteris, quæ ab æterno mota volunt. Quid ergo prohibet, quò minùs etiam in cauſſis per accidens, quæ Deum ad creandum mundum impulerint, datus fuerit progreſſus in infinitum? Non dicimus id factum eſſe. Nam id non eſſe neceſſarium, poſtea docebimus. Sed cum Peripateticis agentes, id tantùm fieri potuiſſe dicimus, ut tantò evidentiùs infirmitatem ratiocinationis quâ utuntur oſtendamus, & ſuo eos quodammodo jugulemus gladio. Potuit nempe Deus nunc hoc, nunc illud agere, & ex uno alterius operis occaſionem ſumere. quin etiam nunc aliquid extra ſe agere, nunc nihil; & nunc idem diutiùs, nunc minùs diu; idem poſt intervallum repetere, aut aliud ſe dignum ſuſcipere. Singula ejus opera certum habebunt temporis initium: ſed non omnia ſimul ſumta: quia numero

infinita

infinita, utut genere finita. Quemadmodum apud Peripateticos ſingulæ cœli aut aſtrorum circumvolutiones, ætates hominum, generationes rerum ac mutationes, initium habent: ſed non omnes ſimul. quia omnes ſimul ſumi non poſſunt, utpote infinitæ. Interea tamen, in cauſſis per ſe progreſſus in infinitum propterea non dabitur magis, quàm apud Peripateticos in rebus illis, quas nunc enumeravimus. Nam nihilominus una erit cauſſa & efficiens ſuprema, Deus: & finis aliquis ultimus, quem ſibi in agendo propoſuerit: & materia operum externorum prima: & formarum, uti nunc videmus, aliquis erit terminus. 43.

Id duplicem habet] Vna bona & ſolida duplici infimæ & evanidæ fuiſſet præferenda: Nihil autem magis in promptu ad hoc Sophiſma, quam negare aliquam cauſam extra Deum fuiſſe quæ ipſum moverit ad hoc opus: Cum enim ſupponat hæc Veritas nihil ante mundum fuiſſe præter Deum, utique nihil poteſt concipi extra Deum quo permoveretur ad creationem. Et cauſa quæ ipſum movit ad mundum creandum, ipſum movit ab æterno, non quidem ad mundum ab æterno creandum, ſed ſolùm ad illum creandum eo tempore & modo quo creatus fuit.

Sed in quibus cauſis] At cum cauſæ per accidens reſolvantur finaliter in cauſam aliquam per ſe, non magis dari poteſt *progreſſus in infinitum* in cauſis per accidens, quam in cauſis per ſe.

Etenim cauſæ] Verum neque cauſæ impulſivæ, ſemper ſunt cauſæ per accidens; cum è contrario cauſſa *proegumene* ſit potius cauſa per ſe; neque omnis occaſio rei gerendæ, cauſis per accidens debet annumerari, etiam cum ab *oppoſitis ad oppoſita* ſumitur occaſio: Nam morbus & dolor nobis ſuggerunt occaſionem medici conſulendi, non per accidens, ſed per ſe; mali itidem mores ſunt occaſio per ſe bonarum legum ſanciendarum, & diuturnior quies laboris reſumendi.

At in cauſis] Valeat id quantum poſſit, ex hypotheſi Peripateticorum & ad hominem, non vero ex rei veritate.

Quid ergo] At nulla cauſa per accidens potuit Deum impuliſſe ad creationem mundi: Cum in primam cauſam quæ cauſa eſt maximè per ſe, nulla cauſa per accidens agere poſſit: multo minus potuerit Deum impuliſſe ad primam rerum productionem, cum adhuc nihil eſſet quod per accidens operaretur.

Sed jam alteram etiam reſponſionem ad iſtam Peripateticorum rationem addamus. Dicimus ergo, non eſſe argumenti conſequentiam admittendam, vel ſaltem non eo ſenſu, quo illi volunt, & nos huculque conceſſimus. Etenim vocabulum *movendi* duplici modo accipi poteſt. Nam movere quempiam poteſt cauſſa aliqua, quia quantum in ipſa eſt, moveat, etiam ſi non permoveat; nempe quia non neceſſariò, ſed contingenter tantùm ab ea proficiſcatur effectus: movere etiam poteſt ita ut permoveat. Et priori quidem modo poterat Deum eadem cauſſa perpetuò movere ad mundum creandum, & tamen non permovere ſemper, ſed certo tantùm tempore. Hujus autem rei non eſt neceſſe aliam quærere cauſſam, præter ipſius Dei arbitrium. Arbitrij enim hæc eſt natura, ut eâdem cauſſâ poſitâ, & eandem per ſe efficaciam obtinente, agens nihilominus vel agere poſſit, vel non agere, & liberè in hanc, vel in illam partem inclinet. Atque id à Deo

factum eſſe, exemplis aliquot oſtendimus. Cur ergo idem in creando mundo non fuerit factum?

‡ *Dicimus ergo*] Neque hæc ſolutio multo melior eſt præcedenti. *Moveri* enim Deum ab aliqua cauſa, non tamen *permoveri*, plané abſurdum eſt: quaſi Deo omnipotenti & omniſapienti ſimile poſſet evenire ei quod Agrippa in ſe experiebatur cum diceret Paulō Act: XXVI, 28. *Propemodum mihi perſuades ut fiam Chriſtianus*; Movebatur enim utcunque ad Chriſtum amplectendum, ſed tamen non permovebatur.

Et priori quidem] Vt fuit in Deo ab æterno ſumma Bonitas ſui diffuſiva & communicativa, ſic illa ab æterno eum non movit modò ſed permovit ad ſapientiſſimum ac liberrimum conſilium ſuſcipiendum de creando mundo, non indefinité, & in genere, ſed in ſpecie & definité, illo tempore & illo modo, quo revera creatus fuit. Vnde enim aliquid novarum virium acceſſiſſet ei cauſæ quæ ipſum antea nihil aliud quam moviſſet, ut eum poſtea permoveret, & illius nutantis aſſenſum in partes ſuas pertraheret?

Hujus autem rei] Fateor in liberrimam Dei voluntatem rejiciendum, quod illo tempore & modo condiderit mundum: Sed hæc liberrima voluntas conſtans & fixa atque omnis mutationis expers fuit in Deo ab æterno, eumque ſemper permovit ad mundum creandum, etſi non permoverit ipſum ad mundum ſemper creandum, ſed tantum ad illum creandum eo modo & tempore, quo convenientiſſimé ſuæ & Sapientiæ & Libertati creatus fuit.

Arbitrij enim] De eo jam diximus: Hæc non eſt arbitrij natura, ſed tantum agere conſultò, ex proæreſi, & prout lubet. Sic enim ipſa libertas definitur Iuſtiniano *Inſt. de jure perſon.* §. 1 *Naturalis facultas ejus quod cuique facere libet, niſi ſi quid vi aut jure prohibetur.* Et quamvis utcumque verum ſit quod hic ſtatuitur de quadam cauſa *externé* duntaxat & *moraliter* tantum movente, ac nonniſi meras ſuaſiones extrinſecùs ingerente, non debet tamen generaliter trahi ad quamlibet cauſam, etiam intrinſecé agentem, nec tantum ſuadentem ſed plené perſuadentem, & per judicium ultimum rationis practicæ determinantem voluntatem ad alterum oppoſitorum.

Non potuit, inquies; quia hæc mutatio quædam Dei erit. At qua ratione Deus, ſi id ponatur, mutabitur? Num ſubſtantia ipſius erit alia? num attributum aliquod naturale? num decretum, quod ipſe voluerit eſſe immutabile, infringetur? Haudquaquam. Sed eatenus tantùm mutabitur, quatenus id facere decernet, quod antea non decreverat; ac porrò opere perficiet, quod antea non fecerat. Quid in eo abſurdi? Mutabitur, inquies, à ſeipſo. Atqui abſurdum non eſt quempiam à ſeipſo ita mutari, ut, cùm antea vel non egiſſet, poſtea agat; vel cùm aliud quippiam egiſſet, aliud poſtea liberè ſuſcipiat.

‡ *Non potuit inquies*] Cum Decreta Dei ſint æterna & immutabilia, nec debet ſupponi ullum ejus decretum, quod ipſe voluerit eſſe mutabile & revocabile, nec debet fingi de novo aliquid decernere quod antea non decreverat, teſtante Apoſtolo Act: XV, 18. quod *nota ſint* ei *ab æterno*, ἀπ' αἰῶνος, *omnia opera ſua.* Perperam autem inde colligas poſſe fieri ut Deus facere decernat de novo quod antea non decreverat, eo quod de novo ſæpè faciat quod antea non fecerat: Nova enim facit citra novitatem voluntatis, & quæcunque nova fiunt, fiunt ad exemplar æternorum illorum decretorum, de quibus dixit Eſ: XLVI, 10. *Conſilium meum ſtabit, & omnem delectationem*

nem

Digitized by Google

nem meam factus ſum. Cum nova fiunt, quæ antea non fiebant, mutatio accidit ipſis rebus extra Deum; Sed mutaretur Deus in ſuis conſiliis, ſi inciperet aliquid novi decernere quod antea non decreverat. Novum etiam illud decretum præcedentibus accedens indicio foret aliquid improviſum & inexpectatum ipſi accidiſſe, cujus gratiâ deberet ex novo facto novum inire conſilium, aut prius abjicere, quod rebus præſentibus non ſatis conueniret. Quæ omnia apertè reluctantur Perfectioni, Conſtantiæ, & Omniſcientiæ Divinæ. Sané *Sapientis non eſt dicere non putabam:* Prometheus is debet eſſe, non Epimetheus, qui demum poſt factum ſapit.

‡ *Atqui abſurdum*] Equidem id de nullo mortalium abſurdum eſt. Frequenter enim homines incipiunt velle quod antea nolebant & viceverſa. Nec à Deo alienum eſt ut extra ſe aliquid novi faciat quod ante non fiebat; Sed ejus Conſtantiæ, Sapientiæ & Perfectioni neutiquam convenit, ut incipiat velle quod antea nolebat, aut nolle quod antea volebat; Ac licet in mutatione voluntatis ab intrinſeco aut illius inceptione, non ſit paſſio phyſica, ut in ſequentibus diſputat adverſarius, id tamen non ſufficit, ut Deo queat tribui talis novatio.

At mutari eſt pati: pati autem nihil poteſt à ſeipſo. Eſſet enim ſimul agens & patiens. Sed nos negamus, hujuſmodi actionis mutationem, paſſionem eſſe. Spontaneus vel à quiete ad actionem, vel ab una actione ad alteram progreſſus, paſſio non eſt ejus qui actionem ſuſcipit, ſed actio. Quòd ſi quis fortè ideo credat hujuſmodi mutationem eſſe paſſionem, qnia mutari Grammaticis ſit paſſivum, ei facilè & à nobis, & ab ipſis reſpondebitur Peripateticis. Nam ſi ita argumentari licet, nos multò rectiùs concludemus, mutationem hanc actionem eſſe. Quia nihil ſit aliud, quàm agere, cum antea non egeris, vel aliud quippiam egeris. Hîc nec Grammatici ullam reperiunt paſſionem; nec in re ipſa ullam reperient Philoſophi. Quid? cùm Peripatetici dicunt, Deum ſeipſum intelligere, nónne etiam dicunt, eum à ſeipſo intelligi? Atqui intelligere activum eſt, intelligi paſſivum. Patietur ergo Deus aliquid à ſeipſo? At id conſtantiſſimè negant Peripatetici, qui nihil à ſeipſo, nedum Deum, pati volunt; idque in hac ipſa re urgent. Docent iidem, ſentire, appetere, intelligere, Grammaticis activa eſſe, & nihilominus paſſionem ſignificare; quanquam primi entis intellectionem excipere coguntur: contrà, ſentiri, appeti, intelligi, licèt paſſiva, actionem quandam ajunt ſignificare ejus quod ſentitur, appetitur, intelligitur. Senſum enim, appetitum, intellectionem, fieri recipiendo ac patiendo aliquid ab objecto. Quanquam illi Ariſtotelis ſectatores, quibuſcum potiſſimùm hîc agimus, ejuſmodi ajunt eſſe paſſionem, quæ in actionem exeat, & rectè. Sentire enim & intelligere, non tantùm eſt recipere ſpeciem rei objectæ, atque hac ratione pati; ſed etiam illam dijudicare. Dijudicare autem actio eſt. Idem de voluntate ſtatuendum eſt, præſertim cùm circa bonum ejuſmodi verſatur, quod & amplecti poſſit, & ſpernere. Dum enim ad id amplectendum ſe applicat, aut contrà id repudiat, aliquid circa illud agit. Atque hoc poteſt etiam jure ad rem noſtram transferri. Etenim quòd Deus decrevit aliquando mundum condere, ac porrò condidit, 44.

actio eſt: prior immanens, ut in ſcholis vocant, poſterior tranſiens. Sed orta eſt utraque à paſſione quadam, ſi eo modo vocem accipias, ut à Philoſophis accipi in hujuſmodi rebus ſolet. Sejuncta enim eſt hæc paſſio, & à corruptione, & à dolore omni; imò & voluptatem afferre apta eſt. Motus nempe fuit Deus ad creationem mundi decernendam fine, atque adeo rebus, quę eum ad finis conſiderationem veluti duxerunt. Etenim cùm vires ſuas haudquaquam ignoraret (quis enim neget, Deum ſeipſum penitus noſſe?) vidit etiam, mundum ſe condere poſſe; vidit præterea, in quem uſum id poſſet cedere. Uſus hic Deum movit, &, ut ita dicam, allexit atque invitavit, ad mundi creationem & decernendam, & perſiciendam. Et hactenus Deus aliquid à fine illo eſt paſſus; ſed eo paſſionis genere, quod, ut jam innuimus, ſuaviſſimum eſt. Voluntas porrò, hoc fine veluti excitata, aſſenſum ei præbuit invitanti, & eidem ſeſe liberè applicuit. Et hactenus ea pati deſiit, atque aliquid circa finem illum egit. Itaque ſi etiam in hujuſmodi actionibus & paſſionibus velis aliud eſſe agens, aliud patiens, reperies objectum, & id, quod circa objectum occupatur. Sed ea viciſſim in ſe agunt, & à ſe invicem patiuntur. Objectum primò movet facultatem, quæ
45. circa illud occupatur: hæc ab eo excitata, circa illud viciſſim agit: & voluntas quidem ſæpè plus agit, quàm paſſa fuerat; aut etiam oppoſitum agit ejus, ad quod excitata fuerat. Illud, cùm liberè amplectitur bonum aliquod, & ad id perſequendum progreditur: hoc, cùm id repudiat, aut omittere decernit.

‡ *Et hactenus Deus*] Hæc paſſio Moralis eſt non Phyſica, cujuſmodi nulla in Deum cadere poteſt; Eſt enim omnipotens, non ut patiatur quod non vult, ſed ut faciat quod vult.

Et voluntas quidem] Imò cũ ſit facultas cœca, & ignoti nulla ſit cupido, non ultra nec amplius appetit, quam objectum bonum eſſe, appetendum, & appetibile, ratio ſive ſana ſive corrupta ei indicaverit; Nec poteſt bonum hic & nunc appetibile judicatum, repudiare aut omittere, quin deſinat eſſe appetitus intellectivus & rationalis; imò in malum quà malum eſt feratur; quorum utrumque eſt abſurdiſſimum.

Sed ajunt: ſi Deus agit, quod poſſet non agere, laborioſa ac moleſta erit in agendo perſeverantia. Quod enim agit, cùm aliter agere poſſet, id, ſi diutiùs in agendo perſiſtat, laborat ac fatigatur. Atque hoc hauſerunt ab Ariſtotele. Sed nos primùm quærimus, unde illis conſtet, quicquid agit, cùm aliter agere poſſet, ſi diutiùs in agendo perſeveret, moleſtiam ſentire? Dicent, credo, ex hominibus & animalibus id conſtare. Diuturno enim motu frangi: quin & ſenſuur laborare, & intellectum eidem rei diutiùs intentum. Sed quę conſecutio eſt, ut idem fiat in omnibus, atque adeo etiam in immortalibus & incorruptibilibus, quod in mortalibus? Si dicant, nullum dari agens liberum, quod idem ſit immortale; id ipſum ſument, quod maximè debebant probare. Si verò tale agens concedant, jam rationis diverſitatem facilè vident. Corruptibilia enim labore, aut diuturna,

ſive

Digitized by Google

ſive ſenſûs, ſive intellectûs, intentione, ideo fatigantur, quia ſpiritus animales,
quibus omnis ſenſus & intellectus noſter, omniſque motus peragitur, diuturno
motu animique intentione abſumuntur, expirant, atque diffugiunt: ne de aliis
corporeis inſtrumentis nunc quicquam dicam, quæ labore ac motu paulatim at-
teruntur. Nam corporis calor, motu auctus, membra ſenſim depaſcitur. Quòd
ſi membra eandem ſemper integritatem retinerent; ſi ſpiritus animales non abſu-
merentur; eâdem ſemper alacritate operí poſſemus incumbere, nec ullus vel ho-
mines, vel animalia labor frangeret. At in incorruptibilibus atque immortalibus,
iſtiuſmodi vel membrorum, vel ſpirituum conſumptio ac debilitatio locum habet
nullum. Eſſent enim ipſamet corruptibilia. Quarum enim rerum partes paula-
tim debilitari atque abſumi poſſunt, eæ ipſæ quoque ſunt corruptibiles. In De-
um autem tantò minùs illa cadunt, quod ejus natura à conditione corporum mor-
talium ac corruptibilium longiſſimè omnium abeſt, qua de re ſuo loco. Id autem,
quod de incorruptibilibus diximus, vel ex cœlo atque aſtris patet, quæ in orbem
perpetuò ſine ulla defatigatione currunt, &, ſi Peripateticis credimus, ab omni
æternitate cucurrerunt. Quod autem cælum aut aſtra poſſunt in motu prorſus u-
niformi; id multò magis Deus, cæli & aſtrorum principium, poteſt in actionum
ad res alias ſpectantium diverſitate, quę ſæpè magnam parit jucunditatem. Ta- 46.
ceo, quòd ſi in Deum defatigatio cadere poſſet, quæ non poteſt, facilè tamen
pro ſua ſapientia modum poſſet invenire, quo ſine labore ac moleſtia hanc rerum
univerſitatem gubernaret, & quieti ſuæ conſuleret.

Objicere etiam ſolent, conſilia Dei de rebus condendis, formis materiæ indendis, (ideas nonnulli appellant) ad rerum productionem non ſufficere; imò ne prodeſſe quidem. quia interno ad eam rem principio ſit opus; quod illi materiæ appetitum eſſe volunt. Sed nudum Dei conſilium, ſine efficacia, ſeu vi quadam ab eo manante, ne nos quidem ad rerum formationem ſufficere arbitramur. Eſt nempe vis in Deo omnipotens, per ſe quidem indeterminata, ſed quæ voluntate ipſius determinari ad quemvis effectum poſſit, ut infrà explicabitur, (*cap: 22.*) cùm de potentia Dei agemus. Ab hac rerum creatarum formæ, vita, motuſque proficiſcitur. Quòd ſi illi putant, poſſe à Deo formas omnium rerum manare, etiamſi de iis ne cogitet quidem; an non credibilius eſt, ab eo manare poſſe, ſi de iis materiæ imprimendis cogitet, & vi ſua materiæ indat?

‡ *Sed nudum Dei conſilium*] Dei conſilium ſi præciſè quidem & ſimpliciter theoreticè conſideretur, rerum formationi non ſufficit: at ei ſufficit planè ſi conſideretur, uti revera eſt, ceu ita practicum & efficax, ut ſemper rei decretæ executio certiſſima atque infallibilis ſequatur; quod apertis verbis docet Eſajas cap. LV, 10. 11. Atque inde eſt quod *Manus* & *Conſilium* Dei quaſi per hendiadym junguntur Act. IV, 28.

Objicitur & illud, ſi dicas, aliquando non fuiſſe mundum, tempus te aliquod ante mundum ponere. Tempus autem ante mundum fuiſſe nullum: quia nec

motus

Digitized by Google

motus ſeu mutatio fuerit. Tempus enim ſine motu nullum eſſe. Sed jam alii ante nos animadverterunt, falſum eſſe, quod ſumitur, tempus non eſſe, ubi nullus ſit motus ſeu mutatio. Etſi enim temporis diuturnitas, ſine mutatione aliqua non ſentitur: tempus tamen etiam ſine mutatione eſt. Tempus enim nil aliud, quàm duratio eſt. duratio autem etiam ſine motu eſſe poteſt. nam & quietis eſt aliqua duratio.

‡ *Sed jam alij*] Inepta reſponſio; nam benè antea notabatur, quod ante tempus quodlibet certum ac finitum, præceſſerit tempus infinitum: Cum vero finitum & infinitum ejuſdem naturæ eſſe non poſſint, ſanè quod præceſſit finitum illud tempus, quod incœpit decurrere ab orbe condito, alterius ordinis & naturæ debet eſſe ab ipſo. Id vero quidnam erit niſi abyſſus æternitatis? Non ponit ergo tempus ante mundum, qui dicit aliquando mundum non fuiſſe; ſicut non ponit ſpatium extra mundum, qui dicit nihil præter Deum extra mundum eſſe: Sed illis adverbiis & temporis & loci utimur ex penuria vocum, ut ſignificemus & mundum non eſſe æternum, ſed initium ſumpſiſſe, & eundem complecti & continere quicquid eſt rerum creatarū, nihilque creatum eſſe quod in illo non ſit: Quare utrumque hoc adverbium magis negativè in ejuſmodi loquutionibus, quam poſitivè ſumitur. Falſum itaque eſt tempus, quod Ariſtoteli definitur *numerus motus per prius & poſterius*, poſſe dari ſine motu: Illud enim neceſſariò in ſucceſſione & fluxu partium ſitum eſt, cujus partes eſſentiales ſunt preteritum & futurum, nec tranſitus fit à priori ad poſterius niſi per motum. Omne quidem tempus eſt *duratio*, ſed non viceverſa omnis duratio tempus eſt: Alia eſt permanens & indiviſibilis, quæ Æternitas dicitur, alia fluens & ſucceſſiva quæ Tempus: Illa *Nunc ſtans*, hoc *Nunc fluens* meritò poteſt appellari. Quod ſi Tempus foret æternum, ut homines hi ſtatuunt, nec deberet concipi primum inſtans quo cœperit eſſe & poſſe numerari, ex finitis temporis partibus exſurgeret tempus infinitum, & daretur in illis progreſſus in infinitum, atque inde naſceretur infinito majus: ſunt enim plures dies quam menſes, & plures menſes quam anni; & tamen in tempore infinito darentur infiniti anni & infiniti menſes & infiniti dies: Imo dum quotidie aliquid accreſcit ad tempus infinitum; ipſum infinitum augeſcere & grandeſcere cenſeretur. Eſt quidem & *quietis aliqua duratio*, ſed hanc tamen durationem quietis, ideſt illius tempus, non poſſumus aliter quam per motum metiri, etſi illum dum quieſcimus aut dormimus non ſentiamus: Movetur & provehitur navis in altum, etiam dum Ionas altè dormit in illa. Adhæc duplex *Quies* ſtatui poteſt: interminabilis ipſius Dei, cujus menſura eſt æternitas; alia terminabilis rerum creatarum, cujus menſura tempus eſt: Si enim petieris de ullo ægro quieſcente & dormiente, quamdiu dormierit; eum audies tot vel tot horas quieviſſe & dormiiſſe.

Nec illud certum, vel potiùs falſum eſt, nullum ante conditum mundum fuiſſe motum, ſeu mutationem. Cæteræ eorum hominum ratiunculæ leviores ſunt, quàm ut hic commemorari debeant, præſertim cum modus aliquis huic tractationi ſit ponendus. Quanquam dolendum eſt, adverſus veritatem leves interdum hominibus conjecturas aut ſuſpiciones ſufficere: cùm ad veritatem illis perſuadendam, quæ ad pietatem ducit, ne apertiſſimæ quidem rationes iis ſatisfaciant.

‡ *Nec*

Digitized by Google

‡ *Nec illud certum*) At ipſemet ſupra oſtendebat motum non potuiſſe eſſe æternum; Et cum nullus motus poſſit dari ubi nullum eſt mobile, nullaque mutatio ubi nihil eſt mutabile, abſurdiſſimé fingeretur motum vel mutationem fuiſſe ante conditum mundum, cùm adhuc nihil eſſet quod ab alio moveri vel mutari poſſet. Si dicat adverſarius ſe intelligere hìc motum moralem, quo Deus permotus fuit ad mundum condendum, fruſtra erit; Nam primò ille motus moralis & metaphoricus, nullam mutationem vel novationem ponit in Deo; ab æterno enim id Deus conſtanti & immutabili decreto conſtituerat apud ſe: Secundò foret hoc effugium valdé alienum, cùm in hac quæſtione non agatur de motu morali & metaphorico, ſed naturali, phyſico ac ſucceſſivo, quo ſenſu verè & benè ſtatuitur *Tempus ſine motu nullum eſſe*.

Quanquam dolendum] Hoc ipſum tamen ſubinde in Socinianis obſervatur, quibus adverſus veritatem, inanes conjecturæ aut ſuſpiciones, pro Achilleis plerumque veniunt argumentis; cùm ad veritatem perſuadendam ne apertiſſimæ quidem rationes iis ſatisfaciant; Scilicet Crelli, his tuis verbis *mutato nomine de te fabula narratur*.

CAP. V.

Deum eſſe oſtenditur ex rebus homini propriis.

‡ *Reſpondente* HECTORE FRIESMA Leovardo-Friſio.

POſtquam univerſam rerum naturam in divinitatis teſtimonium advocavimus; 47.
ſequitur, ut ea, quæ in humanis rebus cernuntur, ejuſdem rei documenta videamus. Sumemus autem non ea, quæ hominis naturam conſtituunt, de quibus ſuperiùs (*cap. 3.*) diximus: ſed ea, ad quæ hominem vel naturalis inſtinctus, vel mens evidentibus rationibus nixa, vel ſuperior aliqua cauſſa ducit.

Primùm igitur occurrit perpetuus gentium vel omnium, vel ſaltem plærarumque, etiam barbararum, in eo, quod hìc defendimus, conſenſus. Adeo enim omnibus, quorum memoria extat, ſeculis in eo conſenſêre terrarum populi, ut crederent, numen extare aliquod religioſé colendum, ut maluerint alii vel aſtra, vel belluas, vel denique ligna aut lapides pro Diis colere, quàm nullum numen, nullam religionem agnoſcere. Itaque varietas quidem fuit ſententiarum de numinis natura, de numero, de ratione ac modo colendi: ſed in tanta tamen varietate conſenſus hic fuit, Deum eſſe aliquem, qui ſit religioſé colendus.

‡ *Primum igitur*] Gratulamur nobis quod hìc Crellius ſuo Socino valedicat, & naturalem Dei notitiam tum inſitam tum acquiſitam, fortiter adſtruat contra Atheos.

Licèt autem hodie populi reperti ſint, in quorum aliquibus nulla propemodum videatur extitiſſe de divinitate opinio: tamen longè plures fuerunt reperti, in quibus divinitatis opinio extitit; licèt aliàs barbari eſſent, & ab humanitatis cultu alieni. Deinde teſtantur hiſtoriæ, eas nihilominus gentes, in quibus divinitatis opinio videatur extitiſſe nulla, dæmonem habere aliquem, quem metuant &, ne noceat, revereantur. id quod nobis hìc plus quàm ſatis eſt. Eſt enim & hoc divinitatis ac religionis, quamquam in contrarium detortum, veſtigium.

Digitized by Google

gium. Non mirum autem cæteroquin eſt, homines barbaros, qui humanam quodammodo naturam exuerunt, & belluinam quandam feritatem induerunt, id perdidiſſe, quod hominis propriu n eſt, nempe divinitatis exiſtimationem, & religionem. Sine intellectu enim nulla de numine opinio, nullus religionis ſenſus eſt. Itaque in belluas ea res non cadit: ac porro illis non admodum convenit, qui in belluas ferè abierunt. Qui ergo factum, ut in populis ad extremam etiam barbariem prolapſis, aliquod tamen divinitatis ac religionis remanſerit veſtigium? Ad quamcumque cauſſam hunc Gentium conſenſum retuleris, veritatem ejus, quam tuemur, ſententiæ deprehendes. Neceſſe enim eſt hunc
48. conſenſum referre ad cauſſam aliquam toti hominum generi communem: cum effectus ſit communis. Ejuſmodi autem cauſſa eſt, vel naturæ inſtinctus, vel traditio antiquiſſima, à communibus humani generis parentibus profecta, vel denique magna rei ipſius, ſeu mavis, argumentorum, unde ea ab omnibus intelligatur, evidentia. ad quarum cauſſarum poſtremam patefactionem divinam, miracula, cæteraque divinitatis argumenta omnibus expoſita referimus. Et de hac quidem cauſſa nihil eſt neceſſe dicere. Ipſa enim protinus rei veritatem ponit: præſertim cùm ratio adferri nulla poſſit, cur, quæ ſuâ evidentiâ homines generatim omnes ad agnoſcendum Deum & religionem colendam adducant, eos nihilominus decipiant. Quod ad duas priores cauſſas attinet, ſi ad naturæ inſtinctum conſenſum illum gentium retuleris; natura humano generi errores non inſevit: ad veritatem illa, non ad mendacium nos finxit. Si ad traditionem antiquam; itidem veritatem ejus ſententiæ deprehendes. Etenim vel initium tu aliquod iſti de Deo ſententiæ aſſignas, vel nullum, ſed eam unà cum genere humano ab æternitate vis extitiſſe. Si hoc exiſtimas; cauſſam illius ad traditionem referre non potes. Traditio enim omnis, & multò magis quicquid à traditione proficiſcitur, initium habet. Deinde ſi ab æterno hanc de Deo ſententiam in genere humano extitiſſe velis; neceſſaria erit non minùs, quàm ipſum genus humanum, quod neceſſariò exſtitiſſe putas. Quicquid enim ab æterno fuit, neceſſarium eſt; certè omnem liberum humanæ voluntatis actum antecedit. At nulla ſententia falſa, neceſſaria eſt. Et ſanè omnino neceſſe eſſet, illam ex ipſa natura oriri. Ex ipſa autem natura oriri falſa ſententia, ut vidimus, non poteſt. Quòd ſi certum iſti ſententiæ initium aſſignas; vel ſimul etiam aſſignas generi humano; vel hoc infinitis antè ſeculis putas extitiſſe. Si illud dicas; primùm cogeris autorem humani generis ac porrò Deum agnoſcere, qui nos præter naturam produxerit. Siquidem nec à ſeipſo genus humanum potuit exiſtere; nec à cauſſa aliqua naturali produci. Si enim à cauſſa naturali fuiſſet primò productum, non potuiſſet non infinitis antè ſeculis exiſtere: cum naturæ curſum infinitis ſeculis infinities in orbem rediiſſe ſit neceſſe, ut præcedenti capite docuimus. Et volunt ſanè illi, qui hominem à cœlo è terra gigni fingunt, ſubinde id novam

hominum

hominum generationem moliri, ut, ſi fortè vis generandi in hominibus jam productis deficiat; non deficiat tamen humanum genus, aliis recentibus in eorum locum è putredine ſuccenturiatis. Deinde conſtantia hujus ſententiæ in tanta hominum gentiumque multitudine, veritatem ejus arguit. Ætatem enim tantam ea 49.
non ferret, ſi falſa eſſet, etiamſi tandem traditione aliqua majorum fuiſſet poſterorum mentibus impreſſa. Excutit tandem natura, quæ præter, aut etiam contra eam rebus imprimuntur. Sic aqua, etiamſi vi ignis fervidiſſima evaſerit; tamen quia id præter ipſius naturam fit, igne amoto ad frigus ſponte ſua revertitur. Eodem modo ratio hominis falſitatem ſententiæ, ſibi præter naturam impreſſæ, aliquando tandem penitùs exuiſſet; præſertim quia aliàs natura noſtra freni ac jugi illius, quod ipſi religio imponit, eſt impatiens, & ad libertatem adſpirat. Quomodo ergo ſententia illa per omnia, quorum memoria extat, ſecula, tam longè lateque dominaretur? Hoc idem dicendum eſt, ſi aſſerueris, genus humanum ante hanc de Deo ſententiam infinitis ſeculis extitiſſe. Sed deinde quî fieri poteſt, ut in ſententiam falſam, cujus aliquando expers fuiſſet genus humanum, omnes generatim populi conſpirarent? Itáne ſine evidenti argumento gentes omnes ingenioſiores, ſibi imponi paſſæ ſunt? Verum enim verò fieri nequaquam potuit, ut genus humanum hac aliquando de Deo deque religione ſententiâ caruerit. Quandoquidem ipſi quoque athei eam generi humano utiliſſimam, & ad rempubl. gubernandam valdè neceſſariam, ac porrò omni ſtudio fovendam eſſe docent. Hujuſmodi ergo ſententiâ tam utili, tam neceſſariâ rei hominum publicæ, ad quam eos natura formavit, vel infinitis ſeculis humanum genus caruerit, vel aliquando exciderit? Id verò unum eſt ex impoſſibilibus. Adde, quòd mirum eſſet, ſi genus humanum aliquando ſine Deo, ſine religione omni extitiſſet, ejus ſeculi ne veſtigium quidem apparere.

‡ *Nulla propemodum*] Meliùs cum hac reſtrictione, quam Socinus qui *præl. cap.* 2. §. 6. aſſeruerat integros populos hodie reperiri, qui nullum penitus ſenſum aut ſuſpicionem Divinitatis habeant: quod plané falſum eſt: Deus enim nunquam ita *ſivit gentes ſuis viis incedere*, ut ſe omnis *teſtimonij expertem* apud eas eſſe pateretur Act: XIV, 16 17. Ipſimet Towpinamboutij & Cannibales, de quibu id poſſet fortè quiſpiam ſuſpicari, deprehenſi ſunt credere animarum immortalitatem, & ſuos Cæribes ſive Sacerdotes ſummo habere in pretio, ut à Lerio & alijs obſervatum. Vt non immeritò Plato ſtatuerit hominem eſſe *ζῶον θεοσεβαστατὸν*, ideſt, ut etiam ſtatuitur à Lactantio *lib.* 4. *Divin. Inſt. cap.* 28. *animal religioſum.* Quid quod ipſe Epicurus Divinitatis ſenſum humanæ menti naturaliter impreſſum eſſe agnovit, authore Laertio?

Ejuſmodi autem] Benè quidem procedit hoc argumentum: At in theſi, hæc non tam disjunctivé quam conjunctivé poni debent, cum ſimul concurrerint ad univerſalem illum conſenſum conſtituendum, qui penitùs excuti non poteſt.

Dicet forte quiſpiam, non eſſe mirandum, ſententiam de Deo ac religione tam eſſe conſtantem, tamque latè dominari, licèt falſam: quia partim vi, partim fraude

tim fraude hominum aſtutorum, & ad ſuum compendium religione abutentium perpetuò foveatur. Sed ne ea nunc repetamus, quæ de origine hujus ſententiæ diximus; ſi miracula excipias, quibus illi, qui Deum eſſe negant, fidem non adhibent; quid fidem de Deo, quid religionem magis unquam ſtabilivit, quàm tormenta ac mortes diræ, quas ſuſtinuerunt primi Chriſtianæ religionis aſſertores, quorum conſtantiam tot hominum myriades ſunt ſecutæ? qua de re ne profani quidem ſcriptores, & à ſacris noſtris alieni, tacent. Quis autem, niſi inſanus, dixerit, vel potentiam eorum, qui eam religionem promotam cupierint, vel frau-
50. dem, id effeciſſe? Adde, quòd, quicunque religionis negotium vel vi gerunt, vel fraude atque aſtutiâ eam ad rem utuntur, non id revera agunt, ut hominibus generatim perſuadeant, Deum aut religionem eſſe: ſed ut hoc aut illud numen agnoſcant, hanc illámve religionem approbent, iſtis artibus conantur efficere. Deum enim ac religionem eſſe, jam apud omnes generatim in confeſſo eſt, & ut ab iis vel vi exprimatur, vel fraude illis perſuadeatur, non eget. imò illorum artes, qui religionis negotium vi aut fraude urgent, ut id omnibus generatim hominibus jam ſit perſuaſum, poſtulant, ſine eo nihil profecturæ. Quòd ſi aliunde non conſtaret, Deum eſſe, non poſſet quantavis potentia vel aſtutia efficere, ut in eo omnes generatim populi, omnia ſecula conſpirarent. Quemadmodum nulla nec vis, nec fraus efficere unquam potuit, ut in unam planè religionem omnes terrarum populi, vel ad breve tempus conſpirarent. Quin faciliùs in eam conſpirarent gentium animi, ad virtutem cæteroquin compoſiti, quæ omnium eſt optima, ſi vis ac fraus abeſſet, & ij, qui vel alterutram, vel utramque adhibent, potiùs ad virtutem cæteris, tum voce, tum exemplo præirent.

Non fecimus autem in hoc argumento explicando ullam eorum Philoſophorum mentionem, qui Deum & religionem eſſe negârunt. Neque enim illorum diſſenſio argumenti noſtri vim infringit, aut populorum integrorum conſenſui quicquam derogat. Nam & pauci fuerunt reſpectu plurimorum aliorum, qui Deum ac religionem aſſeruerunt; & mirandum non eſt, in abſurdas etiam, atque à veritate alieniſſimas ſententias incidiſſe Philoſophos. Sæpè vulgus longè ſinceriùs de rebus judicat, quàm Philoſophi, præſertim hi, aut illi. Nec ſine cauſſa quidam dixit, Nihil tam abſurdum eſſe, quod non dixerit aliquis veterum Philoſophorum. Conſulantur modò libri, à profanis auctoribus vel de placitis Philoſophorum, vel de vita ſimul & dogmatibus eorum conſcripti. Quid manifeſtius eſt, quàm eſſe in natura motum aliquem? & hoc tamen acuti quidam negarunt Philoſophi, & argumentorum ſubtilitate refellere conati ſunt. Quid manifeſtius, quàm rem quamlibet eſſe, vel non eſſe: contradictoria ſimul conſiſtere non poſſe? Et nihilominus tamen contrarium aſſerere auſi ſunt Philoſophi, adverſùs quos diſputat in Metaphyſicis *(lib.3. Metaph.)* Ariſtoteles. Similes & illi fuerunt, qui ne oculis quidem ſuis fidem habuerunt, & nihil verum eſſe, ſed

omnia,

Digitized by Google

omnia tantùm videri, dixerunt. Itaque ne illud quidem ſat bonâ fide crediderunt, ſe eſſe ac vivere; Id quod apud unumquemque eſt certiſſimum. Neque verò iſta ſine rationibus aliquibus affirmarunt. Et mirabimur, aliquos extitiſſe 51.
Philoſophos, qui Deum, quem oculis non cernerent, extare negarint? Certè tantò minùs id mirandum eſt, quòd illis vixerunt temporibus, atque inter illas gentes, ubi & falſa numina, & ſæpe ridiculis, aut manifeſtè impijs ſacris colebantur. Religio vera inter Judæos, vel ignotum, vel inviſum illis genus, ſedem habebat; & ne illam quidem ſatis fidam. Rariſſimè enim ab impijs ritibus Judæorum gens fuit immunis. Et ritus ab ipſo Deo Judæorum genti traditos, cum eorum rationem Philoſophi non cernerent, ſpernere poterant. Itaque cùm nullam uſpiam religionem, ſuperſtitionem autem ubivis gentium cernerent, aut cernere ſibi viderentur; quid mirum eſt, religionem eos penitùs contemſiſſe, & nullum prorſus numen extare credidiſſe? Taceo, quòd alios ipſum novitatis ſtudium, &, quæ ei ſubeſſe ſolet, ambitio ad hunc ſcopulum impellere poterat: alios, quòd rationes quaſdam ſolvere fortè non poſſent. Accidit enim nonnullis, ut cùm ſolvere objectiones non poſſint, etiam à manifeſta veritate deſciſcant. Quamquam fortaſſe nonnulli ex ijs, qui athei ſunt habiti, non tam numen nullum crediderunt, quàm illos, qui vulgò colerentur, pro Dijs non agnoverunt. Omitto jam illos, qui cùm voluptatibus ſint, aut alijs pravis affectibus mancipati, numen eſſe negant, ut tantò ſuis vitijs liberiùs indulgere queant, quia nimirùm cernunt, ſi numen aliquod ſit, id ipſorum ſcelera non paſſurum inulta, & non niſi puritate mentis, vitæque integritate id ritè coli poſſe. Sed hi, quia belluinum quippiam ſapiunt, & à naturæ ſuæ dignitate diſcedunt, noſtri argumenti vim minimè labefactant, ut ex ijs, quæ ſuperiùs diximus, patet.

‡ *Quamquam fortaſſè*] Hoc videtur certò de iis ſtatuendum qui inter Ethnicos Atheorum infami elogio notati ſunt, eos potiùs Idolorum contemptores fuiſſe, quam hoſtes Numinis. Talis Diagoras, qui Herculis ſtatuâ in ignem conjectâ dicebat hunc XIII. laborem ipſi eſſe ſubeundum. Talis & Euemerus, qui Deorum quos vana Gentilitas colebat, veram Genealogiam conſcripſit, & mortales eos quondam fuiſſe, eodem cum cæteris ſanguine ſatos, prodidit.

Omitto jam illos] At iſti loquuntur magis ex voto, quam ex animi ſententia: unde ab ipſis repentino correptis periculo, conſcientia aliud extorquet, ut ſublatis in cœlum oculis, Deum quem verbis negaverant, facto confiteantur: Exemplum luculentum proſtat in Caligula, qui licet ſuo Iovi interdum dira quæque minitaretur, tamen ad primum cœli fragorem exanimabatur metu, & nullum ſatis tutum latibulum poterat reperire.

Verùm ad alia, quæ in humanis rebus cernuntur, divinitatis argumenta accedamus. Secundum ergo nobis præbet vis conſcientiæ, de qua paſſim legas apud Philoſophos, hiſtoricos, oratores, poëtas. Inter alios vide Ariſtotelem Ethicorum libro nono (*Pacio cap. 4.*) de amicitia, quæ hominibus ſecum ipſis ſit,

diſputantem, & conſcientiæ vim tum in bonis viris, tum in improbis explicantem. Tanta verò ea eſt in utramque partem, (*Cicero pro Milone*) ut neque timeant ij, qui nihil admiſerunt; & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccaverunt. Et mala quidem nec vigiliis nec quietibus ſedari poteſt, etiam in ſolitudine anxia & ſollicita eſt. (*Saluſt. Catil.*) Nec ullius potentia tanta fuit, (*Seneca*) ut illius vim effugere poſſet. Itaque videmus in hiſtoriis potentiſſimos etiam principes, qui omnem numinis reverentiam poſuerant, tandem conſcien-
52. tiæ tormentis lancinatos, ac ſcelerum furiis agitatos fuiſſe. Neque verò illi, quos conſcientia ſcelerum urget, ab hominibus tantùm ſibi metuunt, & eorum pœnas pertimeſcunt: quin potiùs humana ſupplicia nonnunquam expoſcunt, aut ſibi ipſis manus violentas inferunt. Aliquid humanâ irâ atque ſupplicio majus exhorreſcunt. Ideo, ut ille ait, (*Iuvenalis*) ad omnia fulgura pallent, cùm tonat, exanimes primo quoque murmure cœli. Quid verò aliud hic humani animi ſenſus dictat, quàm eſſe numen, quod, quæ nos gerimus, audiat videatque, & cuique pro factis digna rependat præmia? Cur enim aliàs vanum naturę hominibus injiceret metum, præſertim ubi occultè patrata ſunt flagitia, aut potentia adverſus humana ſupplicia nocentem munit? Dices, naturam hanc conſcientiæ vim indidiſſe homini, ut hoc primùm monitore à ſceleribus avocaretur; quem ſi non audiret, ab eodem velut infeſto accuſaretur, & tanquam certiſſimo teſte convinceretur, eodem damnaretur judice, & denique velut à tortore ac carnifice lancinaretur. Sed primùm, ſi hæc ipſius naturæ conſilio propriè tribuis, quæ tam prudenter iſta inſtituerit; ipſam revera naturam Deum facis; &, ſi Deum interea eſſe negas, teipſum non intelligis, ut ex ijs, quæ ſuprà alicubi diximus, (*cap. 2.*) apparet. Deinde cùm hic conſcientiæ cruciatus in metu conſiſtat, uti contrà voluptas rectæ conſcientiæ in ſpe bona: apparet, præter hunc conſcientiæ morſum, aliud aliquod reſtare ſupplicium, quod omnibus ſceleratis generatim immineat, & contrà impunitatem illis eſſe propoſitam, qui cum virtute vixerint. Natura enim nec ſpem vanam omnes generatim homines, nec falſos metus concipere jubet. Neceſſe igitur eſt, aliquem eſſe rectorem ac judicem hominum occultum, qui præmia & pœnas omnibus diſpenſet. Neque enim impunitas illa, quam bona conſcientia ſibi pollicetur, aut pœna, ad quam ſeſe mala conſcientia damnat, humanis imputari conſiliis debet. Homines enim ſæpè virtutibus alienis infeſti, vitiis favent; bonos premunt, malos extollunt; & innocentiæ debita præmia ad nocentes non rarò deferunt. Quid vero aliud eſt dicere, rectorem eſſe aliquem ac judicem humani generis occultum, quàm Deum eſſe?

‡ *Neque enim impunitas*] Atqui cum hoc ipſum conſcientia, (quam à nobis nunquam divelli poſſe, dixit Cicero *pro Cluentio*,) omnibus dictet, nempe Deum habere ἔκδικον ὄμμα, & hæc ſit prima ultio —— *quod ſe*

Iudico

Iudice nemo nocens abſolvitur, improba quamvis
Gratia fallaci Prætoris vicerit urnam,

ut etiam Ethnicus Poeta notavit, ac Paulus Rom. II, 15. inde oſtendat quemque à ſua conſcientia vel *excuſari*, vel *accuſari*, quis hinc non colligat omnium conſenſu firmari eam Veritatem quam alibi oppugnant Sociniani, de juſtitia Dei vindicativa quæ ſcelera impunita remanere non patiatur? Mendacem oportet eſſe memorem.

Tertiò & illud eſt non leve veritatis ſententiæ noſtræ argumentum, quòd omnes rerum humanarum non ignari vident, ſine religione rempub: conſtare non poſſe. Et Plutarchus quidem, *urbem*, inquit, *citiùs videri ſine ſolo, quam rempub: ſine opinione de Diis aut conſtitui aut conſtitutam ſervari.* & *religionem vinculum eſſe omnis ſocietatis & legum ponendarum* aut *juſtitiæ firmamentum*; ut aliorum jam mit- 53.
tam teſtimonia, quorum non exiguus (*vid: Lipſ: Polit: lib: 4 c. 2. & adverſus Dialogiſtam*) à viris doctis citatur numerus. Agnoverunt autem hanc religionis in republ. neceſſitatem etiam illi, qui nullam religionem veram eſſe crediderunt, vel credere, ſi ſibi conſtare voluerunt, potuerunt. Inter hos autem poſteriores jure collocandus eſt Ariſtoteles, cujus de Deo ſententiam ſuperiori capite examinavimus. Is verò, (*lib: 7. Pol:*) cùm ea recenſet, ſine quibus civitas ſeu reſpub: eſſe nequeat, *Quintum ac primum* ſeu *præcipuum eſſe* dicit *rerum divinarum curationem.* Huic ex recentioribus addatur homo acutiſſimus, ſeu mavis aſtutiſſimus, Machiavellus. Etenim ex non paucis hinc inde ab eo dictis apparet, eum religionem nullam, quicquid nonnunquam dicere videatur, (nam atheiſmum aliquo modo tegere erat neceſſe) revera agnoviſſe. Chriſtianum certè non fuiſſe, partim ex nonnullis ejus de religione præceptis conſtare cordatis poteſt, partim ex eo, quòd de Moſe Legiſlatore alicubi ſcribit, (*Diſput: de Repub: lib: 1. cap. 9.*) eum, uti & Lycurgum ac Solonem, boni publici cauſsâ ſibi ſoli uſurpaſſe potentiam ferendarum legum, & conſtituendę reipub: Atqui ille idem, (*ib. cap. 11.*) mirum quantum in religione momentum ponat ad reipub: ſalutem & incrementum. *Vbi*, inquit, *religio eſt, locum habent bonæ leges, ac bona diſciplina, ex quibus fortunati feliceſque rerum eventus, in expeditionibus præſertim bellicis, naſcuntur. Sicuti è contra etiam ſublata religione corruere remp: oportet. quoniam ſublato Dei timore ſequitur impietas, & ex ea, ruina imperiorum.* Et poſtmodum (*ibid: cap: 12.*) peculiari capite conſtituto docet, *quantum interſit ad conſervandam rempub: ut ratio divini cultus atque religionis habeatur, & quòd in Italia propter Romanam Eccleſiam, deficiente eadem religione, ruina imperij ſecuta ſit.* Mitto alia apud eundem eadem de re dicta. Maluimus autem ad impietatem evertendam impij voce uti, ut ſuo ea teſtimonio convincatur, & proprio veluti gladio juguletur. Etenim ſi tantum in religione ſitum eſt, ut eâ ſalus univerſa nitatur reipub:, eâ ſtante ſtet, ruente ruat; quî fieri poteſt, ut non aliqua ſit vera religio, ac porrò Deus verus, qui ea religione colatur? Etenim cùm naturâ homines ad ſocietatem remque publicam conſtituendam facti ſint; neceſſe etiam eſt eoſdem à natura factos eſſe ad id, ſine

quo

quo ſocietas ac reſpub: conſtare non poteſt. Qui ad finem quippiam ſimpliciter deſtinat, deſtinat etiam ad media, ſine quibus finis obtineri non poteſt. Natura ergo homines ad rem vanam falſamque perpetuò colendam, ac ſummo ſtudio retinendam finxit? Hoc quis credat, niſi perverſiſſimo ſit ingenio præditus, & cui
54. conſtitutum ſit veritati agnitæ pertinaciſſimè reluctari? Illi certè, qui naturæ tanquam primæ cauſſæ tribuere ſolent omnia, quæ in ea cernuntur diviniſſima, & ex ea imprudentes ſæpè Deum faciunt, tantam ei injuriam facere non debebant. Adde, quòd, ſive noſtram, ſive illorum ſententiam ſpectes, virtute in repub: vigente, neceſſe eſt rempub: quoque ipſam florere. Nam & per ſe virtus ad reipub: quietem & ſalutem maximum adfert momentum, nec prudentia atque induſtria poteſt ab ea ſejungi: divinum præterea auxilium virtuti præſtò eſt. His autem tribus poſitis, ex impiorum autem ſententia, duabus prioribus rebus concurrentibus, ſalva omnino eſt, aut eſſe ſaltem ſolet reſpub:. Itaque ſi religio tam neceſſaria eſt reipub:, ut illa ruente hanc ruere ſit neceſſe; neceſſe eſt virtutem quoque religione niti, ita ut illa ſine hac conſiſtere nequeat. Si enim virtus vigere ſine religione poteſt; poterit, & reſpubl. Et fatentur ſanè illi homines, virtutem ſine religione vigere non poſſe: imò propter hoc ipſum religionem ad reipub: ſalutem tantopere neceſſariam eſſe aſſerunt, quia eadem ad virtutem colendam tantopere ſit neceſſaria; id quod illis etiam tacentibus res ipſa loquitur. Quòd ſi virtus religione nititur, ac ſine ea conſiſtere non poteſt; quî religio omnis falſa eſſe poteſt? Quid enim? num virtus errore adeo nititur, ut eo ruente ſit collapſura? & cujus oculus, cujus moderatrix eſt ipſa prudentia, ridendâ ac pudendâ hominum cæcitate indiget? O miſeram virtutem, quæ, niſi eorum calliditas ac ſimulatio, uel potiùs fraus atque impietas extitiſſet, qui non religionem, ſed ſuperſtitionem excogitarunt, extitura non fuerit, &, ut extitiſſet, conſervari non potuerit! Sed citiùs te virtutis ingenium ignorare, quàm eam errori ac cœcitati, ne dicam fraudi, atque impietati imputandam eſſe, bonis ac cordatis viris probaveris.

Denique nequaquam eſt credibile, cum tot erroribus ac vitiis humanum genus ſit obnoxium, & in ſcopulos propè infinitos impingat, id ſine rectore, qui nulli errori ſit obnoxius, relictum, & tanquam miſeranda quædam turba, in mediis fluctibus, ſine nauclero fortunæ ludibriis expoſitum eſſe. Quò accedit, quòd res quę hominum uſibus ſerviunt, naturę leges accuratiùs ſervent, quàm homines ipſi ſolent; nec ullum brutum tam longè à ſuæ naturæ tramite recedat, quàm homines à ſuæ naturæ præſcripto ob arbitrii libertatem deflectere conſueverunt. Quare incredibile prorſus eſt, non extare aliquem naturæ violatæ vindicem, &
55. malè adminiſtratæ rerum inferiorum procurationis ultorem. Itáne enim impunè homo rebus omnibus ad libidinem ſuam abutetur? & res vitio carentes, illis, qui tot flagitiis ſcatent, ſervire ſine vindice cogentur? Num in id omnis naturæ,

quam

Digitized by Google

quam optimam eſſe cernimus, conatus, omnis ille rerum pulcherrimarum ordo tandem deſinet, ut quàm plurimum ſcelerum ubivis terrarum perpetretur, & homines ſine ullo numinis metu viventes, ipſis etiam brutis, quæ illis miniſtrant, fædiores ac deteſtabiliores evadant? ut denique omnia ſurſum deorſum volvantur, ac cælum propè terræ miſceatur? Id ſane fieri ſublato Deo, qui hominum genus regat, neceſſo eſt. Siquidem & res ipſa docet, & fatentur impii, ſublata omni religione, omnia ſcelenbus repletum iri. Nullius enim non ſceleris mater eſt atheiſmus.

‡ *Quo accedit*] Fruſtra id rejicitur in *arbitrij libertatem*; quæ cum ſit eximium humanæ naturæ privilegium & ornamentum, non poſſet ſtatui tot aberrationum cauſa; Quare id potius rejiciendum in arbitrij *ſervitutem* & corruptionem per peccatum, ex qua ſumus naturâ filij iræ, inepti ad omne bonum & proclives ad omne malum. Si enim arbitrij libertas eſſet cauſa illarum aberrationum, quod ſimilis aleæ, ut placuit nonnullis, nequeat conſtans eſſe in operando, deberent vel eædem aberrationes in cœlo continuare, vel ipſa libertas arbitrij ibi extingui; quorum neutrum dici poteſt.

Quare incredibile] At quam neceſſe eſt credere talem *vindicem* & *ultorem* ſupremum dari, nempe Deum, tam neceſſe eſt agnoſcere ejus juſtitiam vindicativam, juxta quam impunita nequeant ſcelera remanere Rom: 1, 18. 32.

Quanquam & ſuperſtitio crudelis eſſe ſolet, & multis modis impia: quemadmodum ille animadvertet, qui veterum Ethnicorum ſacra (ſi modò ſacra ſunt, quæ ſcelerata atque impia) conſideraverit. Nam haud temerè ullam gentem, ne ex humanioribus quidem, deprehendes ſuperſtitione devinctam, quæ non humanis victimis litârit Diis ſuis, vel, ut nos cenſemus, dæmonibus: quemadmodum viri docti ex veterum monumentis demonſtrant. (*vide Plutarch: lib: de ſuperſtit. ſub ipſum ferè finem.*) Quanta immanitas eorum fuit, qui Saturno aut Molocho liberos ſuos per ignem conſecrare non horruerunt, & in ætatem innocentiſſimam, in chariſſima pignora, in ſua ipſorum viſcera ſævire ſuperſtitione coacti ſunt? Taceo fædiſſimas libidines, aliaque nefanda, quæ ſacrorum prætextu exercere, vel auribus oculisque uſurpare coëgit ſuperſtitio. Ut non mirum ſit, poëtam, qui nullam religionem nôrat, quæ ſuperſtitio non eſſet, vel potiùs ſuperſtitionem religionem eſſe putabat, exclamaſſe: *Tantùm religio potuit ſuadere malorum!* (*vide etiam Lipſij Monita & exempla Pol: lib: 1. c. 2. de Superſtit.*) Jam verò omnis religio, ſi nullus eſt revera Deus, ſuperſtitio erit; & tandem in atheiſmum omninò abibit. Nihil enim fictum perpetuum: quin ne diuturnum quidem eſt, niſi aliquid tamen veri ſubſit quo fulciatur. Ideo omnes, quæ olim univerſum orbem occupaverant, religiones, vel potiùs ſuperſtitiones, deſierunt. Sola Judaica, quia veris nixa eſt fundamentis, etſi multis modis contaminata, hodieque perſtat. Chriſtiana quoque, quę illam pro vera agnoſcit, & ex ea quodammodo enata, pietatem ad ſummum perduxit, per ſummas difficultates elu-

ſtata perſtat; licèt per multa ſecula innumeris propè erroribus fuerit conſpurcata, & tenebris involuta denſiſſimis; perſtitura tam diu, quàm diu mundus hic duraverit.

‡ *Sola Iudaica, quia*]. Hæc diſtinctio Religionis Iudaicæ à Chriſtiana, non eſt uſquequaque legitima; Nam etſi cultu externo & ritibus diſtinguantur, reipſa tamen una ſunt: Nec enim ſalus aliter vel obtingere potuit, vel de facto obtigit piis ſub V. T. quam per Chriſtum, Act: IV, 12. XV, 11. Ac ſicut eum tentaſſe dicuntur rebelles in deſerto 1 Cor: X, 9. ſic etiam ipſe idem fuit heri qui hodie Heb: XIII. 8. unde agnus dicitur *mactatus jam inde à jacto mundi fundamento* Apoc: XIII, 8. Vni illi Hoſanna acclamarunt, & qui præceſſerunt & qui ſequuti ſunt, & verè dictum. Novum Teſtamentum in Veteri fuiſſe velatum, & Vetus in Novo revelatum.

Id ergo demùm perpetuum eſt, quod fictum falſumque non eſt. imò quod penitus
56. fictum, ne diuturnum quidem eſt. Nam quòd & ſuperſtitiones multæ diu durarunt, id eam ob cauſſam factum eſt, primò quia, utut malè conſtitutæ atque extructæ, hoc tamen fundamento fuerunt nixæ, eſſe Deum, eſſe religionem aliquam. Deinde quia nulla fuit ſuperſtitio, præſertim diuturna, quæ non dæmonum aſtu excitatata ſtabilitaque fuerit, vel prodigiis quibuſdam aut oraculis, vel aliis occultioribus fraudibus. Dæmonibus autem poſitis, Deum etiam omnino ponendum eſſe, ſequenti capite docebimus. Itaque ut ſcelerum, ita & ſuperſtitionis in orbe diuturnitas, ſeu mavis perpetuitas, non quidem juſtas ac legitimas, ſed tamen veras quaſdam habet cauſſas. Hujus autem perpetuitas cauſſas haberet nullas, ſi mullum eſſet numen, nullus occultus humani generis rector. Quare ut ad id redeamus, unde profecti ſumus; ſi Deus non foret, omnia tandem in atheiſmum abirent: & hic tandem omnium, quæ in mundo fiunt, finis eſſet, ut ubivis gentium immaniſſima ſcelera impunè exerceantur, & omnis naturæ ordo, qui longè eſt pulcherrimus, in confuſionem ac perturbationem rerum ſummam, omnis bonitas in id quod peſſimum ac deteſtabiliſſimum eſt, exeat. At non exibit, ſi Deus eſt, (ſicuti revera eſt) tum ſcelerum ultor, tum pietatis cuſtos ac remunerator. Ita enim religio, ita pietas, ſtabile nacta fundamentum, perpetuò conſiſtere poterit; & ipſa impietas laudi ac præmio pietatis, quam oppugnat, ſerviet; utraque autem, cùm juſtam referet à ſummo rerum omnium rectore ac judice mercedem, ipſius gloriæ atque honori miniſtrabit. Hoc rerum fine nihil melius, ordine nihil pulchrius, aut rationi convenientius.

‡ *At non exibit*] Vt igitur ex natura ſua Deus eſt *cuſtos Pietatis*, ſic debet ex ſua natura eſſe *ſcelerum ultor*, ita ut ejus juſtitiæ & naturæ per conſequens repugnet ſcelera inulta & impunita relinquere; Ex quo fundamento, quod hic ponit Crellius, & nequicquam infra conatur ſubruere, ſatisfactionis Chriſti neceſſitas luculenter & ſatis evidenter colligitur.

CAP. VI.

Digitized by Google

CAP. VI.

Deum eſſe ex iis oſtenditur rebus, quæ præter naturam ſunt aut fiunt.

‡ *Reſpondente* PHILIPPO JENOTEAU, Sedanenſi.

RElìquum nunc eſt, ut ea videamus divinitatis argumenta, quæ ex illis peti rebus poſſunt, quæ præter naturam exiſtunt aut fiunt. Etſi verò principem inter hæc locum merebantur ea, quę Chriſtianę religionis confirmandę cauſſâ ſunt miraculoſè facta: tamen quia his ibi propriè locus eſt, ubi de veritate Chriſtianę religionis agitur; ideo ea hoc loco à nobis non attingentur. Similiter nec de illis hic quicquam dicturi ſumus, quę ad Moſaicam religionem propriè ſpectant. Alia nunc proferemus in medium. Et illud quidem primùm, quòd ſpiritus ſint aliqui intellectu præditi quibus cum hominibus aliquid ſit commercij, 57.
quique iis aut gratificentur, aut adverſentur, benè aut male faciant. Eos autem intelligimus ſpiritus, quos profani ſcriptores Genios appellant, aut Dæmones; quod poſterius nomen nos ad malos tantùm referre ſolemus. Generalius Angelorum nomen eſt: quamquam ſimpliciter uſurpatum, malis vix tribui ſolet. Hujuſmodi ſpiritus ſi extare docuerimus, facilè intelligetur, Deum eſſe, qui & illis, & hominibus ſummo cum imperio præſit.

‡ *Similiter nec de illis*] Iam antè ſemel monuimus religionis Moſaicæ & Chriſtianæ oppoſitionem non eſſe per omnia legitimam; cum quoad rei ſubſtantiam idem utrobique Chriſtus obtineat, Heb: XIII, 8. Apoc: XIII. 8. Act: XV, 11.

Quod ſpiritus ſint] Abſurdè ſpiritus Angelici annumerantur rebus quæ præter naturam ſunt; cum illi ſint pars aliqua naturæ & univerſi, & rectè philoſophando ac ratiocinando in eorum aliqualem cognitionem deveniamus: Hinc enim noti fuêre veteribus Philoſophis, Platonicis, Pythagoricis, Peripateticis: Et ſicut dantur naturæ ſenſu præditæ nobiſcum, ſed intellectu deſtitutæ, ut bruta, ſic æquum eſt dari naturas nobiſcum præditas intellectu, ſed ſenſu & corpore deſtitutas, ut Angelos: Ac ſicut ſunt naturæ quę ex homine *omnium menſura*, uti dicitur Vitruvio & alijs, habent ſolum eſſe, ut lapides, vel eſſe & vivere, ut plantæ, vel eſſe, vivere & ſentire, ut bruta, ſic æquum eſt dari Spiritus & Angelos, qui nihil ex eo habeant quam eſſe & intelligere.

Malis vix] Imò ſæpiès: Nam in formula ſententiæ condemnatoriæ quæ impiis pronunciabitur à Chriſto Matt: XXV, 41. ac mandabuntur in ignem æternum, qui paratus eſt *Diabolo & Angelis* ejus; & in epiſtola Iudæ 6. fit mentio *Angelorum* qui non conſervarunt ſuam originem; & 2. Pet: II, 4. *Angelorum* qui peccaverunt, & quos ideo detruſit Deus in tartarum. Quamvis enim de illis aliquid ſpeciatim enuncietur, ut quod *peccarint*, quod *ſuam originem* non ſervarint, quod ſint *Angeli diaboli*, non tamen ideo non tribuitur illis nomen hoc ſimpliciter uſurpatum; Licet enim propriè ſit nomen officij, quod ipſis vix competit, tamen naturæ ſpirituali & intelligenti ſignificandæ ſolet in Scripturis adhiberi; Siquidem inter bonos & malos non aliud eſt diſcrimen quam voluntatis, ut inter homines juſtos

Digitized by Google

nes juſtos & peccatores; quod notatum jam olim fuit Authori *Quæſtionum ad Antiochum* inter opera B. Athanaſij, *quæſt.* 8 Et de malis æquè ac de bonis geniis intelligendum eſt quod dicitur de Sadducæis; eos ſtatuere, *nec Angelum nec Spiritum* dari Act: XXIII, 8.

Et ſanè vel nemo, vel vix quiſquam eſt, qui planè perſuaſum habeat, ſpiritus hujusmodi extare, quin ſimul etiam credat, Deum ſeu numen aliquod eſſe. Etenim vel ſpiritus illi ſinguli prorſus ſunt liberi, ac nullius imperio ſubjecti; vel alieno imperio ſubſunt. Si ſinguli ſunt prorſus liberi, (quod tamen à ratione abhorret) cum iidem hominibus occulta quadam ratione benefacere aut malefacere queant; ſinguli etiam Dij quidam erunt. Quòd ſi alieno imperio ſubſunt, æquè, aut etiam multò magis Deum eſſe neceſſe eſt, vel unum, (ut nos credimus, & ratio dictat) vel plures. unum, ſi unius imperio ſummo ſubſint omnes: plures, ſi plurium. Etenim qui ſpiritibus illis ſummo cum imperio præeſt, is non poteſt non eſſe & hominum Deus. Quis enim ejus poteſtatem non agnoſcat, qui ſpiritibus, præſtantiſſimam quandam naturam, humanâ certè longè præſtantiorem, adeptis, ſummo cum imperio præſit; & ijs quidem ſpiritibus, qui occulta quadam ratione hominibus & benè & malè facere poſſint? Quandoquidem neceſſe eſt, ut idem ille hominibus, vel per ſe, vel per ſpiritus ſibi parentes, benefacere, aut malefacere, præter naturæ curſum poſſit. Quis ergo præpotentem hunc dominum ac principem religioſè non putet colendum, &, quacunque ratione poſſit, demerendum?

‡ *Vel nemo*] Si qui enim eò procedant temeritatis ut dubitent de Dei exiſtentia, ferè eſt quod eorum mentes ita materiæ ſint immerſæ, corpore quod corrumpitur animam aggravante, ut nihil incorporeum & immateriale concipere queant: At qui credit Angelos eſſe, ideſt naturas immateriales, intelligentiâ præditas, hunc ſcrupulum eo ipſo ſibi penitus exemit.

Qui ſpiritibus illis ſummo] Agnoſcant igitur hæretici vel ex hoc argumento, æternam divinitatem D. N. Ieſu Chriſti, cujus eſt ſummum in Angelos imperium Ioh: I. 51. Heb: I, 6. 7. Qui enim eum Caput & Monarcham Angelorum eſſe negaverit, quorum etiam conditor eſſe dicitur Col: I, 16. is plenitudinem poteſtatis quâ fruitur, in dubium revocabit.

Sed præterea, ſi ſocietas inter ſpiritus illos eſt aliqua, etiam imperium aliquod ſummum eſſe neceſſe eſt, idque naturâ ſuâ omnium præſtantiſſimum. Etenim ſocietas nulla, præſertim inter multos, ſine imperio conſtare poteſt. Cum autem naturâ ſint præſtantiſſimi; non eſt dubitandum, eo illos imperii genere gubernari, quod naturâ ſuâ omnium eſt præſtantiſſimum. Id verò ſapientum judicio eſt monarchicum. Quòd ſi quis eſt illorum ſpirituum monarcha ſeu ſummus princeps, ſimul & hominum erit Deus, uti paulò antè vidimus. Eſſe autem inter illos ſocietatem neceſſe eſt, niſi dicas, omnes prorſus, non modò malos, ſed & peſſimos eſſe, ac ſibi ipſis infeſtos. Etenim bonus bono, ſi cum

modò

modò noverit, non poteſt non eſſe amicus, & cum eo ſocietatem (niſi fortè loci
diſtantiâ prohibeatur) colere: cum & inter malos aliqua ſit ſocietas, nempe 58.
quia ne mali quidem, ſi conſulere ſibi velint, omnibus bonitatis partibus carere
poſſunt. Sed incredibile prorſus eſt, ſpiritus illos omnes eſſe malos, nedum
ita, ut ſibi ipſis quoque infeſti cenſeri debeant. Quòd ſi enim homines, qui ad
peccandum adeò ſunt naturâ proni, utpote quos innatus corpori terreno ſenſus &
appetitus, tot illecebris, veluti catenis injectis, ad vitia trahit, non omnes tamen
ſunt mali, nedum peſſimi, ac ſibi ipſis infeſti: quis id de ſpiritibus credat,
longè præſtantiorem humanâ naturam adeptis, & à terreni corporis contagione
ſejunctis?

‡ *Non omnes tamen*] Politicè quidem & comparatè id dari poteſt, at Theologicè & abſolutè eſt falſiſſimum, cum teſtibus Davide Pſal: XIV, 5. LIII, 3. & Paulo Rom: III, 12. *omnes deflexerint, & ſimul inutiles facti ſint, nec ſit quæ faciat quod bonum eſt, non uſque ad unum.* Sed tamen illa malitia Theologica non aufert homini quod propium eſt, ut videlicet ſit animal ſociale & politicum. Porrò cum agnoſcit Author homines *naturâ* pronos eſſe ad peccandum, & *veluti catenis injectis ad vitia trahi*, debet vel Chriſtianam doctrinam de originali peccato admittere ac conſentire Paulo Eph: II, 3. vel illam pronitatem noſtram ad malè agendum Deo authori *naturæ* adſcribere, quod pluſquam Manichæum foret. Imò illa pronitas ad peccandum, illæ quaſi catenæ, quibus homo trahitur ad vitia, ſatis oſtendunt quam nunc non ei conſtet illa quam paſſim deprædicat hæreticus, liberi arbitrij *ἰσῤῥόπια* & indifferentia ad oppoſita.

Adde, quòd, ſi omnes eſſent mali, ac multò magis, ſi omnes peſſimi, nullus in humano genere virtuti locus eſſet, niſi aliquem illis omnibus potentiorem ponas, qui eorum potentiam coërceat, & tum virtutis, tum eorum, qui virtutem colunt, ſit cuſtos; qui ſi extat, Deus eſt. Etenim mali eos, cum quibus aliquid eſt ipſis negotii, vel ſuis moribus obſequi ac favere volunt, vel extinctos ac perditos cupiunt; idque tantò magis, quantò ſunt ipſi pejores. Habere autem ſpiritus illos cum hominibus aliquid commercii, poſtea intelligetur. Itaque ſi mali forent omnes; omnes homines vitiis ac ſceleribus favere cuperent; &, qui obſequi cupiditati ipſorum nollent, eos vellent perditos; ac porrò, niſi aliquis eos coërceret potentior, bonos omnes protinus perderent atque extinguerent. Quomodo enim homines ſpiritibus, quos cernere non poſſunt, obſiſterent? quomodo eorum inſidias evitarent? præſertim cum neceſſe ſit, eos, qui præſtantiorem præ hominibus naturam adepti ſint, vires etiam ac facultates habere humanis majores. Itaque ſi hujuſmodi extant ſpiritus, ſive boni ſint, ſive mali, (quemadmodum quidem nos eorum alios bonos, alios malos eſſe credimus) Deum eſſe neceſſe eſt.

Id ergo ſupereſt, ut doceamus, extare ſpiritus, quibus cum hominibus aliquid ſit commercii. Hîc ſi ſolâ veterum ſapientum auctoritate pugnare vellemus,

mus, quibus homines à religione alieni non parùm alioqui tribuere ſolent, *quovis dato judice*, ut graviſſimus auctor Plutarchus ait, (*De Oraculorum defectu*) *evinceretur, teſtibus productis ſapientibus atque antiquis, naturas eſſe quaſdam, veluti in confinio Deorum* (ſic enim ipſe ſentit) *atque hominum interpoſitas, motibus, quibus mortalia afficiuntur, mutationibusquè obnoxias neceſſariis, quos Genios majorum inſtituto vocari rectum ſit.* Sed nos experimenta potiùs illa in medium afferemus, quæ veteres etiam paganos induxerunt, ut Genios eſſe crederent. Et Plato quidem, cujus
59. univerſa ſchola Genios conſtanter aſſeruit, documentum eorum ſat evidens habuit in præceptore ſuo Socrate. De illius enim dæmonio, tum ipſe, tum Xenophon, qui eodem vixit ævo, tum Plutarchus ſcribit; & hujus quidem poſtremi libellus extat integer, qui de Socratis Genio aut Dæmone inſcribitur. Narrat autem Xenophon (*ſub initium lib: 1. Memorab: Socratis*) Socratem multis ex familiaribus atque amicis prædixiſſe, hæc quidem facienda eſſe, illa omittenda, tanquam à Genio antè ſignificata; & illis, qui paruerint, id profuiſſe; qui non paruerint, obfuiſſe. Ut autem iſta Socrates confingeret, id ab ejus moribus alieniſſimum fuiſſe, tum Xenophon, tum Plutarchus ſatis oſtendit, præſertim quia fieri non potuiſſet, quin eventus vanitatem ejus ſæpè proderet, ſi illa, quæ amicis prædixit, humani ingenii aciem fugientia, à dæmone ipſi revera ſuggeſta non fuiſſent, ſed ab ipſómet excogitata. Habuerunt præterea priſci illi homines complura, & omnium oculis expoſita Geniorum documenta in oraculis, quæ non uno in loco per non pauca ſecula conſtanter fuerunt edita: de quibus, cur hinc inde deſierint reddi libellum integrum conſcripſit Plutarchus. Fieri autem nulla ratione poteſt, ut humanis illa omnia artibus perficerentur: cùm tot, tam aſtuti ex omnibus locis ac regionibus ad oracula illa conſulenda confluerent homines: qui non potuiſſent non facillimè fraudem humanam, in tanta rerum ac negotiorum à conſultoribus propoſitorum varietate deprehendere. præſertim cùm non deeſſent, qui ea omnino de cauſſa accederent, ut fidem oraculorum explorarent. Itaque non potuiſſent oracula illa diu ſuam tueri famam atque auctoritatem; nedum per tot ſecula. Nunquam certè ita deſipuit univerſus orbis, quin aliquid, in graviſſimi licet erroris conſtantia, ſeu mavis pertinacia, ſequeretur veri. Quare licet fraus oraculis ſubeſſet, maximè ſi eorum ſcopum ſpectes, (is enim ſuperſtitio erat atque impietas) fraudem tamen ab eo ingenio, quod ſupra humanæ mentis aciem eſſet, proficiſci ac foveri fuit neceſſe. Neceſſe, inquam, omnino fuit, ut multa oraculorum ope patefierent, ad quæ nullius hominis acumen poſſet pertingere. Dignus autem fuit orbis impius, & in Deum auctorem ſuum, & patrem benigniſſimum ingratus, ut dæmonum fraudibus ac inſidiis permitteretur. Oraculis & prodigia illa ſunt addenda, quæ ab hiſtoricis veteribus, cæteroqui minimè vanis aut credulis, ita conſtanter narrantur, ut ipſósmet illis crediddiſſe ſatis appareat. Certum quidem eſt, conficta fuiſſe pluri-

ma:

Digitized by Google

ma: ſed niſi aliqua fuiſſent vera, hoc eſt, talia, quæ nec ipſius naturæ viribus,
nec humana arte poſſunt perfici, tanta illis fides, etiam à prudentiſſimis viris, 60.
non fuiſſet adhibita. At nunc, quia vera quædam extiterunt, inclinatis jam per
illa ad ſuperſtitionem animis, etiam ficta fidem apud uulgus, quædam etiam apud
cordatos invenerunt. Denique manifeſtè id ipſum, quod aſſerimus, docent
artes magicæ, pythonicæ, necromanticæ, & aliæ ſimiles, quæ non niſi ope
malorum quorundam geniorum perfici poſſunt. Earum autem exempla omnis
ætas, omnis regio tulit; adeo ut, ſi quis eas negare vellet, eum omnium ſeculorum hiſtoriis fidem abrogare, & multiplicem noſtrorum temporum experientiam in dubium vocare foret neceſſe. Scripſerunt hac de re varij, ijque doctiſſimi viri, & multis exemplis oſtenderunt, eas artes non ſine manifeſto effectu exerceri conſueviſſe. (*vide inter alios Andream Cæſalpinum Inveſtig: Dæmon: Peripat. Ioh: Bodinum Dæmonomaniâ, Martinum Delrium Diſquiſit: Magic. Ioh: VVierum de Præſtig: Dæmonum.*) Quin & regiones ſunt nonnullæ, nobis ſat vicinæ, in quibus hujuſmodi artes admodum ſunt vulgares. Neque verò refert, quòd de quibuſdam harum artium effectis, inter ipſos viros doctos, qui de illis ſcripſerunt, diſputatur. Nam primùm de multis alijs nulla eſt inter eos controverſia: ut de rerum occultarum patefactione, de ſpectris, de ſenſuum aut phantaſiæ deluſione, omnem naturalium rerum vim excedente. Ea verò vel ſola nobis ad id quod volumus, probandum ſufficerent. De quorum autem effectuum generibus inter illos certatur, de ijs non tam quæritur, utrùm prorſus ficta ſint, quàm an talia revera ſint, qualia vel ab ipſis ſagis ac veneficis perhibentur, vel vulgò eſſe creduntur. Alij enim ea reipſa fieri à Dæmone contendunt; alij phantaſiam tantùm aut ſenſus ita cenſent ab eo deludi, ut id fieri putent homines, quod revera non fiat. Sed deinde ij, qui nonnulla eorum fieri poſſe negant, quæ à ſagis atque alijs conſtanter aſſeruntur, ab experientia nonnunquam nimis receſſerunt, rationes nimirum fallaces ſequuti, ut ab alijs poſtea fuit oſtenſum. Quanquam ut de prodigijs, quæ à profanis ſcriptoribus narrantur, antea diximus, multa nimirum fuiſſe conficta, ſed nihilominus pro veris habita, propter alia non ficta: ita & de magicarum artium effectis cenſemus. Itaque nec propterea, quòd multa vera ſint, omnibus fides eſt adhibenda: nec quia multa falſa, omnibus fides eſt deneganda. Quòd ſi nihil eſſet aliud, quo ea probaremus; ſufficere nobis deberent ea, quæ his ipſis annis in media Germania, locis ſat notis, & Epiſcopatuum nomine claris (*Herbipoli ſeu VVürtzburgi & Bambergæ.*) geſta fuerunt. Siquidem & publicis ſcriptis, & ipſa famæ conſtantiâ confirmatur, repertum illic ingentem eorum, qui cum Dæmone conſpiraverint, multitudinem: eamque peſtem per omnium ordinum atque ætatum homines adeò graſſatam eſſe, ut 61.
ne pueritia quidem à tam nefando ſcelere fuerit immunis. Vana quidem ea eſſe mallemus: ſed quia nimis certa eſt impietas, ſaltem hoc commodum vel invita

præſtet:

præſtet pietati, ut Deum eſſe demonſtret, qui bonos contra tantos dæmonum aſtus ac crudelitatem defendat. Neque vero refert, quòd in ijs, quæ de magis ac veneficis hinc inde referuntur, quædam addantur, quæ ſuperſtitionem redoleant, quaſi nimirum dæmones hæc aut illa reformident, quæ nullam adverſum eos vim habere liquet. Nam neque nos nihil prorſus his narrationibus falſi admiſceri dicimus. Ecquæ verò hiſtoria, præter ſacram, adeo felix unquam fuit, ut nulla ei erroris labes aſpergeretur? Certe ſi hujusmodi ab hiſtoricis fidem requiſiveris, omnem omnibus profanis hiſtoriis fidem abrogabis. Quis unquam ita rem exactè novit, præſertim quam oculis non uſurpárit, vel auribus præſens hauſerit, ut non alicubi laberetur? Deinde non modò incredibile non eſt, ſed plùs quàm credibile, Dæmonem ita aſtutè ſuum agere negotium, ut etiamſi tandem magicæ artis impietas extinguatur; animi tamen hominum ſuperſtitione aut impietate alia teneantur, in eaque confirmentur. Itaque conſentaneum eſt, eum interdum fingere, illa ſibi valde eſſe formidanda, quæ minimè ſunt, quæque ipſe cupit animis hominum penitùs inſixa, & ſuis conſiliis cernit aptiſſima. Nulla ergo cauſſa eſt, cur ea, quæ omnium temporum exemplis, omnium populorum teſtimonio, & hujus ipſius ætatis experientiâ comprobantur, in dubium vocentur. Quòd ſi quis paulò curioſiùs in exempla voluerit inquirere, vereor ne nimis multa ſit reperturus. Siquidem nobis nihil tale quærentibus, ab hominibus minimè vanis ea ſunt narrata, quæ dubitationi nullum locum reliquêre. Ab aliis, quòd tam diu, tamque manifeſtè inimicam magicæ artis vim experti fuerint, ut in eo falli nullo modo potuerint. Ab aliis, quòd ea oculis ſuis uſurpaverint, quæ humana tantùm arte præſtari à magis nullo modo potuerunt. Ab aliis, quod errore aliquando implicati, ea ſortilegij genera, quæ ſanctioribus in ſpeciem verborum formulis perficerentur, cum certiſſimo effectu non ſemel exercuerint. Neque verò eſt, quòd quis objiciat, impios quoſdam homines magicas artes tentaſſe, earum tamen vim experiri non potuiſſe. Siquidem earum vis omnis, partim à malorum ſpirituum, partim à Dei pendet arbitrio, qui ſpiritus illos nunc cohibet atque impedit, nunc habenas illis laxat. Itaque non eſt neceſſe, ut ſpiritus illi ſemper cupiditati hominum velint obſequi;
62. & nonnunquam ſui compendii cauſſâ poſſunt illis operam ſuam negare, qui eam maximè requirunt. Arbitrium enim ad neceſſitatis legem cogi non poteſt. Lex neceſſitatis eſt, ut res eodem ſemper modo fiat. Arbitrium etiam iiſdem cauſſis poſitis, aliter atque aliter agere ſæpè poteſt: multò magis cùm diverſæ ſunt cauſſæ.

‡ *Poſſunt illis operam ſuam negare*] Igitur hìc ſua quærunt impuri iſti Spiritus compendia, & alias habent cauſas negandi, alias concedendi, quæ homines nequam ab illis expetunt; ut nequidem eorum reſpectu hic iterum ventilanda veniret, quam ubique hæretici ſollicitè nimis inculcant, liberi arbitrij doctrina.

Arbitrium

Digitized by Google

Arbitrium enim] Avidè captat iſte homo occaſionem quamlibet ſui arbitrij aſſerendi, quô jure, quâ injuriâ; Sed eodem ſucceſſu; quia non diſtinguit inter neceſſitatem & coactionem; cum hæc demum reluctetur libertati arbitrij, non item illa; Siquidem cum libero arbitrio poſſit multiplex neceſſitas conciliari, non ſolum *officij* præſtandi, ſed etiam *conſequentiæ* & *infallibilitatis* reſpectu Conſiliorum primi agentis, nempe Dei, quæ etiam per cauſas libere agentes, ſuum eventum infallibilem conſequuntur Act: IV, 27. 28. nec non *moralis conſtitutionis* ſive *ſervitutis* alterutrius, vel *peccati ad mortem* vel *obedientiæ ad juſtitiam*, juxta ipſiuſmet Pauli diſtributionem Rom VI, 16. Nam arbitrium in juſtitia fixum quale Chriſti & beatorum Angelorum, non poteſt non ſemper bené agere, ut viceverſâ arbitrium peccato mancipatum, nihil niſi malè agere poteſt Matt: VII, 18. Hinc de Satana dicitur quod *quotieſcunque loquitur mendacium de ſuo loquitur* Ioh: VIII, 44. ut ſit illi proprium inſeparabile, mentiri & malè agere: Et notum eſt, finem ultimum *neceſſariò* appeti; quæ neceſſitas non tollit libertatem & ſpontaneitatem voluntatis in hac ſua ultimi finis appetitione & volitione.

Lex neceſſitatis] Id verum eſt tam de neceſſitate *naturali* ex intrinſeca rei esſentia, quam de *morali* ex adventitia agentis conſtitutione: Ex hac enim arbitrium fixum, vel in bono, vel in malo, ſemper eodem modo agit, ſaltem genericè, vel bené, vel malé: utrobique tamen ſponté ac liberè, citra ullam coactionem, ſive actus ſit ſpecificandus, libertate *contrarietatis*, ſive duntaxat exercendus, libertate *contradictionis*: Nam eadem libertate quâ vult hoc agere præ illo, iſtud vult præ illo negligere & omittere. Sed id demum eſt diſcriminis inter neceſſitatem naturalem & moralem, quod neceſſitas naturæ eſſentiam rei conſequitur, & illam determinat ad unum duntaxat oppoſitorum, ut ignem ad urendum, nunquam ad refrigerandum; Neceſſitas verò moralis, poteſt à ſubjecto removeri, & adventitia eſt: Nam homo peccato mancipatus & ſic ad malé agendum neceſſitate morali determinatus, poteſt ab illa ſervitute Dei gratia ita liberari ut ex ſervo peccati, fiat ſervus juſtitiæ. Deinde adventitia hæc moralis neceſſitas benè vel malè agendi, accedens arbitrio creato, non ei adimit intrinſecam facultatem ad oppoſitum, ſepoſitâ ſcilicet illa neceſſitate adventitiâ, vel illâ non poſitâ. Quare licet non inſit creato arbitrio *poteſtas ſimultatis*, ad agendum & non agendum ſimul, ei tamen radicaliter ineſt quædam *ſimultas poteſtatis*, ut Scholaſtici loquuntur, cum ſit facultas è qua non repugnet actus elici diverſos ab iis qui hic & nunc, talibus cauſis poſitis, neceſſariò eliciuntur. Ita beati in cœlo, neceſſariò amant Deum clarè viſum, nec poſſunt eum non amare. Non repugnat tamen voluntatis naturæ, ut eliciat actus odij Divini, non quidem in illo ſtatu, ſed illâ clarâ viſione ſepoſitâ, aut ipſis non indultâ; quandoquidem ex eadem ſpecie facultate & voluntate ex qua eliciuntur necesſariò inter beatos actus amoris Dei intenſiſſimi, contrarij plané actus manant inter damnatos.

Arbitrium etiam] Sed primò poſitis omnibus cauſis prærequiſitis ad hoc agendum, ideſt tum Dei decreto & concurſu, tum judicio ultimo rationis practicæ dictantis hîc & nunc ita agendum, non poteſt non agere. Deinde Thomiſtæ concedunt quod hic aſſeritur, *in ſenſu diviſo*, ſed negant admittendum in *ſenſu compoſito*; Sic ut remaneat intrinſeca facultas ad oppoſitum, etiam cum poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum, hoc neceſſariò agit, quia illis ſepoſitis aut ceſſantibus, ad oppoſitum determinari poſſet. Ita ſanè Angelus beatus, poſitâ Dei viſione & confirmatione in ſtatu gloriæ, non poteſt non obedire Deo: Habet tamen eam facultatem & voluntatem, ex qua posſent elici actus tranſgreſſionis & peccati, ſepoſitâ illa confirmatione Divina, ut evenit in iis qui

Digitized by Google

qui defecerunt. Tertiò quamvis ad ſimiles occaſiones externas aliter & aliter agere poſſit cauſa libera, tamen non ſunt planè & omninò eædem cauſæ formaliter loquendo; quia non pari loco eas habet arbitrium, cùm ad illas non vult agere, ac antea illas habuerat, cum illis poſitis ageret: Id videre eſt in Terentiano Chremete dicente, *Non ita licet hominem eſſe ſæpè, ita ut vult, ſi res non ſinit; Nunc ita tempus eſt mihi ut cupiam filiam, olim nihil minus.* Adeo ſæpè circa rem eandem *Alia tempora alios mores deſiderant.*

Sed deinde, utut dæmones gratificari hominum impiorum voluntati cupiant; non ſemper tamen id in ipſorum eſt poteſtate, Deo illos cohibente: vel quia nolit homines impios deſideriis ſuis potiri, & in ſummis ſceleribus veluti exultare; vel quia aliis fortè hac ratione noceri nolit. Quanquam & aliæ poſſunt eſſe hujus rei cauſſæ, nobis ſæpè occultæ. Quòd ſi enim homines hominum conſilia eorumque rationes non ſemper cernimus; quid mirum, Dei ſapientiſſimi conſilia, eorùmve cauſſas nos ſæpè ignorare? Regum conſilia, quorum tamen actiones omnium ferè oculis obſervantur, divinare ſæpè difficile eſt; & ſolent eſſe aliqua imperiorum ſecreta, non cuivis obvia. Quid ergo de ſummi regis conſiliis ſtatuemus, cujus ſapientia tanta eſt, ut noſtra illius vix gutta ſit?

Hucuſque primum vidimus divinitatis argumentum, ex illis ductum rebus, quæ præter naturam ſunt aut fiunt. Addamus alia, & quidem, ut apud impios etiam fidem faciliùs inveniant, ab ejuſdem notæ hominibus obſervata, & literis prodita. Eorum autem duo potiſſimùm apud Machiavellum reperias; cujus qui fuerit in religione ſenſus, jam ſuprà diximus, & ex his ipſis, quæ afferemus, prudentibus facilè conſtabit. Prius eſt, quòd integro capite probat, (*Diſput: lib: 1. cap: 56.*) *Magnos motus prædici ſolere, cùm in urbibus, tum in provinciis: idque ſignis quibuſdam, aut hominum præſagiis denunciari.* & rem hanc tractare incipiens, *ut cauſam*, inquit, *facilè confitebor me ignorare: ita rem ipſam cùm ex antiquis tum novis exemplis agnoſcere oportet, & confiteri, omnes magnos motus, quicunque aut urbi alicui aut regioni evenerunt, vel à conjectoribus, vel à revelatione aliqua, prodigiis aut cœleſtibus ſignis prædici ac prænunciari ſolere.* quod poſtea exemplis quibuſdam oſtendit, quorum plurima adducere ſe poſſe aſſerit. (*vid: etiam Exempla & Monita Polit: I. Lipſii lib. 1. c. 5. Mon: 5.*) Simul autem ſatis apertè demonſtrat, & nullum ſe revera Deum agnoſcere; & tamen quòd non agnoſcat, excuſationem ſe habere nullam. Nam ſi Deum aliquem agnoviſſet, cur cauſſam harum rerum ignorare ſe diceret? cur non protinus cogitaret, à Deo, qui humani generis curam gerat, futuros motus prodigiis ac ſignis cœleſtibus ſignificari? Cur poſtea, ignorantiam cauſſarum, unde iſta proficiſcantur, iterum confeſſus ſcriberet: *niſi fortè cum Philoſo-*
63. *phis quibuſdam pronunciandum cenſeamus aërem plenum ſpiritibus & intelligentiis eſſe, quæ futuras res prævidentes, & caſibus humanis condolentes, eas hominibus per hujuſmodi ſigna prænuncient, ut ſe adverſus eas tempeſtivè præparare & communire queant.* Cur adeo luxſitanter de ſpiritibus illis loquitur? aut cur ſigna illa non potiùs ad numen aliquod

quod vel rectà, vel ſaltem tanquam ad primum fontem retulit, ſi aliquod agnovit? Agnoſcere autem vel his ipſis indiciis admonitus debebat. Nam etiamſi tandem ad ſpiritus in aëre degentes hæc referas; (id quod illi homini, ut apparet, inter cætera viſum eſt maximè probabile:) nihilominus tamen Deum eſſe confitendum erit, ut à nobis eſt paulò antè oſtenſum. Certè ſi ſpiritus illi prævidere caſus futuros, licet adhuc occultos, poſſunt, & hominum vicem dolent, ac prodigia ſignaque cœleſtia, ut illos moneant, queunt excitare; dubium non eſt, quin & multis aliis modis eoſdem juvare poſſint, ſi velint. Siquidem ad homines juvandos ſæpiſſimè nec plus ſcientiæ, nec plus facultatis ac virium requiritur, quàm ad prodigia illa patranda, quibus futuri motus ſignificentur. Itaque vel ipſi Dij quidam erunt, ſi nulli alij parent domino ac principi; vel, ſi hoc abſurdum eſt, ut ſanè eſt, confitendum erit, aliquem eſſe illorum principem ac rectorem, qui ſimul & humani generis ſit Deus.

Sed erunt fortaſſe, qui ab aſtris tum motus illos populorum, tum eorum præſagia proficiſci dicent: quemadmodum & tempeſtates, & earum ſigna ſoleant ab iis proficiſci. At ſi ita ſe res habet, neceſſe erit aſtris ſcelerata hominum facta ac conſilia, ex quibus motus plerique ortum ducunt, & ſine quibus non conſtant, vel cognita eſſe, antequam fiant; vel ipſiſmet tanquam cauſſis efficientibus adſcribi. quorum prius ſi dixeris; ex aſtris Deos facies, ut antè de ſpiritibus diximus, niſi aliud numen ſuperius agnoſcas. Quî enim dij non erunt, qui & facta hominum cernunt, & futuros caſus, ipſiſmet hominibus adhuc incognitos prævideant, & eoſdem antè ſignificent, & denique promoveant, ſi nullius imperio ſubſint? Itaque nihil reſtabit aliud, quàm ut cum antiquis barbaris, hominibus ſuperſtitioſiſſimis, aſtra adores. Quid autem ſtultius, quàm aſtra adorare, ac pro Diis colere, quæ neceſſitatis lege ſaluti animantium, atque hominum uſibus miniſtrant? Si poſterius; & innocentiſſima aſtra, atque in ſalutem humani generis data, atrociſſimi criminis, ſummique in homines maleficij accuſabis; & ſimul omnia hominum ſcelera, tanquam aſtrorum lege atque efficaciâ perpetrata, excuſabis; omnem legum, omnem præceptorum atque admonitionum vim enervabis; omne pœnarum ac præmiorum meritum tolles. Quorſum enim iſta, ſi aſtrorum arbitrio omnia humana gubernantur, & eorum vi, quæ immutabilis eſt, etiam flagitia deſignantur? Quanquam quî fieri poteſt ut aſtra homines adigant ad ea facta, quæ, ſi illis credimus qui aſtris omnia imputant, ſeveriſſimè prohibere, damnare, vindicare jubent? Etenim ſi omnia humana aſtrorum vi gubernantur ac perficiuntur; etiam leges ſapientiſſimorum virorum illis erunt adſcribendæ, quibus flagitia pœnis graviſſimis propoſitis vetantur; atque adeo ipſa lex Moſaica, & ſanctiſſima Chriſti diſciplina; quemadmodum ſanè nonnulli ſatis audacter faciunt Similiter & cruciatus conſcientiæ, ſcelera ſua damnantis, & ſupplicia magiſtratuum, quibus ea

plectuntur, aſtris erunt tribuenda. Quî ergo ſibi ipſis ita adverſantur, ut ad illa homines adigant, quæ graviſſimè interdicunt? quî ea perpetrare jubent, quæ ſeveriſſimè damnant, ac diriſſimis ſuppliciis ulciſcuntur? Adde, quòd hæc ipſa, quam nunc defendimus, ſententia, hominum propè omnium mentibus impreſſa, eſſe nimirum Deum, qui religioſé ſit colendus, ad ſiderum vim erit referenda. Quòd ſi ergo quiſpiam ad aſtra res humanas omnes ita referat, ut interim Deum eſſe neget; is ab ipſiſmet aſtris refutabitur, quæ omnibus generatim terrarum populis illam de Deo ac religione ſententiam impreſſerint. Quòd ſi nihilominus ſuam ſententiam veram, noſtram falſam eſſe contenderit; videat ſanè, ne ſeipſum ad mendacium tum credendum, tum pertinaciter defendendum ab aſtris factum eſſe, hac oratione imprudens doceat. An enim credibile eſt, ab aſtris maximam potiùs generis humani partem, adde ſimul optimum quemque & virtutis ſtudioſiſſimum, ad mendacium, quàm paucos aliquos factos eſſe? Certè ſi ea ſpectemus aſtrorum effecta, quæ ſenſibus omnium ſunt manifeſta, cernimus, ea hominibus generatim omnibus eſſe ſalutaria. Quî ergo fieri poteſt, ut ad mendacium in re maximi momenti, ad ſuperſtitionem, genus humanum propè univerſum finxerint atque adegerint, & adhuc adigant?

‡ *Si poſterius & innocentiſſima*] Equidem certum eſt hæc inferiora non eſſe ſimpliciter & abſoluté ſubjicienda aſtrorum influentijs & regimini Planetarum; Nam corporea virtus nihil directè & per ſe poteſt in principes hominum facultates, intellectum & voluntatem; & cum careant aſtra intellectu & ratione, nequeunt res ſublunares ad ſuos certos fines dirigere & ordinare. Sed ſi valet ratio authoris ad extorquendum aſtris clavum rerum humanarum, quod eo illis conceſſo, in ipſa recidat omnium noſtrorum criminum culpa, perinde valebit ad negandum, illos *populorum motus* & *eorum præſagia* Providentiæ Divinæ moderationi & diſpenſationi ſubeſſe.

Hominum propé omnium] Benè eſt quod inſitam omnium mentibus Dei notitiam agnoſcat; quam negari à Socino ſuo loco monuimus: Sed illa vocula *propé*, hîc non debuiſſet interſeri, cum hæc impreſſio utpote naturalis, ſit ſimpliciter omnium, etiamſi in quibuſdam populis efferatis minùs appareat, & nonnulli impij eam premere & ſuffocare ſtudeant. Non ideo omnibus à natura id non erat impreſſum, parentes esſe colendos, etſi non defuerint ab ævo plurimi, qui ejus officij obliti, parricidæ extiterunt.

Quòd ſi quis dixerit, aſtra non niſi per accidens excitare motus ac tumultus; quatenus nimirum vis illorum incidat in animos ad eam rem veluti præparatos, & materiem quandam turbarum in rebus humanis inveniat; jam ad illa ſignorum iſtorum cauſa per ſe referri nullo modo poterit; ſed omnino neceſſe erit, unam aut plures eſſe cauſſas intelligentiâ præditas, quæ vel ipſæmet ad motus incitent
65. homines vel cauſſas illorum motuum prævideant, & quid ſecuturum ſit, ſignificent. Nam aliàs quo pacto cupiditas v.g. bello regionem aliquam petendi, in hominum animis enata, efficere poteſt, ut in illa regione imagines exercituum

armis

armis inter ſe concurrentium, in aëre appareant; aut ut vox alicubi exaudiatur humanâ major, id ipſum, quod futurum eſt, prænuncians? aut quo pacto cauſſæ illæ, quæ mortem principi alicui adferunt, ſive ipſius naturæ imbecillitas, ſive caſus aliquis, ſive intemperantia, ſive incuria, ſive inſidiæ, efficere poſſunt, ut cœleſti igni ædificij alicujus pars tangatur, quæ interitum ejus principis ſignificet? Talia autem ſunt ſigna illa, quorum exemplo Machiavellus ſuam aſſertionem confirmat; quibus plurima in hiſtoriis leguntur ſimilia. Unde idem ille homo ad nullam ex cauſſis naturalibus ſignorum illorum originem retulit: ſed id rationi maximè conſentaneum putavit, ut, ſi ſpiritus aliqui ſint in aëre degentes, ad eos ſignorum iſtorum cauſſa referatur. Vidit nempe, cauſſam hic requiri mente præditam, hominibus ipſis & ſapientiorem, cùm occultas rerum futurarum cauſſas ſagaciſſimè prævideat; & potentiorem, cùm meteora etiam præter communem naturæ curſum moderari, & ad ſenſa ſua hominibus ſignificanda uſurpare queat. At poſitâ tali cauſſâ, ſive unâ, ſive pluribus, Deum neceſſariò ponendum eſſe, ex ſuperioribus ſatis conſtat. Quominus verò eum homo ille, cæteroquin acutus, agnoſceret, duo videntur obſtitiſſe; probitatis defectus, & manifeſti illarum, quas in terris vigere tunc vidit, religionum errores; quin & eorum, quibus minimè omnium conveniebat, impietas, quam ipſemet ex parte ſuis ſcriptis notavit.

‡ Sed jam tempus eſt, ut poſterius afferamus ex ejuſdem hominis ſcriptis divinitatis argumentum. Id autem eſt, quòd integro itidem capite probat, *Fortunam* (ſic enim ille loquitur) *hominum animis tenebras offundere, ne vim ſuam ingruentem reſtingant.* & rem ipſam exorſus ait, *multa accidere ex fato ita urgente, ut iis obviam ire nemo poſſit, quamvis in promptu remedia fuerint.* id quod exemplo luculentiſſimo docet cladis illius, quam populus Romanus olim accepit, urbe à Gallis captâ. Oſtendit enim, omnia fato quodam ita contigiſſe, ut nec evitari tanta clades poſſet, nec tamen Romano populo exitium afferret, ſed eum potiùs cautiorem ac prudentiorem in poſterum redderet, & ad tantam imperij molem ſtruendam veluti præpararet. Addit tandem: *facilè appariturum hiſtorias omnis generis percurrenti, homines fati neceſſitatem evitare non poſſe: ſed faciliorem eventum iis, quæ ab eo impendent, efficere, eumque promovere.* Et ſanè videmus, de fatali neceſſitate, cui 66.
res actionesque humanæ ſint ſubjectæ, apud varios auctores, hiſtoricos, philoſophos, oratores, ac poëtas, multas extare ſententias, quarum non paucas Politici quidam ſcriptores collegerunt, & exemplis illuſtrârunt. (*vid: I. Lipſium Polit: lib: 1. c. 4. & notas ad illud. itemque Monita & exempla Polit: lib: 1. c. 5. inprimis Mon: 3.*) Ex iis autem ſatis apparet, vim quandam eſſe humanâ majorem, quâ hominum actiones atque eventus gubernentur; nec eam brutam, aut conſilio deſtitutam; ſed quæ aptiſſimis mediis ad finem certum tum collimet, tum res perducat. id quod non niſi illius eſt, quod conſilio agit.

‡ *De fatali neceſſitate*] Atqui nihil eſt quod magis velint Sociniani ex orbe ſublatum, quam inevitabilem ex effato ac decreto Divino rerum conſecutionem, ut etiam *miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod* tamen *contra ejus ſit voluntatem*, inquit Auguſtinus *Enchir. cap.* 100. Et revera illis contingit quod de Cicerone monet idem Auguſtinus *lib.* 5. *de Civit. Dei cap.* 9. eum videlicet homines *dum vult facere liberos*, facere *ſacrilegos*. Si ea ſit neceſſitatis omnis & arbitrij pugna, quam jam antea ſapiuſculè finxit Author, tollat igitur è medio hanc ipſam fatalem neceſſitatem, ex qua nunc benè argumentatur, & juxta quam, ut habet Cicero, & ex illo Lipſius hic citatus *lib.* 1. *Pol. cap.* 4. *ab omni æternitate omnia fataliter deſtinata ſunt*; idque à Deo, *ex quo* (inquit *ibid.* Seneca) *ſuſpenſa ſunt omnia, à quo ſunt omnes cauſæ cauſarum.* Siquidem, *Fata regunt orbem certâ ſtant omnia lege.*

Itaque fruſtra illi ſunt, qui ad aſtra hæc referunt; niſi fortè aſtra putant conſilio eſſe prædita, &, cum tantam in univerſa hominum vita gubernanda vim habeant, eorundem eſſe rectores, atque adeò Deos. id quod nemo non falſum eſſe cernit: & vel hoc ſolo refutatur, quòd aſtra hominum utilitati naturæ lege ſerviant: homines aſtris haudquaquam. Reſtat ergo, ut alius ſit occultior generis humani rector, qui ea, quæ fato creduntur accidere, vel ipſemet efficiat, vel cauſſas earum rerum efficientes partim non impediat, partim etiam gubernet, & ad finem ſeſe dignum dirigat. Et profectò ſi quis res humanas, & maximè ſuas actiones, ac, qui eas conſequuntur, eventus diligenter obſervare velit; nec pauca, nec obſcura deprehendet divinæ Providentiæ, & gubernationis cæteroquin occultæ argumenta. Ea certè nec nobis hæc ſcribentibus defuerunt, pro quibus divino numini gratias meritò & agimus, & porrò acturi ſumus. Sed nimirum multi, vel quid ſecum aut cum aliis fiat, non multò conſiderant magis, quam bruta: multi rerum tantùm initia intuentur; finem, ad quem divina providentia, lentè quidem atque occultè, ſed ſatis tamen efficaciter res ducit, non ſpectant: vel ad apertas tantùm rerum cauſſas, prima ſtatim fronte ſeſe oſtendentes, reſpiciunt; occultiores, quæ cum tempore demum pateſiunt, non attendunt.

‡ *Quod aſtra hominum*] Frigida ratio; nam & Deus ex intrinſeca ſua bonitate nobis prodeſt, nec quicquam illi boni adferimus; Verum ſufficienter probatur ea non eſſe Deos, quod naturæ ſint corporeæ & viſibilis, ſenſu careant & intellectu, ſuperioris alicujus poteſtatis imperio & nutui ſubſint, & vir ſapiens ſit dominaturus aſtris.

Partim non impediat] At quod Deus in tempore non impedit, ſed gubernat & ad finem ſeſe dignum dirigit, id ipſum ſic permittere & gubernare decrevit ab æterno; ut per conſequens licet fiat liberè à Creaturis, neceſſitatem tamen aliquam hypotheticam futuritionis certæ & infallibilitatis eventus habeat.

Sed dicet hic aliquis: ſi eſt aliquis ſupremus humani generis rector, & quidem, ut ſtatuitur, omnipotens, omniſcius, optimus; qui fit, quòd vel nunquam ſeſe conſpicien-

Digitized by Google

conſpiciendum mortalibus præbet, vel ſaltem tam evidenter ſeſe demonſtrat exiſtere, ut nullus planè ſit de eo dubitandi locus? quî fit, quòd ſcelera, quæ in orbe paſſim deſignantur, fieri permittit, & quidem, ut videtur, impunè? cur non ſtatim fulmine ſuo petit impios, & ad tartara mittit? cur bonos ſæpè opprimi à malis, optimos à peſſimis ſinit? cur hos florere opibus, circumfluere omni voluptatum genere patitur, illis cum anguſtia rerum, cum variis difficultatibus ac doloribus propè perpetuò conflictantibus, & ſpiritum ægrè trahentibus? 67.
Cui quidem, ſi Deum non agnoſcat, longè rectiùs objeceris, cur is naturam, optimam alioqui parentem, tam faciat iniquam, ut præſtantiſſimam ſuam ſobolem, ac felicitate digniſſimam, homines intelligo virtuti penitus deditos, ad cruciatus ac miſeriam producat; cum eorum dolores ac calamitates, quas totâ ferè vitâ, & ipſius quidem virtutis cauſſâ, ſubeunt, & in quibus ipſam ſæpè vitam finiunt, nullo compenſare præmio poſſit? Si enim poſſet, Deus foret. At Deus, quem nos agnoſcimus, compenſare poteſt. Qui enim naturæ auctor eſt, cur non poſſit etiam præter aut ſupra naturam aliquid facere? cur putes, cum ita vim ſuam omnem in naturam effudiſſe, ut nihil ſibi reſervârit ampliùs? Sed quisquis tandem illa objecerit, is nondum ſatis religionis, hoc eſt, pietatis ac virtutis ingenium novit; non ſatis novit ingenium fidei, quâ religio nititur. Hujus enim vis ibi demum revera cernitur, ubi cauſſæ quidem ſunt credendi ſufficientes, non tamen ejusmodi, quin dubitare, ſi pertinaciam aut improbitatem veritati opponere velis, poſſis. Nam ea demum vera religio eſt, quæ liberè ſuſcipitur; non quæ cogitur, & ab invito quodammodo extorquetur. Ratione certâ niti debet ideò, ut ſimul & prudens ſit, & ſtabilis; ſed tamen non eâ, quę etiam improbum atque à virtute averſum cogat.

‡ *Hujus enim vis*] Imò licet ſemper ex parte rei plusquam ſufficientes ſint cauſæ veram religionem admittendi, illæ tamen non ſemper operantur ex parte noſtri, nec prius quam Deus affectuum & errorum noſtrorum lemas dempſerit, ac juxta Davidis votum Pſal: CXIX, 18. *retexerit oculos* noſtros, ut intueantur *mirabilia legis* ſuæ: Et cum homo *animalis* nec percipiat nec percipere poſſit *ea quæ ſunt ſpiritus Dei* 1 Cor: II, 14. nihil aliud quam dubitare poteſt de religionis divinæ myſteriis, & nativam *pertinaciam* ac *improbitatem* veritati opponere, donec fiat θεοδίδακτος, & per Spiritum veritatis, in omnem veritatem deducatur.

Ratione certa] Sed tamen alterius cenſus & fori quam eſt ratio noſtra humana corrupta & depravata. *Quoniam*, inquit Paulus Rom: VIII, 7. *quod ſapit caro, inimicitia eſt adverſus Deum; Legi enim Dei non ſubjicitur, nam ne poteſt quidem.*

Sed tamen non eâ] Eâ tamen, quæ ipſum ab improbitate & vitio ad virtutem traducere valeat, aut ſaltem eum convincere illique os obthurare, ſi non perſuaderi poſſit; ut nec poterit abſque ſingulari illuminatione Divina, quæ ex ſolius Dei beneplacito ſuſpenditur Matt: XI, 25. 26.

Quare nec ſeſe mortalium oculis conſpiciendum debet præbere Deus, cujus etiam majeſtatem ferre non poſſent; nec adeò manifeſtè ſe toti hominum generi

Digitized by Google

patefacere, ut de eo ne improbiſſimi quidem homines dubitare ampliùs poſſint‡ nec porrò impietatem apertis ſuppliciis perpetuò perſequi, pietatem autem manifeſtis ſemper remunerari præmiis. Nam & hoc tam apertum foret divinitatis argumentum, ut de ea dubitationem omnem penitus tolleret. Itaque dum vitiis nullum relinqueret locum; virtutis, quæ in difficultate potiſſimum cernitur, materiam ſimul tolleret. Quæ cauſſa etiam eſt inter alias, cur & malos toleret Deus, non homines tantùm, ſed & dæmones; & bonos viros ab illis opprimi ſinat, ut horum virtus ampliorem, in quo ſe exerceat, campum habeat; & magno certamine parta victoria, triumpho tantò dignior evadat: & denique tum in præmio reddendo Dei illuſtretur bonitas; tum in ſuppliciis impietati infligendis ſeveritas; in utriſque juſtitia.

‡ *Quare nec ſeſe*] Imò repugnat Deum videri oculis corporeis Ioh: I, 18. 1 Tim: VI, 16. Vera itaque hæc eſt ratio cur ſe videndum non exhibeat, quia ſi esſet viſibilis, eo ipſo nec Deus esſet. Aliàs œconomicæ illius apparitiones, non labefactarunt fidem eorum quibus contigerunt, ſed eam potiùs confirmarunt.

Nec adeo manifeſtè] Imò ſupra ſtatuebat author omnium mentibus inſculptam esſe hanc perſuaſionem, quod Deus ſit; ac inviſibilia Dei, manifeſté in ejus operibus conſpici, & ſufficienter ad eorum inexcuſabilitatem docet Apoſtolus Rom: I, 19.20. *quoniam* (inquit) *quod de Deo cognoſci poteſt manifeſtum eſt in ipſis.*

Nam & hoc tam] Quaſi vero Deus nonniſi obſcuré & diminuté velit ſeſe luminibus noſtris inferre, quò ſemper remaneat de illius divinitate aliqua dubitatio: Hæc ſané ſi non penitùs tollitur, fit hominum vitio & cœcitate, non lucis defectu ex parte Dei; Quod Harpaſte Senecæ derepentè excœcata, nihil videret, non fiebat feneſtrarum vitio, quas clauſas perpetuò esſe, mente capta quiritabatur, ſed oculorum ſuorum morbo. Et cum multa videantur quotidie ſcelera puniri; multa benè facta ſuam ſortiri remunerationem, id juſtitiæ Divinæ luculenter comprobandæ ſufficit, ut nec immeritó dixerit Apoſtolus Rom: I, 18. 21. *Patere iram Dei è cælo adverſus omnem impietatem & injuſtitiam hominum, ut qui veritatem injuſtè detineant, & quùm Deum norint, tamen ut Deum non glorificaverint.* Quod vero id non *perpetuó* fiat, ut impietas aperta ſupplicia hic conſequatur, aut pietas manifeſta præmia, rejiciendum in ipſiuſmet Dei ſapientiſſimum conſilium, quod fœliciter exprimit Auguſtinus *lib. 1. de Civit. Dei, cap. 8. Oſtendit Deus ſæpè* (inquit) *in his diſtribuendis evidentiùs operationem ſuam: Nam ſi nunc omne peccatum manifeſtâ plecteretur pœnâ nihil ultimo judicio reſervari putaretur; Rurſus ſi nullum peccatum nunc puniret apertè divinitas, nulla eſſe providentia divina crederetur. Similiter in rebus ſecundis ſi non eas Deus quibuſdam petentibus evidentisſima largitate concederet, non ad Deum iſta pertinere diceremus; Itemque ſi omnibus eas petentibus daret, nonniſi propter talia præmia ſerviendum illi esſe arbitraremur, nec pios nos faceret talis ſervitus, ſed potius cupidos & avaros.* Itaque in illa quarundam pœnarum & remunerationum dilatione, ſeipſum manifeſtare potius quàm occultare Deus cenſendus eſt.

Itaque dum vitiis] Fateor quod nonniſi permittente Deo tam latè exundent vitia, & infœlix lolium ac ſteriles dominentur avenæ: Fateor quoque virtuti bonorum exercendæ, malorum vitia per accidens inſervire, ut cum Lacones, volebant ſuos filios ſobrietatem ex Ilotarum ſuorum ebrietate diſcere; Nec tot mala fierent niſi Deus *fineret*, ut loquitur Auguſtinus *Enchir. cap. 100. Nec utique nolens ſinit ſed volens; Nec ſineret bonum fieri malè, niſi omnipotens etiam*

de malo

Digitized by Google

de malo facere poſſet benè? Interea quamvis virtus in hoc ſtatu imperfectionis, dici poſſit *in difficultate potiſſimum* cerni, attamen illa difficultas non eſt ſimpliciter de illius eſſentia: Angeli beati citra talem difficultatem, promptiſſimè Deo obſequuntur; unde & alati atque pennati nobis deſcribuntur in Scripturis: fuiſſet & locus ſuus virtuti ac pietati in ſtatu integritatis & primævæ innocentiæ, etſi citra omnem difficultatem exercendæ.

Sed quia hujus rei explicatio ad tractationem de providentia divina propriè pertinet; ideò ea de re plura hîc non dicemus, Dicentur alibi in hoc opere, ubi de providentia divina ex profeſſo agetur, (*vid: inf: lib: 2. cap. 7.*) & illud quidem
nominatim explicabitur, cur bonis in hac vita malè, malis benè eſſe videatur. 68.
Quòd ſi quis profanum ſcriptorem legere malit, is vel Plutarchi libellum adeat, quem de iis ſcripſit, qui ſerò à numine puniuntur. Inveniet enim ibi multas eaſque graviſſimas cauſſas ab eo explicatas, cur malis aut parcat, aut parcere videatur Deus. Quòd ſi illis hanc unam addideris, conſtitutum eſſe à Deo diem, quo univerſum orbem juſtè ſit judicaturus, & cuilibet ſecundùm opera ipſius redditurus mercedem; omnis illius objectionis vis penitus evaneſcet. Hujus autem rei veritas nobis eſt demonſtrata, reſuſcitato è mortuis Jeſu, quem Deus vivorum ac mortuorum judicem conſtituit. quod ipſum ſolidis argumentis, tum alibi eſt à noſtris fuſiùs demonſtratum, tum infrà breviter oſtendetur, ubi de ſacrarum literarum auctoritate agetur; qua pro conceſſa nunc ſumta, ad alia cum Deo bono pergamus.

‡ *Quod ſi illis hanc unam*] Atqui ſanè hæc palmaria eſt, in qua tuto poſſimus acquieſcere: Quamvis autem ejus veritas, nobis conſtet quoque ex reſurrectione Chriſti, cui Pater dedit omne judicium, tamen dubium non eſt quin illa reſurrectio alios quoque uſus maximos habeat, quos colligere eſt ex Rom: IV, 25.

CAP. VII.

De Nominibus Dei.

‡ *Reſpondente* JOHANNE SCHLICHTINGIO, Friſio-Orientali.

UT igitur ad cæterorum explicationem veniamus, quæ de Deo nobis ſunt cognoſcenda; utile eſt à Nominibus ipſius, quibus in ſacris literis inſignitur, incipere. Hæc enim ad cognitionem attributorum ejus aliquid nobis adferent adjumenti: quanquam & ab his viciſſim ea lucem accipient. Nomina autem Dei illa intelligimus, quæ ſubſtantiva Grammaticis dicuntur, vel ſaltem hujuſmodi nominum ingenium, cùm de Deo uſurpantur, perpetuò imitantur. Itaque nomina adjectiva ab hac tractatione removemus. Hæc enim non tam ipſum Deum, quàm ejus adjuncta, imò ſi formam eorum ſpectes, non niſi hæc denotant: licèt interdum ad ipſum Deum ſignificandum adhibeantur, ut *altiſſimus*, (*Pſal: 18. 14. 21. 8. Luc: 1. 32, 35, 76.*) ut *potens*. (*ibid: v. 49.*)

Digitized by Google

‡ *Adjectiva*] Hæc diſtinctio neceſſaria, obeſt ipſi adverſario; Nam infra videbimus nomen *El*, quod quandoque adjectivé ſumitur (præſertim in plurali) de creaturis, ſubſtantivé ſumptum ſignificare ſupremum Numen, vel quod revera tale ſit, vel quod pro tali habeatur.

Hæc enim] At cum nihil ſit in Deo quod Deus non ſit, ob ejus ſimpliciſſimam naturam, fruſtra diſtinguuntur Dei adjuncta ab ipſo Deo: Quare nomina adjectiva quæ de Deo dicuntur in concreto, ut quod ſit bonus, verus, juſtus, etiam ſubſtantivé & in abſtracto ipſi conveniunt; eſt enim ipſiſſima bonitas, veritas, juſtitia, &c.

De ſimplicibus autem nominibus nos loqui, omnes animadvertunt, non de iis, quæ periphraſi quadam Deum deſcribunt. cujusmodi ſunt illa, *is, qui eſt, & qui erat, & qui venturus* ſeu *futurus eſt*, (*Apoc:1. 4,8.*) *is, qui in cælis habitat*, (*Pſal.1.4.*) *is, cujus nomen ſanctum eſt*, (*Luc: 1. 49.*) & alia complura, quæ divina volumina legenti paſſim occurrunt. Horum enim, uti & adjectivorum nominum explicatio, tum nimis prolixa foret, tum ad tractationem potiùs attributorum effectorumque divinorum ſpectat.

‡ *Cujuſmodi ſunt illa*] At hoc nomen in Apocalypſi, ita eſt periphraſticum, ut correſpondeat nomini ſimplici *Iehova*, quemadmodum Exod:III,14. dicitur ὁ ὢν ab interpretibus Alexandrinis, qui vulgò LXX. appellantur: Quò ſpectat illa Templi Delphici ἐπιγραφὴ EI, de qua Plutarchus tractatum egregium conſcripſit.

Cùm verò ſacræ literæ univerſæ Hebræâ Græcâque linguâ contineantur; omnia illa, de quibus agimus, Dei nomina, vel Hebræa, vel Græca eſſe neceſſe eſt.

69. Et Hebræa quidem ad quatuor potiſſimùm referri poſſe videntur. Eorum primum eſto (*Gen:14. 18. & ſeqq: & alibi paſſim.*) *El*; ſecundum (*Iob:3. 4: 4. 9, 17. Pſal:114.7. Hab:3. 3.*) *Eloah*, & ejus plurale, quod longè uſitatius eſt, (*Gen:1.1. & d. & alibi paſſim.*) *Elohim*; tertium (*Pſal:14.7.*) *Adon*, &, quod itidem longè frequentiùs de Deo uſurpatur, ejus plurale compoſitum (*Exod: 4. 10. Pſal: 2. 4: 22.31, (al.32:) 35.17: 37.13: 38.10: 39.8. & alibi ſæpè.*) *Adonai*; quartum (*Gen: 2. 4,5,6, & d. & alibi paſſim.*) *Ieheveh* ſeu *Iihveh*, tetragrammatum à literarum apud Hebræos numero appellatum, quod vulgò pronunciant *Iehova*; & eadem, ut appparet, vox contracta (*Exod:15.2. Pſal:68.5.*) *Iah*. Addere his licebit quintum (*Ruth:1.20,21. Iob: 5. 17. & alibi ſæpè. Pſal:68. 15.*) *Schaddai*, quod etſi naturâ ſuâ adjectivum eſſe videtur, & attributum quoddam divinum per ſe denotat: tamen in ſacris literis plerumque, præſertim extra Moſis libros, ſubſtantivi loco ponitur, & Deum ipſum, de quo ſolo effertur, deſignat.

‡ *Iehova*] Id ita pronunciari debere liquet ex ordinaria ejus punctuatione; Ac ſicut *Iah* contractum, ſecundum ſua puncta vocalia legitur ac effertur, ita etiam *Iehova* integrum, prout ea exigunt, legendum & pronunciandum eſt.

Græca nomina, quibus Deus uſitatè appellatur, duo ſunt, θεὸς & κύριος, Latinis

tinis *Deus* & *Dominus*: pro quo poſteriori interdum ponitur δεσπότης ſeu *herus*. Iſtorum autem duorum nominum Græcorum, prius quidem, tum in ſacris litteris N. Fœderis, tum apud Græcos Veteris T. interpretes, omnium frequentiſſimè poni ſolet pro primis duobus Dei apud Hebræos nominibus, *El* & *Eloah* vel *Elohim*: poſterius pro duobus reliquis ex illis quatuor, puta *Adonai* & *Iehova* ſeu *Iah*: licèt veram & nativam hujus poſterioris ſignificationem non exprimat, ut in ſequentibus patebit.

‡ *Poſterius*] Quapropter eo quod Chriſtus ſæpiſſimè in N. T. hoc nomine κύριε inſignitur, illi etiam ſub eo applicatis iis quæ in V. F. de *Iehova* dicebantur, debet vel inde ejus æterna divinitas in vado apud omnes Chriſtianos conſtitui.

Nunc enim de ſingulis vocibus agemus, eo in plæriſque ordine uſi, ut primò propriam cujuſque ſignificationem inveſtigemus, alicubi etiam de aliis vocum affectionibus, ſi quid notatu dignum occurrat, moneamus: deinde verò, ſi præter Deum ſummum aliis quoque tribui conſtet, quo pacto ad eum inſignitè denotandum adhibeantur, oſtendamus. ſi quid erit præter hæc, quod in hac aut illa voce conſiderandum ſit, id in cujuſque tractatione monebitur. Omnibus autem explicatis, de uſu hujus doctrinæ nonnihil adjiciemus. quod etiam in cæteris, & multò quidem magis, ſumus facturi.

CAP. VIII.

De Nomine El.

‡ *Reſpondente* ALEXANDRO TILICKINGIÓ, *Groningano*.

QUod ergo ad vocem *El*, quam primo loco collocavimus, attinet, in eo plærique viri docti & Hebrææ linguæ periti conſentiunt, eam robuſtum, fortem, potentem propriè denotare. Id enim nomen ipſam etiam vim aut facultatem aliquid præſtandi ſignificare, (*Deut:28.32. Neh:5.5. Prov:3.27.*) aliquoties deprehenditur. Hinc & à Græcis Veteris Teſtamenti interpretibus ſat multis in locis, (*vide inter alia Neh:1.5: 9.31,32. Iob:22.13: 33.29: 34.31: 36.22,26.*) ubi de Deo uſurpatur, vertitur ἰσχυρὸς, id eſt, *robuſtus*, *validus*; licèt, ut paulò antè monuimus, omnium frequentiſſimè ab ijſdem reddatur Θεὸς, *Deus*; nonnunquam etiam κύριος, *Dominus*, præſertim apud Jobum. (*Iob:8.3,5,13,20: 9.2: 12.6: 13.7: 15.4,13,25. & alibi.*) 70.

‡ *Robuſtus*] At ſupra author pollicebatur ſe nonniſi nomina ſubſtantiva expoſiturum: Ergo etſi adjectivam videatur hoc nomen habere indolem, quod ſemper Iunius arbitratus eſt, unde *fortem* illud reddidit, præfixo alio charactere nomine *Dei*, tamen cum Deo tribuitur, neceſſe eſt ſubſtantivum genium induat, & ſic aliter Deo conveniat, aliter Creaturis, quibus nonniſi adjectivé tribuitur.

Digitized by Google

Hinc & viri fortes, aut potentes hoc nomine appellantur: (*Pſal:29. 1. Ezech: 17. 13: 31. 11: 32. 21. adde & Exod: 15. 15.*) licèt interdum alia adhuc vox addatur, quæ itidem fortitudinem, robur, aut potentiam ſignificet, ad rem tantò magis augendam. Sic *fortes robuſtorum* apud Ezechielem: (*d. l. Ezech:32.21.*) ubi vetus interpres Latinus habet *potentiſſimi robuſtorum*, hoc eſt, per Hebraiſmum, heroës aut duces potentiſſimi, validiſſimi, aut fortiſſimi. Sic Chriſtus dicitur vocandus *Deus fortis* apud Eſaiam (*Eſa:9. 6.*) ubi eædem ſunt voces, quæ apud Ezech. loco dicto extant: quas alii reddunt, *heros fortis*; alii à ſe invicem divellunt, & pro duabus diverſis appellationibus reputant. & Vatablus quidem, vir Hebraicarum literarum peritiſſimus, Chriſtum ob miracula ibi Deum appellandum eſſe notat, ſeu ob potentiam naturæ limites excedentem, cui & poteſtas divina adjuncta fuit.

‡ *Hinc viri*] Locus ex Pſal: XXIX, 1. id non ſatis probat: Nam multi reddunt בני אלים *Bene Elim*, in accuſativo, *Filios arietum*; ut Pagninus, & Vulgatus interpres: Et in caſu nominandi *Filij fortium* poſſunt dici, qui aliàs *Filij Deorum* ſive *Magiſtratuum* ac *Principum* appellantur, ut Pſal: LXXXIX, 7. Ezech: XVII, 13. אלי הארץ *Ele haarets* in plurali dicuntur principes illius terræ; Græcé ἡγεμένοι; Sed nomen videtur adjectivé ſumendum, per ellipſim familiarem Hebræis, ut *fortes* ſive *potentes*, ſupple *viri*, *terræ* intelligantur. Ejuſdem prophetæ cap. XXXI, 11. dicit Deus ſe tradidiſſe populum ſuum ביד אל גוים *Bejad El Goim*, *in manu Dei fortis gentium*; ſive quod Gentes etiam ſuas victorias adſcriberent ſuis Numinibus, ſive quod Nebucadnetzar & quiſque regum Babyloniorum pro Deo & Numine vulgò coleretur: Quanquam ibi videntur Græci legiſſe אלים *Elim* in plurali; reddiderunt enim παρέδωκα αὐτὸν εἰς χεῖρας ἀρχόντων ἐθνῶν, prout ἄρχοντες μοαβιτῶν iiſdem dicuntur Exod: XV, 15. qui Moſi אילי מואב *Ele Moab, robuſti*, vel *fortes*, aut *principes Moabitarum* appellantur. Ita Ezech: XXXII, 21. אלי גבורים *Ele Gibborim*, γιγάντες dicuntur Græcis, Iunio *Duces Potentium*. Nec tamen inde eripitur nobis argumentum pro Chriſti divinitate deſumptum ex Eſ: IX, 6. ubi dicitur vocandus אל גבור *El Gibbor*; Nam 1. nullâ neceſſitate poſterius, nempe *Gibbor*, adjunctum prioris ſtatuitur; cum agnoſcat adverſarius non deeſſe qui hæc duo, pro duabus diverſis appellationibus reputent, ut factum à Vulgato interprete: Sic enim Chriſtus & *El* appellatur, ideſt *Deus*, & *Gibbor*, ideſt, *vir fortis*, ut eum θεάνθρωπον fore ita ſignificetur. 2. Etſi illud nomen in plurali quandoque ſumatur appellativé pro viris fortiſſimis & robuſtiſſimis ut Exod: XV, 15. Ezech: XXXII, 11. imo & Iobi XLI, 17. ubi de Leviathane ſive balæna dicitur quod *ab excellentia ejus timeant fortes*, ideſt apud Græcos interpretes, θηρία τετράποδα, tamen in ſingulari ſemper verum & ſupremum Numen denotat, vel quod ſaltem pro tali habeatur. 3. Si illud *Gibbor* adjectivé ſumatur, ut à pleriſque interpretibus, eo minus poterit conferri cùm loco Ezechielis XXXII, 21. ubi *Gibborim* ſubſtantivé dicuntur & *Ele* adjectivé: Nec aliam habet ſignificationem vox אלים *Elim*, ſi quando abſoluté ponitur; quia ſubeſt ellipſis & ſupplendum eſt nomen *virorum*. 4. Saltem omnes interpretes conveniunt nomen *El* ibi Chriſto tribui ſubſtantivè, eo modo quo cœli & terræ conditor ſæpè eodem nomine appellatur: Qui vero illas duas voces reddiderit *Heros fortis*, nemo hactenus extitit,

extitit, quem ſaltem viderim: ipſi vero Vatablo *El*, *Deus* eſt, & *Gibbor*, *heros fortis*. Quin ideo obſervat Chriſtum vocari *Deum*, *ob miracula*, *fortem ob calamitates quas fert*; quia miraculorum patratio ex inſita & propria virtute, Divinitatis ipſius luculentum fuit argumentum. Nec poteſt non eſſe naturâ Deus, cui, ut hic Adverſarius agnoſcit, *potentia naturæ limites excedens* non ſecundum quid, ſed abſoluté, & *poteſtas divina* conveniat.

Ex his autem apparet, hoc nomen, cum naturâ ſuâ commune ſit, ſeu, ut Grammatici vocant, appellativum, κατ' ἐξοχὴν, hoc eſt, per excellentiam ſumtum, ad Deum ſummum denotandum fuiſſe adhibitum, & ſic inſtar nominis proprii uſurpatum. nempe quia Deus non modò eos omnes, qui aliquid virium aut potentiæ habent, virtute ac robore ſupereminet: ſed etiam quicquid in illis eſt roboris, quicquid potentiæ, id totum iis eſt largitus; cum ipſe à nemine quicquam acceperit. Itaque meritò apud Danielem (*Dan:11. 36.*) appellatur *El Elim*, *Deus Deorum*, quaſi dicas, Deorum robuſtiſſimum ac potentiſſimum, eoſque omnes virtute ac potentiâ ſuâ complectentem. & Moſes in cantico ſuo, (*Exod:15.11.*) ſummam Dei potentiam, cujus ingentia documenta & ipſe & univerſus populus oculis uſurpârat, deprædicans exclamat; *Quis ſicut tu in Diis*, ſeu *fortibus*, *Domine?* quod ita extulit Pſaltes, (*Pſal:89. 7.*) *Quis in cælo æquabitur Domino?* [*quis*, *inquam*,] *ſimilis eſt Domino in filiis Deorum?* Utrobique pro *Diis* Hebraicè eſt *Elim*.

‡ *Ex his autem*] Imò ex Scripturæ uſu apparet, hoc nomen aliquando ſumi adjectivé, aliquando ſubſtantivé: Priori ſenſu, in plurali potiſſimum promiſcuę eſt ſignificationis. Sed poſteriori & maximé in ſingulari, ſemper notat ſupremum Numen, ideſt quod tale fuerit vel revera vel putativé; ut bené dicat Author, quod *inſtar nominis proprij* hoc reſpectu uſurpetur. Nec aliter Deus dicitur Danieli *El Elim* quam quomodo appellatur Pſal: L, 1. *El Elohim*; cui videlicet ſubſint vel ipſa falſa Numina Gentium, quique robore ac potentiâ ſuperet omnes qui pro Diis coluntur & habentur. Neque debent pro iiſdem haberi locus Exod: XV, 11. ubi Deus confertur cum aliarum Gentium Numinibus, cum ultima pericopa Pſal: LXXXIX, 7. ubi comparatio inſtituitur Dei, primùm quidem ad falſa Numina, & deinde ad Magiſtratus & *fortiſſimos virorum*.

CAP. IX.

De Nomine Eloah.

‡ *Reſpondente* JOHANNE NICLENIO, Exœcio-Omlando.

QUod ad ſecundum attinet nomen *Eloah*, & ejus plurale *Elohim*, quod illo multò frequentiùs reperiri diximus; cenſent rerum Hebraicarum peritiores, id propriè Judicis ac Vindicis habere ſignificationem, & poteſtatis atque imperij eſſe nomen: quanquam illius potiſſimùm eſt, quod naturæ limites ſupergreditur, & illis, qui ei ſe ſubjiciunt, eſt ſalutare. Obſervârunt ex iis nonnulli, 71.

Digitized by Google

doctiſſimum Hebræorum (*R. David Kimchi.*) ad illa Davidis verba, *Deus juſtitiæ meæ*, (*Pſal:4.1.*) ubi extat vox *Elohim*, annotaſſe: *Omne Elohim ſignificationem Iudicis habere*: ita ut *Deus juſtitiæ* alicujus, ſit judex ac vindex juſtitiæ, vindex juſtæ, quam quis habeat, cauſſæ.

‡ *Quanquam illum*] At cum tale revera ſit imperium Chriſti Servatoris, illi ergo *potiſſimùm* hoc nomen *Elohim* competit; quod ſtatui non poteſt, niſi Patri conſubſtantialis ſtatuatur.

Omne Elohim] Ita quidem vulgo qui ſtatuunt id nominis derivari ab אלה, *Ala*, quod Hebraicé ſonat, *juravit, pejeravit*; Arabicé vero *coluit, adoravit*; ut ex Erpenio notat Tarnovius *contra Socin. cap. 6. pag. 780.* Interea tamen ut iſtud eſt incertum, ita certum eſt non ſemper illam vocem habere *ſignificationem judicis*; cùm Angelis ſæpiùs tribuatur, non utique propter judiciariam poteſtatem (etenim ipſi Sancti *Angelos* judicabunt, teſte Paulo 1 Cor: VI, 3.) ſed propter naturæ excellentiam, vires & dignitatem.

Et hinc eſt, quòd judices aliique principes, qui ſanè omnes judicandi poteſtatem habent, *Elohim* ſeu Dii in ſac: litteris appellantur: (*Exod:21,6: 22,8,9,21. Pſal:82. 1,6. Ioh: 10. 34,35. 1 Sam: 28,13,14.*) & cui in alterum poteſtas quædam ſublimis eſt, *Elohim* ſeu Deus ipſius eſſe dicatur, ut Moſes Pharaonis; (*Exod:7.1.*) & Deus ſummus, (*Gen:24.3,7.*) *Elohim cœli, & Elohim terræ*, ob ſummam, non in ipſum tantum cœlum & terram, ſed etiam in omnia, quæ illorum amplexu continentur, poteſtatem. quo ſenſu alibi *Dominus cœli & terræ* appellatur. (*Gen: 14. 19,32. Matth:11.25. Act:17.24.*)

‡ *Quod judices*] Ita quidem indefinité in plurali & in communi; nunquam vero aliquis eorum determinaté & in ſingulari; quod ut notandum contra Pontificem Romanum, qui ſe patitur in ſingulari appellari *Dominum Deum noſtrum*, & *ſupremum in terris Numen*, ita plurimùm inſervit vindicandæ ſummæ Divinitati D. N. Ieſu Chriſti, quoties hoc nomine *Elohim* appellatur.

Vt Moſes] Non aliter id dicitur de Moſe ad Pharaonem, quam Exod:IV,16. de eodem ad Aaronem: *Vt ipſe ſit tibi vice oris*, vel, ut habet Pagninus, *pro ore, tu vero ſis ei vice Dei*; Vt enim Moſes fuit Aaroni *Lelohim*, *pro Deo*, quod Dei nomine eum edoceret de dicendis, ideſt ipſi exponeret Dei voluntatem & juſſa, ita fuit datus *Elohim* Pharaoni, ideſt, ut Vatablus explicat, *vice Dei*, qui videlicet Dei nomine, authoritate & verbis Pharaonem compellaret, ſed potiſſimum *ore* & miniſterio Aaronis, quem Deus illi addiderat ut *Prophetam* & interpretem: Quare non erat quod Chaldæus id redderet, *Poſui te in principem Pharaonis*, cum hic non tam Moſi tribuatur abſoluté quod ſit Pharaonis *Deus*, quam quod ſit illum Dei nomine & authoritate, operâ & linguâ Aaronis ipſo diſertioris, compellaturus. Et cum omnes pij & zelotæ debeant aſſentiri Iohanni Fileſaco, Docto Sorboniſtæ, *de Idol. Pol. cap. 1.* ægerrimé ferenti Imperatores Chriſtianos olim *Divinitatis* & *Numinis* appellationem ſibi arrogaſſe, ut cum Theodoſius & Valentinianus *lege. 3. Cod. de ſumma Trinit. noſtram divinitatem* dixêre, & *noſtrum numen*, Honorius ac Theodoſius *lege. 8. C. de ſacroſ. Eccl.* quis putet Moſem, virum modeſtiſſimum & ſanctiſſimum, ſeipſum conſtituiſſe Deum vel Aaronis vel Pharaonis?

Quam-

Digitized by Google

Quamquam enim ideo interdum quiſpiam alicujus Deus eſſe dicitur, vel quia ſingularis ipſius ſit benefactor, vel quia ab eo colatur, ut in explicatione nominis θεοῦ dicetur: (*inf:c.13.*) in illis tamen locis poteſtatis habetur ratio, quæ hoc nomine præcipuè ſignificatur. Non deſunt tamen, qui id nominis, perinde ut *El*, virium ac potentiæ ſignificationem habere cenſeant. Nos prius illud verius exiſtimamus: ita tamen, ut haud negemus, id robur etiam ac vires interdum deſignare, & ſic vim obtinere vocis *El*: quemadmodum viceverſa *El*, nonnunquam vim habere videtur nominis *Elohim*, & principatum atque imperium denotare. Græci ſane interpretes *Elim* nonnunquam ἄρχοντες (*Exod: 15.15. Ezech: 31.11.*) aut ἡγούμενοι (*Ezech:17.12.*) reddiderunt. Accidere id videtur ob rerum, quæ iis nominibus propriè deſignantur, conjunctionem quandam. Vires enim imperio adſunt; & tantò quidem majores, quantò ipſum eſt majus. Unde & δυνάσται dicuntur, qui poteſtate atque imperio pollent: quin & illi, qui præcipui ſunt imperiorum alienorum adminiſtri. Contrà etiam viribus, ſaltem iis, quæ naturalium rerum vim excedunt, aliqua adhæret poteſtas ſublimior.

‡ *Quanquam enim*] Sed de eo videbimus ſuo loco.

Non deſunt] Imò Kabbaliſticè אלהים *Elohim*, dicuntur quod אל הם *El hem*, *Deus illi* ſint; & י *Iod* per modum myſterij expreſſum eſt in זכור בוראיך *Zecor Boreeka*, *Recordare Creatorum tuorum* Eccleſ: XII, 1. ideſt *Creatoris tui* אלהים *Elohim*, quia *El hem*, *Deus illi ſunt*, nempe Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Nec tamen velimus has obſervationes Kabbaliſticas, pro demonſtrationibus apodicticis haberi.

Utramque autem ob cauſſam angeli *Elohim*, (*Pſal: 8.6. confer Heb: 2.7. Pſal: 97. 7. conf. Heb:1.6.*) ſeu Dii in ſacris literis vocari videntur. Nam & *fortes* ſunt *robore*, ut eſt in Pſalmo: (*Pſal:103.20.*) & occultioris illius, ac naturæ limites excedentis regiminis, quo res humanas gubernat Deus, dignitate proximi ſunt ac præcipui adminiſtri. qua in re quædam etiam eorum poteſtas cernitur, de qua nunc non eſt fuſiùs dicendi locus.

‡ *Utramque*] Imò nuſquam reperiet adverſarius in Scripturis *Elohim* vocari præcipuos Reip. ſub aliquo Monarcha adminiſtros, ut appellantur כהנים *Cohanim*, ideſt *Sacerdotes*: Quare *Elohim* dicuntur Angeli non tam ob communicatam ipſis aliquam poteſtatem à Deo in adminiſtratione rerum univerſi, quam propter abſolutam eorum fortitudinem & excellentiam.

Hæc autem omnia eò à nobis dicuntur, ut & vis nominis *Elohim* tantò meliùs appareat, & id vocabulum ſuâ quidem naturâ commune ſeu appellativum eſſe in- 72.
telligatur: ſed, quemadmodum de priori Dei appellatione diximus, κατ᾽ ἐξοχὴν ſumtum, Dei illius, qui à nemine alio imperium accepit, & cujus poteſtas ſimpliciter & abſolutè ſumma eſt, fieri proprium. Etenim cæteri omnes, qui

aliquid

Digitized by Google

aliquid habent poteſtatis & imperii, id ab ipſo, eóve permittente, obtinuerunt, tenentque: ipſe ſuum nulli acceptum refert. Unde etiam fit, ut cæteri omnes ei ſubſint, & ad ejus nutum ac voluntatem ſeſe jure attemperent: ipſe ſuperioris imperium non agnoſcat.

† *Commune & appellativum*] Non poteſt cenſeri hoc nomen eſſe naturâ ſuâ *appellativum*, cum propriè talia ſint ſola nomina generum & ſpecierum, quorum inferioribus pariliter & nomen & ratio nominis competit: hinc nomen *commune* ſive *appellativum*, definitur Fonſecæ *Inſt. Dial. lib.* 1. *cap.* 26. *quod eadem ratione de pluribus prædicatur.* Sed nomen eſt πολύσημον & variæ ſignificationis, (ut etiam inter Iudæos obſervat R. Moſes Ben Majemon *in More Nevoch. lib.* 1. *cap.* 2.) quod primó & proprié ſupremo Numini competit, prout illi primò omnium tribuitur ſtatim initio Geneſeôs; deinde in ſenſu diminuto & nuncupativé tantum, etiam ad illos transfertur qui aliquid excellentiæ, vel dignitatis, aut poteſtatis ab ipſo fuerint conſecuti, quique juxta Arabicam hujus Nominis originationem ſupra allatam, aliquo cultu digni cenſeri debent.

Quam ob cauſam vel imprimis *Deus Deorum*, (*Deut:* 10. 17. *Pſal:* 50. 1.) & ipſius etiam Chriſti, qui Deus eſt ſuper omnia benedicendus in ſecula, (*Rom:* 9, 5.) omniſque principatus ac poteſtatis caput, (*Col:* 2. 10.) Deus (*Pſal:* 45. 8. *Heb:* 1. 9. *Mich:* 5. 4. *Ioh:* 20. 17. *Ephes:* 1. 17. *Apoc:* 3. 12.) ac caput (1 *Cor:* 11. 3.) appelletur.

† *Quam ob cauſam*] Non ſolum *Deus Deorum* dicitur reſpectu eorum qui Dij dici poſſunt participativé, ob excellentiam naturæ vel authoritatis, quam a ſupremo Deo ſunt conſecuti; ſed etiam reſpectu eorùm, qui pro Diis vulgò coluntur & habentur ab Idololatris; qui Paulo dicuntur οἱ λεγόμενοι θεοὶ 1 Cor: VIII, 5. & σεβάσματα 2 Theſſ: II, 4.

Et ipſius etiam] Non poteſt ea nomenclatura *Dei Deorum*, quæ ſupremo Numini tribuitur, etiam ipſum Chriſtum ſub ſe complecti, quia ipſi Chriſto, idem titulus cum Patre convenit: Eſt enim *Deus ſuper omnia benedictus* Rom: IX, 5. & *omnis principatus & poteſtatis caput* Col: II, 10 ut hic agnoſcit Adverſarius. Quî autem poſſet Dei Filius annumerari illis Diis minorum gentium, quorum reſpectu Pater *Deus Deorum* appellatur, quandoquidem ipſe omnes illos Deos minorum gentium, itidem ſub ſe habet, & pariliter dici debet Deus Deorum? At pater, *Deus* Chriſti dicitur locis hic citatis. R. Ita dici Patrem Deum ipſius Filij, quà nempe fuit incarnatus & factus paullò minor ipſis Angelis, & ad perſonarum diſtinctionem, ut cæteroquin Filius non ducat *rapinam parem eſſe ſe Deo* Phil: II, 6. unde etiam Pſal: XLV, 8. & Heb: I, 9. eodem nomine *Elohim* cum Patre inſignitur, atque illi ea tribuuntur quæ nonniſi ſupremo Numini conveniant, ut quod *diligat juſtitiam & oderit iniquitatem*, ſitque *ſolium* ipſius *æternum*: Ita quoque apud Micam Iehova dicitur *Deus ſum*, ut illius tamen *exortus* dicantur eſſe *ab æterno*. At etiam pater dicitur *caput* Chriſti 1 Cor: XI, 3. R. Id ita dici de Chriſto quà eſt Θεάνθρωπος & Mediator, ut tamen adſtruat potius quam deſtruat conſubſtantialitatem Filij cum Patre: Siquidem etiam Vir & Vxor quorum ille hujus caput eſt, ſaltem ſpecificé loquendo, ejuſdem ſunt ſubſtantiæ & naturæ.

Eſt autem animadvertendum, *Elohim*, licet terminatione ſit plurale, ſignificatione

ficatione tamen eſſe ſingulare, quoties de una aliqua ſive perſona, ſive re effertur. Unde etiam fit, ut licèt de eodem ſubjecto efferatur, cum verbis, vel adjectivis nominibus, nunc pluralis, nunc ſingularis numeri conſtruatur; quod poſterius eſt longè frequentius. Illud ob terminationem contingit; hoc ob ſignificationem.

‡ *Eſt autem animadvertendum*] Quod nomen illud ſingulare ſit, quoties *de una aliqua perſona* effertur, nemo ibit inficias: Sed annon ideo plurale ſit terminatione, cum de Deo vero effertur, quod ſignificet plures in eadem Divinitate perſonas, meritò queat dubitari. Sanè potior nobis in eo eſt Lombardi, Galatini, Zanchij, Iunij, Sohnij, aliorumque virorum doctorum ſententia affirmans, quam negans, Bellarmini, Druſij, Paræi & pauculorum aliorum, qui dum ſolidiora volunt objicere argumenta adverſariis Sanctæ Trinitatis, potuiſſent ſaltem huic, à nomine Elohim deſumpto, permittere ut in ſecundis conſiſteret. Quamvis enim fortè non ſit planè apodicticum, quod benè Calvinus obſervavit, tamen non videtur carere myſterio, quod in ipſa Creatione, quæ communiter aliàs Patri, Filio, & Spiritui Sancto tribui debet, Deus *Elohim* voluit appellari; maximè cum dixerit etiam in plurali Gen: I, 26. *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*; & Gen: III, 22. *Ecce homo factus eſt ſicut unus ex nobis*; imo & & in prima perſona Exod: XX, 2. *Ego ſum Iehova Eloecha.* Galatinus *lib. 2. de Arc. Verit. Cathol. cap. 9.* multa retulit veterum Iudæorum teſtimonia probaturus aliquid myſterij in hac loquutione eos agnoviſſe; adeo ut R. Hunna dixerit, *Niſi hic ſermo ſcriptus fuiſſet, non licuiſſet dicere, Creavit Elohim cœlum & terram*; Quin oſtendit ex *Midraſch Coheleth*, & *Bereſchith Rabbah*, quod ubicunque nomen *Iehova* cum nomine *Elohim* conjungitur, ibi *Deus ſanctus & Domus judicij* ſignificetur, licet non ſint duo principia, ſed unum: Domus autem judicij eò expreſſiùs tres perſonas S. Trinitatis denotat, quod tres perſonæ à Iudæis ad ſuam domum judicij requirebantur; Neque eſt de nihilo quod non ſemel Deus ſe unum eſſe *Iehovam* aſſerat, nunquam vero ſe dicat unum *Elohim.*

Nunc pluralis] Vtriuſque proſtant exempla: Nam verbum habet plurale locus ante citatus Gen: I, 26. & 2 Sam: VII, 23. *Quis ſicut populus tuus, ſicut Iſraël, gens una in terris, quem iverunt Elohim ad redimendum populum ſibi?* Adjectivum habet plurale Ioſ: XXIV, 19. *Non poteſtis ſervire Iehovæ, quoniam Elohim* קדשים הו *Kiddoſchim hu*, ideſt *Elohim Sancti ipſe*; & Ierem: XXIII, 36. *pervertiſtis verba Elohim* חיים *Chaiim, viventium*: Verbum vero habet ſingulare ſtatim initio Geneſeôs, *In principio* ברא *Bara, creavit Elohim cœlum & terram.*

Commune id eſt huic nomini inprimis cum vocibus *Adonim* & *Baalim*, quæ itidem dominium ac poteſtatem deſignant. Nam & hæc, cùm pluralia ſint Grammaticis, vim obtinent haud raro ſingularium, & de una quapiam perſona efferuntur. Datur id honori ejus, qui ita appellatur. Significatur enim, unum illum, ob poteſtatem dignitatemque inſtar eſſe multorum.

‡ *Commune id eſt*] Eandem eſſe rationem hac in parte nominis *Adonai* vel *Adonim*, imo & *Baalim*, cum de vero Deo agitur, meritò pertendimus; quanquam ſimilia non debeant ſemper pro iiſdem ſumi. Et quamvis nomina *Adonim* & *Baalim* in plurali de uno homine honoris cauſâ uſurpentur, primò id potuit invaluiſſe per quandam

Digitized by Google

μιμήσεως ejus quod obtinet reſpectu Dei, cujus nomen *Elohim* plurale eſt ob Myſterium; cum in cultu civili ſoleant homines quam proximé accedere, ſaltem per quandam analogiam, ad cultum Dei, & illum ex hoc metiri: Secundò illa de unico homine dicuntur quidem aliquando in ſecunda & tertia perſona, ſed nunquam, ut de Deo ſæpiùs, in prima: Tertiò ſpeciatim & propriè *Adonai* per *Kamets* de ſolo ſummo Deo dicitur, ut pleniùs ad caput ſequens ſumus dicturi.

Datur id honori] Nempe ut Imperatoris honori datur, quod *Sacra Cæſarea Majeſtas* dicatur, & ejus *ſacræ largitiones*, *ſacra oracula*, *numen ſacrum*, commemorentur ſæpiuſculè in legibus; tranſlato in Imperatorem per quandam Analogiam, id quod aliàs Dei eſt, ad majorem cultum Principi exhibendum; Ita datur id honori ſingulorum quorundam hominum, ut *Baalim* & *Adonim* in plurali ſalutentur, eo quod, licet alia occultior ſubſit ratio, ipſe Deus etiam plurali nomine *Elohim* exprimatur. Nec enim à more hominum honorandorum nomine plurali, deſumptum fuit apud Hebræos quod Deo hoc nomen plurale tribuatur; ſed potiùs è contrario id moris inter homines obtinuit ex eo quod Deus ipſe prior & ſpeciali de cauſa nomine plurali inſigniretur; prout nomina ipſa *Adon*, *Baal*, & ſimilia, Deo primùm convenientia, cœperunt per quandam mimeſim hominibus tribui; Atque inde eſt quod linguæ Græca & Latina, id genus honoris neſciverunt, quo ſinguli nomine plurali compellentur.

Ex quo eodem honoris fonte manavit etiam vulgarium linguarum conſuetudo, unum plurium inſtar compellandi. Docuerunt hæc poſt Hebræos, homines Chriſtiani Hebraicè docti, iique plurimi, & ut à nobis, ita etiam inter ſe ſententiis de religione diverſi. De nomine *Adonim* exempla proferentur cap. ſequenti: de *Baalim* alibi. (*lib: 5. cap. 9.*)

‡ *Ex quo eodem*] At id videtur planè aliunde in linguis vulgaribus derivatum, cum earum matrices Latina & Græca hoc neſciverint: Nempe cùm primum Reges & Principes jugum ſuum mollius reddere vellent, cœperunt reſcripta ſua nomine plurali concipere; vel ut ita ſignificarent, ſe totius populi perſonam ſuſtinere, ex lege Regia; vel ut ſic viderentur non ex privato arbitrio aliquid ſtatuere, ſed ex communi ſententia & judicio Procerum & Conſiliariorum ſuorum; unde & Proceribus nomina *Parium* & *Comitum* indita, quaſi adſciti eſſent in participium & conſortium Majeſtatis & Imperij. Hinc factum ut viceverſa ſubditi Reges ſuos ita loquentes in plurali, etiam in plurali compellarint, ſua verba illis reddituri; & à Regibus deinde idem mos ſenſim manarit ad ſingulos, qui ægré nunc ferrent in ſingulari & per *Te* à quoquam compellari. Sed quamvis hæc conſuetudo obtineat, primò in Scripturis, ex quarum ſtylo de Myſteriis fidei eſt judicandum, nullus deprehendetur unquam vel Princeps vel Privatus, qui de ſe uno in prima perſona pluraliter loquatur, ut ſæpé Deus ſibi tribuit nomen plurale *Elohim*; Secundò neque illa hactenus invaluit conſuetudo, ut vel ipſi Reges ac Principes, quibus ſolemne eſt pronomina & verba pluralia de ſe in ſingulari uſurpare, pluraliter exprimerent, vel propria ſua, vel dignitatum ſuarum appellativa nomina. Dicunt enim *Nos Ludovicus Rex Galliæ & Navarræ*, *Nos Ferdinandus Imperator Romanorum, jubemus & mandamus*; ſed non dicent unquam *Nos Ludovici Reges*, *Nos Ferdinandi Imperatores*, ut ipſe Deus ſe *Iehova Elohim* tam ſæpè inſcribit.

Docuerunt hæc] Sed etſi nonnulli cæteræ Orthodoxi

Orthodoxi id ſentiant cum hodiernis Iudæis, tamen non deſunt plurimi alij qui faciant cum vetuſtioribus Hebræorum, ut ſupra indicavi ex Galatino; cum quo ex Pontificiis ſentiunt Lombardus, Lyranus, Catharinus, Bonaventura; ex Proteſtantibus, Hunnæus, Iohannes Gerhardi, Zanchius, Iunius, Polanus, Wallæus, & multi alij.

De nomine] De his igitur ſuis locis videbimus.

De *Elohim* dubitare non poteſt, qui animadverterit, unicum Jeſu Chriſti Patrem eo nomine creberrimè in ſacris literis fuiſſe appellatum: alicubi ſimiliter Chriſtum. Exemplum utriuſque rei illuſtre habes Pſal: 45. 7, 8. ubi Propheta Chriſtum in Salomone, ipſius typo & imagine alloquens, *Elohim* appellat; & ſimiliter Deum illum, qui Chriſtum oleo lætitiæ præ conſortibus ipſius unxerit; qui quidem nullus eſt alius, quàm ipſius Pater.

‡ *De Elohim*] Benè eſt quod Adverſarius Chriſtum hic *Deum* vocari agnoſcit, adeoque primum illud ὁ θεὸς non eſſe caſus nominativi, ut cavillari voluit Enjedinus, ſed vocativi. At nec verum eſt in hoc nomine Salomonem typum Chriſti ſuſtinuiſſe, cùm Hieronymo judice, multa in hoc Pſalmo ad *prophetiam Chriſti & Eccleſiæ* pertinentе, *fœlicitatem & vires Salomonis excedant*. Ipſi-met Iudæi ſaniores agnoſcunt Pſalmum hunc eſſe de Meſſia, quem etiam Paraphraſtes Chaldæus in eo aliquoties nominat. Nec *æternum* fuit ſolium Salomonis, nec *Deus* unquam debuit appellari; cum id nomen *Elohim* ita ſit commune Regibus in plurali, ut nulli nominatim in ſingulari deferatur in Scripturis. Quod verò tribuitur hoc nomen *Elohim* Patri & Filio, licet perſonis ſingularibus, & à ſe invicem, modaliter ſaltem, diſtinctis, non favet Adverſario. Nam ut unus *Iehova*, *Elohim* dicitur ob pluralitatem perſonarum, ita quælibet perſona *Elohim* poteſt dici illo plurali nomine, quod ſit una ex tribus illis perſonis ſive *Elohim*, quæ unus ſunt *Iehova*; maximè quoniam per *circumincesſionem*, uti dicitur Scholaſticis Patrum Græcorum ἐμπεριχώρησις, Pater ſit in Filio & Filius in Patre, & perſonarum divinarum operationes ad extra ſint indiviſæ. Sic Romæ ſinguli qui Decemviratus membra erant, Decemviri dicebantur.

Eodem modo vox illa pluralis de unico effertur Angelo: (*Iud*: 13. 22. *conf: cum v. præced.*) de unico homine, ut de Moſe, (*Exod*: 4. 16: 7. 1.) de Samuele: (1 *Sam*: 28. 13. *conf: cum anteced: & conſeq.*) de unico idolo, ut de Baal aut Baal Berith, (*Iud*: 6. 31: 8. 33: 11. 24. 3 *Reg*: 18. 25. *confer cum v.* 21, 25.) de Dagone, (*Iud*: 16. 23, 24. 1 *Sam*: 5. 7.) de Aſtoreth, de Chamos, de Milcham: (3 *Reg*: 11. 5, 33. 4 *Reg*: 1. 2: 8, 6. 16. *Exod*: 20. 3. *Deut*: 5. 7.) quæ falſa hominum opinione id nomen obtinuerunt.

‡ *Eodem modo*] Falleris: Nam Angelus ille eſt increatus, qui ſic com. 21 *Angelus Iehovæ* dicitur, ut etiam *Iehova* appelletur com. 16. Siquidem ut ibi dicit ad Manoam quod ſi parare debeat *holocauſtum* illud *Iehovæ* ſit offerendum, ita poſtquam com. 22. dixiſſet Manoah ſuæ uxori; *Omnino morituri ſumus, nam Deum vidimus*, reſpondet ei ſua uxor, *Si delectaretur Iehova morte afficiendo nos, non accepiſſet è manu noſtra holocauſtum cum munere, neque oſtendiſſet nobis hæc omnia*: unde liquet eum qui *Elohim* dicitur Manoæ non Angelum

L 2

lum eſſe creatum, ſed ſummum *Iehovam*, qui, *holocauſtum* ſoli Numini ſupremo debitum, de ejus manu accepit; Neque ex Angelorum creatorum viſione mors metuebatur apud Iſraëlitas, ſed ex ipſius Numinis ſupremi apparitione, eo quod Moſi dixerat Deus Exod: XXXIII, 20. *Non poteſt me homo videre & vivere.*

De unico homine] De Moſe jam ſupra dictum, illum non *Elohim* abſolutè dici in ſenſu diminuto, ſed tantum ad id conſtitui, ut veri & ſummi *Elohim* nomine & quaſi vice ageret, tum erga Aaronem, tum erga Pharaonem. Samuelem quod attinet, falſum eſt illum uſpiam *Elohim* appellari; Sed Pythoniſſa commota quodam terrore, vel ex Saulis præſentia, vel ob ipſum ſpectrum è terra prodiens, Necromanticas illas Diabolicaſque imagines, Ethnico & venefico more, *Elohim* appellat. Nolim equidem Iudæorum deliramentis hîc adſtipulari, qui apud Lyranum pertendunt Samuelem Moſe comitante é terra prodiiſſe, quod ſolus non auderet, metuens ſe vocari ad judicium; Sed potuit fieri ut mulier ſaga, primo obtutu plura putaret ſe phantaſmata videre; & quamvis nonniſi unum determinatè viderit, illud tamen potuit nomine *Elohim* ritu & cultu idololatrico inſignire, prout dæmon vult ſibi a Magis eos honores deferri, qui ſoli Numini ſupremo debentur.

De unico Idolo] Mirum non eſt nomen veri Dei æquè transferri ad idola, ac ipſius honos & cultus, licet ratio nominis non magis illis conveniat quam cultus & honoris; Quia igitur idola idem erant Idololatris quod pijs verus Deus, hinc Idolum quodque *Elohim* appellatur. Ita Iſraelitæ in deſerto de vitulo aureo dixerunt Exod: XXXII, 4. *Hi ſunt Elohim tui ô Iſrael, qui te eduxerunt ex Ægypto*; quia Iehovam Elohim, conditorem cœli & terræ, ſuumque liberatorem in vitulo repræſentare & colere volebant.

Et hoc pacto videtur accipiendum id, quod in primo Decalogi præcepto dicitur.
73. (*Exod:20.3. Deut:5.10.*) *Non erit tibi Elohim* (id eſt, *Dij*) *alij*, hoc eſt, Non erit tibi
Deus alius. Quod enim verbum ſingulare ſit appoſitum nomini *Elohim*, id ſententiæ datum eſt: quòd adjectivum plurale, id terminationi. Sed de conſtructione hac alius erit agendi locus. (*lib:5. cap:9.*)

‡ *Et hoc pacto*] Quin *Elohim* hoc loco ſit plurale, ut terminatione, ſic etiam ſignificatione, dubitari non poteſt; nec alia de cauſa verbum additur ſingulare per quandam enallagen numeri, quam ad univerſalem negationem indicandam: quaſi dicat Deus, *Non erit tibi nullus Deorum alienorum coram me.* Ex quo inſuper præcepto colligimus, aut Chriſtum Servatorem ejuſdem eſſe naturæ & eſſentiæ cum Patre, aut Idololatriæ reos eſſe Socinianos, qui ipſum habent pro ſuo *Elohim* & Deo.

CAP. X.

De nomine Adon & Adonai.

‡ *Reſpondente* GUILIELMO BONNIVERTIO, *Sedanenſi*

SEquitur nunc, ut tertium Dei nomen *Adon*, vel potiùs *Adonai* expendamus. Ipſum enim *Adon*, id eſt, Dominus, vix uſpiam abſolutè poſitum, vel ſolum, ad Deum ſignificandum adhibetur, ſed cum adjectione aliqua: ut cùm dicitur, (*Ioſ:3.11,13. Pſal:97.5. Mich:4.13. Zach:4.14.*) *Dominus univerſæ terræ*: vel ſaltem

Digitized by Google

ſaltem aliud ipſius nomen, (*Exod:23.17: 34.23. Eſa:1.24: 3.1: 10.33.*) quo à cæteris dominis diſtinguatur, ſtatim adjicitur. Similiter nec plurale *Adonim*, cùm ſubjecti locum obtinet, abſque adjectione aliqua uſurpare conſuevit: ſed appoſito correlativo, ut vocant, hoc eſt, eo expreſſo, cujus dominus ſit is, de quo verba fiunt. Sic Deus dicitur *Dominus Dominorum*, (*Deut:10. 17. Pſal: 136.3.*) *Dominus noſter*, (*Neh:8.10. Pſal:8 2,10. 135.5: 147.5.*) quod Hebræis, ſi vocis terminationem ſpectes, eſt *Domini Dominorum*, *Domini noſtri*.

‡ *Ipſum enim*] Atqui inde patet aliquid ſubeſſe myſterij, in plurali *Adonai*, quod cum *Kamets* nonniſi de Deo uſurpatur. Interea Mal:III,1. abſolutè ponitur de Chriſto האדון *Haadon, Dominus ille quem expectatis, mox veniet.*

Huc etiam pertinet id, de quo nobis præcipuè agendum eſt, nomen *Adonai*, quod ſuprà diximus eſſe plurale compoſitum vocis *Adon*. Redditur quidem propè ſemper ab Interpretibus *Dominus* abſolutè; quia particula affixa raro peculiarem aliquam vim habet, & in Græco Latinoque elegantiùs omittitur: ſed propriè tamen ſignificat *Domini mei*. Cum enim, uti aſſeruimus, nomen iſtud ſubjecti locum obtinens, abſolutè poni non conſueverit, ſed adjecta mentione ejus, ad quem refertur; quiſque autem de Deo reverenter & ſentiens & loquens, eum ſuum ipſius profiteri ſoleat Dominum; inde factum, ut de Deo frequenter admodum uſurpatum fuerit nomen *Adonai*, hoc eſt, ſi ſignificationem magis, quàm terminationem formamque Grammaticam ſpectes, *Dominus meus*.

‡ *Huc etiam*] At non malè notat Schindlerus *in Lexico* nomen *Adonai* cum *Kamets*, eſſe Dei nomen proprium, formatum quidem à nomine appellativo *Adon*, ſed tamen diſtinctum ab appellativo ſingulari cum affixo *Adoni*, & à plurali appellativo tum *Adone*, per *Tſere*, in conſtructione, quod extat Deut: X, 17. Pſal: CXXXVI, 3. ubi Deus dicitur *Adone Haadonim*; tum *Adonai* per *Patach*, quod profanum eſt, non ſacrum; ut cum Lot Gen: XIX, 2. dicebat, *Ecce quæſo Adonai*, *Domini mei* (Gallicè *Meſſieurs*. Belgicè mijn Heeren /) *deflectite quæſo in domum ſervi veſtri*: Targum enim illud reddit ריבוני *Ribbonai.*

Redditur quidem] Nec malè: maximè ex ea hypotheſi quæ ſtatuit convenire illud in punctis, cum nomine *Iehova*, quod itidem per *Dominum* vulgò exprimitur. Imò eo quod cum terminatione plurali habet vel habere creditur puncta vocalia nominis *Iehova*, ſeu potius ſua illi communicare, videtur maxime cum *Iehovam* & *Dominum* ſignificare, cujus quidem unica eſt eſſentia, ſed plures ſunt perſonæ.

Sed propriè tamen] Non diffiteor regulariter hanc eſſe vim illius affixi; Sed eam ceſſare in hoc Dei nomine vel inde liquet, quod etiam plures Deum alloquentes, ipſum *Adonai* vocant; cùm tamen ſi per affixum poſſeſſivum deberent plures loqui, dicendum potius foret *Adonenu*.

Nomen autem illud non ſimplex, ſed compoſitum eſſe, & literam j in fine affixam, vim habere pronominis *meus*, agnoverunt interpretes tum Græci, tum Latini Pſal: 16.2: & 35.23. ubi exigente locorum ſententia, particulam iſtam

affixam expreſſé reddiderunt pronomine *meus.* Viderunt enim eam ibi emphaticè poni.

‡ *Nomen autem*] Atqui illud pronomen Interpretes utroque hoc loco magis ſupplent ex ſenſu totius ſententiæ intelligendum, quam exprimunt ceu contentum in illo affixo. Cur enim aliàs tam ſæpè ejus pronominis vim in eodem vocabulo explicando neglexiſſent & ſuppreſſiſſent ?

Et hæc cauſſa eſt, cur hoc nomen nec alias ſibi particulas affigi patiatur, nec alia
74. nomina regat. Neque enim dicitur, *Adonai hujus* aut *illius*, ſed *Adonai* ſimpliciter.

‡ *Et hæc cauſſa eſt*] Sed alia eſt hujus rei certior cauſa, quod nempe ſit Dei nomen proprium, ejuſdem plane indolis hac in parte, cum nomine *Iehova*; unde etiam Iudæi hoc per illud enunciant, & pertendit Bellarminus, ſed abſque ſufficienti titulo, ipſum Origenem, in ſuis *Tetraplis* & *Exaplis*, nomen ipſum *Iehova* ſemper expreſſiſſe per ἀδωναΐ, *Exercit. in Pſal. 34. v. 1.*

Neque enim dicitur] At dicitur cum affixo de homine, *Adonaju, Dominus ſuus*, ut Mal:I,6. Eſ: XXIV, 2.

Redditur autem ab omnibus interpretibus numero ſingulari *Dominus*, vel *Dominus meus*; non verò *Domini*, aut *Domini mei.* qua in rè & ſententiæ vim, & frequentiſſimum hujus vocis uſum ſequuntur. Etenim plurale nominis *Adon* ſive ſimplex, ſive compoſitum, quoties de unica tantum ſubſtantia intelligente, quam perſonam vocamus, effertur, neceſſariò ſenſum habet ſingularem. Exempla habes in ſacris literis plurima: ut de Abrahamo, (*Gen: 24. 9, 10, 51.*) Potiphare, (*ib: cap:39. 2,3,7,8,16,19.*) Pharaone, (*cap:40.1.*) Joſepho, (*cap:42. 36,33: 44.1.*) aliis. (*Exod:21.4,6,8,32. Deut:23.13. Iud:3.25.19.11,12,26,27. 1 Sam:20.38. 2 Sam: 20.6. Iob:3.19. Eſa:19.4: 24.2. Mal:1.6.*) Imò, quantum adhuc obſervare licuit, haud temerè invenias, ubi verba, *Dominus tuus, veſter, illius, illorum*, aliter, quàm plurali nomine efferantur. At cùm homo hominem appellat ſuum, non alterius dominum, haud facilè reperias pluralem numerum. Tunc enim uſurpari ſolet *Adoni*, id eſt, *Dominus meus*: non verò *Adonai*, *Domini mei*: eam, ut apparet, ob cauſam, ne quis hominem eodem, quo Deum compellare videatur nomine.

‡ *Redditur autem*] Nec immeritò, propter unitatem eſſentiæ divinæ: Imò Galatinus *lib. 2. de Arc. verit. Cath cap.13.* notat hoc nomine plurali ſignificari quod dominium univerſale competat tribus perſonis, Patri, Filio & Spiritui ſancto; neque tamen illos tres *eſſe tres dominos, ſed unum dominum*: atque inde fieri quod nomen ipſum *Adonai etſi plurale ſit, nonniſi cum verbo ſingularis numeri, vel cum nomine adjectivo itidem ſingularis numeri* conjungatur: Qua in circumſtantia hoc nomen, utut plurale, à nomine *Elohim* diſtinguitur.

Etenim plurale] Qui factum quod hoc nomine plurali etiam ſinguli homines compellentur, ad caput præcedens annotavi: Nempe *Mimeſis* quædam eſt cultus divini, tranſlati ad civilem; Nec enim tranſiit id plurale

Digitized by Google

plurale nomen ab hominibus ad Deum, ſed potius à Deo ad homines. Interea tamen cum hoc nomen de hominibus dicitur, in plurali, exprimitur regulariter per *Patach*, quo appellativum hominum à Dei proprio per *Kametſ* expreſſo diſtinguatur. Obſervetur etiam hic in Authore, prava *Perſonæ* definitio, quod ſit *unica ſubſtantia intelligens*, cum requiratur inſuper ad perſonam ut habeat incommunicabilitatem. Liquet id exemplo animæ ſeparatæ, (ut nihil dicam nunc de humana Chriſti natura) quæ eſt unica ſubſtantia intelligens, non tamen perſona, eo quod habeat entitatem incompletam, & ſit iterum communicabilis ſuo corpori.

At cum homo] Optimè: Quare ſubeſt ratio quædam ſpecialis cur homo cum Deum ſuum dominum dicit, utatur loquutione plurali, quo ſic ob Myſterium Trinitatis, proprium Dei nomen ab hominum communi & appellativo ſegregetur.

Quanquam præterea, ut Dei nomen *Adonai*, diſcerneretur à vulgari *Adonai*, quo quis uti poſſit de dominis ſuis pluribus loquens, ultimæ ſyllabæ punctum vocale mutatum eſt. In illo enim *a* obſcurum eſt, ſed productum: in hoc clarum & breve: quorum illud kametz Hebræis dicitur, hoc pathach. Ceſſat tamen diſcrimen iſtud, cùm appoſitus ei voci accentus diſtinguendi vim habens, quem pauſam vocant, vocalem brevem in longam mutare cogit.

‡ *Quanquam præterea*] Atque illud ipſum eſt quod jam ante ex Schindlero, linguarum Orientalium peritiſſimo, obſervabam, nomen *Adonai* abſolutè poſitum, profanum eſſe ſi per *Patach* ſcribatur, ſacrum, ſi per *Kametſ*: Nuſquam enim per *Kametſ* ſcribitur de hominibus, niſi cum habet aliud affixum adjunctum ut Eſ: XXIV, 2. 2 Mal: I, 6. R. David Kimcki, citatus Sixto Senenſi *Bibl. Sanctæ lib. 5. annot.* 100. ait Nomen hoc, *quoties cum Kametſa ſcribitur, tribui Deo Creatori, honoris & excellentiæ gratiâ.* Nec obſunt loca Gen: XVIII, 3. & XIX, 18. Nam eorum primo Abraham ita tres hoſpites compellare videtur, ut unum ex illis dignitate & majeſtate præcellentem, primùm quidem ſalutet *Adonai*, nec ſine occulto quodam inſtinctu, deinde vero apertè *Iehovam.* Altero vero Lot ita videtur alloqui ſuos hoſpites, ut tamen ad unum ex illis ceu *Adonai* & *Iehovam* dirigat ſermonem ſuum; eum nempe *Iehovam*, qui fecit pluere ignem & ſulphur à *Iehova* ſuper Sodomam.

Ex his autem intelligitur, hoc quoque nomen, ſi originem ſpectes, eſſe commune: ſed eandem ob cauſſam, ob quam cætera, quæ præcedentibus vidimus capitibus, ſupremi rerum omnium Domini, quem *Dominum Dominorum* appellant ſacræ literæ, (*Deut:10.17. Pſal:136.3.*) proprium evaſiſſe: ita quidem, ut eo, quo diximus, pacto ſcriptum, nulli tribuatur alii; niſi fortè angelis, (*Iudic: 6. 15, confer c. v. 12,20,21,22.*) non in ſua tamen ipſorum perſona ſpectatis, ſed Dei ipſius perſonam ſuſtinentibus, & eam aliquo modo repræſentantibus. qua de re in ſequentis explicatione nominis plura dicentur. Commune enim id eſt huic Dei nomini cum cæteris, atque adeò etiam cum nomine Jehova, quod Dei maximè cenſetur proprium.

‡ *Ex his autem intelligitur*] Imò ex his apparet diſcrimen manifeſtum, inter nomen proprium Dei & appellativum hominum, licet cæteroquin ad eandem originem pertineant.

Supremi

Digitized by Google

Supremi rerum omnium] At eodem hoc titulo Chriſtus diſertè inſignitur Apoc: xix, 16.

Niſi forte Angelis] Iure hic adverſarius loquitur per *forte*: Nam id ariolari facilius ei erit quam probare: Quin dici nequit ſatis commodè uſpiam Angelos creatos *Dei ipſius perſonam* ſuſtinere, aut eam repræſentare. Legatus enim & Angelus creatus, ita agit nomine mittentis Dei, ut tamen ſuam demum, nempe legati & miſſi, non vero Dei & mittentis perſonam ſuſtinere debeat. Qui autem Gedeonem compellabat non erat Angelus creatus, ſed Angelus fœderis, qui ſic *Angelus Dei* dicitur, ut etiam com. 22. *Adonai Iehovi*, imo & com. 23. *Iehova* appelletur; eique com. 24. Gedeon erexerit altare inſcriptum, *Iehova Schalom*.

Commune enim] Atqui ſi fuerit eadem ratio hujus nominis cum nomine *Iehova*, adeo ut Deo *maxime proprium* cenſeatur, utique commune & appellativum, (prout Adverſario nomina communia eoipſo appellativa dicuntur, licet minùs accuratè, cum etiam homonyma communia ſint, & ſola ſynonyma appellativa) dici & haberi non poteſt.

Cæteroquin, ut diximus, nemini, niſi Deo ſummo, nomen *Adonai* ſingulariter uſurpatum tribuitur. Et licèt Chriſtus quoque ſit Dominus dominorum: tamen, quia eum Deus, ut Petrus ait, (*Act:2.36.*) Dominum ac Chriſtum fecit; ideo David in ſpiritu eum (*Pſal:110.1.*) Dominum ſuum vocans, non *Adonai*, ſed *Adoni* appellat. Ita nempe ſummum alioqui Chriſti dominium exprimere voluit, ut
75. eum nihilominus à Deo altiſſimo voce ipſa diſcerneret. Sic & alibi (*Pſal:2. conſ: v.4. cum v.6,7.*) Chriſtum ab *Adonai*, tanquam Regem ab ipſo conſtitutum, tanquam Filium à Patre diſtinguit.

‡ *Cæteroquin, ut diximus*] Primùm perperam hic tribuit huic Nomini quod *ſingulariter* uſurpetur de Deo, ſiquidem uti ſupra volebat, eſt commune Deo & Creaturis. Secundò ita ſingulariter, propriè ac incommunicabiliter Creaturæ, convenit Deo, ut etiam aliquam perſonarum pluralitatem, cum ipſum plurale ſit, in Deo connotet.

Et licet Chriſtus] Primò ſi hoc nomen *Adonai*, ut ſupra cenſebat, proprium evaſit ſupremi omnium rerum Domini, quem *Dominum Dominorum* appellant ſacræ literæ, utique debebit etiam *propriè* Chriſto convenire, qui ſupremus quoque eſt & omnium rerum Dominus, & ideo *Dominus Dominorum* dicitur in Scripturis. 2. Nec poteſt Chriſtus alio ſenſu quàm divino, dici *Dominus Dominorum*, cum hic titulus *ſupremum* notet omnium rerum Dominum, quo ſuperior per conſequens nullus ſit. 3. Petri dictum nihil hac in re detrahit Chriſto, tum quia agit de Dominio Mediatorio quod delatum fuit Chriſto quà θεάνθρωπος eſt, quodque cum eſſentiali ejus Dominio, licet illud hoc præſupponat, confundi non debet; tum quia in Scripturis non ſemel ea fieri dicuntur, quæ talia eſſe divinitùs propalantur & declarantur. 4. Quamvis David Pſal: cx, 1. diſtinguat *Iehovam* à *Domino* ſuo, ut Patrem à Filio, inde tamen non ſequitur hunc illi coeſſentialem & coæternum non eſſe: Sed Pater appellatur *Iehova* diſtinctè à Filio, (qui tamen & non ſemel eodem nomine inſignitur) quia fons eſt & origo totius Divinitatis, quà communicabilis & communicatur ad intra; Et cum David vellet affixum adjicere ſecundo nomini, debuit aliud ſumere quam *Iehova*, quod nullum affixum patitur. Eò vero quod David hic Meſſiam Dominum ſuum appellat, cum eſſet ipſe Rex optimo jure, & ſoli Deo ſubjectus, ejus Divinitatem ſatis confitetur. Maluit autem uti

nomine

nomine ſingulari *Adon* cum affixo, quam nomine *Adonai* quod plurale eſt; non quod hoc æque non conveniat Meſſiæ ac ipſa nomina *Iehovæ* & *Elohim*, ſed quo perſonam ſingularem Filij, ſingulari Patris perſonæ clariùs opponeret, & ſimul affixum adjiceret, quo munere י *Iod* in nomine *Adonai* rariſſimé deſungitur. Nec ſi Pſal. 2. Pater oppoſité ad Filium *Adonai* dicitur, inde ſequitur ergo *Adonai* nomen *Filio* non competere, qui εἷς κύριος dicitur 1 Cor. VIII, 6. & Eph. IV, 5. & μόνος δεσπότης in epiſtola Iudæ com. 4. Et quamvis verum foret nomen *Adonai* nunquam Chriſto tribui, inde tamen nihil ei idcirco decederet; cum alias *Dominus Dominorum* vocetur, & quandoque *Iehovæ* nomine, quod adhuc ſummi Dei magis proprium eſt, inſigniatur. Sed nec deſunt Scripturæ loca in quibus dicitur *Adonai*. Nam Mal: III, 1. appellatur הארן *Haadon*, *Dominus ille*, & Pſal: XLV, 13, dicitur Eccleſiæ quod ſit ארניך *Adonaijch*, *Dominus tuus*. Quid quod ipſo nomine *Adonai* abſoluté & per *Kametz* inſignitur Dei Filius apparens Abrahamo Gen: XVIII, 3. 27. 30. 31. 32. & Gedeoni Iud: VI, 22.

CAP. XI.

De nomine tetragrammato, vulgò Jehova: *quædam etiam de nomine* Jah.

Reſpondente PETRO BECUDIO, Caletenſi.

PRogrediendum nunc eſt ad quartum Dei nomen, quod tetragrammatum à literarum numero appellari ſuprà diximus. De eo aliquantò plura, quàm de præcedentibus, nobis ſunt dicenda. Nam primùm nobis agendum eſt de ea voce, quatenus ipſa per ſe, hoc eſt, ſine aliis vocibus, cum quibus quodammodo componatur, rem certam ſignificat; deinde quatenus cum aliis vocibus veluti coaleſcit, & cum illis juncta, ad rem quampiam deſignandam adhibetur. Dicere enim poſſis, eam nunc extra compoſitionem ſpectari, nunc in compoſitione. Et de vocis quidem illius, etiam citra compoſitionem ſpectatæ, non ſignificatione tantùm eſt agendum, ſed, ut illa tantò faciliùs inveniatur, etiam de pronunciatione.

Ut ergo de hac primò dicamus, nomen hoc vulgò pronunciant *Iehova*; nonnunquam *Iehovi*; pro punctorum vocalium, literis ejus vocis in ſacro codice ſubjectorum ratione. Sed rationibus non paucis evincunt viri, hac ætate ob Hebraicarum literarum peritiam celeberrimi, vitioſè vocem hanc ad eum modum pronunciari. Hebræos vulgò à vocis iſtius pronunciatione, reverentiâ quadam numinis, quæ tamen in ſuperſtitionem abiit, jam olim abſtinuiſſe: ideoque in lectione ſacrarum literarum alia pro eo Dei nomina ſubſtituiſſe, ac porrò, ut ea de re lector admoneretur, eorum nominum puncta vocalia literis tetragrammati ſubjeciſſe. Sunt autem vicaria illa, ut ita dicam, nomina *Adonai* & *Elohim*: quorum illud cæteroqui non ita frequenter, ut hoc poſterius, in ſacris literis occurrit. Quæ cauſa eſt, cur illud ſemper pro tetragrammato in lectione ſubſti-

tuatur,

tuatur, niſi eodem in loco continuò antecedat, vel ſequatur ipſa vox *Adonai*. Hoc enim cùm accidit, ejus loco in lectione tetragrammati ſubſtituitur *Elohim*, (*Gen:15.8. Deut:3.24. Ioſ:7.7. Iud.6.22. & alibi ſæpè.*) & puncta hujus vocalia literis illius ſubſternuntur, ne bis, idque continuò pronunciandum ſit *Adonai*.

‡ *Nomen hoc vulgò*] Et benè: cum vocum omnium pronunciatio ex punctis vocalibus ſit petenda.

Sed rationibus non paucis] Rationes illæ hominum nimis forte indulgentium Iudaicæ ſuperſtitioni, & falſo hoc, aut ſaltem valdè dubio, nitentium principio, quod puncta vocalia ſint Maſſorethar um inventa, nobis tanti non debent eſſe, ut illi pronunciationi refragemur. Non defuerunt inter Veteres qui illud putarent exprimendum per *Iaveh*, ut Theodoretus *quæſt. 15. in Exod.* aut per *Iaho*, ut Clemens Alexandrinus *lib. 5. Strom.* Macrobius *Satur. lib. 1.* & Diodorus Siculus *Bibl. lib. 1.* Sed utrumque eodem redire cum noſtro *Iehova* animadvertemus, ſi meminerimus earundem vocalium pronunciationem ſemper apud populos variaſſe: Sic Apollodorus *ſummum cunctorum Divum, IAO* eſſe dicendum, monuit. Nec alia de cauſa Varro *apud Auguſt. lib. 1. de conſen. Evang. cap. 22.* exiſtimavit Iudæos *Iovem* coluiſſe, quam quod *Iovis* nomen cum nomine *Iehova* affinitatem haberet.

Hebræos vulgò] Retorqueri poteſt hoc argumentum: nam inde potiùs liquet legitimam eſſe pronunciationem hujus nominis per *Iehova*, quod præpoſterâ Numinis reverentiâ, illa abſtineant recutiti: Ita habent in Cod. *Sanedrim cap. 11. Quicunque profert nomen tetragrammaton per literas ſuas, vel ſecundum ſcripturam ſuam, non eſt ipſi pars in futuro ſæculo.*

Nomina ſubſtituiſſe] Sed hæc ſubſtitutio in pronunciatione eſt vitioſa & ſuperſtitioſa: Agnoſco aliquam in punctuatione anomaliam; Sed eam videtur Deus ex profeſſo adhibuiſſe, per modum NOTA BENE, ut ſeipſum magis inſignitè denotaret: Nam tales anomalias, tum in Orthographia, tum in Punctuatione ſacri textus, plerumque aliquid myſtici continere in comperto eſt. Deinde, habent quidem aliquam analogiam puncta vocalia nominis *Adonai* cum punctis nominis *Iehova*, non quo illud pro hoc pronuncietur, ſed quo ſignificetur Iehovam eſſe verum *Adonai*, nec alium *Adonai* ſive Dominum ſimpliciter ſupremum agnoſcendum præter Iehovam. Nec ſimpliciter tamen puncta ſunt eadem; Nam in *Adonai* ſub א *aleph*, eſt *Chateph patah*, in *Iehova* ſub י *Iod*, eſt *Scheva* ſimplex; quæ duo ut officio ſic pronunciatione differunt. Et cum fateantur Iudæi hoc nomen fuiſſe pronunciatum à Sacerdote in Sanctuario ſecundum legitimam ſuam punctuationem, aut rei ſunt corrupti ſacri textus, per punctuationem vitioſam, aut hanc pro legitima debent agnoſcere. Nec ulla ratio fingi poteſt, cur nomen tetragrammaton *Iehova* incommunicabile Creaturæ, modò per *Elohim*, modò per *Adonai*, quæ communicantur interdum Creaturis, illud ſimpliciter ut jacet, hoc ſaltem ubi per *Patach* ſcribitur, ſic exprimendum.

Quæ cauſa eſt] Neque hoc ſemper obtinet: Nam Pſal: XVI, 2. ſic legimus, *Dixi* ליהוה ארוני אתה *Lajhova Adonai Attha*, ubi utrumque, *Iehova* & *Adonai*, ſua puncta retinent; Sic Pſal: VIII, 1. *Iehova Adonenu, quam grande nomen tuum!* Deinde cum non rarò in Scripturis idem Dei nomen *Elohim* bis conſecutivè occurrat, nulla eſſet ratio cur minus bis nomen *Adonai*, quam nomen *Elohim* pronunciaretur. Ad hæc nulla cauſa reddi poſſet, cur idem nomen modò per *Adonai* modò per *Elohim* efferri deberet. Præterea quando nomen *Iehovi* ponitur pro *Iehova*, non fit ideo quod nominis *Elohim* puncta illi adhibeantur, ejus pronunciationis connotandæ gratiâ, ſed quoniam ה *He* quieſcit in *Chirek*, euphoniæ & emphaſeôs cauſâ.

Digitized by Google

Veſtigia lectionis Hebræis uſitatioris habes apud Græcos interpretes, qui vocem *Iehova* paſſim reddunt *κύριος*, quod reſpondet nomini *Adonai*. habes etiam apud Latinum veterem, qui Exod. cap. 6. (*v. 3.*) Deum ita loquentem inducit, 76.
Et nomen Adonai non indicavi eis: cum in Hebræo ſit, *Et* [in] *nomine meo Iehova, non fui cognitus illis.*

‡ *Veſtigia lectionis*] Si eſſent ad manum Origenis *Exapla* & *Tetrapla*, in quibus literis Græcis textum Hebraicum expreſſerat, fortè aliter ex illis edoceremur quam putat Bellarminus, qui gratis fingit Origenem pro *Iehova* ſemper *ἀδωναΐ* ſcripſiſſe: Illud vero Græci interpretes reddiderunt *κύριον*, aut quod ſuperſtitione aliquâ ducti nollent Ethnicis innoteſcere Numinis ſui nomen proprium, prout & ſedulò cavebant Romani ne Dei ſui Tutelaris nomen verum innoteſceret aliis; Aut potius quod nullum vocabulum Græcum reperirent quod vim & *ἐνέργειαν* illius nominis ſanctiſſimi ſatis exprimeret. Græcorum autem ſtilum hac in parte retinuerunt Scriptores N. F. imò Veteres inter Chriſtianos Scripturarum interpretes, qui hoc idem nomen latiné *Dominum* reddiderunt. Adde ex Doctiſſ. Buxtorfio & aliam rationem, quod cum Græci careant aſpiratione in medio quam littera ה *He* requirit, item valore quem exigit litera ו *Vau* in pronunciando, non potuerint commodé Græci interpretes illud nomen proprium, uti ſonat, ſuâ linguâ exprimere.

Habet etiam apud] Mirum nemini eſſe debet quod Hieronymus nocturno uſus præceptore Iudæo, id ſibi perſuaderi paſſus ſit, nomen hoc *Iehova* per *Adonai* esſe efferendum: Multi etiam Viri Docti cenſent Hieronymum caruisſe Codice punctuato; ut quomodo efferri deberet, ex punctis vocalibus dignoſcere nequiverit. Extat ejus *Epiſtola ad Marcellam*, *de decem Dei nominibus*, in qua dicit quidem hoc nomen per has quatuor litteras Iod, *He*, *Vau* & *He* ſcribi & *ἀνεκφώνητον* cenſeri à Iudæis, quid tamen de illo ſenſerit ipſe non exprimit.

Quòd verò in *Adonai* prima vocalis ſit *a*, in *Iehova e*, id facilè apud Hebræos, mutatione puncti, quod *ſcheva* illi appellant, compoſiti in ſimplex, fieri potuiſſe, quos paulò antè laudavimus, viri eruditi docent. Rationes illorum non adducimus; quæ ab iis, qui Hebraica planè non attigerunt, cum faſtidio aliquo, fortè etiam ſine fructu legerentur. Cæteri, qui Hebraica nôrunt, niſi iſta jam ſciant, facilè apud eos poſſunt legere, qui ex profeſſo ea tractant. Nobis quidem religio non eſt, vulgari pronunciandi ſcribendique conſuetudini aliquid dare. Monere tamen iſta, eam præcipuè ob cauſam debuimus, ne quid nobis ad veram ejus vocis originem ac ſignificationem inveſtigandam obſtaret. Hanc enim, ut ex dicendis intelligi poterit, non ita facilè indagaveris, ſi ea quæ voci huic ſubſternuntur, puncta ejus propria exiſtimaveris.

‡ *Quod vero in*] At non deſunt alij viri eruditi qui negent illam mutationem hìc poſſe habere locum: Cur enim pari ratione non dicam puncta nominis *Iehova* accommodari nomini *Adonai*, mutato *Scheva* ſimplici in compoſitum, ac volunt iſti nominis *Adonai* puncta accommodari nomini *Iehovæ*, mutato *Scheva* compoſito in ſimplex? Et cur non pari ratione potuisſet retineri *Patach* raptum in *Iehova* ac in *Adonai*, aut æquè in *Iehova* ſubſtitui *Cateph Sægol* ac in *Iehovi*?

Origo verò & ſignificatio hujus vocis genuina rectè à viris quibuſdam doctiſſimis eruitur ex tertio Exodi capite : cauſſa verò, ob quam id nomen ſibi Deus impoſuerit, ex ejuſdem libri capite ſexto. In priori enim loco Deus quærenti Moſi, quid reſpondere debeat Iſraëlitis interrogantibus, quònam ſit nomen Dei illius, à quo ſe miſſum aſſereret, ita, ſi ex Hebræo locum vertas reſpondet: *(ver. 13, & d.) Ero qui Ero*: quibus ſubjicit: *Sic dices filiis Iſraël, Ero miſit me ad vos.* & iterum : *Sic dices filiis Iſraël, Iehova Deus Patrum veſtrorum, Deus Abrahami, Deus Iſaaci, & Deus Iacobi, miſit me ad vos : hoc eſt nomen meum in ſeculum, & hoc memoriale meum in generationem & generationem.* Ubi vides, cùm primùm ſeſe appellaſſet Deus, *Ero qui ero*, deinde conciſiùs *Ero*; eundem poſtea verba, quibus Moſes ad populares ſuos uti debeat, formantem, & ſic in tertia perſona de ſe loquentem, pro *Ero* ponere vocem *Iehova.* Satis autem liquet, Deum in ſequentibus verbis non aliud prorſus nomen pro eo, quod priùs ſibi indiderat, reponere, ſed idem, pro perſonæ loquentis ratione, diverſimodè formatum repetere. Cùm ergo in prima perſona de ſe loquens, ſeſe vocarit *Ero qui ero*, vel una voce *Ero*: certè nunc in tertia perſona de ſe ipſo per Mimeſin loquens, & ſimplici voce utens, *Erit* ſeipſum appellaſſe cenſendus eſt. Id autem Hebræis eſt *Iehevèh*, vel *Iihveh.* in qua voce ſunt quatuor illæ literæ, ex quibus id, de quo agimus,
97. nomen apud Hebræos conſtat. Puncta vocalia, quæ mutata eſſe ſuprà diximus, alia ſunt. ſed ea, ut notum eſt, in literarum cenſum apud illos non veniunt.

‡ *Ubi vides, cùm primùm*] Extra controverſiam eſt hoc nomen fieri ab הוה *Hava, fuit*, & benè per circumloquutionem exprimi Apoc: I, 4. cum Deus dicitur ὁ ὢν ϗ ὁ ἦν ϗ ὁ ἐρχόμενος : Unde patet nomen *Iehova* amplius eſſe quam tertiam perſonam futuri *Iehejè, Erit.* Et Buxtorfius inter cætera profert teſtimonium Iudaicum quo conſtat, *hoc nomen teſtari de tribus exiſtentiis, ſeu exiſtendi differentiis* Dei, *Haja, Hava* & *Iehejè, præſenti, præterito, & futuro, quæ ſunt literæ ipſiuſmet nominis appropriati Iehova.* Quare ut non negaverim Deum hoc nomine à ſua Eſſentia & Exiſtentia denominari, ita cenſuerim plus in illo eſſe quam meram futuri in tertia perſona deſignationem: Maximè cum nomen ſit non verbum, quale illud *Erit* habendum eſt; Nec ibi Deus ſe vocans *Iehovam* de ſeipſo loquitur in tertia perſona, & ſeſe inſignit *Erit*, ſed oſtendit ex illo verbo *Ero* formari ſanctum illud nomen *Iehova*, cujus efficaciam hactenus non communicaverat Patriarchis, etſi illud ſimpliciter non neſciverint.

Id autem Hebræis] Primùm inde ſequeretur hoc nomen non fore ἀνεκφώνητον, ſi *Iehevèh* fuerit. Deinde futurum tertiæ perſonæ ab *Hajah*, non debet eſſe *Iehevèh*, ſed *Iihejeh.*

Hoc ut fiat planius, nonnihil adhuc addendum eſt, ſed ita, ut, quantum ejus fieri poteſt, etiam iis conſulamus, qui Hebrææ linguæ prorſus ſunt ignari. Cùm Deus ſeipſum appellavit *Ero*, Hebraicè dixit *Ehieh.* Hujus tertia perſona ſingularis, maſculini generis, ſi & literas & puncta vocalia noſtro more efferas, eſt *Iihieh*, id eſt, *Erit.* Verùm quia hæc vox Hebraica in familiari uſu magis verſatur,

ſatur, ideo, ne Dei ipſius nomen promiſcuo uſu quodammodo profanaretur, ſed à verbo illo vulgari faciliùs diſcerneretur; cognatum *Ieheveh* vel *Iihveh* ejus loco fuit ſubſtitutum, quod & minùs eſſet frequens, & ejuſdem tamen cum illo ſignificationis, ac unâ tantùm ab illo literâ diſtaret. Nam loco j penultimæ literæ eſt v. quæ quidem literæ apud Hebræos nec figurâ multùm diſtant, & inter ſe facilè commutantur. Tantum autem videtur effeciſſe nominis divini reverentia, ut *Ieheveh* in vulgari etiam ac genuina ſignificatione frequentari deſierit. Neque enim hucuſque ullum videre locum in ſacris literis memini, ubi ea vox, literæve illius omnes extent, niſi ubi Deum, aut qui ejus perſonam ſuſtinet, deſignat.

‡ *Verum quia hæc vox*] Potius dixerim hoc nomen formatum eſſe partim ex præterito, partim ex futuro, non vero ſimpliciter pro futuro reponi.

Cognatum Ieheveh] Gratis fingit tale cognatum, quod ipſe fatetur nuſquam reperiri in ſacris literis. Cùm Deus ſe vocat *Ehejе, Ero*, uſus eſt futuro verbi היה *Hajah, Fuit*: At cum nomen ſuum *Iehova* voluit formare inſeruit ו *Vau* loco י *Iod*, ex verbo הוה *Havah*. Ad hæc futurum hoc ex verbo *Havah* deberet potius eſſe *Iihveh* quam *Ieheveh*.

Frequentari deſierit] At unquam frequentatum fuiſſe, facilius dicitur quam probatur: Et ſi idem foret imaginarium *Ieheveh* ac *Iihejeh* in futuro, hoc frequentare æquè nefas eſſet ac illud.

Aut qui ejus] De eo inferiùs videbitur.

Obſervatur à viris doctis locus apud Eccleſiaſten, (*Eccleſ. 11. 3.*) ubi reperiatur tertia futuri perſona ſingularis maſculina verbi *Havah*, quæ debebat eſſe *Ieheveh* vel *Iiheveh*. ſed iidem notant, formam ejus prorſus ibi eſſe anomalam, non modò punctis vocalibus, ſed & literâ ultimâ mutatâ. quod non alia de cauſſa factũ videtur, quàm ne cum divino nomine conveniret. legitur enim ibi *Iehu*. Quare nihil dubitamus, veram iſtius vocabuli pronunciationem eſſe *Ieheveh* vel *Iihveh*, idque ſuâ naturâ Grammaticis verbum eſſe, quod ſignificet *Erit*: uſu autem nominis induiſſe naturam. qua ratione etiam prima hujus verbi perſona *Ehieh* id eſt *Ero*, aut integra oratio *Ero qui Ero*, quâ ſe appellavit Deus, in nomen quoddam migrat. Verum tamen non ita vox illa, qua de agimus, nominis æmulatur ingenium, ut non ſuum etiam magna ex parte retineat. Nam nec variationem aliis nominibus uſitatam admittit, nec particulas ſibi affigi patitur, quas idem iſtud verbum aliàs reſpueret. Eo tamen etiam appellativorum, quæ vocant, nominum indolem imitatur, quòd ſæpè vocem *Zebaoth*, id eſt, *exercituum*, regere deprehenditur. Hoc enim illud eſt, quod in ſacris literis, præſertim apud Prophetas, frequenter occurrit, *Dominus*, vel, cum vox *Adonai* præcedit, *Deus exercituum*.

‡ *Ibi eſſe anomalam*] Non quod יהוא *Iehu* ibi ſcribatur pro יהוה *Iiheveh* adverſarii, ſed quod ſcribatur pro יהוא *Ieheve*, ut diſertè monent viri in iſto genere literarum verſatiſſimi, Schindlerus & Buxtorfius in Lexicis.

Quare nihil dubitamus] Hæc definitio plus habet temeritatis quam veritatis, cum juxta

Digitized by Google

eruditos; *Iod* præfixum non ſit ibi nota futuri, ſed potius Characteriſtica nominis proprii, ut in *Iſaac* יצחק, *Iacob* יעקב, & aliis videre eſt. Ipſa punctuatio oſtendit quod non debeat ſumi pro futuro verbi *Havah.* Nec ſi Deus uſus eſt ibi nominaliter futuro *Ehejeh*, inde ſequetur ipſum nomen *Iehova* futurum denotare, licet utcunque ex futuro formatum concederetur.

Nam nec variationem] Id potiùs ei convenit quia nomen eſt proprium, cum & idem obtineat in nomine *Adonai* per *Kamets.*

Eo tamen etiam] At in eo regimine non deſinit eſſe nomen proprium ſummi Dei; ſed per appoſitionem vocis *Zebaoth* ejus Majeſtas & Potentia amplius exprimitur.

78. Inventa origine, & propria hujus vocis ſignificatione; videndum nunc porrò eſt, cur id nominis ſibi Deus impoſuerit. Id verò nobis aperiet alter Exodi locus, quem capite 6. extare diximus. In eo Deus ſic in Hebræo (*v.2. & d.*) alloquitur Moſen: *Ego ſum Iehova*: (ſequamur enim nunc vulgarem pronunciationem) *apparuique Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo, in* [*nomine*] *Dei omnipotentis: at* [*in*] *nomine meo Iehova non ſum cognitus illis. Et etiam* (vel *etenim*) *ſtatui pactum meum cum eis, quòd daturus eſſem eis terram Canaan, terram peregrinationum ipſorum, in qua peregrinati ſunt: & etiam* (vel *porrò autem*) *audivi clamorem filiorum Iſraël, quos Ægyptij ſervitute premunt: & recordatus ſum pacti mei. Idcirco dic filiis Iſraël: Ego ſum Iehova, & educam vos ab oneribus Ægypti, & eruam vos è ſervitute ipſorum, & redimam vos brachio extenſo, & judiciis magnis: accipiamque vos mihi in populum, & ero vobis in Deum: ac ſcietis, quòd ego ſim Iehova Deus veſter, qui educo vos ab oneribus Ægypti. Introducam quoque vos in terram, pro qua levavi manum meam, me daturum illam Abrahamo, Iſaaco & Iacobo; daboque eam vobis in hæreditatem: Ego Iehova.* Ex quibus verbis ſatis apparet, ideo Deum ſeſe appellare *Iehova*, vel potiùs *Iihveh* aut *Ieheveh*, id eſt, *Erit*, quia id præſtiturus ſit Iſraëlitis, quod ipſorum patribus olim promiſerit. unde futurum ſit, ut experimento ipſo cognoſcant, eum eſſe *Iehevch* ſeu *Erit*; id quod patres ipſorum nondum, præſertim plenè, fuerint experti. Hoc enim eſſe videtur, quod ait, ſe iis in nomine ſuo *Iehova* non fuiſſe cognitum. Illud ergo *Erit*, vel *Ero*, quod pleniùs antea dixerat, *Ero qui Ero*, nihil ſignificat aliud, quàm reipſa is ero, quem me futurum dixi; ſeu, reipſa eum me præſtabo, quem præſtiturum promiſi. Paulò enim aliter atque aliter vox *Ero* bis poſita, in eadem oratione ſumitur per antanaclaſin, figuram & frequentem ſatis, & elegantem: priùs de facto ipſo; poſteriùs de jure, ſeu mavis de obligatione. Fidem nempe ſuam ac conſtantiam in ſervandis promiſſis, eo nomine potiſſimùm declarat Deus: ſimul tamen etiam potentiam, quâ res promiſſas, licèt alioqui difficillimas, præſtat, quàmque impedire nulla vis quantumcunque renitatur, poſſit. Quia verò tanta potentia non niſi in eum cadit, qui ſummus ſit rerum omnium dominus ac monarcha; ideo eadem vox vim nonnunquam habere videtur nominis *Elohim*, id eſt, Dei, aut *Adonim*, Domini, cùm id κατ' ἐξοχὴν Deo ſummo tribuitur. Hoc pacto ſumitur, cum nomen *exercituum* regit. Unde idem explicatiùs interdum dicitur, *Iehova Deus* (Hebr. *Elohe*) *exer-*
79. *cituum.* (*2 Sam: 5. 10. 1 Reg: 19. 10 14.*) Significatur enim eum eſſe Dominum rerum

Digitized by Google

rum omnium, (ſic *exercituum* nomen in hac phraſi plerique accipiunt, quos hac de re legere mihi contigit) quæ copiarum inſtar ad nutum ipſius adſint, & pro ipſo veluti militent: vel, eum legionum angelicarum ſummum eſſe ducem atque imperatorem. Cui autem angelici parent exercitus, quid non pareat? Quare nomen hoc unum Deum ita ſignificat, ut diverſa ejus attributa, naturæ vinculo inter ſe colligata, animis noſtris inſinuet. quodnam verò eorum potiſſimùm, ex ipſorum locorum ratione cognoſcendum eſt.

‡ *Ex quibus verbis ſatis*] Imò hinc voluit Deus apparere ſe eſſe ſupremum Ens, qui ut eſt ſuum eſſe & à ſeipſo, & dat omnibus eſſe, moveri, & vivere Act. XVII, 28. ita dat exiſtentiam rebus à ſe promiſſis, eaſque juxta verbi ſui conſtantiam ſiſtit & exhibet ſuis fidelibus.

Hoc enim eſſe videtur] Non quod ipſum nomen neſciverint, ſed quod vim & efficaciam moralem illius nominis nondum perceperint, exiſtentiâ & executione promiſſorum divinorum rejectâ in illud tempus quod tum evenerat.

Sumitur per antanaclaſin] Nulla hîc Antanaclaſis fingenda; Sed Deus & nomen ſuum proprium *Iehova* deſignat, & ita illius originem rejicit in verbum ſubſtantivum, ut ex illo ſuorum fiducia excitetur & foveatur.

Ideo eadem] Vtrobique quidem res ſignificata eſt eadem; Idem enim *Elohim Zebaoth*, qui *Adonai* & *Iehova*; Sed modus ſignificandi eſt diverſus: Aliquando *Iehova Zebaoth* dicitur quod ſit ſupremum illud Ens cui omnia parent; Aliquando interſeritur nomen *Elohe* vel *Elohim*, ut ſignificetur illum *Iehovam* eſſe quoque *Elohim* ſive *Deum Exercituum*, vel illum eſſe *Iehovam Elohim*, Ens primum & independens, perſonis trinum, cui omnia ſubjiciuntur.

Exercituum] Quamvis eò extendi poſſit hoc nomen, tamen maximè ſpectat exercitus cœleſtes, tam ſenſibiles quam intelligibiles, de quibus Gen. II, 1.

Quare nomen] Non variat unquam hujus nominis ſignificatio, quâ Ens primum, neceſſarium, per ſe exiſtens, independens & æternum deſignatur, cum illis omnibus attributis quæ ſupremo Enti conveniant: Nec commodiùs aut fœliciùs videntur ulli interpretes hoc nomen reddidiſſe quam Galli mei per vocem L'ETERNEL.

Ex iis, quæ diximus, intelligi ſatis poteſt, verbum hoc originis quidem ac nativæ ſignificationis ratione commune eſſe: veruntamen tum ob ἐξοχὴν ſignificationis Dei evaſiſſe proprium; tum ob id, quòd de aliis ſive perſonis, ſive rebus in ſe ſpectatis, nominis inſtar uſurpatum nunquam fuerit; quin etiam in nativa ſua ſignificatione uſurpari deſierit. Obſervatum nihilominus fuit à viris doctiſſimis, id nomen, ut & cætera Dei propria, angelis tribui, ipſius perſonam aliqua ratione ſuſtinentibus, idque abſolutè, ac ſine ulla poſitum adjectione. Nam cum adjectione poſitum, ſeu integræ ſententiæ inſertum, quæ in unum veluti nomen coaleſcat, de aliis quoque rebus enunciatur. id quod cum nomine *El* ei eſt commune, quemadmodum inferiùs eplicabimus.

‡ *Originis quidem*] Atqui nullum ferè nomen eſt proprium, cujus origo ad vocem aliquam appellativam non referatur, ut in Philippo, Alexandro, Cæſare, Cicerone, Petro, Paulo & ſexcentis aliis videre eſt.

Evaſiſſe

Digitized by Google

Evaſiſſe proprium] Non evaſit, ſed ſemper fuit: cum jam à tempore Enos ante diluvium, cœptum ſit nominari nomen *Iehovæ*, ideſt cœperint pii ſe *Iehovæ* populum & cultores vocare ac profiteri, Gen. IV, 26.

In ſe ſpectatis] Hæc clauſula non erat adjicenda, cum nulli rei vel perſonæ id nominis unquam in Scripturis tribuatur, niſi ſummo & independenti Enti, Patri, Filio & Spiritui Sancto.

Quinetiam in] Imò cum in nativa ſua ſignificatione nunquam niſi de ſummo Deo uſurpatum fuerit, fruſtra in illa deſiiſſe author comminiſcitur.

Obſervatum nihilominus] Hæc obſervatio falſa eſt; cum *Angelus Iehovæ*, qui *Iehova* dicitur, ſit Angelus *fœderis* & *magni conſilii*, nempe Dei Filius, Ieſus Chriſtus.

Nam cum adjectione] Id negatur: Nam ſententia illa ad cujus conſtitutionem aut compoſitionem concurrit nomen *Iehova*, ita alteri alicui rei ſignificandæ deſtinatur, ut ipſum tamen nomen *Iehova* in illa compoſitione vel ſententia, non recedat à propria ſua ſignificatione. Ita quis *Ezechias* ſive *Hiſkia* dicitur, ideſt, *Fortitudo Iehovæ*, ad ſignificandum Iehovam eſſe robur & fortitudinem ſuorum; Ita *Eſajas* ſive *Ieſchanjah*, *Salus Iehovæ* vel *Iehova*, quod omnis ſalus ſit ab ipſo. Ita altaria Moſis & Gedeonis inſcripta fuerunt, illud *Iehova vexillum meum*, hoc *Iehova pax*, quod piis & ſe timentibus *Iehova* utrumque ſit.

Nunc id, quod de hoc nomine angelis tributo diximus, exſequamur. Angeli cùm in ſeipſis ſpectantur, à Jehova ut miniſtri à domino, ut nuncij à mittente diſtinguuntur. Sed nonnunquam, Deo ita volente, ipſius perſonam aſſumunt, & tunc quodvis ipſius nomen & ipſi ſibi tribuunt, & ab aliis ſibi tribui patiuntur. Non ſecùs enim ſe gerunt ac loquuntur, ac ſi ipſemet adeſſet Deus. non alia proculdubio de cauſſa, quàm ut tantò plus auctoritatis habeat res & oratio, & in auditorum animos altiùs deſcendat. In dramatibus ſimilia quodammodo cernimus. In iis enim alter alterius perſonam ita ſuſtinet, ut res non referri, ſed geri videatur. quanquam iſtic ad delectationem ſpectantium, & in rebus ſæpè minimè ſeriis: illic ad utilitatem audientium, ac in rebus maximè ſeriis: &, quod diſcrimen hîc maximè attendendum eſt, Angeli Dei perſonam ita ſuſtinent, ut ejus auctoritatem ſimul habeant: longè ſecùs quàm in dramatibus contingit. Angeli enim à Deo ipſo mittuntur, ab eo perſonam hanc ſibi impoſitam ſuſtinent.

‡ *Angeli cum in*] Nec ſemper *Angelus Iehovæ* à *Iehova*, ut miſſus à mittente, diſtinguitur eſſentialiter, ſed tantum perſonaliter; & nunquam Angelus creatus ita aſſumit Dei perſonam, ut quodlibet ejus nomen, vel ſibi tribuat, vel ab aliis ſibi deferri patiatur: Deo ipſo proteſtante per Eſajam XLII, 8. quod *Iehova* ſit *nomen* ſuum, neque velit hanc ſuam *gloriam*, quâ videlicet eſt *Iehova*, & hoc nomine eſt inſigniendus, ulli alteri dare. Nec Angelus creatus pateretur ſe tanquam ipſum *Iehovam* coli & compellari; cum Apoc: XIX, 10. XXII, 9. noluerit admittere Angelus qui apparebat Iohanni ejus cultum & adorationem, hoc potiſſimum argumento quod ejus σύνδουλος eſſet. Non neſciunt Angeli ſe ſervos eſſe & miniſtros, λειτουργικὰ πνεύματα, Heb: I, 14. Abſit igitur ab illis ut ſibi tribuant quæ ſunt Domini, &, quod crimine læſæ majeſtatis non careret, ejus Regalia uſurpent.

Non ſecus enim] Quando Angelus ita agere dicitur ac deſcribitur, eſt Angelus Creator, Angelus fœderis, Angelus magni Conſilii,

Digitized by Google

Conſilij, nempe æternus Dei Filius.

In dramatibus] Profana hæc eſt & parum pia ſimilitudo; cum non *dramaticè* hæc referantur in Scripturis, ſed *hiſtoricè*; & ſit omnino alienum tum à nuncij officio, aſſumere perſonam mittentis, & ſe pro principali & Domino ipſo gerere; tum à Dei ipſius ſumma majeſtate, ſuam perſonam alteri agendam committere, dum ipſe lateat poſt ſiparium.

Angeli Dei perſonam] Nec Authoritas, nec Majeſtas Divina eſt communicabilis Creaturis: Aliud itaque eſt aliquid agere ex Dei authoritate, quod Angelo creato convenit, aliud eſt Dei authoritatem habere, quod nemini niſi ipſi Deo vero & æterno competit. Apparitor aut fecialis publicus agit ex authoritate Magiſtratus; non tamen Magiſtratus titulos aſſumit, vel ſe Regem, Principem, Conſulem vocat, aut ſibi tribuit authoritatem vel Conſularem vel Regiam.

Quam ob cauſam ita olim Deus præcepit de angelo, quem eſſet miſſurus, ut
Iſraëlitas in itinere defenderet, & in terram ipſis deſtinatam introducet. *Cave*, 80.
inquit, (*Exod: 23.20.21.*) *à facie ejus, & obtempera voci ejus, ne exacerbes eum. neque enim parcet prævaricationi veſtræ. Nomen meum in ipſo eſt.* q.d. perſonam meam ſuſtinet, mea auctoritate ac poteſtate inſtructus. Non ſolent eandem rationem principum perſonas aſſumendi, ac loquendi formam ſervare legati. Cum enim nemo non aliam ipſorum principum, quàm legatorum perſonam animo concipiat, minus vel gratiæ, vel gravitatis habitura eſſet alienæ perſonæ aſſumtio. At Angeli Deum hominibus repræſentârunt inconſpicuum, nunquam viſum, nunquam mortalibus videndum.

‡ *Cave, inquit*] Hic Angelus eſt Dei Filius, qui & *Angelus faciei* dicitur Eſ: LXIII, 9. & *Iehova* appellatur Exod: XIII, 21. & cujus benedictionem implorat Iacob ſuper filiis Ioſephi Gen: XLVIII, 16. vocans eum Angelum qui *ſe redemit*, vel vindicat, *ab omni malo.* Paria faciunt loca Exod: XXXII, 14. *Ecce Angelus meus ibit ante te*, & Exod: XXXIII, 2. *Et mittam Angelum ante te & ejiciam Cananæum.* Nec obeſt quod ibid. com. 3. profiteatur Deus ſe non aſcenſurum in medio populi, cum hoc dicatur tantum ſecundum quid, & quoad extraordinaria & ſenſibilia ſigna præſentiæ & majeſtatis Divinæ, quandoquidem nihilominus firma manſit promiſſio com. 14. *Facies mea ibit, & faciam requieſcere te.* Hinc tam palam dicuntur Iſraelitę Chriſtum tentaſſe in deſerto 1 Cor: x,9. Nec poteſt is Angelus Moſi commemoratus eſſe Creatura, cui obediendum ſit, qui non ſit exacerbandus, & qui ex ira & indignatione hominum peccata ulciſcatur. Itaque coincidit hic locus Exod: 23. cum eo quod legimus Matt: XVII, 5. cœlitùs dictum fuiſſe de Chriſto, *Hunc audite.*

Nomen meum] Id amplius ſonat quam eſſe inſtructum authoritate Dei; Aliàs de Moſe & quolibet gregario Propheta æquè dicere poſſet Deus, *Nomen meum in ipſo eſt.* Galatinus *lib. 3. de Arc. Verit. Cath. cap. 6.* multis probat ex Iudæorum monumentis, *Nomen Dei* eſſe Deum, & Meſſiam *Nomen Dei* appellari. Is igitur in quo eſt Nomen Iehovæ, habere debet ipſius eſſentiam & naturam, prout Chriſtus dicitur *verus Deus & vita æterna* 1. Ioh: v, 20.

Non ſolent] Ergo neque id de Angelis creatis debet concipi; cum etiam nemo non aliam ipſius Dei quam Angeli creati perſonam animo concipiat.

At Angeli] Angelum creatum eſſe Deum repræſentativum, nemo ſanus unquam dixerit. Et legati agunt etiam Principum ſuorum nomine apud eos qui illos ſuos

Digitized by Google

Principes nec viderunt unquam, nec viſuri ſunt; Non tamen ideo ſibi tribuunt quæ illorum ſuorum Principum ſunt.

Ejus autem, qua de nunc agimus, rei exemplum habes in apparitione Dei Abrahamo facta. (*Gen: 18.*) In ea angelus unus duobus aliis comitatus, non ſecùs ac Deus ipſe loquitur, (*v. 13. & d.*) ac *Dominus* ſeu *Iehova* non ſemel appellatur, eoque à cæteris duobus ſatis apertè diſtinguitur. Hinc vulgò hodie arbitrantur, Deum ſummum revera adfuiſſe: multi etiam, tres divinitatis perſonas virorum ſpecie apparuiſſe. Sed ne veterum quorundam Eccleſiæ doctorum ſententias nunc commemorem; aliud D. Auctor Epiſtolæ ad Hebr. (*Hebr. 13. 2.*) docet. Is hoſpitalitatem commendaturus, quoſdam, ait, inſcios, ejus virtutis beneficio excepiſſe hoſpitio Angelos. Ad hanc autem de Abrahamo, & quæ de Lotho ſubjicitur, hiſtoriam eum reſpicere, præter rem ipſam, arguunt ſcripturæ loca, quę in orâ ſacri codicis vulgò ſolent adjici. Quòd ſi Deus ipſemet tunc adfuiſſet; ad laudem hoſpitalitatis tantò majorem, dicturus potiùs fuiſſet ſcriptor divinus, quoſdam per eam Deum ipſum hoſpitio excepiſſe.

‡ *Ejus autem, qua*] Imò hoc exemplum confirmat quod ſtatuimus, eum ex illis tribus qui *Iehova* dicitur, fuiſſe Dei Filium, hoc præludium futuræ ſuæ incarnationis exhibentem Abrahamo; qui etiam dicitur vidisſe diem Chriſti Ioh: VIII, 56.

Hinc vulgò hodiè] Iure merito: cum ille qui *Iehova* dicitur, eo ipſo apertè à reliquis duobus & titulo & cultu diſtinguatur: Ita jam olim à Concilio Sirmienſi fuit definitum *can.* 14. Qui id referunt ad tres perſonas Divinitatis, cum Veteribus quibuſdam, infirmiori nituntur argumento.

Sed ne veterum] Ex illis Auguſtinus *lib. 16. de Civit. Dei*, *cap.* 29. agnoſcit non deesſe tamen qui unum ex his tribus Chriſtum fuisſe asſeruerint.

Is *hoſpitalitatem*] Nec immeritó; cùm ex illis tribus duo fuerint Angeli creati, qui expresſe Gen: XIX, 1. *duo illi Angeli*, diſtinctè ab eo apud quem Abraham conſtiterat, appellantur. Quod vero Gen: XIX, 18. Loth eos compellans qui ipſum ex Vrbe educebant, unum ex illis alloquitur in ſingulari ſub nomine *Adonai*, inde factum videtur quod is ipſe Angelus increatus, qui *Iehova* dicitur cap. præced. & diſtinctus ab aliis duobus qui ſub veſperam erant ingreſſi Sodomam, occurrerit Lotho ex urbe diſcedenti, ejuſque ſaluti humaniter conſuluerit: unde poſtea dicitur com. 24. *Iehovam* demiſisſe ſuper Sodomam & Gomorrham pluviam ſulphuris & ignis *à Iehova* è cœlis.

Quod ſi Deus] Cum Lotho Deus non adfuerit domi, ſed demum occurrerit ei cum Vrbe exiret, nec tam hoſpitio exceptus fuerit ipſe Iehova ab Abrahamo quam prandio, ſed duo Angeli pernoctaverint apud Lothum, potius Angelorum meminit Apoſtolus Paulus, (qui fruſtrà hic diſtinguitur à divino ſcriptore Epiſtolæ ad Hebræos, cujus authoritatem Enjedinus Socinianus omni ope ſtudet elevare;) quam Dei; ne etiam videretur fabulas Poëtarum, eos commemorantium qui ipſos Deos hoſpitio exceperunt, ut de Philemone & Bauci refert Ovidius *Metam.* 8. Chriſtianis obtrudere; Vt taceam quod cum etiam Angelus Iehova ſit ſuo ſenſu Angelus, etiam illius reſpectu maneat generalis Apoſtoli obſervatio, de Angelis hoſpitio exceptis ab iis qui hoſpitalitati ſtuduerunt.

Sed deinde

Digitized by Google

Sed deinde is ipſe, qni nomen Jehova, cum Moſe colloquens ſibi impoſuit, eoque tam frequenter in ea ſermocinatione inſignitur, angelus fuit. Teſtatur id ipſe Moſes, apparitionem iſtam ſibi factam deſcribens. (*Exod: 3. 2.*) Sic enim iſtic in Hebræo legimus: *& apparuit ei Angelus Jehovæ*, ſeu *Domini*, non verò *Dominus*, ut eſt in vulgata interpretatione latina. Unde Stephanus in Actis: *Hunc* (Moſen intellige) *Deus principem & redemptorem miſit in manu* (hoc eſt interveniente opera ac miniſterio) *angeli, qui apparuit ipſi in rubo.*

‡ *Sed deinde*] Angelus fuit, ſed increatus, cui Iſraëlitæ reſtiterunt & quem tentarunt in deſerto.

Teſtatur id ipſe] Inuerto argumentum: Nam ex eo quod idem qui *Angelus Iehovæ* dicitur, deinceps *Iehova* appellatur, liquet eum ergo etiam eſſe *Angelum Iehovam*, ideſt Dei Filium, ut quoque Theodoretus interpretatur. Hoc vidit author Vulgatę Verſionis, qui pro *Angelo Iehovæ*, ut vulgó redditur, ſimpliciter *Dominum* repoſuit. Et ſané commodiùs ibi legas *Angelus Iehova* quam *Angelus Iehovæ*, maximé cum in textu Hebraico hæc duo nomina, מלאך יהוה *Maleach Iehova*, non jungantur per *Maccaph*, ut Pſal: XXXIV, 8.

Unde Stephanus] Nec aliud docet Protomartyr Act. VII, 30. & ſeq. Nam ita ἄγγελος κυρίου ei dicitur is qui Moſi apparuit in rubo, ut & κύριος paulò poſt nominetur com. 33. *Dixit illi Dominus, ſolve calceamentum pedum tuorum*; & com. 31. illius vox φωνὴ κυρίου appelletur; & ipſe ita loquatur *Ego ſum Deus Patrum tuorum* &c. quod nec convenit Angelo creato, nec ab ullo tali citra mendacium & ſacrilegium poſſet uſurpari. Quoad com. 35. hic ab authore citatum, nihil aliud ſignificat quam Moſem deſignatum à Deo liberatorem populi, virtute & ductu illius ipſius Angeli fœderis qui ei in rubo apparuerat: Nec enim Angelus fuit ad hoc opus cauſa inſtrumentalis, ſed è contrario Moſes hujus Angeli miniſter & organum debuit eſſe.

Is, qui è monte Sinai tanta cum majeſtate Legem ferens pronunciavit, *Ego ſum Iehova Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægyti*, & quæ ſequuntur, qui in tota illa hiſtoria paſſim *Iehova* appellatur à Moſe, angelus fuit. Teſtis eſt idem, quem modò citavimus, (*Act: 7. 53.*) Stephanus; teſtis (*Gal: 3. 19.*) Paulus; teſtis (*Heb: 2. 2.*) divinus ad Hebræos ſcriptor. Hi namque omnes uno affirmant ore, per angelos diſpoſitam, ſeu latam pronunciatamque Legem. Et Auctor quidem divinus Epiſtolæ ad Hebræos eo argumento Evangelium præfert Legi, quòd hæc 81.
per Angelos, illud per Dominum, nempe Chriſtum, quem angelis longè præſtantiorem eſſe factum (*cap. 1. 4. & d. uſque ad finem*) prolixè docuerat, primò fuerit promulgatum. quò reſpicit etiam Paulus, (*Coloſſ: 2, 8. & d.*) Coloſſenſes monens, ne à Chriſto ad mundi rudimenta relabantur, quæ in Lege Moſaica continentur: *& eſtis*, inquit, (*v. 10.*) *in ipſo* (Chriſto) *impleti, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis.* quaſi dicat, ſi quis fortè cogitet, Legem per angelos, & quidem principes, eſſe latam; glorioſum eſſe, ab illis divinæ voluntatis notitiâ imbutum cenſeri; longè glorioſius eſt, vos per eum, qui omnium illorum principum ac poteſtatum caput eſt ac dominus, divinæ voluntatis notitiam fuiſſe conſecutos

Digitized by Google

ſecutos, eamque plenam ac perfectam, non, ut ſub Lege, imperfectam.

‡ *Is qui è monte*] Ieſum Chriſtum Dei filium, fuiſſe in hoc monte primarium Legiſlatorem, non ſolum liquet ex 1 Cor: x, 9. ſed etiam ex Gal: III, 19. ubi lex dicitur *ordinata per Angelos in manu Mediatoris*. Cum enim Chriſtus *unicus* ſit *Mediator Dei & hominum* 1 Tim: II, 5. is utique in Legiſlatione intelligitur à Paulo, ut etiam agnoſcunt ex Veteribus Chryſoſtomus, Hieronymus, Ambroſius & Auguſtinus.

Teſtis eſt idem] Nihil hic eſt quod nobis obſit; Nam ita intervenere ei negotio Angeli creati, ceu Accenſi, Apparitores & Miniſtri Legiſlatoris primarij, ut tamen hæc ejus vox fuerit, *Ego ſum Iehova Deus tuus*, non ullius ex illis. Imò etſi dixero voces illas formatas in aëre Angeli creati miniſterio, non tamen inde magis ſequetur Angelum creatum vices Dei hic ſuſtinuiſſe, & ejus perſonam repræſentaſſe, ac ſe *Iehovam* ideo appellaſſe, quam Secretarium Principis Domini ſui nomen arripere & ſuſtinere perſonam eo quod exarat Epiſtolas & Edicta quæ ſub ejus nomine ſcribuntur & promulgantur.

Eo argumento Evangelium] Hoc Elogium Scriptoris Epiſtolæ ad Hebræos, uti jam ante inſinuavi, eſt nimis affectatum in iſtorum hominum ore, qui nihil minus quam bonâ fide admittunt ejus authoritatem. Præfert autem Paulus hac in parte Euangelium Legi, quod illud nobis Pater curarit immediatè annunciari Miniſterio & ore ſacratiſſimo Filii ſui in carne manifeſtati, cum ad Legis promulgationem, Angelorum duntaxat ſecundarias operas & miniſterium adhibere voluerit.

Quem Angelis] Quod ſi Chriſtus eſt longè *præſtantior* factus, ideſt declaratus, ipſis Angelis, & ab illis ceu *Dominus* diſtinguitur à Paulo, cur ergo illi non conveniat eſſe & dici *Iehova*, longè potiori jure quam Angelo illi creato, qui hoc nomen arripuit & ſibi tribuit ex hypotheſi Adverſarii?

Quo reſpicit etiam] Vt detur etiam ad Miniſterium ab Angelis in Legiſlatione præſtitum reſpici ab Apoſtolo, tamen valebit hoc argumentum contra Adverſarium: Si enim *Iehova* dictus Angelus Legiſlator, quod divinæ voluntatis inſinuandę Miniſter fuerit, quanto magis Chriſtus Angelorum omnium *caput* & *Dominus*, Iehova verus & dicendus & habendus eſt?

Quò minùs excuſari poteſt eorum error, qui angelum, vel potiùs angelos illos, per quos Legem promulgatam fuiſſe legimus, imò & cæteros quibus nomen *Iehova* tributum aliquando fuit, Chriſtum fuiſſe contendunt, qui & Jehova ſimul appellari potuerit ob naturam, & angelus ob officium. quo pacto etiam dictus ſit (*Mal 3. 1.*) angelus fœderis. Quæ ſententia tum Pauli, tum divini ad Hebræos ſcriptoris argumentum, quo Legi Evangelium uterque præfert, penitus evertit. Qua re potiſſimùm admoniti viri eruditi, alios quoque de errore illo vulgari monuerunt. Adde, quòd divini illi, quos laudavimus, teſtes, non unius tantùm angeli, ſed *Angelorum*, tanquam plurium, per quos Lex lata fuerit, mentionem faciant. Unde colligimus, alios aliis in eodem miniſterio ſucceſſiſſe. Atqui nomen loquentis propterea mutatum eſſe, nuſpiam deprehendas. Semper enim is, qui vel Moſen vel populum ipſum alloquitur, Dei & perſonam, & nomen præfert.

‡ *Quo minus excuſari*] Qui non diſtinxerit Angelos in plurali qui adminiſtri fuerunt Legiſlationis in monte Sinai, ab eo in ſingulari qui Iehovam ſe dicit, & Moſi

Digitized by Google

in rubo apparuit, inſultè dicet quod ſimul multi Angeli ſe *Iehovam* appellarint.

Imo & cæteros] At alium unquam Angelum præter eum qui Moſi apparuit in rubo & in Legiſlatione dixit *Ego ſum Iehova*, ſe hoc nomine inſigniviſſe, nunquam ex Scripturis poterit demonſtrari.

Quæ ſententia, tum] Neutiquam: Nam ut diſcrimen facimus inter eos ad quos Princeps propria ſua manu ſcribit, & eos ad quos ſcribit manu Secretarii ſui, ita hactenus diſcrimen valet inter homines Novi fœderis & Iſraelitas; quod hos compellarit Deus vocibus, & tonitruis, & fulguribus, Angelorum miniſterio efformatis; Nos vero proprio ſuo ore, aſſumptâ carne noſtrâ in unitatem perſonæ: Angeli quidem fuerunt Miniſtri Legiſlationis; Sed ipſe Dei Filius voluit eſſe *Miniſter circumciſionis propter veritatem* Dei, ut docet Paulus Rom. xv, 8. Nec enim comparatio illa inter Legem & Euangelium, primarium ſpectat Authorem, qui fuit utrobique Chriſtus, Dei æternus Filius; Sed tantum Adminiſtrorum diſcrimen proponit, quod illius fuerint Angeli, hujus vero Dei Filius incarnatus.

Adde quod divini] Optimè: Vnde patet Angelos hos tanquam accenſos & apparitores in Legiſlatione diſtingui à primario Legiſlatore, qui infinitâ illa Angelorum multitudine ſtipatus ſe accinxit ad promulgationem legis, ut liquet ex Pſal. LXVIII, 18. & Moſis teſtamento Deut. XXXIII, 2. Sic tamen ut ei *habitator rubi*, ſit ipſe Deus, cujus ibid com. 16. *beneplacitum* optat in *caput* Ioſephi.

Vnde colligimus] Nugæ: quaſi vero priori Angelo ex labore forte defatigato, ſecundus, & ſecundo tertius debuerit ſuccenturiari: Quare quod *ſemper* is qui loquitur *Dei nomen* præfert, evidenter docet ipſum naturâ fuiſſe Deum, Patri ſuo coeſſentialem & coæternum.

Præterea vel ſuo is nomine, vel alieno ita loquutus eſt. Si ſuo, legati munus non obiit, nec angelus dici meruit. ſi alieno, is ipſe non fuit, cujus nomen præ ſe tulit, ſed alienam perſonam ac nomen aſſumſit. Nam qui alieno nomine loquitur, alienaque vel mandata, vel promiſſa, vel denique facta exponit, cum interim, ſi orationis formam ſpectes, ea omnia de ſe ipſo dicere, aut ſibi tribuede videatur; eum alienam perſonam aſſumſiſſe, & nomen, quod in ea oratione uſurpat, alienum eſſe neceſſe eſt. Quid igitur cauſæ eſt, cur eum qui locis indicatis verba, tanquam ipſe Deus, facit, Chriſtum, qui ſit ipſe Jehova, & ex ſua perſona revera loquatur, eſſe cenſeamus?

‡ *Præterea, vel ſuo*] Retorqueo hoc argumentum. Nam is vel ſuo, vel alieno nomine loquebatur: Si alieno & tanquam Legatus, non poterit Principis nomen & perſonam aſſumere, ut ſupra monebat Author id eſſe inſolens, nec uſu receptum: Si ſuo, ergo verus Iehova fuit. Deinde non repugnat Chriſtum eſſe Angelum Iehovæ, ſive à Patre miſſum, & nihilominus eſſe ſimul Iehovam, Patri coeſſentialem, & coæternum: Quapropter & ſuo nomine loquitur ut Hæres & Dominus, & nomine Patris, ut ab ipſo miſſus; quippe qui alius quidem eſt ab eo, ſed non tamen aliud.

Acce[d]it, quòd Chriſtus nuſpiam ſimpliciter appellatur *Angelus*, vel etiam *Angelus Dei*: ſed tantùm *angelus* ſive *legatus fœderis*, (*d. l. Mal: 3. 8.*) intellige novi. Illius appellationis ratio latiùs patet: hujus anguſtiùs. Illo modo, præſertim cùm hi- 82

ſtoria aliqua narratur, nominari ſolent ſpiritus illi cœleſtes, quorum ea eſt functio ordinaria ac perpetua, ut ad varia miniſteria obeunda à Deo, nunc etiam à Chriſto, mittantur. hoc autem poſteriori modo vocatum cernimus Chriſtum, qui ad certam tantùm rem conficiendam, nempe ad fœdus novum Dei nomine cum hominibus ſanciendum, aliquando miſſus fuit.

‡ *Accedit, quod Chriſtus*] Eſt petitio principii: Nam etiam *Angelus Iehovæ* dicitur in Legiſlatione, & ſub hoc nomine abſoluto *Angeli*, non ſemel deſcribitur in Apocalypſi, ut nominatim VIII, 3. Eo vero ab Angelis creatis diſtinguitur, quod etiam *Iehova* dicatur, & *Angelorum Dominus* ac *caput* eſſe ſtatuatur.

Illo modo] Sed cum Angelus fœderis intelligitur, ſic Angelus Domini dicitur, ut ſimul vel *Dominus* appelletur, vel ei quæ ſolius ſunt Iehovæ tribuantur.

Hoc autem poſteriori] Imò & hoc elogium eò pertinet, quod ipſius quoque partes fuerint in fœdere illo primo cum Iſraelitis ſanciendo.

Ex quo etiam intelligitur, cujuſnam temporis reſpectu ea appellatio Chriſto conveniat. non ejus, quo Lex è monte Sinai fuit promulgata, & antiquum fœdus per Moſen cum Iſraëlitis percuſſum: non eorum, quæ vel anteceſſerunt, vel proximè ſubſequuta ſunt, ſeculorum: ſed ejus, quo Evangelium per ipſum eſt orbi publicatum ac confirmatum. Tunc angelus ſeu legatus fœderis, tunc fœderis mediator, (*Heb: 8. 6. 12. 24.*) hoc eſt, internuncius inter Deum ac homines in eo ſanciendo fuit.

‡ *Ex quo etiam intelligitur*] Petitio iterum principii; Nam etiam Chriſtus Dei Filius fuit ſupremus Legiſlator in monte Sinai, nec demum hoc elogio cœpit inſigniri cum in carne apparuit. Siquidem ipſum Fœdus gratiæ fuit initum cum homine ſtatim poſt peccatum: & ad illud multifariàm pertinuit omnis œconomia Moſis. Et quamvis Ieſuitæ idem ſentiant cum Socinianis de Angelo creato Iehovæ nomen aſſumente, tamen quandoque ad ſe redeunt: Nam Cornelius à Lapide *ad* 3. *Malach.* ſic loquitur: *Porro cum duplex ſit fœdus Dei cum hominibus, Vetus ſive Iudaicum, & Novum ſive Chriſtianum, Chriſtus utriuſque ſuis Angelus & Legatus: Chriſtus enim à Patre miſſus apparuit Moſi in Sina, per eumque vetus fœdus cum iis iniit, quo eis promiſit ſe venturum in carnem, ad eorum mundique totius redemptionem: Chriſtus enim fuit Angelus in veteri fœdere promiſſus Abrahæ, ac ſemini ejus, ac præſertim Moſi. Quocirca S. Paulus Gal.* 3, 19. *ait legem veterem datam in manu, id eſt per manum Mediatoris; ubi multi* (nec ſanè immeritò) *per Mediatorem intelligunt Chriſtum. Hinc & ipſe ait Eſ.* 52. 6. *Ego qui loquebar, ecce adſum: Quapropter S. Baſilii, Cyrilli, Euſebij, Ambroſii, aliorumque multorum Patrum ſententia eſt, quod quandocunque in veteri Teſtamento dicitur appruiſſe Deus, apparuerit ſecunda perſona, ſcilicet Filius, ut ſuum adventum realem in carnem præſignificaret, eique typicè in corpore ſpecie tenus aſſumpto præluderet.* Nec eſt de nihilo quod ipſe Angelus fœderis dicitur Malachiæ *Dominus ille*, & ſtatuitur venturus in *templum ſuum*; quo ſignificetur ſimul & Chriſti Divinitas, & illius ſub Veteri Teſtamento Authoritas ſumma, ut pote cui jam tum Templum Hieroſolymitanum erectum & conſecratum eſſet.

Tum Angelus] Tunc quidem id fuit Chriſtus, cum apparuit in carne; Sed non tamen tunc demum id incœpit eſſe; cum ſit *agnus mactatus ab origine mundi* Apoc. XIII, 8. *idem heri & hodie & in ſecula* Heb. XIII, 8.

Nec

Nec debet quod ſpeciale fuit per ejus incarnationem, derogare illi generali nomenclaturæ & dignitati, quam jam antea ceu olim incarnandus obtinebat.

Hinc legimus quidem, (*Gal:4, 4.*) Chriſtum ex muliere factum natumve, à Deo fuiſſe miſſum: ſed antequam ex ea naſceretur, miſſum nuſpiam legimus. Et quî legamus id, quod fieri nulla ratione potuit? vel quia, antequam naſceretur, ne extare quidem potuerit; vel quia, ut iſti cenſent, Deus fuerit ſummus, qui nuncius ac legatus alterius eſſe nequit, nec miniſterium obire poteſt ullum. Deo ſummo miniſtrant omnia, ipſe nulli: nuncios mittit, à nullo mittitur. alioquin ſummus eſſe, atque adeò etiam penitus eſſe deſineret. Legati enim eſt, mandatis ab altero acceptis, ejus negotia curare, & juſſa exſequi.

‡ *Hinc legimus quidem*] Imò eo quod jam olim tempore Moſis Angelus Fœderis extiterit, eoque nomine inſigniatur à Malachia, quod etiam fœdus cum Iſraele per ipſum pactum fuerit, ad id proculdubio jam miſſus & deſignatus à Patre fuerat: Quin de eodem dicitur Exod. XXXIII, 2. *Mittam ante te Angelum*; Etenim is poſtea com. 14. *Facies* Dei appellatur; פני ילכו *Panai jelecu*, *Facies meæ ibunt*; & apud Eſaiam LXIII, 9. מלאך פניו *Malcach panau*, *Angelus faciei ejus*, cui tribuitur, quod ſuos *ſalvos fecerit*.

Et quî legamus] Chriſtum præextitiſſe ſuæ incarnationi, ſive nativitati ſecundum carnem, docemur paſſim in Scripturis; ut Ioh. I, 1. VIII, 58. 1 Tim. III, 16. 2 Cor. VIII, 9. & alibi ſæpiùs. Nec derogat ejus Divinitati, munus legati vel internuncii: quia miſſio hæc Filii per Patrem non eſt ex imperio & inæqualitate, ſed ex ſapienti diſpenſatione, quâ ſic Filius mittitur à Patre, à quo procedit per generationem æternam, ut etiam ipſe ultrò veniat Ioh. X, 18. Sanè in parabola malorum agricolarum Matt. XXI, 35. 36. 37. 38. poſt miniſtros & famulos ſuos, ab illis malè acceptos, Paterfamiliàs conſilium init de proprio ſuo filio mittendo, Hærede & Domino vineæ: Inde liquet Filii miſſionem alterius ordinis & naturæ eſſe, quam aliorum ſervorum, adeoque ejus Divinitati nihil derogare. Adhæc legatio & miſſio Chriſti habet ſemper ſuam χέσιν ad incarnationem ſuo tempore futuram, qua factus eſt *paullò minor Angelis* Heb. II, 7. licet ſemper manſerit is de quo dictum fuerat *Adorent eum omnes Angeli Dei* Heb. I, 6. Niſi Chriſtus aliâ ratione miſſus à Patre & ejus legatus diceretur quam Angeli creati, non poſſet adorari ab illis; Sed pari ratione Angelorum adorationem deberet reſpuere, quâ Angelus rejiciebat adorationem Iohannis, Apoc. XIX, 10. XXII, 9. *Vide ne feceris; conſervus tuus ſum & fratrum tuorum: Deum adora.*

Quapropter, etiamſi tandem obtineretur, iis in locis, ubi Angelum legimus Jehovam appellatum, Chriſtum eſſe intelligendum; non eſſet tamen ſtatuendum, eum ipſummet fuiſſe Jehovam: ſed ex angelorum numero aliquem, qui Dei ſummi perſonam ſuſtinens, nomen ejus uſurpârit. cum inter ſe pugnare videamus, angelum eſſe, & quidem Jehovæ, qui unus tantùm eſt, & eſſe ipſummet Jehovam.

‡ *Quapropter etiamſi*] Chriſtum ibi intelligi, qui eſt Angelus fœderis & magni conſilii, eo magis neceſſum eſt, quod ille ſit etiam Iehova, & Deus *ſuper omnia benedictus*

Digitized by Google

nedictus Rom. IX, 5. Nec debent hic omitti verba Hugonis Grotij, hominis aliàs juſto plus faventis Socinianis, prout extant in illius commentario ad *Ioh. cap.* I. *Cenſent Hebræi veteres & Chriſtianorum primi, quoties Angelus aliquis appellatur Iehova, tunc non Angelum merum, ſed cui adſuerit ὁ λόγος, intelligi. Sic interpretatur Moſes Gerundenſis illud Nomen meum in eo eſt Exod.* XXIII, 21. *Chaldæus Paraphraſtes Gen.* XXIX, 20. *Erit verbum Domini miſſi in Deum: & Ezech.* I, 24. קול שדי *Kol-Schadai, Septuaginta vertunt φωνὴν τῦ λόγυ*. Atqui ὁ λόγος Chriſtus eſt qui & apud Deum & Deus etiam erat ἐν ἀρχῇ Ioh. I, I. & ab æterno. Nec poſſet fingi ὁ λόγος ſive Chriſtus, fuiſſe Angelus aliquis creatus ejuſdem ordinis cum cœteris: cum ipſe cœterorum omnium Angelorum creator ſit & caput & Dominus & ab illis adorandus.

Cum inter ſe pugnare] Nulla hic pugna eſt, ut Angelus ille Iehovæ, qui inſuper Iehova dicitur revera talis ſit; prout etiam Deus eſt nec poteſt non eſſe Deus, qui proprius Dei filius appellatur. Eſt Angelus Iehovæ Patris, ſed eſt ipſe Iehova Filius: Nec tamen duo eſſentiâ & numero Iehovæ ſic conſtituentur; Nam *ego & pater unum ſumus* inquit ipſe Filius Ioh. X, 30. Sic etiam Gen. XIX, 24. *Iehova fecit pluere ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Iehova.* Vnus quidem eſt Iehova eſſentiâ, ſed perſonis trinus; nec mirum ſi hoc Iehovæ nomen, Pater ſuſtinet in oppoſitione perſonali & relativa ad Filium, cum Pater ſit Filii ipſius Principium quoad ordinem & originem.

Sed quid multis opus? cum nullus proferri queat locus extra controverſiam poſitus, in quo nomen Jehovæ, præſertim abſolutè prolatum, Chriſto tribuatur: contrà verò plurimi, in quibus Chriſtus à Jehova apertiſſimè diſtinguitur. Citavimus ſuprà ex Pſalmis duos, de nomine *Adonai* differentes. In eorum altero (*Pſal: 2. 2. 7.*) Pſaltes Chriſtum à Jehova, ut regem ab eo unctum, ut filium ab ipſo genitum, diſcernit: in altero (*Pſal: 110. 1.*) cum Chriſti Patrem appellaſſet Jehovam, Chriſtum ipſum deſcribens, dicit *Adoni*. Multa alia occurrunt apud Prophetas loca, (*Inter alia vide Pſal: 16. 8: 118. 22. & d. Eſa: 11. 1. & d. 28. 16: 42. 6. 7. 8: 49. 8: 53. 6, 10: 61. 1. & d. Mich: 5. 4. conf. v. 2. Zach: 13. 7.*) in quibus manifeſtum eſt inter Chriſtum & Jehovam diſcrimen. Relinquitur ergo, nec
83. Chriſto, nec angelis, cùm in ſeipſis ſpectantur, hoc nomen abſolutè poſitum convenire; ſed Deo ſummo, cujus ille Filius eſt, hi ſervi, eſſe proprium.

‡ *Sed quid multis?*] Primo mirum foret, Angelo cuilibet tribui quandoque nomen Iehovæ, ut fingit iſte homo, nunquam vero Dei Filio, qui tamen ipſorum Angelorum omnium Dominus & caput eſt. Deinde oſtendimus ad caput præcedens etiam *Adonai* quandoque dici Meſſiam; ergo quoque *Iehova* dici debet; cum hæc duo nomina ex Adverſarii mente ſynonyma ſint. Tertiò cum Chriſtus κατ' ἐξοχὴν ὁ κύριος dicitur in N. T. eo ipſo *Iehova* appellatur; ſiquidem ex ſtylo interpretum Græcorum illa vox huic nomini ut plurimum reſpondet. Quartò multa proſtant loca in quibus Chriſtus abſolutè Iehova appellatur. Ita quod de Iehova dicitur Pſal LXVIII, 19. collato cum com. 5. ad aſcenſionem Chriſti pertinere docet Paulus Eph IV, 8. Item quæ extant Pſal. CIV, 4. de imperio Iehovæ in Angelos, & de cultu illi exhibendo per Angelos Pſal. XCVII, 7. & de rebus omnibus ab ipſo conditis Pſal. CII, 26 ad Chriſtum ſpectare docemur Heb. I, 6. 7. 10. Ita quæ narrantur Eſajæ VI, I. & ſeq.

de Iehova

Digitized by Google

de *Iehova* viſo in ſolio excelſo, ad Chriſtum ipſum pertinuiſſe conſtat ex Ioh. XII, 41. *Hæc dixit Eſajas quando vidit gloriam ejus & loquutus eſt de eo.* Ita Ierem. XXIII, 6. dicitur vocandus *Iehova Iuſtitia noſtra.* Multis etiam Galatinus ex veterum Iudæorum monumentis probat hoc nomine Iehovæ Meſſiam fuiſſe appellandum *lib.* 3. *de Arc. verit. Cath. cap.* 9. & 10. Eò quoque Ill. Pleſſæus *in ſua Paræneſi ad Iud. cap.* 2. refert tria loca, Eſajæ VIII, 17. XVIII, 7. XXVIII, 5. in quibus ſub nomine Iehovæ agi de Meſſia, etiam poſt Galatinũ ex Thalmudiſtis oſtendit: prolatis inſuper teſtimoniis ex *Midraſch Tenillim*, Rabbi Abba, & Moſe Hadarſan, quibus agnoſcunt Meſſiæ nomen eſſe Iehova. Iſta omnia inter Chriſtianos ſunt extra controverſiam, nec ideo minus certa quod Sociniani Iudæis militaturi, circa illa vitilitigare conantur.

Contra vero plurimi] Chriſtus ſæpè à Iehova & Deo deſtinguitur, quando utrumque hoc nomen ſumitur ὑποςατικῶς pro perſona Patris; ut hoc ſit diſcrimen non eſſentiale, ſed tantum perſonale. Suo loco reſpondimus ad obſervationes ex Pſal. 2. & 110. Quin eo magis Chriſti divinitas adſtruitur, quod Iehovæ *Filius* & ab ipſo *genitus* dicitur. Nam monſtroſa foret generatiò, ut obſervatum etiam Auguſtino, ſi filius Dei proprius & μονογενὴς, qui non minus eſt *Germen* Iehovæ ut Deus, quam Davidis ut homo, eſſet alterius naturæ & eſſentiæ quam Pater. Nec poſſet dici Dominus Davidis, aliàs Regis ſummi & optimo jure, ac multis ſæculis denati cum ipſe Chriſtus naſceretur, ſi nihil aliud foret quam homo & Davidis filius.

Relinquitur ergo] Imo relinquitur ita hoc nomen eſſe Dei ſummo proprium, ut nulli unquam Angelo creato communicetur, ſed optimo jure Dei Filio, qui Patri eſt coeſſentialis & coæternus.

Quòd verò à nonnullis loca quædam afferuntur (*Num: 10.35.36. Pſal: 24.7.8: 47.6: 68.2.*) in quibus id nomen arcæ fœderis metonymicè tributum reperiatur: vero eſt ſimilius, ea ibi Deo per metonymiam ſubjecti adſcribi, quæ arcæ ipſi magis conveniant; quam arcæ, Dei nomen imponi. Quia enim Deus arcæ tanquam ſolio cuidam cenſebatur inſidere, & inter Cherubinos, ſuper ejus operculo collocatos, habitare (*2 Sam: 6.2. 1 Par: 13.6.*) ideò arcâ loco motâ, atque in altum ſublatâ, ipſemet ſurgere, & in altum aſcendere; eâdem per portam in templum ſacrariúmve illatâ, ipſemet per portam ingredi; eâ denique in loco ſuo repoſitâ, & veluti requieſcente, quieſcere dici poterat. Unde alicubi (*2 Paral: 6.41. Pſal: 132.8.*) ita eadem ſententia effertur: *Surge, ô Domine (Iehova) Deus, in requiem tuam, tu & arca fortitudinis tuæ.* Arca quidem propriè nec ſurgere, nec aſcendere, nec ingredi dici poterat, ſed de loco amoveri, in altum tolli, aliquò inferri: cum illa viventium tantùm ſint, & ſua ſponte loco ſe moventium; hæc etiam inanimatorum. veruntamen, quia is motus Deo etiam, arcæ quodammodo inſidenti, tribuitur; ideo iis deſcribitur vocibus, quæ motui viventium propriè conveniunt. Quatenus ergo voces illæ motum localem ſimpliciter deſignant, eatenus id, quod arcæ primò ac propriè competit, veluti conſequenter & impropriè tribuitur Deo: quatenus autem motum viventibus proprium denotant, eatenus primò Dei eſt habita ratio, & propter Deum eædem voces accommodatæ ſunt arcæ. Idem de requie non immeritò dixeris. Nam

Digitized by Google

& hæc viventibus tantùm κυρίως videtur tribui. Et hactenus quidem de uſu nominis Jehovæ abſolutè poſiti.

‡ *Quod vero à nonnullis*] Gratulamur hîc Crellio quod ſuos gregales refutet, atque in eo nos ſibi habet adſtipulantes. Sanè non debet Moſis votum quod nuncupabat Deo, uti etiam liquet ex Pſal. LXVIII, 2. cum arca vel attolleretur vel reponeretur, cenſeri factum ad ipſum arcam, quæ illius cultus capax non erat, nec etiam *ſurgere* nec *reverti* propriè dici poterat; cum utrumque Deo ipſi frequenter ἀνθρωποπαθῶς tribuatur in Scripturis. Quid quod id Moſes Deo dicebat, ſublatâ jam arcâ ad profectionem, aut depoſitâ ad quietem? Ineptum autem foret jamdum arcæ proficiſcenti dicere, *Surge*, aut quieſcenti, *Revertere*. Hoc autem votum Moſes nuncupabat Iehovæ in elatione vel depoſitione arcæ, ob eam rationem quæ hic redditur ab Authore, quoniam videlicet erat ſymbolum præſentiæ Divinæ in medio populi; Sed quæ hîc inſuper diſputantur, de modo quo hæc convenirent arcæ vel primò vel ſecundò, per diſtinctionem motus localis, & motus viventis, plus ſubtilitatis habent quam ſoliditatis, & facilè potuiſſent omitti. Vt enim eadem pericopa primò Deo & ſecundò arcæ conveniat quodam reſpectu & reſpectu alio primò arcæ & ſecundò Deo, nemini veroſimile videbitur; & uno verbo hæc non arcæ dicebantur à Moſe ſed ſoli Deo, cujus erat inimicos ſuos diſpergere; quamvis merito dicerentur ad præſentiam arcæ, ob ſymbolicam illius ſignificationem. Quoad Pſal. 24. faciliùs dixerit quis ibi agi de arcæ illatione, quam probaverit. Et ſi David cenſeatur hunc Pſalmum compoſuiſſe cum arca efferretur, utique longiùs reſpexit, nempe ad Chriſti per arcam præfigurati tum adventum in mundum tum aſcenſionem in cœlum. Quare cum Pſalmus ſit Propheticus de Chriſto, ut hactenus inter omnes interpretes Chriſtianos convenit, vel inde conſtat Chriſtum in Scripturis Iehovam fortem & potentem, & Iehovam Zebaoth appellari. Locus 2 Sam. VI, 2. non habet quod arca vocetur nomine Iehovæ exercituum, ſed quod fuerit arca Dei, cujus, ſcilicet Dei, *nomen ſit vocatum Iehova Zebaoth ſedens ſuper Cherubim.*

Supereſt, ut de uſu dicamus ejuſdem nominis cum adjectione quadam prolati; vel potiùs de integris enunciationibus, in unum veluti nomen coaleſcentibus, quarum ſubjectum, ut vocant, eſt vox Jehova. Quia enim hæ de rebus aut perſonis à Deo diſtinctis nominis unius inſtar efferuntur; duplicis hinc erroris, & quidem inter ſe contrarij, nata eſt occaſio. Alij enim, quia probè animadverterunt, res perſonáſve eas, de quibus enunciationes ejuſmodi uſurpantur, à Deo ſummo longiſſimè diſtare, arbitrati ſunt, nomen Jehovæ non eſſe Dei ſummi proprium. Alij contrà, cùm ſtatuerent, nomen iſtud Dei ſummi eſſe proprium, eò delapſi ſunt, ut eum, qui Deus ſummus non eſt, eſſe crederent, quia id nomen ei tribui videatur.

‡ *Alii contra, cùm*] Agnoſcimus eos falli, qui putant *nomen Iehovæ non eſſe ſummi Dei proprium*: quos inter ipſe Crellius tamen viſus eſt antea ſuum nomen profiteri, dum etiam Angelos creatos eo nomine inſignitos fuiſſe falsò pertendebat; Agnoſcimus etiam quandoque hoc nomen proferri cum quadam adjectione, & ingredi compoſitionem nominum, vel quaſi nominum, aliis rebus deſignandis deſtinatorum,

natorum; Sed negamus, ad claſſem hanc referendum locum de Chriſto Ierem. XXIII, 6. quo unicè collimat adverſarius hac prolixâ circuitione.

Utrique errori locum illud fecit, quòd in quibuſdam iſtarum enunciationum deeſt copula in ſcholis ita appellata, nempe verbum *eſt*, cujus ellipſi nihil frequentius. Itaque prædicatum cum nomine Jehova, ſubjecti locum obtinente, viſum eſt per appoſitionem Grammaticis dictam cohærere. quæ autem ea ratione junctim de re quapiam dicuntur, dici etiam poſſunt ſeparatim. Ea res tantò hîc viſa eſt ſimilior vero, quòd longè ſit uſitatius, duabus vocibus per appoſitionem inter ſe junctis rem quampiam denominare, quàm integra enunciatione. Verùm id neminem debebat movere. Cernimus enim in ſacris literis, integram nonnunquam ſententiam ſeu orationem, unius inſtar nominis uſurpari. Sic juſſus fuit Eſajas (*Eſa: 8. 3.*) filium ſuum appellare, *Accelera, detrahe ſpolium, feſtina prædari.* Rotundiùs iſta apud Hebræos efferuntur: ſed eodem tamen ſenſu. Integra autem eſt oratio, non quidem aſſerens quippiam, ſed præcipiens. Suprà vidimus, Deum (*Exod: 3, 14.*) appellaſſe ſeipſum *Ero qui Ero*, quæ, ut à nobis explicatum eſt, integra eſt enunciatio ac promiſſio. 84.

‡ *Utrique errori*] At neque prioris erroris patroni argumenta conquirunt ſimpliciter ex iſtiuſmodi exemplis, & certum nobis eſt illi ellipſi verbi ſubſtantivi non eſſe locum apud Ieremiam cum agitur de Chriſto Servatore. Quin exempla quæ hîc proferuntur ex Eſaja VIII, 3. & Exod. III, 14. illi ellipſi ſtaminandæ neutiquam inſerviunt. Prius non tam præceptivum eſt quam propheticum; Poſterius verò, non tam promiſſionem continet, quam deſcriptionem Æternitatis & Majeſtatis Dei, conſtanter & indiviſibiliter in ſuo eſſe permanentis.

Sed exemplum ejus rei, quam quærimus, extat in Geneſi (*Gen: 22. 14.*) clariſſimum. Dicitur ibi Abrahamus nomen montis, in quo filium ſuum immolare voluit, appellaſſe, *Dominus* (Hebr. *Iehova*) *videbit*: quod aliquantùm poſtea mutatum ibidem legitur, *Dominus videbitur.* Ubi vides, effatum integrum, ex nomine Dei tetragrammato conſtans, montis nomen evaſiſſe. Sed plura occurrunt exempla, in quibus verbum *eſt* deſideratur; quæ tamen plæraque à viris quibuſdam eruditis rectè fuerunt explicata. Ex eorum numero eſt illud apud Moſen (*Gen: 33. 20.*) *& ſtatuit ibi* (Jacob) *altare, & vocavit illud, Fortis Deus Iſraëlis* ſcil: *eſt.* vel potiùs, *Deus* (eſt enim in Hebræo El) *eſt Deus Iſraëlis.* Deum enim Deum ſuum fore, Jacobus antea (*Gen: 28. 21.*) voverat. Ex eodem cenſu eſt & illud (*Exod: 17. 15.*) apud eundem: *ædificavit Moſes altare, & vocavit nomen ejus, Dominus* (*Iehova*) *exaltatio mea*, vel, *Dominus vexillum meum.* & iſtud libri Judicum, (*Iud: 6. 24.*) ubi ita in Hebræo legimus: *ædificavit ibi altare Domino, vocavitque illud, Dominus* (*Iehova*) *pax*, hoc eſt, Dominus eſt pacis atque incolumitatis auctor. Idem reipſa erit ſenſus, etiamſi cum veteri Latino interprete vertere libeat, *Domini pax:*

mini pax. nihilominus enim ſubintelligendum erit verbum *eſt*: quaſi dictum foret, *Domini eſt pax*, hoc eſt, Domini donum ac beneficium eſt pax; Domini eſt ſalutem atque incolumitatem præſtare. His adde ultima Ezechielis verba: *Et erit ex eo die nomen urbis, Dominus* (*Iehova*) *illic.* Ubi nimis eſt apertum, ſubaudiri vocem *eſt*, ita ut non dicatur, urbem illam vocatum iri *Dominum* ſeu *Iehovam*, qui
85. illic, hoc eſt, in ea ipſe urbe ſit: ſed nomen ejus fore totum illud complexum: *Dominus* [*eſt*] *illic*; quemadmodum eandem urbem Deus apud Eſaiam alloquens ait, (*Eſa: 62. 4.*) *Non vocaberis ultrà Derelicta*: &c. *ſed vocaberis Voluntas mea in ea.* & rationem mox ſubjungit: *quia complacuit Domino in te.* ubi ſanè urbs non vocanda erat *Voluntas mea*, ſeu mavis, *Voluntas Domini*: ſed *Voluntas mea* aut *Domini in ea* ſcil: *eſt*, hoc eſt, Dominus hac urbe delectatur, eamque amat. Eodem modo locis præcedentibus, non altaria dicuntur *Iehova* ſeu *Dominus*, qui ſit exalatio, aut vexillum alicujus, qui ſit pax, pacíſve auctor: ſed totum enunciatum, *Dominus* [*eſt*] *exaltatio mea*, vel *vexillum meum*: itémque *Dominus* [*eſt*] *pax*, vel *Domini* [*eſt*] *pax*, in unum nomen tranſit.

‡ *Sed exemplum ejus in*] Non negaverim montem hunc fuiſſe ab Abrahamo appellatum *Iehova videbit*, ſicut Agar Gen. XVI, 14. vocavit puteum לחי ראי *Lachai roi*, id-eſt *viventis videntis me*: Quo poſſunt referri exempla hìc citata ex Exod. XVII, 15. Iud. VI, 24. & Ezech. XLVIII, 35. imo & quod profertur ex Gen. XXXIII, 20. quamvis Iunius maluerit eum locum ſic reddere, *Et ſtatuit ibi altare, quod vocavit altare Dei fortis Dei Iſraelis*: Atque etiam inde factum, quod idem ille mons contractè *Morija* fuerit appellatus, integrâ enunciatione in unum vocabulum coaleſcente; Sed nego eundem montem appellatum fuiſſe *Iehova videbit*, & *Iehova videbitur.* Siquidem Moſes duntaxat reddit rationem & nominis inditi monti, qui fuit appellatus *Iehova videbit*, & adagij familiariter exinde uſurpati de monte Domini, *in Iehovæ monte videbitur*, vel *providebitur.* Quare in primo quidem, nomen *Iehova* uſurpatur in recto, ſed in ſecundo debet uſurpari in obliquo, juxta plurimos interpretes. Si tamen volueris etiam hìc rectum retinere, tum debes in oppoſito verbo enallagen paſſivi pro activo agnoſcere, ut factum à Vulgato interprete: aut ſi omninò cum interpretibus Græcis paſſivum retineas, dicendum erit cum Ambroſio, Eucherio, Vatablo, adagium iſtud propheticè uſurpatum fuiſſe, occaſione illius denominationis, quod olim in eo monte Morija Iehova eſſet videndus, Deus ſcilicet manifeſtatus in carne.

Reliqui ſunt duo apud Jeremiam loci, quorum alterum cùm præjudicata de re ipſa opinio controverſum feciſſet, alterum etiam apud quoſdam in conſortium traxit, ita cæteroqui clarum, ut priorem quoque illum extra controverſiam ponere debuerit. Extant autem cap. 23. (*v. 6.*) & 33. (*v. 15. 16.*) in quorum poſteriore ita ſcribitur: *In diebus illis, & in tempore illo germinare faciam Davidi germen juſtitiæ: & faciet judicium ac juſtitiam in terra. In diebus illis ſervabitur Iuda, & Ieruſalem habitabit confidenter. & hoc* (ſcilicet nomen eſt) *quo vocabit eam*, (ita eſt in Hebræo) *Dominus* (*Iehova*) *juſtitia noſtra.* Ubi manifeſtum eſt, nomen *eam* ad Jeruſalem,

licet

Digitized by Google

licet in Hebræo plurali numero poſitam, per Syneſin referri, quæ mentem, non verba ſpectat; *eam ſcilicet urbem*, quæ vox apud Hebræos etiam fœminina eſt. Atqui urbs Hieroſolymitana nequaquam appellari debebat *Iehova*, qui ſit *juſtitia noſtra*: quin potiùs ea tacitè comprehenditur voce *noſtra*, quæ illos deſignat, quos Jehova ſit juſtificaturus. ij verò erant, Judæ populus univerſus, & nominatim is, qui Hieroſolymæ nomine intelligitur. Quare ſtatuendum eſt, id quod ab aliis ante nos animadverſum eſt, nomen civitatis eſſe debuiſſe totam enunciationem, *Iehova* [*eſt*] *juſtitia noſtra.* q. d. Jehova eſt, qui nos juſtificat, qui nos ab omni injuſtitiæ pœna liberat, qui nos tanquam innocentes tractat. Prior verò locus eſt hujuſmodi: (*cap. 23. 5, 6.*) *Ecce dies veniunt, dixit Dominus* (*Iehova,*) *& ſuſcitabo Davidi germen juſtum, & regnabit rex, & proſperè aget, & faciet judicium & juſtitiam in terra. In diebus ejus ſervabitur Iuda, & Iſraël habitabit confidenter: & hoc* [*eſt*] *nomen ejus, quo vocabit eum, Dominus* (*Iehova*) *juſtitia noſtra.*

‡ *Reliqui ſunt duo*] Nego parem eſſe horum duorum locorum cum præcedentibus rationem. Nam poſterior ex cap. 33. ita commodiſſimè redditur à Iunio; *Is autem qui vocabit eam*, ſcilicet ad eam ſalutem & fœlicitatem quam Germen Davidis erat allaturum mundo, *erit Iehova juſtitia noſtra.* Adeoque non agitur hîc de nomine aut denominatione Ieruſalem, ſed de illius evocatione ad ſecuritatem & gloriam per eum qui eſt Iehova juſtitia noſtra, nempe Chriſtum. Ita etiam Pagninus habet, *Et iſte qui vocavit eam, Iehova juſtitia noſtra.* Neque enim hic eſt ut cap. 23. וזה שמו אשר יקראו יהוה צדקנו *Vezeh Schemo Aſcher Ijkro Iehova Tſidkenu*, ſed וזה אשר יקרא לה *Veze Aſcher Iikra La*, quod planè diverſum eſt. Non itaque eſt legendum, *Et hoc*, ſupple nomen eſt, *quo vocabit eam*, nempe Deus, aut quilibet fidelis, *Iehova Iuſtitia noſtra*; Vbi triplex ellipſis foret, nempe vocum *Eſt*, *nomen* & *Deus*, aut *quilibet fidelis*, qui Ieruſalem vocaturus eſſet hoc nomine; cum è contrario in Iunii & Pagnini interpretatione ſolum verbum *Eſt* veniat ſupplendum; quâ ellipſi, ut ſupra ipſe Crellius notabat, nihil frequentius. Sed quamvis daremus, ut apud Galatinum videntur etiam multi Hebræi ſenſiſſe, nomen hoc imponendum Eccleſiæ, *Iehova juſtitia noſtra*, eodem modo quo altare ſuum Moſes, *Iehova vexillum meum*, & ſuum Gideon, *Iehova pax*, inſcripſit, nihil inde decederet ſententiæ Orthodoxæ ſtatuenti Chriſtum ſic dici & vocari Iehovam juſtitiam noſtram priori loco, quod ſit revera ſimul & ipſe Iehova & juſtitia ſuæ Eccleſiæ; ut poſteriori Eccleſia ab eo appellatur *Iehova juſtitia noſtra*, ſupple *eſt*, quod ab illo ſuo Iehova & Ieſu juſtitiam & ſalutem conſequatur; juxta dictum Pauli 1 Cor. 1, 30. ipſum nobis factum à Patre *ſapientiam, juſtitiam, ſanctificationem & redemptionem.*

Iehova eſt qui nos] At ex loco Pauli modò citato liquet Chriſtum dici Iuſtitiam noſtram, non tam quod activè nos juſtificet, quam quod paſſivè ſuo merito & ſatiſfactione nobis eam præſtet & conferat juſtitiam, qua juſti & ſumus & cenſemur apud Deum. Nec enim vim hujus tituli ſatis expreſſit Vulgatus interpres, cum reddidit in concreto, *Dominus juſtus noſter.*

Quia loco *Hieruſalem* hîc ponitur *Iſraël*, nomen viri loco urbis; ideo hîc non dicit, vocabit *eam*, ut in altero, quem vidimus loco; ſed *eum*, nempe Iſraëlem, ſenſu tamen eodem. Ipſa ſimilitudo locorum hanc ſententiam non modò 86.

admittit,

Digitized by Google

admittit, ſed & flagitat. ut nil ſit cauſæ, cur ultima hæc verba ad ſubjectum remotius, quod eſt germen illud Davidicum, ſeu rex proſperè juſteque imperaturus, referri debeant.

‡ *Quia loco* Hieruſalem] Falſum eſt hic agi de nomine Iudæ vel Iſraelis, ſed agitur de ejus germinis Davidis nomine, ſub quo ſecurè Iuda & Iſrael erant habitaturi: Ita ut vox illa יִקְרָא *Iikro* non tam imperſonaliter ponatur, pro *vocabitur*, quod quilibet eum ſic vocaturus eſſet, quam perſonaliter & relativè ad Iudam & Iſraelem qui illud Davidis *germen juſtum*, ideſt regem Meſſiam exerciturum *judicium & juſtitiam in terra*, eſſet vocaturus & invocaturus hoc nomine *Iehova juſtitia noſtra*, ceu authorem ſuæ juſtitiæ, redemptionis & ſalutis.

Vt nihil ſit cauſæ] Nec referetur hæc oratio ad ſubjectum remotius, ſi de proximo nempe Iuda & Iſraele intelligatur, quod is ſit qui illud Davidis Germen vocaturus eſſet iſto nomine.

Quòd ſi etiam referrentur; non magis tamen ſequeretur, germen illud Davidicum eſſe ipſum *Iehovam*, qui eſt juſtitia noſtra, ejúſve auctor, quàm urbem Hieroſolymitanam, cui nomen iiſdem planè verbis conſtans, attributum vidimus. Intelligendum nempe eſt, brevia iſtiuſmodi dicta, quæ ſymboli cujuſdam loco uſurpantur, & in adagium aut proverbium vel jam abiere, vel abire facilè poſſunt, ſimiliter & vota aut præſagia rerum futurarum, migrare ſolere in nomina vel perſonarum certarum, vel rerum ac locorum: & in nomina quidem perſonarum illarum, vel à quibus ea crebrò uſurpantur, aut uſurpari meritò poſſunt; quales inprimis ſunt illi, quibus res dictis iſtiuſmodi comprehenſæ eveniunt, aut evenire debent; vel per quos res iſtæ præſtari atque effici debent; vel denique in quibus aut omen ac præſagium rei futuræ, aut præteritæ veſtigium ac monumentum extat. quod poſtremum etiam de rebus ac locis ſtatuendum eſt. Locorum autem illi potiſſimùm hujuſmodi notantur appellationibus, in quibus res ipſa geſta fuit. His enim res ipſa veluti veſtigium quoddam imprimit, ita ut monumenti cujuſdam inſtar ſint, & rei memoriam excitent ac refricent. Et ne ad linguas vulgares hîc divertamus, & inde mutuemus exempla; deprehendes id, quod dicimus, in non paucis nominibus Hebræorum propriis, quæ in ſacro codice extant, iis præſertim, quæ ex nomine divino *El* componuntur. Sic *Elnathan* v. g. ſignificat *Deus dedit: Elcana, Deus Zelotes: Elias, Deus Dominus: Elimelech, Deus meus rex*, vel ſimpliciter, *Deus rex*. Ubi non ij, quibus nomina illa compoſita imponuntur, ipſius Dei aut Domini appellatione inſigniuntur: ſed appellatio hæc per ſe vim conſuetam retinet, ac ſummum omnium rerum monarcham ſignificat, de quo prædicatur, quòd vel *dederit* quempiam, vel *Zelotes* ſit, vel *Dominus*, vel *Rex*.

‡ *Quod ſi etiam referrentur*] At vero cum non eodem modo poſſit Eccleſia dici *Iehova juſtitia noſtra*, quo Chriſtus, neceſſe eſt etiam dato id nominis ſymbolicé convenire Eccleſiæ, prout & ea ceu Chriſti corpus myſticum *Chriſtus* dicitur 1 Cor. XII, 12.

XII, 12. alio tamen planè ſenſu ipſi Chriſto eſſe tribuendum. *Iehova juſtitia noſtra* dicatur Eccleſia, quia hoc ſit quaſi illius ſymbolum quod debeat uſurpare, omnem ſuam juſtitiam in ſolo Iehova collocando; utique longè aliter Chriſtus fuerit illo nomine inſigniendus, ut pote qui fons ſit nobis juſtitiæ & ſalutis, illamque noſtram & Eccleſiæ juſtitiam conſtituat; maximè cũ dicatur vocandus ideſt invocandus ſub hoc *titulo*, & pro Iehova juſtitia noſtra ab omnibus piis agnoſcendus & colendus. Quare etſi verbum *Eſt* in nonnullis aliis locis veniat ſupplendum, ſuppleri tamen cum de Chriſto agitur neutiquam debet, quoniam revera ipſe eſt Iuſtitia noſtra; & cum is qui eſt juſtitia noſtra eo ipſo debeat eſſe Iehova, hinc efficitur palam etiam ipſum Chriſtum Iehovam eſſe & cenſeri. Nec minus hîc dicitur vocandus, ideſt futurus & agnoſcendus *Iehova juſtitia noſtra*, quam Eſajæ VII, 14. dicitur vocandus *Immanuel*, & Eſ. IX, 6. *Admirabilis, Conſiliarius, Deus, fortis, pater æternitatis, princeps pacis.* Quare debemus diſtinguere inter nomina Symbolica, quæ ominis gratiâ videntur impoſita ad aliud quid denotandum quam ſunt res ipſæ quibus imponuntur, & hoc Chriſti nomen proprium, quo ſignificatur quis in ſe ſit, & qualis nobis futurus erat. Vt enim ipſe propriiſſimè eſt juſtitia noſtra, Phil. III, 9. 2 Cor. V, 21. 1 Cor. I, 30. ſic etiam propriè Iehova cenſeri debet. Quare quæ hîc diſſerit author de nominibus *Elnathan, Elcana* & ſimilibus, nihil huc faciunt, ſed planè ſunt ἀπροσδιόνυσα.

Itaque in tribus poſterioribus nominibus ſubauditur verbum *eſt*: nec minùs ea ſententiis integris, licèt ellipticè prolatis, conſtant, quàm primum. Huc etiam pertinet nomen *Michaël*, quod ſignificat, *Quis ſicut Deus?* pertinet & *Immanuel*, id eſt, *Nobiſcum Deus.* utrobique ſubintellige *eſt*. De priori dubitari non poteſt. de poſteriori exempla, quæ attulimus, ei adeò ſimilia perſuadent. Quòd ſi contendas, id nominis omninò ſignificare, eum, qui ita appellatur, eſſe ipſum Deum, qui ſit nobiſcum, qui nobis favore & auxilio ſuo adſit; impietatis 87.
damnabis eos omnes, qui id nomen olim hodieque, vel aliis impoſuerunt, vel uſurpârunt ipſi. Ut taceam, Chriſtum, cui id nomen Deus per Eſajam deſtinavit, ejus Prophetæ ætate ſuam habuiſſe imaginem, cui eadem appellatio, iſtius temporis ratione habita, competeret; imperfectâ quidem ſignificatione, ſed tamen verâ. Animadvertet id, quiſquis conſideraverit ea, quæ apud Prophetam ibi, (*vid: Eſa: 7. 14. & d. & confer cap. 8. 3. 4. & ſeqq.*) ubi hoc nomen primùm editum legitur, de Immanuele ſubjiciuntur. Chriſto autem ideo id nomen eſt impoſitum, quia Deus per ipſum atque in ipſo nobiſcum eſt. hoc eſt, nos ſingulari ſuo favore proſequitur, nobis opem fert, nos omnium cœleſtium bonorum copiâ cumulat. Sed de his fortè plus ſatis.

‡ *Itaque in tribus*] Agnoſco hanc ellipſim, ut in nominibus hominum, ſic in nomine *Michael & Immanuel* reſpectu Chriſti; ita tamen ut utrumque ejus divinitatem apertè comprobet; *Michaelem* enim non eſſe Angelum creatum, ſed ipſummet Angelum fœderis Dominum noſtrum I. C. liquet ex Dan. X, 13. 21. Apoc. XII, 7. Iudæ com. 9. collato cum Zach. III, 2. ubi diſertè tribuuntur Iehovæ ea verba quæ à Michaele prolata Iudas aſſerit. Et videtur nomen factum per quandam contractionem,

Digitized by Google

nem, ex ſententia familiari Iſraelitis, quam cum pro ſuo Symbolo militari ſumpſiſſent Aſmonæi, inde Maccabæorum nomen fuerunt conſecuti, מי כמך באלים יהוה, *Mi Chamocha Baelim Iehova*, *Quis ſicut tu inter Deos ô Domine.* De Chriſto enim verè dicendum per admirationem, מיכאל *Mi-chael*, *Quis ſicut Deus fortis*, cum & ipſe nominetur אל *El*, *Deus fortis* Eſ: IX, 5. nec *rapinam ducat ſe æqualem Deo eſſe* Phil: II, 6. Similiter עמנואל *Himmanuel* erat vocandus, ideſt *Deus nobiſcum*, ut patet ex Eſ: VII, 14. Matt: I, 32. non tam in omen præſentiæ Divinæ favorabilis ſub illius temporibus conſequendæ, prout Angelus dicebat Gedeoni Iud: VI, 2. & B. Mariæ Luc: I, 28. *Dominus tecum*, quam quod revera in ipſo carnem noſtram aſſumente, ipſe Deus nobis præſentiſſimus foret. Nam & ipſe eſt אל *El*, *Deus fortis*, *verus Deus ac vita æterna* 1 Ioh. V, 21. & factus caro ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, *habitavit inter nos* Ioh. I, 14. Quo reſpectu dicitur in ipſo habitare *omnis plenitudo deitatis* σωματικῶς Col: II, 9. non ſimpliciter umbraticé & τυπικῶς, quomodo erat præſens Deus in arca & propitiatorio, quæ præſentia Hebræis שכינה *Schechina*, ideſt, *inhabitatio* dicebatur, & quam defuiſſe ſecundæ domui, cum aliis quatuor, nempe arca fœderis, igne ſacro, Vrim & Thummim & Spiritu prophetico, referunt Thalmudiſtæ.

Quod ſi contendas] Id non contenderim de ijs, quibus nonniſi *nuncupativé* id nominis tribuatur, ſed jure merito de Chriſto Servatore, cui convenit *ſubſtantivé*, uti jam demonſtratum. Imo ſic contendas non aliter Chriſto convenire id nomen quam cœteris quibus olim hodieque imponi ſolet, *diſcretionis* tantum gratiâ non *ſignificationis*, in Chriſtum palam injurius & contumelioſus eris: Et impietatis debes eos damnare, qui id nomen vel alijs imponerent vel uſurparent ipſi, eo ſenſu quo Chriſto Redemptori deſtinatum fuit.

Vt taceam, Chriſtum] Aliquem fuiſſe Immanuelem tempore Eſaiæ, cui in Chriſti typum hæc appellatio competierit, falſum eſt; cum Immanuel de quo Eſaias ex matre Virgine esſet naſciturus, quod ſoli Chriſto convenit; ipſumque Chriſtum nec alium per apoſtrophem compellat Eſaias VIII, 8. cum ait, *Implebunt paſſæ alæ illius, latitudinem terræ tuæ, ô Immanuel.* Nec confundi debent quę dicuntur de Immanuele VII, 14. cum ijs quæ competunt *Searjaſubo* Prophetæ filiolo, quem manu tenebat compellaturus Achazum VII, 3. ante cujus adoleſcentiam Retſin & Pechach erant obituri VII, 16. aut alteri ejus filio paullò poſt ei nato VIII, 3. qui *Mecher Scalal Kas Baz* fuit appellatus, in omen direptionis Syriæ & Damaſci jam imminentis: Sed quamvis præexſtitisſet aliquis nomine tenus Immanuel, in omen & typum Chriſti ſuo tempore naſcituri, ut præextitit ei alter Ieboſchuang, & alter Melchiſedech, inde tamen non ſequeretur ipſum hoc nomen non fuiſſe longè nobiliori & ſublimiori ſenſu conſequuturum; prout longè excellentiori modo *Ieſus* eſt & *Melchiſedech*, quam illi qui in ejus typum & imaginem eadem nomina geſſerunt ſub Veteri Teſtamento.

Adjicienda ſunt paucula de nomine *Iah*, quod in Pſalmis potiſſimùm occurrit. Nota eſt in vulgus ſolennis illa ad Deum laudandum cohortatio, *Hallelu-Iah*, vel *Hallu-Iah*; quam & Græci, & Latini vulgò ſcribunt *Alleluja*. Significat autem, *laudate Iah* h. e. *Dominum.* Eodem enim modo, quo tetragrammatum, à Græcis ac Latinis verti ſolet, ex quo etiam natum videtur, ejectis duabus literis mediis *h* & *v*. Aliam vocis originem ægrè inveneris. Quemadmodum autem tetragrammato ſubſtrata eſſe docuimus puncta vocalia vocis *Adonai*; ita eidem nomini in

Digitized by Google

mini in unam ſyllabam contracto, ultimum hujus punctum, quod nobis *a* longum valet, ſubjectum eſt. Hinc *Iah* pronunciatur; cum habita ratione genuinæ tetragrammati pronunciationis, *Ieh* dici deberet. Eſt & illud indicio, nomen hoc cum tetragrammato idem quodam modo eſſe, quòd ut in ſacris literis inſignitè legimus (*Exod: 3. 11. Eſa: 42. 8. Amos 5. 8: 9. 6.*) *Iehova* eſſe Dei nomen: ita & (*Pſal: 68. 5.*) *Iah*; quódque hoc pro illo reponitur eo inprimis loco, ubi vix ullo alio, quam nomine *Iehova* appellatur Deus, imò expreſſè dicitur, *Iehova* nomen ejus eſſe: uti fit in cantico Moſis & Iſraëlitarum, quod in Exodo deſcriptum habes. (*vid: cap: 15. 2. confer etiam cætera.*) Quare nil eſt neceſſe de hujus nominis vi atque uſu plura diſſerere: cum res in tetragrammato ſatis ſit explicata.

‡ *Eodem enim modo*] Cum ergo idem ſit hoc nomen cum tetragrammato, tam benè iſtud per *Iehova*, quam illud per *Iah* enunciatur.

Quemadmodum autem] Nec mutuatitia habet puncta nomen tetragrammatum, ſed ſua, nec *Kamets* in *Iah* eſt deſumtum à nomine *Adonai*, ſed ab ipſo nomine *Iehova* quod contrahit.

CAP. XII.

De nomine Schaddai.

‡ *Reſpondente ad hoc & ſequens caput*, ANTONIO à DORTH, Clivo-Veſalienſi.

Reliquum ex Hebraicis eſt nomen Dei *Schaddai*, quod cùm natura ſit adjectivum, frequentiùs ſubſtantivi loco ponitur, & Deum ipſum, de quo ſolo uſurpatur, deſignat. Apud Moſen aliquoties nomini divino *El* junctum, (*Gen: 17. 1: 28. 3: 35. 11: 43. 14: 48. 3. Exod: 6. 3.*) adjectivi retinere videtur ingenium, & à Latinis redditur *Omnipotens*. De origine, ac porrò de nativa ejus ſignificatione aliquantulùm diſcrepant inter ſe docti. Alij ex ea voce compoſitum cenſent, quæ copiam atque abundantiam, &, ſi ita loqui licet, ſufficientiam denotat. Alij ab eo derivant verbo, quod nobis eſt *vaſtare*. Illuc reſpexerunt Græci Veteris Teſtamenti interpretes, cùm nomen illud verterunt (*Ruth: 1. 20, 21. Iob: 21. 15: 31. 2. 39: 35.*) ἱκανὸς, id eſt, ſufficiens. Egregiè id conſentit cum reipſa, cumque locis è Moſe antea citatis. Deus enim ita omnium rerum abundat copiâ, ut omnia poſſit omnibus impertiri, atque adeò reipſa impertiatur, iis præcipuè, qui ipſi parent. Hinc ergo factum videtur, ut iſtis in locis, vel Deus ipſe amplam pietatis mercedem, ac beatam rerum omnium copiam Patriarchis promittens, hoc ſe nomine inſigniret; vel hi aliis eandem optantes, eo nomine Deum, ejus affluentiæ auctorem, deſcriberent. Quia verò immenſam ea res arguit Dei potentiam, quâ fit, ut omnibus ſuppeditare queat omnia; ideo vocem eandem interpretes Græci apud Jobum ſæpè reddidêre παντοκράτωρ, hoc eſt, *omnipotens*: licèt interdum habeant κύριος, *Dominus*. Illud ſequuti Latini, non apud Jobum tan- 88.

Digitized by Google

tùm, ſed & alibi paſſim, nonnulli etiam ubique, vocem illam Hebraicam vertunt *omnipotens*. Quemadmodum autem iſta, ut ita dicam, ſufficientia, & in omnes exuberans ac redundans copia, omnipotentiam arguit: ita hæc illam in ſe quodammodo comprehendit; ut non multùm referre videatur, utro modo nomen iſtud vertas, ἱκανὸς, an παντοκράτωρ: niſi quòd ἱκανὸς, id eſt, *ſufficiens*, originem vocis eam, quam priori loco poſuimus, propiùs indicet: παντοκράτωρ autem, id eſt, *omnipotens*, etiam poſteriori etymologiæ accommodari queat, quæ à verbo vaſtandi ſignificationem habente nomen Schaddai deducit. Vaſtator enim appellaretur Deus, non tam ob vaſtandi conſuetudinem, (extruere enim opus illius eſt magis proprium, deſtruere quodammodo alienum) quàm ob potentiam ac facultatem. Quin etiam, ſi hanc vocis originem ſequi placeat, quæ, ſi nominis naturam, & linguæ conſuetudinem ſpectes, probabilitate ſua non caret; neceſſe videtur, ejus vim latiùs extendere, ut eo nomine ſignificetur is, qui ſummum quoddam habeat robur, quo ut vaſtare omnia, & momento citiùs hoſtes ſuos evertere, atque in nihilum redigere poſſit, ita & homines ſibi charos tueri, & omni bonorum genere augere queat. Aliàs enim eò inclinat animus, ut credat, inde potiùs appellatum eſſe optimum numen, quod benefaci-
89. endi facultatem, vel etiam conſuetudinem, quàm ab eo, quod nocendi vires ſignificat. Accedit inprimis locus Exodi (*Exod: 6. 3.*) nobilis, ſuperiùs à nobis, cùm de tetragrammato ageremus, citatus, & ex parte illuſtratus, ubi ait Deus, *apparui Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo, in* [*nomine*] *Dei omnipotentis*, (Hebr. El *Schaddai*:) *at in nomine meo Iehova non ſum cognitus illis.* Ubi non eſt conſentaneum, dicere velle Deum: patribus illis veſtris me potiſſimùm exhibui Deum ejuſmodi, qui ſit vaſtator, ſeu, qui deſtruere ac perdere queat omnia, ut ex re atque operibus ipſis vim nominis mei *El Schaddai* agnoſcerent. Sed potiùs, ut de virorum doctorum ſententia in Bibliis magnis Roberti Stephani annotatum habes, *Omnipotentem me illis declaravi, & mihi abundè eſſe divitiarum*, *ut illos divites redderem: at opere non complevi, quod illis ſum pollicitus; hoc eſt, promittentem quidem me illis terram Chananæorum audierunt & crediderunt: ſed opere promiſſa complentem non viderunt, quemadmodum tu viſurus es. Tibi igitur in nomine meo Iehova cognitus ero, id eſt, me id facere, quod nomen meum ſonat, nempe facientem eſſe, hoc eſt, præſtantem, quod ſum pollicitus: educam vos de terra Ægypti, & introducam in terram Chanaan. Quemadmodum antea vocatus ſum Deus omnipotens, Deus altiſſimus, qui creavit cœlum & terram: ita nunc vocabor Iehova Deus, qui eduxi vos de terra Ægypti.* Plura exſcripſimus verba, ut ſimul etiam ea, quæ de ſignificatione vocis *Iehova* antea diximus, teſtimonio doctorum virorum aliqua ex parte confirmaremus, de qua plura ibidem ſcripta reperies. Et de nominibus Dei Hebraicis hactenus.

‡ *Plura exſcripſimus verba*] Illis tamen lubet adjicere, ne planè hìc ſim ἀσύμβολος, quod Doctiſſ. Iunius *ad eundem locum* annotavit *n.* 4. *Hoc eſt, non præbui me eis cognoſcendum*

promiſſionum

Digitized by Google

promiſſionum complemento: non quod Iehovæ nomen ignoraverint, aut ipſe hoc nomine ſuas promiſſiones non obſignaverit (nam diſertè ſe nominat Abrahamo & Iahakobo Gen. 15. 7. & 28. 13. & Iitzchak invocat nomen Iehovæ Gen. 26. 25.) ſed quia nondum faciebat, ut promiſſa exiſterent, quod deſignatur nomine Iehova. Significat enim exiſtentem per ſe, ex quo, in quo, per quem & propter quam ſunt quæcunque ſunt, ut ſup. 3. 15.

CAP. XIII.

De nomine θεός.

VEniendum nunc eſt ad Græca, quorum primum eſt θεός. De ejus origine non ſatis convenit inter doctos; nec nobis hîc multùm laborandum eſt. Etymologiam enim nominum divinorum ideo inquirimus, ut eorum vim atque uſum in ſacris literis tantò rectiùs percipiamus. At ſi vox θεοῦ alienæ potiùs eſt originis, quàm ſuæ; ab hominibus impiè ſuperſtitioſis formatam, atque adeò ex ipſa ſuperſtitione profectam, conſentaneum eſt. Inter cætera enim, quæ de ejus etymologia traduntur, illud eſt maximè probabile, quod à Platone ſcribitur: (*in Cratylo*) *Videntur mihi*, inquit ille, *Græcorum priſci deos ſolos putaſſe eos, quos etiam his temporibus Barbarorum plurimi arbitrantur, Solem, Lunam, terram, ſtellas, cœlum.* 90 *Cum ergo hæc omnia perpetuò in curſu eſſe conſpicerent, & ab hac natura τοῦ θέειν ſeu θεῖν* (Græcis hoc eſt currere) *θεοὺς nominaſſe videntur; deinde & alios animadvertentes, omnes eodem nomine appellaſſe.* Antiquitatem impiæ hujus ſuperſtitionis, quam & Græcis priſcis, & ſui temporis Barbaris tribuit Plato, vel ex ſacris literis cognoſcere licet. Apud Moſen enim (*Deut. 4. 19.*) non modò prohibetur, ne aſtra colantur: ſed & ſeveriſſima in eos, qui id auſi fuerint, pœna ſtatuitur. (*ibid. c. 17. 3, & d.*) qua re nihil fuiſſet opus, ſi ne exemplum quidem ejus rei tunc extitiſſet. Sed efficere non potuit ea pœnæ atrocitas, quin impietatis illius contagio ab exteris nationibus ad Iſraëlitas tandem dimanaret. Videmus enim, eos poſterioribus ſeculis, poſitâ Legis reverentiâ, Solem, Lunam, cæteraque aſtra, numinum inſtar adoraſſe, (*4 Reg: 17. 16: 23. 4, 5, 11.*) maximè autem Solem, quem Reginam cœli, ut apud Jeremiam legimus (*Ier: 44. 17. & d. & v. 25.*) aſtricolæ appellabant. Quare vel nimis bene de auctoribus nominis θεοῦ exiſtimant, vel eorum ſententiâ quodammodo rejectâ, meliorem ſubſtituunt, qui θεὸς à θέειν ideò rectè ductum ajunt, quia Deus omnia providentiâ ſuâ percurrat, omniaque ambiat: vel ab *αἴθειν*, quod eſt *urere*; quia Deus ignis aut lux ſit, ut ſacræ literæ docent, aut caloris ac luminis auctor: cum iſta etymologia in Solem magis quadret: vel denique à θεᾶσθαι, quòd Deus omnia cernat. cum hoc poſtremum etiam Soli poſſit accommodari, ex illorum præſertim ſententia, qui numen ex ipſo fecerunt, & ſenſum ei ac mentem tribuerunt. Omnia enim Sol cernere ac contueri dicitur. Sed iſta, quorum vel ſuperſtitioſa, vel incerta eſt ratio, omittamus.

Digitized by Google

‡ *De ejus origine*] In ejuſmodi Etymologiis & originationibus vocum apud Græcos & Latinos, parum eſt certitudinis & præſidii. Etſi non ſit improbabilis conjectura Platonis, primùm θεὸν vocatum eſſe Solem, tamen illo nomine veniebat apud primos ejus authores denotandum ſupremum illud numen, de cujus exiſtentia omnes conſentire, ſuo loco ipſe Crellius demonſtravit.

Solem quem Reginam cæli] Plerique tamen interpretes apud Ieremiam tum locis hic citatis tum VII, 18. per Reginam Cœli ipſam Lunam intelligunt, quæ מלכת *Meleket* ideo dicatur ut Sol *Melch, Moloch* & *Milchom*: Hinc Deum Moloch, antecedebat Rempham, ideſt Lucifer, ſive gemma in corona Melchom referens Luciferum, ut monet Hieronymus *ad cap. 5. Amos.* Græcis ſimiliter & Latinis Sol dictus eſt Phœbus & Rex Cœli, Luna verò Phœbe, Diana & Cœli Regina; cui etiam ut Idololatræ apud Ieremiam in Oriente, offerebant Græci placentas & collyras, ut ex Polluce, Heſychio, Euſtathio, docent eruditi. Hos imitati ſunt Collyridiani, ejuſmodi placentis B. Virginem ſub eodem titulo *Reginæ cœli*, præpoſterâ devotione colentes, ut notatum Epiphanio *hær. 79.*

Quare vel nimis] Quamvis hæ Etymologiæ ſuo ſenſu conveniant vel accommodari poſſint Soli, magis tamen propriè Deo conveniunt, qui Pater *luminum* & *Sol justitiæ* dicitur in Scripturis: Ipſimet Ethnici tertiam potiſſimum & primam ſequuti ſunt, circa numen: Ex tertia enim, quæ nonniſi abuſivè poteſt tribui Soli, natum illud Diphili, *in veteri Comœdia*, ἐϛὶ δίκης ὀφθάλμος ὃς τὰ πανθ' ὁρᾷ; *eſt qui tuetur omnia, Iuſtitiæ oculus.* Et iſtud, ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα; *habet Deus oculum vindicem.* Ex prima ortum illud Poëtæ,

Quò fugis, Encelade, quaſcunque acceſſeris oras
Sub Iove ſemper eris; --Necnon & iſtud,
--*Deum namque ire per omnes*,
Terraſque tractuſque maris cœlumque profundum;

Quare nulla ſuberat ratio, cur adverſarius has Etymologias elevaret, vel ceu à Chriſtianis ſubtiliter excogitatas, ut priori ſententiæ meliorem ſubſtituerent, cauſaretur.

Iſtud dubium eſſe nemini poteſt, quòd ſacri ſcriptores Novi Fœderis, ad quos potiſſimùm reſpicere debemus, cùm de Græcis Dei nominibus agimus, vocem illam eo uſurparint ſenſu, quo Hebræi voces *El* & *Elohim*. Sive enim aliquod Vet. Teſtamenti teſtimonium citant, ſive, ut frequentiſſimè contingit, ad aliquem ejuſdem Teſtamenti locum reſpiciunt, pro Hebraicis illis nominibus vocem θεοῦ potiſſimùm reponunt. qua in re tum Græcos veteris Teſtamenti interpretes, tum receptam jam inter Judæos Græcè loquentes conſuetudinem ſunt ſequuti. Diximus autem, Hebraica illa nomina naturâ ſuâ eſſe communia, ſeu appellativa, ut vocant; ſed κατ' ἐξοχὴν ſumta ſupremi numinis fieri propria. Naturâ enim ſuâ ſignificare eum, qui vel potentiâ ſeu viribus, vel poteſtate atque imperio, vel utraque re eminet, præſertim ita, ut rerum naturalium modum
91. ſupergrediatur. ſed in excellentiſſima ſignificatione accepta deſignare eum, cujus & vires, & poteſtas atque imperium abſolutè ſummum eſt ac independens. Extenditur autem Dei vox etiam ad illegitima ac malefica imperia, quæ poteſtatis nomen vix merentur, (poteſtas enim vera ac plena in jure conſiſtit) quin etiam ad ea, quæ ne imperia quidem propriè ſunt, ſed cum iis ſimilitudinem tantùm

tùm habent. Verùm id non fit, niſi cum adjectione quadam eorum, qui hujuſmodi imperiis, ſive propriè ſive impropriè dictis, ſeſe ſponte ſubjiciunt; & ea veluti conſtituunt. Sic Satanas dicitur (*2 Cor: 4. 4.*) *Deus hujus mundi* ſeu *ſeculi*: quo pacto & (*Ioh: 12. 31: 14. 30: 16. 11.*) *princeps hujus mundi* appellatur: & per Metaphoram, (*Phil: 3. 19.*) venter Deus appellatur eorum, qui ipſi ſerviunt, & ad eum omnia conſilia ſtudiaque ſua referunt. His enim venter quodammodo imperat, & totam eorum vitam gubernat. Cœteri, quorum imperium & legitimum eſt, & parentibus ſalutare, etiam ſimpliciter *Dij* appellantur. & verè quidem ac propriè ij, qui reipſa imperant: falsò autem, qui opinione tantùm hominum. Sed de iis, quibus impius error hoc nomen impoſuit, nil eſt neceſſe hoc loco dicere.

‡ *Quòd ſacri ſcriptores*] Fateor eos nomine θεῦ exprimere, quod aliis illis nominibus Hebraicis in Veteri Teſtamento deſignari & intelligi ſolet: Sed id ab ipſis ideo ſollicitè factum eſt, quod ordinaria & unica ſignificatio nominis iſtius ſuo tempore & eâ linguâ quâ ſcribebant, pertineret ad eum qui φύσει, ideſt naturâ Deus eſſet, ſive res vera, ſive ex hominum opinione & cultu.

Diximus autem] Sed & ſuo loco monuimus, nomina *communia* cum *appellativis* non eſſe confundenda; cum hæc propriè ſint univoca, ſive ſynonyma, ut Ariſtoteles loquitur, illa etiam æquivoca vel homonyma. Et ſanè oportet æquivoca eſſe ea nomina, quæ ſignificandis rebus totâ naturâ diverſis adhibentur, & uni ex illis cui tribuuntur κατ' ἐξοχὴν propria ſunt. Sed hac circuitione utitur hæreticus ut Divinitatem Chriſti Servatoris per cuniculos queat ſubruere.

Sed in excellentiſſima] Imò in prima & maximè propria ſignificatione eum deſignat; à qua deinde tranſiit ad minus propriam, vel abuſivè hominum opinione, vel reſtrictè & modificatè, ob quoſdam radios ſupremæ illius poteſtatis, creaturæ communicatos. Nec obſtaret quod Solem primum dixerint θεὸν qui Græcè loquuti ſunt: Cùm enim eſſet indita eorum mentibus communis illa notio, quod Deus ſit, pro vero Deo Solem ſumpſerunt, eodem errore quo quidam apud Plutarchum pro Pompejo, ejus Libertum, errantes in perſona, ſummis affecerunt honoribus; adeoque etiam hoc nomine, cum primum eo ſunt uſi, verum & ſupremum numen, licet à vero aberrarint in eo deſignando, exprimere voluerunt.

Extenditur autem Dei] Sed planè catachreſticé, & quia homines hujus ſeculi ea quæ ſunt ſupremi numinis illis Imperijs & Idolis tribuunt, ſive theoreticè, ſive practicè; nam ut ait ipſe Martialis,

Qui fingit ſacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille Deos, qui colit ille facit.

Cæteri quorum imperium] In communi quidem id nomini Magiſtratibus tribuitur: Sed nulli nominatim & in particulari: Nec *ſimpliciter* & proprié Dij appellantur; ſed reſtricté, modificaté & ſecundum quid. Cæterùm non aſſequor, quid hic homo ſibi velit; dum inter eos quorum *imperium & legitimum eſt & parentibus ſalutare*, quique *ſimpliciter Dii appellantur*, quoſdam vult ita appellari *verè & propriè*, quoſdam verò *falsò*: An ergo veré & propriè Dij, illi erunt Principes & Magiſtratus, quorum legitimum quidem eſt imperium, ſed de quibus tamen ita loquitur ipſe David Pſal. LXXXII, 6. 7. *Dixi Dij eſtis & filij Excelſi vos omnes, tamen ſicut homines moriemini, & ſicut unus è principibus cadetis?* An etiam *ſimpliciter* Dij dicendi, qui tales habentur ſolum erroneâ hominum opinione? An ijs *quorum imperium & legitimum eſt & parentibus ſalutare*, annumerari poſſunt, qui *falsò & opinione tantum hominum*, Dij appellantur?

Digitized by Google

Quod ad eos attinet, qui hoc nomen jurè uſurpant; duplicis illius, quam conſtituimus, ſignificationis, hoc eſt, tum illius, quæ laxior eſt, tum ejus, quæ anguſtior, & ſupremo numini peculiaris, exemplum habes in nobili illo prioris ad Corinth. loco (*1 Cor: 8. 5, & d.*) ubi Paulus: *Nullus*, inquit, *eſt Deus, niſi unus. Nam etſi ſunt, qui dicantur dÿ, ſive in cælo, ſive in terra: (ſiquidem* vel *quemadmodum ſunt dÿ multi & domini multi:) nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus, Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* Vides, eum ſimul, & multos eſſe Deos, & unum tantùm, affirmare: illic laxiori, hîc anguſtiori ſignificatione. Illic enim omnes intelligit, qui potentiâ præcellunt, aut ſublimiorem habent poteſtatem: quales in cœlo ſunt angeli, in terris magiſtratus: hîc κατ' ἐξοχὴν illum tantùm, qui à ſeipſo potentiam & imperium poteſtatemque omnem habet. Sic iiſdem in verbis *domini* etiam vocem, nunc lata, nunc ſtricta ſignificatione ſumit. illa, cum *dominos* ait eſſe multos: hac, cùm *unum* tantùm, qua de re infrà, ubi de ipſo *domini* nomine agemus.

‡ *Quod ad eos attinet*] Sed nec Paulus loco hic citato agit tantum de ijs *qui hoc nomen jure uſurpant*, verum etiam & potiſſimum *de ijs quibus impius error hoc nomen impoſuit*; nec illæ duæ ſignificationes diſtinguuntur ut *laxior & anguſtior*, ſed potiùs ut impropria & propria; quarum hæc abſolutè, illa tantum κατά τι & reſtrictè ſumi debet.

Vides eum ſimul] Vnum affirmat Deum ſimpliciter, propriè, & ſecundum eſſe; multos vero impropriè, λεγομένως & ſecundum dici, idque vel planè abuſivé ex falſa Idololatrarum imaginatione, vel forte etiam modificatè ex uſu aliquo ſacræ Scripturæ.

Qui potentiâ præcellunt] Nempe vel ſecundum quid inter creaturas reliquas, quales ſunt *Angeli & Magiſtratus*, vel per errorem & pravam opinionem Idololatrarum, qui ſupremam potentiam tribuunt rebus nihili & quæ nihil poſſunt. Quam vero hoc nomen in plurali non conveniat iſtis & ſummo Deo univocè, patet ex hujus ad illos oppoſitione per Apoſtolum.

Nequè verò exiſtimandum eſt, Apoſtolum de falſis Gentium diis loqui, cùm multos eſſe deos aſſerit. Hoc enim ſi voluiſſet, nónne ſatis fuiſſet dixiſſe, *licèt multi ſint, qui dicantur dÿ?* quid opus fuiſſet confirmationis uberioris gratiâ ſubji-
92. cere: *ſiquidem*, vel, ut eſt in Græco, *quemadmodum ſunt multi Dÿ?* An quiſquam tum poterat ignorare, multos eſſe, qui eo nomine, utut falſò, appellarentur, ut neceſſe eſſet repetita aſſeveratione id confirmare? Deinde cur Apoſtolus *dominos* adjunxiſſet *diis?* Annon multi verè ac propriè extant domini? Cur ergo vera falſis eâdem aſſeveratione periculoſè junxiſſet? An non res ipſa loquitur, ideo Apoſtolum addidiſſe ſuperioribus illa, *quemadmodum ſunt multi dÿ*, ut oſtenderet, non injuriâ multos vocari deos, ſive in cœlo, ſive in terra, ſeque ipſum pluribus id nomen commune eſſe cenſere?

‡ *Neque vero exiſtimandum*] Imo per prius & potiſſimum de his loquitur Apoſtolus. Nec video quî poſſint Idola excludi ex cenſu τῶν λεγομένων θεῶν, cum de illis maximé ſermo

mè ſermo ſit, & velit Apoſtolus nos abducere ab Idolothytis ex idoli conſcientia, & Idolorum cultu, hoc potiſſimum argumento quod *Idolum nihil ſit in mundo, & nullus ſit Deus niſi unus, etſi ſint multi qui dicuntur Dii, ſive in cœlo, ſive in terra.* Quid quæſo ad hanc rem feciſſet reſtrictus Pauli ſermo ad Angelos & Magiſtratus, qui etiam quandoque *Dii* dicuntur in Veteri Teſtamento? Nec illa parentheſis (ὥσπερ εἰσὶ θεοὶ πολλοὶ ϗ κύριοι πολλοὶ) aliò pertinet, quam ut doceamur ſpectari debere non ſimpliciter quid nominis, ſed quid rei; nec quibus titulis inſigniantur idola, ſed quid ſint & quid poſſint; imò quam in ſe, aut comparatè ad verum Deum, & nihil ſint & nihil poſſint. Quin, ut benè monet Theodoretus *ad hunc locum, hoc, ſive in cœlo ſive in terra, dixit* Apoſtolus *ex more Græcarum fabularum. Alios enim Deos cœleſtes appellabant, ut Jovem & Apollinem,* Iunonem *& Minervam; alios autem terrenos, ut fontes & fluvios, & quæ dicuntur, nymphas, & Herculem & Dionyſium & Æſculapium & alios innumerabiles.*

An quiſquam tam] Sanè id non repetit, quaſi docturus *multos eſſe qui eo nomine ut ut falſò appellarentur*; ſed ceu oppoſiturus multitudini Idolorum, τῶν λεγομένων θεῶν, unum Deum Patrem, & unum Dominum Ieſum Chriſtum: Et multum intererat, poſtquam dixiſſet Idolum nihil eſſe, inſuper inculcare, quod neque nomenclaturâ Idolorum debeamus moveri, eo quod *Dij* & *Domini* dicantur, neque eorum numero & multitudine, quod vana Gentilitas plures iſtius generis putatios & fictitios Deos haberet & in cœlo & in terra. Vult enim Apoſtolus illum tum vigentem polytheiſmum carpere & refutare: *Et docet*, ut loquitur *ibid.* Theodoretus, *quod Græci quidem ſeu gentes dicunt multos eſſe Deos; eoſdem autem Dominos quoque nominant; ij autem nullo modo ſunt, ſed ſolis agnoſcuntur nominibus.*

Deinde cur Apoſtolus] Quia nempe Gentiles falſos ſuos Deos *Dominos* quoque ſalutabant, & ut בעלים *Baalim* ac אלילים *Elilim*, ſuppoſititios Dominos & fictitios Deos, ut ut habitos à ſuperſtitioſis pro Dominis & Diis, vero ac unico Domino & Deo opponeret.

Annon multi verò] Non ſanè ex λεγόμεμενοις θεοῖς apud Gentiles; nam de ijs potiſſimum loquitur. Dominos enim hic ſpectat quoad θρησκείαν & religionis cultum; quo reſpectu, nullus extat verè & propriè Dominus præter Deum. Imo oppoſitè ad ipſum ſupremum omnium Dominum, nullus inter mortales eſt abſolutè Dominus, ſed tantum reſtrictè, diminutè & limitatè: Octavius Auguſtus *Domini* nomen & titulum noluit admittere; & Domitianus, monſtrum iſtud hominis, prior fuit qui ſe *Dominum Deum noſtrum*, vocari & ſalutari voluit.

Vt non oſtenderet non injuriâ] Tam procul abfuit Paulus ab hoc ſcopo, ut è contrario voluerit oſtendere reverâ & propriè unum eſſe Deum, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, & ejus reſpectu nonniſi nomine tenus Deos eſſe cenſendos, qui Dij & Domini appellantur inter homines.

Cùm enim antea tantummodò dixiſſet, multos eſſe, qui *dicantur* dij, non verò, qui *ſint*; poterat aliquis cogitare, Apoſtoli judicio eos nomine tantùm, non reipſa deos eſſe. Quare, ut ei ſuſpicioni occurrat, ſuam ea de re ſententiam explicat, & illam, quæ præcedentibus verbis comprehenſa fuerat, ita generatim acceptam, calculo ſuo comprobat. q. d. licèt multi ſint, qui vocantur dij, ſive in cœlo, ſive in terra: (ut ſanè reipſa, ac meâ quoque ſententiâ, multi ſunt dij: illi nempe omnes, qui potentiâ præcellunt, aut poteſtate ſublimi: in cœlis angeli; in terris magiſtratus: quemadmodum & multi reipſa ſunt domini:) nobis tamen

Digitized by Google

tamen Chriſtianis unus tantùm ſummo cum imperio præeſt colenduſque eſt Deus, nempe Jeſu Chriſti Pater, qui ut primus eſt fons atque auctor rerum omnium, quæ ad nos, noſtramque ſalutem pertinent: ita & ultimus eſt religionis ac pietatis, quæ à nobis proficiſci debet, ſcopus. Similiter etiam unus tantùm nobis Chriſtianis præeſt ac colendus eſt Dominus, nobis regendis à Deo ſummo præfectus, nempe Jeſus Chriſtus, cujus opera interveniente, ut omnia, quæ ad nos ſalutemque noſtram ſpectant, à Deo perficiuntur: ita viciſſim per eundem omnis in Deum cultus ac pietas à nobis proficiſci debet. is, inquam, & media eſt omnium bonorum ad ſalutem noſtram tendentium cauſſa; & medius religionis atque honoris, qui viciſſim à nobis primo ſalutis noſtræ auctori debetur, ſcopus; eum colendo, Deum ipſum colimus.

‡ *Poterat aliquis cogitare*] Nec revera aliud cogitari voluit Apoſtolus; tantum abeſt ut eam ſuſpicionem eximere in ſequentibus voluerit: Illam enim particulam, *quemadmodum ſunt multi Dij*, non adjecit comprobaturus, quod *ſané reipſâ & ſuâ quoque ſententiâ multi ſint Dij*; ſed potius quod οἱ λεγόμενοι θεοὶ, qui dicuntur & nominantur Dij, *multi* ſint, maximé juxta Polytheiſmum Ethnicorum; licet tamen revera & ex ſua ſententia, ſibi & *nobis* omnibus piis & Chriſtianis unicus ſit tantum Deus, nempe Pater, & unicus Dominus, nempe Chriſtus.

Nobis tamen Chriſtianis] At Paulus non maximum Deum confert & præfert minoribus, ſed unum multis, ideſt unum veré & proprié ſic dictum, multis λεγόμενοις θεοῖς, & qui *nomine tantum non reipſâ* & naturâ ſuâ Dij ſunt. Et ſicut conjunctim iidem ſunt Apoſtolo qui *Dij* dicuntur & qui *Domini*, ita etiam illi Polytheiſmo Græcorum, ſic opponit unum Deum & unum Dominum, ut non ſit diſcrimen naturæ & eſſentiæ, ſed tantum perſonę, inter utrumque: Nec enim magis Pater dicitur *Deus* ad excluſionem Filij, quam Filius dicitur *Dominus* ad excluſionem Patris: Imò dum oppoſité ad plures Deos & Dominos ſic dictos, ſive abuſivé ſecundum directam intentionem ſuam, ſive etiã modificaté ex uſu Scripturæ, unus Pater & unus Filius à Paulo commendatur, Patri & Filio vindicatur in ſupremo gradu quod omnibus illis aliis abrogatur. Vt enim inter dictos Deos & Dominos, Dijs non ſubordinantur Domini, quaſi inferioris conditionis & naturæ, cum potius coordinentur, & dicuntur Domini qui Dij putantur, vel Dij appellantur quia Domini ſunt, ſic etiam hic Patri non ſubordinatur Filius ceu naturâ & conditione inferior, ſed potiùs inter ſe coordinantur, ceu æqualiter participes in ſummo gradu veræ Divinitatis & ſupremi Dominij. Ac ſicut anguſtior eſt ſignificatio nominis *Dei* de Patre, ita anguſtior debet eſſe ſignificatio nominis *Domini* de Filio: ut utrumque nomen κατ' ἐξοχὴν, *illum tantum denotet*, quod de priori fatetur Adverſarius, *qui à ſeipſo potentiam & imperium poteſtatemque omnem habet.* Aliàs nulla foret ratio cur non ipſe Filius ad multos illos Deos & Dominos relegaretur, qui potentiâ quidem & imperio *præcellunt* alijs, ſuntque hoc reſpectu *veré & proprié Domini*, ſed tamen limitaté & dependenter à ſummo Deo & Domino. Nec etiam Patri tribuitur quod *ex illo* ſunt omnia, & Filio quod *per ipſum* ſunt omnia, ut ille ultimum adorationis & religionis objectum conſtituatur, hic duntaxat intermedium; cum Patri, Filio & Spiritui Sancto, noſtrum debeamus τελευταῖον, & adoratio religioſa unicum agnoſcat objectum, nempe Deum Matt. IV, 10. Vnde illud Auguſtini *de vera Relig. cap. ult. Religet nos religio uni omnipotenti Deo, quia inter mentem*

ter mentem noſtram quâ illum intelligimus patrem, & veritatem id eſt lucem interiorem, per quam illum intelligimus nulla interpoſita creatura eſt. Sed ita demum loquitur Apoſtolus ut inſinuet perſonarum, cæteroquin coeſſentialium, diſtinctionem & ordinem. Neque hic pigebit verba Theodoreti ex veteribus referre: ut ſi non illius & canæ Antiquitatis authoritate, ſaltem ejus analyſi & rationibus moveantur hæretici. *Illi ergo* (inquit) *ignorationis caligine circundati, in multis, iiſque qui non ſunt, errant; Nos autem unum ſcimus Deum, & unum Ieſum Chriſtum. Iure autem hîc quoque admiremur ſapientiam Apoſtolicam; Cum enim priùs oſtendiſſet appellationem Domini æqualem habere vim & poteſtatem cum appellatione Dei, eas diviſit, & hanc quidem Patri tribuit, illam vero Filio, Corinthiorum imbecillitati remedium adſerens: Quod enim multis in locis Filium Deum nominat, facile poteſt qui vult ex ejus ſcriptis intelligere. Expectantes enim, inquit, adventum gloriæ magni Dei & Servatoris noſtri Ieſu Chriſti, & Ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt Deus ſuper omnia, & In regno Chriſti Dei, & alia ejuſmodi innumerabilia. Hic quidem certè hunc Deum appellavit, illum vero Dominum, ne iis qui haud ita pridem à Græcorum ſeu Gentium errore liberati fuerant, & veritatem didicerant, præberet occaſionem redeundi ad multorum Deorum errorem. Quod ſi dicant Arriani & Eunomiani* (Socinianorum noſtrorum Patriarchæ) *illud, Vnus Deus, ejicere Filium à Divinitate Patris, audiant quod conſequitur, Et Vnus Dominus; Si enim quoniam unus Deus Pater, non eſt Deus Filius, nec Pater ergo Dominus, quia eſt unus Dominus Ieſus Chriſtus. Verum enim vero in illorum caput retorquebitur blaſphemia: Divinus enim Apoſtolus oſtendit æqualitatem, ut qui Dei vocem ſimiliter & in Patre & in Filio poſuerit, & vocem Domini æqualem cum Dei voce, vim & poteſtatem habere oſtenderit.*

Et medium religionis] At medium ſcopum ſibi fingere, eſt oppoſitum in appoſito ſtatuere: Et ſanè eadem fide in Patrem & Filium credere debemus Ioh: xiv, 1.

Neque verò eſt, quod quis urgeat vocem *Nobis*, quæ verbis de uno Deo loquentibus præfixa eſt ab Apoſtolo, dum ait, *Nobis autem unus* [eſt] *Deus, Pater*, &c. quaſi dicere velit, Ethnicorum quidem opinione multi ſunt Dii, noſtrâ autem ſententiâ unus tantùm eſt. Neque enim hîc quæritur, quid vel nos, vel illi hac de re ſentiant: ſed quid reipſa ſit: præſertim quia non tantùm de Deo uno, ſed & de Domino uno hîc ſermo eſt. Satis autem liquet, non tantùm Ethnicorum, ſed & Chriſtianorum ſententiâ, multos eſſe dominos. Itaque vox *no-*
bis non tantundem valet, ac ſi dictum eſſet, Noſtrâ ſententiâ vel opinione: ſed 93.
nos, quà Chriſtiani ſumus, & religione devincti, diſtinguit, ſive ab aliis, ſive à nobis etiam ipſis ſecundùm carnem conſideratis: ita ut ſignificet Apoſtolus, etiamſi multi ſint dii ac domini, qui vel in alios, vel in nos ipſos, nempe ſecundùm carnem ſpectatos, poteſtatem aliquam habeant; aut cæteroquin ob inſigne robur dii dici mereantur: eos tamen in re religionis nobis revera non imperare, nec proinde à nobis religioſè colendos eſſe. Vnum enim tantùm eſſe Deum, qui nobis quà religione devincti ſimus, ſuo planè jure imperet, & unum tantùm Dominum, qui ipſius auctoritate nobis præſit, & nos poteſtate ab eo accepta gubernet.

‡ *Neque vero eſt*] Imò ejus ponderis eſt hæc objectio, ut nullo Crelliano fumo eludi poſſit.

Neque enim hîc quæritur] Id falſum eſt; cum hoc

eum hoc maximè hîc quæratur, & quid de eo ſit ſentiendum doceat Apoſtolus, ſuâ & omnium Chriſtianorum ſententiâ oppoſitâ errori Ethnicorum multos Deos & Dominos colentium.

Præſertim quia non] Sed hæc duo nomina æquivalere jam oſtenſum eſt; adeo ut & Filius ſit unus Deus cum Patre, & Pater unus Dominus cum Filio. Et quamvis Chriſtianorum ſententiâ multi ſint Domini, ſenſu Politico, diminuto & modificato, tamen ex illa non ſunt multi Domini ſenſu religioſo, & prout qui ſunt Domini, Dij quoque dicuntur & habentur.

Itaque vox nobis] Mira explicatio: Quaſi in propatulo mens Apoſtoli non ſit diſtinguere Chriſtianorum ſententiam & opinionem, ab eorum errore qui Polytheiſmum ſectabantur, & argumentum proponere Corinthijs cur debeant abſtinere ab Idolothytis & cultu Idolorum, cum revera licet *Dij & Domini* dicantur, nihil minus ſint quam quod dicuntur. Quare quæ hîc ſomniat Adverſarius de Chriſtianis à ſeipſis *ſecundum carnem* diſtinctis, ad gerras Apinas debent referri; imò quamvis Paulus per eos qui ſunt Dij & Domini vellet quoque intelligere Angelos & Magiſtratus. Nam eo caſu cenſeretur præoccupare objectionem, quæ ſic potuiſſet fieri; Quare abſtineremus Idolothytis, eò quod Idola nihil ſint, cum ſaltem nomine tenus poſſint appellari **Dij & Domini**, ut juxta ſtylum V. T. etiam hæc nomina Angelis & Magiſtratibus conveniunt? & velle reſpondere, Etſi ſint multi Dij & Domini nominetenus tum ex falſa hominum opinione, tum ex illarum vocum uſu improprio & modificato, tamen cum agitur de religione & cultu ſacro, nobis Chriſtianis, unius Dei & Chriſti habenda eſt ratio; οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς.

Ita ut ſignificet Apoſtolus] Iam ſæpiùs dictum de mente Apoſtoli, non attendendum ad receptam nomenclaturam inter homines, plurimos his titulis *Deorum & Dominorum* ſalutantes, ſed ad rei veritatem. Abſit enim ut ſtatuamus Apoſtolum agnoviſſe & commendare voluiſſe multos ſupra ſe Deos, ex eo grege qui tum vulgo Dij dicebantur; cum è contrario pertendat ſibi & omnibus pijs unicum eſſe Deum & Dominum, unum & trinum.

Eos tamen in religionis] Atqui de ea re tantum hic agebatur & de ijs qui illius rei reſpectu *Dij & Domini* vulgò habebantur.

Vnum enim tantum] Et Chriſtus nobis *præs eſt*, ſuo jure ſuaque authoritate, quæ eadem eſt cum authoritate Patris, & ſicut unicum debet eſſe religionis objectum, ita unicum in Patre & Filio Numen debemus agnoſcere.

Arbitramur ſatis conſtare, Apoſtolum, cùm multos eſſe Deos aſſeruit, de falſis Gentium diis non loquutum; ſed de iis, quos ſacræ literæ Vet. Teſtamenti Deos appellant. Verùm eos non propriè Deos appellari dices, ſed metaphoricè tantùm; quia cum Deo ſimilitudinem quandam habeant. Deum enim propriè illum tantùm dici, quem altiſſimum ſacræ literæ appellant. Quare ita conciliandam hanc, quæ in Pauli verbis occurrat, ἐναντιοφάνειαν, (*contrarietatem apparentem, ſeu contradictionis ſpeciem*) ut *multos* eſſe dicat *deos* per metaphoram ſic appellatos: *unum* verò tantùm propriè ſic dictum. Sed hîc illud primùm ſumitur, quod nullo nititur fundamento, Deum propriè illum tantùm dici, qui altiſſimus eſt. Etenim propria hujus vocis ſignificatio ea meritò cenſeri debet, quæ propriæ Hebraicarum vocum, pro quibus in ſac. literis uſitatè ponitur, ſignificationi exactè reſpondet. Nam ſi ad Græcæ vocis etymologiam reſpicere velis,

velis, & inde proprietatem ſignificationis æſtimare; neceſſe erit dicere, de Deo ſummo eam non niſi metaphoricè dici. Sive enim vocem θεός ab eo deducas verbo, quod currere ſignificat, ſive ab eo, quod urere, ſive denique ab eo, quod ſpectare; metaphora voci, cùm Deo ſummo tribuitur, ſuberit: cum illa contrà creaturis quibuſdam planè propriè conveniant. Quòd ſi ex Hebraicarum illarum, quas diximus, vocum ſignificatione propria, hujus quoque proprietatem æſtimaveris; deprehendes, eam propriè creaturis quoque nonnullis tribui, illis nimirum, quibus poteſtas atque imperium ſublimius, ac robur inſigne competit. Oſtendimus enim ſuperiùs, voces Hebraicas, pro quibus Græca θεός plærumque ſolet reponi, eum propriè denotare, qui ea, quæ diximus, habeat.

† *Arbitramur ſatis*]. Sive qui planè abuſivé dicuntur Dij, ſoli, ſive etiam cum ijs illi qui modificaté ſic poſſunt appellari, hic intelligantur, parum intereſt quoad rei ſummam: Interea certum eſt Apoſtolum primó & maximé de *falſis Gentium Diis* hîc eſſe loquutum, de quorum cultu & oblatis potiſſimum agebatur: Quanquam non negem, quod etiam *οἱ λεγόμενοι θεοὶ ij* dici poſſint quos ſacræ literæ V. T. Deos appellant. Quia & illi comparaté ad ſummum Deum, Dij ſunt nomine tenus, & ſic commune nomen cum ipſo habent, ut nominis ratio planè diverſa ſit.

Verum eos non propriè] Vt Idola planè *abuſivé* Dij dicuntur, ita Angeli & Magiſtratus in communi impropriè & in ſenſu valdè diminuto, nec tam *metaphoricé*, ſi accuratè velimus loqui (quamvis ſupra Crellius ventrem Deum *per metaphoram* appellari Phil: III, 19. aſſeruerit) quam accommodativé aut ſaltem *analogicé*, & prout *Entis* nomen quod propriè ſubſtantiæ eſt, etiam analogicè tribuitur accidenti, eodem nomine inſigniuntur, quod aliquod veſtigium poteſtatis ſuæ illis imprimere & communicare ſummum Numen voluerit. Hinc nomen iſtud quod proprium eſt reſpectu Dei, eorum reſpectu abit in appellativum, ut cum quoſlibet viros fortes Alexandros & Cæſares appellamus.

Vt multos eſſe dicat] Impropriè, imò planè abuſivé, multos dici Deos ſtatuit Apoſtolus, ſed propriè, veré, & ſecundum eſſe, (non tantum ſecundum dici ut illi alij,) unicum altiſſimum.

Sed hîc illud primùm] Et meritò id ſumitur; quoniam ex communi omnium populorum conſenſu, illa vox primò & proprié de ſupremo Numine, qualecunque demum illud credatur eſſe, uſurpatur, & ad illud deſignandum adhibetur.

Etenim propria] Sed præterea quod maximé propria vocis alicujus adeoque & hujus nominis ea cenſenda ſit ſignificatio, quæ primó obtinuit inter homines, etiam Hebraicæ iſtæ voces *El* & *Elohim*, primarió & propriè de Altiſſimo uſurpatæ inter homines eâ linguâ utentes, propriè & primarió de eodem uſurpantur in ſacris literis, nec tribuuntur Magiſtratibus & Angelis niſi in ſenſu diminuto, improprio & ſecundario.

Nam ſi ad Græca] Diſtinguendum eſt inter ipſam ſignificationem nominis, & rationem illius ſignificationis. Poteſt eſſe ratio ſignificationis metaphorica, in nomine aliàs ſignificatione ſua proprio. Patet, ut cœtera mittam paſſim obvia, in nomine *Schaddai* de quo ſuperiori capite dixit Author illud *ſubſtantivé* de ſolo Deo uſurpari: Ejus tamen rationem ſignificandi eſſe metaphoricam, vel à *ſufficientiâ*, vel à *vaſtitate*, diffiteri non debet. Ergo aliud eſt nomen eſſe metaphoricum quod proprio opponitur, ut cum Deus appellatur, Ignis, Leo,

Digitized by Google

Rupes; Aliud nomen eſſe proprium, quod in ſua origine & etymologia aliquam metaphoram involvat, ut cum nomen Agrippæ quod ab ægris pedibus etymologiam habet, in proprium perſonæ hujus aut illius abit. Et ſanè cum homines non poſſint Deum propriè & poſitivè nominare aliter quam cognoſcunt, & omnis eorum Numinis cognitio ex creaturis deſumatur, mirum non eſt ſi nomen proprium Deo impoſuerint, in quo originis ſuæ reſpectu lateat metaphora quædam ex creaturis mutuata.

Deprehendes eam propriè] Negatur: Cum & hæ voces Hebraicæ, propriè de ſolo Deo Opt. Max. uſurpentur: Is enim primò dictus fuit *El* & *Elohim*, quam hæc nomina transferrentur ad creaturas: nec eodem ſenſu & modo creaturis quo illi conveniunt, ut etiam ſuo loco oſtendimus.

Quare non ea erit conſtituenda inter Deum ſummum, &, qui illi ſubſunt, dif-
94. ferentia, quòd illi ſoli propriè vox Dei conveniat, his non niſi impropriè ac metaphoricè: ſed quòd illi primò ac per ſe, ac ratione omnium perfectiſſima: his verò ſecundariò, & non niſi illius virtute ac beneficio; ac porrò aliqua ſaltem ratione imperfectiùs. Quod enim ab altero totum pendet, ad ejus perfectionem penitus aſſurgere non poteſt, ſed aliqua ſaltem ratione infra eam ſubſiſtit. Eſt hæc natura eorum vocabulorum ac generum, quæ communia ab uno dicuntur, à ſcholaſticis analoga attributionis, ab aliis aliter. Vna enim earum vocum ſignificatio præcipua eſt, & cæterarum veluti fons & origo. Id enim, quod ea voce præcipuè denotatur, in cauſſa eſt, ut & cætera talia ſint & dicantur. Ideo ab uno, ſeu mavis ab una dicuntur, quia ab uno ſui generis, ſeu ab una ſpecie, cæteræ pendent, & id habent, quod ſunt, & dicuntur. Id verò unum in noſtro negotio illud eſt, quod ſummum. Deus enim altiſſimus à ſeipſo habet, ut Deus ſit ac dicatur, cæteri ab ipſo. ſiquidem ille à ſeipſo & robur habet immenſum, & poteſtatem atque imperium in omnia: cæteri non niſi illius virtute ac beneficio.

‡ *Sed quod illi primò*] At ſi id nominis ſupremo Numini *primò* ac *per ſe* & *perfectiſſimè* convenit, non poterit aliter convenire creaturis quam impropriè, ſenſu diminuto & per aliud: & ſic de Numine & creaturis dicetur æquivocè, adeoque nominibus appellativis, quæ univoca eſſe debent, annumerari non poterit.

Et hæc natura] Sed cum etiam analoga ſint æquivoca, nec æquivoca ſignificent ante diſtinctionem, eo ipſo quod hoc nomen ad analoga attributionis refertur, nequit univocè, adeoque nec propriè, competere Numini & Creaturis. Ad hæc nomina communia ab uno, ut *ſanum*, quod dicitur de homine, de cibo, de pharmaco, de exercitio, adjectiva debent eſſe; ſed hoc nomen θεὸς eſt ſubſtantivum, adeoque ejus ordinis eſſe non poteſt. Præterea nomina communia ab uno, ideſt quæ habent primarium analogatum ad quod cœtera referuntur, eatenus ſunt appellativa, quod ſaltem primarium analogatum eſt aliquid genericum aut ſpecificum: Ita *ſani*, primarium analogatum eſt homo, quod eſt nomen univerſale & totius ſpeciei: At is cui hoc nomen *Dei* convenit primò & per ſe, notat naturam plane ſingularem & individuam. Item in analogis attributionis, ſecundaria analogata, manifeſtam habent relationem ad primarium: Nec enim alimentum, vel exercitium, vel pharmacum, ſanum.

Digitized by Google

ſanum dicitur, niſi reſpectu ipſius hominis, cujus ſanitati conſervandæ, promovendæ, reſtaurandæ, inſervit: Sed non exiſtimat it Crellius Angelos & Magiſtratus Deos dici, cum formali relatione ad Deum, quaſi illi vel ad illum, vel illius Dij ſint & appellentur. Denique imperium & poteſtas creaturarum, unde Dij quandoque dicuntur, nequit cenſeri ejuſdem generis aut ſpeciei cum ipſius ſummi Dei poteſtate & imperio; quod tamen ſtatui deberet ex hypotheſi ipſius adverſarij.

Id vero unum] Neque hoc ſatis commode: Nam etiam ſumma dantur genera in Categorijs, quæ per ſuas ſpecies ſubdividuntur: Sed non eo ſenſu Deus unus quia ſummus, ſed potius quia ſolus, indiviſus in ſe & diviſus ab omni alio.

Cæteri ab ipſo] Attamen non dicuntur Dij relatè ad ipſum, ſed relatè ad eos qui ſuo ſubſunt imperio: ut vel idem primi analogati rationem in hac diverſitate ſignificationis nequeat habere. Ac ſicut Ens non dicitur univocè & eodem modo de Deo & Creatura, ſive de Ente independente & dependente, ita nequit nomen Dei, univocè dici de ſummo Numine, cujus poteſtas eſt infinita & independens, & de ijs creaturis quarum poteſtas eſt limitata, dependens & circumſcripta.

Eam autem, quam hîc defendimus, ſententiam de proprietate vocis Dei, creaturis quibuſdam tributæ, confirmat etiam illuſtris apud Johannem locus, qui capite 10. (*v.23.*) extat. Nam cùm Chriſto eſſet à Judæis objectum blaſphemiæ crimen, eò *quòd, homo cum eſſet, ſeipſum faceret Deum*, (*v.34. & d.*) Chriſtus, id crimen diluens, ita reſpondet, *Nonne*, inquit, *ſcriptum eſt in lege veſtra*, (*Pſal: 82, 6.*) *Ego dixi, Dii eſtis? Si illos dixit deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi ſcriptura: quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis, quòd blaſphemas, quia dixi, Filius Dei ſum?* Ubi nullum eſt dubium, quin Judæi propriè *Dei* vocem uſurparint, cùm Chriſtum eo nomine auderent blaſphemiæ arceſſere, quòd ſe Deum faceret. dubium etiam eſſe non debet, quin Chriſtus illis reſpondens, docere voluerit, jurè ſe potuiſſe Dei nomen uſurpare, idque verè ac propriè, licèt expreſſè non uſurpaſſet. Ad id autem probandum exemplum affert eorum, quos Deus ipſe aliquando vocarit deos, & à minori ad majus argumentum, ducens, ita, ſi ſententiam ſpectes, concludit: Si illi appellati ſunt dii, ad quos ſermo Dei factus eſt; multò magis ego Deus appellari poſſum. Ubi nequaquam eſt concedendum, eum, ambiguitate vocis abuſum, à metaphorica ſignificatione ad propriam tranſiiſſe. Neque enim ſequitur: ſi illi metaphoricè dicti ſunt dii: multò magis ego propriè ſic dici poſſum; præſertim ſi ſtatuas id, quod hîc refellimus, vocem eam non niſi Deo ſummo propriè competere: quæ enim, quæſo, eſt conſecutio: illi ſunt Dii metaphoricè 95.
appellati, & quidem jure: ergo ego multò majori, vel ſaltem æquali jure, Deus naturâ, ſeu Deus ſummus dici mereor.

‡ *Eam autem quam*] At hîc locus nihil facit pro ſententia adverſarij, non aliò collimantis quam ut ex Chriſto fabricetur Deum aliquem finitum, factitium & ſecundarium, id eſt revera merum Idolum.

Ubi nullum eſt dubium] Agnoſco: Nam inde colligebant quod ſe Deum faceret, quia ſe Dei Filium profitebatur, proprium nempe &c

Digitized by Google

pe & naturalem, ideſt Patri coeſſentialem & ὁμοούσιον. quod patet diſertè ex Ioh. v, 18. ubi dicitur Iudæos eo magis quæſiviſſe occidere Chriſtum quod *Deum Patrem ſuum proprium* dicendo, *ſeipſum æqualem Deo* faceret. Et Chriſtus hanc conſequentiam ceu legitimam admittit; ſolum negat ſe ideo reum eſſe blaſphemiæ: Atque hoc crimen a ſe amoliturus, & oſtenſurus id nominis verè & propriè ſibi deberi, per argumentum à minori ad majus, duo facit. I. Removet ſcandalum nominis, allato exemplo eorum quibus idem nomen, licet ſub alia ratione & aliò modo, tribuitur in Scripturis. II. Oſtendit ſibi hoc nomen multo potiori jure adeoque ſub longè auguſtiori ratione quam illis convenire; eo quod longe aliter ſit Dei Filius, quam Principes & Magiſtratus, qui Davidi loco hic citato *Filij Altiſſimi* dicuntur. Et cum agnoſcat Adverſarius ipſum argumentari à minori ad majus, debet etiam confiteri quod ſtatuat magis propriè ſibi competere nomen Dei, & multo plus juris ſibi eſſe ad illud, quam principibus & Magiſtratibus mundi, adeoque procedat ab impropria & diminuta ſignificatione hujus vocis, ad primariam & maximè propriam: Nec ideo Chriſtus credendus eſt illudere auditoribus ſuis ambiguitate vocis; cum procedat à minori ad majus, uti dictum eſt, vult enim probare hoc nomen ſibi competere ſenſu quo ſumebatur à Iudæis, ideſt quo in merum hominem, qualem eum credebant eſſe, cadere nequit. Quin etiam id non eſt ei inſolens tranſire ſubinde a ſignificatione metaphorica aut minus propria ad propriam, & viceverſa, ut videre eſt nominatim Matt. xvi, 18. & Ioh. 11, 19. 20. In priori enim loco à Petro tranſit ad Petram, in poſteriori à Templo ſenſibili ad myſticum.

Neque enim ſequitur] Nec ita argumentatur Chriſtus: Sed in hunc modum; Si citra blaſphemiam illi poſſint dici Dij ad quos Dei verbum factum eſt, quantò minus blaſphemiæ ſum incuſandus quod me Deum faciam, cum ſim ipſius met Dei Verbum & Filius unigenitus? Nam cui competit potior ratio nominis alicujus, illi quoque potiori jure debet permitti ejus nominis uſurpatio. Quod ſi hoc nomen *propriè* illis conveniſſet, non argumentaretur Chriſtus à minori ad majus, ſed tantum à pari: quoniam in *propria* uſurpatione vocis, non datur magis & minus; quod enim minus propriè dicitur, eo ipſo impropriè dici cenſendum eſt.

Rationem tantùm expende, quâ Chriſtus ſibi potiùs, quàm illis, hoc nomen tribui poſſe oſtendit. Hanc illis complexus eſt verbis: *Quem Pater ſanctificavit, & in mundum miſit*. Atqui ratio iſta Deum ſummum haudquaquam arguit; ſed potiùs non eſſe arguit. Neque enim Deus ſummus ab alio ſanctificatur, ſed alios ipſe ſanctificat: in mundum à nemine mittitur, ſed alios imperio ſuo mittit obnoxios. Certè ob eam rationem, nec Pater Chriſti Deus eſt, quem eſſe omnes credimus; nec Spiritus ſanctus, quem illi cum quibus diſputamus. Non poteſt autem Deus ſummus, alius ob hanc, alius ob illam rationem Deus eſſe. At ſi agnoſcas, *Dei* nomen judicibus ac magiſtratibus, de quibus locus Pſalmi (*Pſal. 82, 6.*) à Chriſto citatus loquitur, propriè convenire; firmiſſima erit illius argumentatio. Si enim iſti, quos Deus illis Pſalmi verbis alloquutus eſt, dii ſunt dicti, licèt non adeo magna, nec inuſitata eorum eſſet poteſtas; an non longè majori jure Chriſtus jam tum Deus dici potuit? Hunc enim Pater à cæteris omnibus ſelectum, potentiâ & auctoritate prorſus inuſitatâ ac plané divinâ inſtructum, ad humanum genus miſerat.

‡ *Rationem*

Digitized by Google

‡ *Rationem tantum*] Primùm negari non poteſt Chriſtum id nomen Dei ſibi vindicare, etiam tum cum apparebat formâ ſervi, longè aliter quam tribuitur Magiſtratibus & Principibus terræ. Non poteſt autem *Chriſtus ſibi potius quam illis hoc nomen* tribuere, quin eo ipſo ejus ſignificationem variare denotet. Deinde illud ipſum quod de ſe hîc dicit, eum ſummum eſſe Deum apertè comprobat: Nec enim his verbis ſe diſtinguit à Deo ſummo ἐσιωδῶς, ſed tantum à Patre ὑποςατικῶς: Neque poteſt Dei Filius μονογενὴς & propriè ſic dictus, Deum habere Patrem ἴδιον, propriè dictum, quin ſit cum ipſo ejuſdem eſſentiæ & naturæ. Ad hæc Sanctificatio Filij & Miſſio ejus in hunc mundum ad opus Redemptionis & Mediatoris officium, eum præſupponit eſſe verum Deum; cùm mera creatura iſtius operis & officij capax non eſſet; unde *Iehova juſtitia noſtra* dicitur Ierem: XXIII, 6. & Eſ: IX, 5. *Deus fortis & Pater æternitatis.*

Neque enim Deus] Primùm hoc nimis generaliter dicitur; Nam etiam debemus *Iehovam exercituum ipſum ſanctificare* Eſ: VIII, 13. Secundò non ſanctificatur quidem (quo ſenſu hæc vox hîc ſumitur) Deus ſummus ab alio qui non ſit etiam ſummus Deus; ſed non magis repugnat Filium Dei Patri coeſſentialem & à quo perſonaliter demum non eſſentialiter diſtinguitur, à Patre ſanctificari, quam Filium à Patre generari; ſi præſertim ſtemus ſententiæ Auguſtini *tract. 48. in Ioh.* ſanctificatum dici Filium à Patre, quatenus Pater ei per generationem æternam communicavit eſſentiam & ſanctitatem divinam. Tertiò licet non ſanctificetur ab alio is qui eſt tantum ſummus Deus, tamen ab alio poteſt ſanctificari is qui eſt θεάνθρωπος, quatenus *non dat ei Deus ſpiritum ad menſuram* Ioh: III, 34. ſed ipſum ungit *oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis* Pſal: XLV, 8. Atque ita probatur à poſteriori Divinitas Chriſti, quod ita ſanctificari, ut Spiritum non accipiat ad menſuram, mera creatura non poſſit.

In mundum à nemine] Petitio principij: Nam in parabola malorum agricolarum, aliter mittuntur ſervi ad eos, aliter filius ipſe, hæres & dominus vineæ Matt: XXI, 35. 36. 37. 38. & Heb: III, 5. 6. manifeſtum diſcrimen conſtituitur inter Moſem & Chriſtum, quod is fuerit quidem *fidelis in domo famulus*, hic vero ſit *filius* ἐπὶ τὸν οἶκον, *ſupra domum.* Angeli mittuntur à Deo per imperium; ſed Filius mittitur per originem & liberam diſpenſationem, ſic etiam ut ultrò veniat. Imò cum miſſio Chriſti in carnem eum jam præextitiſſe illi ſuæ carni præſupponat, vel inde quod miſſus in mundum fuerit, ejus natura divina, juxta quam jam eſſet prius quam mitteretur, ſufficienter comprobatur.

Certe ob eam] Non ſunt confundenda perſonalia cum eſſentialibus in divinis: Ratio eſſentialis eadem eſt in tribus perſonis; ſed eandem eſſentiam habent modis diſtinctis, ac ſingulis perſonis incommunicabiliter proprijs. Spiritus ſanctus non dicitur ſanctificari à Patre & Filio, quia non aſſumpſit, ut Filius, naturam humanam hypoſtaticè in ſua perſona ſanctificandam; ſed tamen dicitur mitti ab utroque; non per imperium, ſed per originem ac ſapientem diſpenſationem. Filius dicitur mitti & ſanctificari, quia procedit à Patre, & ex ſapientiſſimâ ac liberrima œconomia aſſumpſit hypoſtaticé naturam noſtram, & quà θεάνθρωπος unctus eſt Spiritu Sancto, & Rex, Propheta, atque Sacerdos Eccleſiæ conſtitutus. Pater quia eſt ἀγέννητος & fons & origo totius Divinitatis ut communicabilis ad intra, & a ſeipſo operatur, nec mittitur nec ſanctificatur.

At ſi agnoſcas] Neutiquam: Cum enim poteſtas Chriſti imo potentia divina, quam in ſuis operibus ſuis oſtendebat, non gradu modo, ſed toto genere excellentior fuerit poteſtate Principum & Magiſtratuum, & hi nonniſi in communi Dij dicantur, ipſe vero Deus ſit dicendus perſonaliter & in ſingulari, remanet diverſo planè ſen-

ſu, nomen

ſu, nomen hoc de ipſis & de Chriſto uſurpari. Nec poteſt nomen illud *συνωνυμῶς* intelligi, quod uni *longè majori jure* quam alijs tribuitur. Imò non poteſt non eſſe naturâ Deus, *qui potentiâ & authoritate planè divinâ* inſtructus ſit, eoque ſenſu Deus, quo hæc vox ſumebatur à Iudæis dum ipſum blaſphemiæ inſimulabant.

Verùm ita moderatus eſt ſermonem Chriſtus, ut tantummodo diceret, ſe *Filii Dei* nomen ſibi uſurpaſſe: non verò, ſe *Dei* appellationem vel ſumſiſſe ſibi, vel ſumere jurè potuiſſe: ut tantò magis blaſphemiæ crimen à ſe depelleret. Potuiſſet quidem Chriſtus eodem jure, eademque uſus ratione, *Deum* ſe appellare, quâ ſe *Dei filium* aſſeruerat. quemadmodum & illi, de quibus in Pſalmo ſermo eſt, eandem ob cauſam & *dii* & *Filii Dei* ſeu *Altiſſimi* ibidem appellantur. Sed aliquo tamen pacto minùs auguſtum eſt; & à blaſphemiæ crimine longiùs remotum *Filii Dei*, quàm ipſum *Dei* nomen. Hoc enim ſolam ejus, qui ita vocatur, majeſtatem ac ſublimitatem explicat, eumque ita cum Deo ſummo conjungit, ut nullam inter hunc & illum differentiam indicet. Illud autem, etſi maximam ejus, qui ita nominatur, cum Deo ſummo conjunctionem exprimit, præſertim in tam perfecta, quâ Chriſto competit, ſignificatione: nihilominus tamen ſtatim differentiam illius à Deo ſummo aperit, & eum Deo aliqua ratione inferiorem eſſe oſtendit. Filius enim Dei eo ipſo, quòd Filius eſt, à Deo Patre ſuo totus pendet, omniaque ipſi accepta refert: hic nemini. Quæ cauſa etiam eſt, cur Chriſtus longè crebrius Filius Dei, quàm Deus appelletur.

‡ *Verum ita moderatus*] Imò cum rapinã non duceret *æqualem eſſe Deo* Phil. II, 6. Ioh. v, 18. tantum abeſt ut velit inſinuare, ſe *Dei appellationem* nec *ſumpſiſſe* nec *ſumere jure potuiſſe*, ut è contrario eam ſibi ideo propriiſſimè vindicet, quod ſe proprium Dei Filium faciat & aſſerat.

Potuiſſet quidem] Quî hæc conciliari poſſint cum immediatè præcedentibus, Author viderit. Saltem nobis ſatis eſt, quod eodem modo & ſenſu *Deus* potuerit dici quomodo, filius Dei fuit: Fuit autem Dei filius proprius & naturalis, & longè alio modo & ſenſu quam Magiſtratus & Principes, dicuntur *Filii altiſſimi*; Ergo potuit dici Deus propriè & naturaliter, & longè alio modo & ſenſu quam iſti *Dij* dicuntur.

Sed aliquo tamen] Neutiquam, ſi in Chriſto Deum eſſe & Filium Dei, æquipollere ſtatuantur, & quatenus Filius Dei proprius, naturalis & *μονογενὴς* intelligitur. Nec video quî poſſint Principes mundi ita hoc nomen Deorum conſequi, ut nulla inter eos & Deum ſummum differentia indicetur. Et cum ſæpè Chriſtus in Scripturis *Deus* abſolutè dicatur, ergo hoc nomen *eum ita cum ſummo Deo conjungit, ut nullam inter hunc & illum differentiam indicet*, aut cogitandam relinquat. Per nomen *Filii* vero diſtinguitur duntaxat à perſona Patris ordine non eſſentiâ, dependentia originis, non temporis aut naturæ.

Quæ cauſa etiam] Nõ quò negetur ei eſſentia & natura divina, ſed quò à perſona patris per oppoſitionem relativam diſtinguatur.

Quare duplici ratione cenſendus eſt Chriſtus ad argumentum adverſariorum,
96. quo calumniam ſuam probare nituntur, reſpondere. Diſputant illi: Deum teipſum

Digitized by Google

ipſum facis. Blaſphemas igitur. Chriſtus & conſecutionem infringit, argumento ſuperiùs explicato; & antecedens, dum argumentum illud ſuum concludens oſtendit, ſe dixiſſe, *Filius Dei ſum* : non verò, ut illi objecerant, *Deus ſum*. Quòd ſi tamen id quoque tacitè aſſeruiſſe cenſendus ſit; indicat ea reſponſione, ſe non ſupremam & à nullo alio pendentem deitatem ſibi tribuiſſe, ſed eam, quæ à ſuprema pendeat, quæque in Filium Dei cadat, eùmve conſtituat. Hoc autem ſe abſque blaphemiæ crimine, imò ſummo jure feciſſe.

‡ *Diſputant illi*] Benè monetur negari à Chriſto conſequentiam, ratione eâ allatâ quæ procedit à minori ad majus; Sed falſò ſtatuitur negari *antecedens*. Cur enim Chriſtus negaret ſe eſſe Deum, qui ſe *unum* cum Patre profitebatur hoc eod. cap. com. 30. & qui *Filius Dei* eſſe dici-ve non poterat auguſtiori illo ſenſu, quin Patri ſuo eſſet coeſſentialis & coæternus?

Quod ſi tamen] Et hoc aſſeruit Chriſtus, & ſibi ipſi ſummam & independentem Deitatem tribuit, qualis demum in Filium Dei proprium & naturalem cadat. Cum enim eadem ſit eſſentia & Deitas Filij quę Patris, quia unum ſunt, non minus ſuprema eſt Deitas Filij quam Patris; unde αὐτόθεος meritò à noſtris ſtatuitur; quamvis eam Deitatem unicam & ſupremam habeat originaliter à Patre per æternam generationem. Nec ſi Filius eam habet per quandam dependentiam originis & ordinis à Patre, inde ſequitur ipſam Divinitatem quę habetur, non eſſe ſupremam ſed dependentem. In regno ſucceſſivo, filius conſequitur ſupremam poteſtatem dependenter à ſuo patre; niſi enim ejus filius eſſet non regnaret; ipſa tamen poteſtas quam obtinet ſuprema eſt & independens. Ad rem quæ habetur, à modo quo habetur, non eſt argumentandum.

Ut ergo ad inſtitutum redeamus; conſtat, alios etiam præter Deum ſummum deos propriè dici. ſecundùm Patrem quidem Chriſtum: poſt hunc verò in cœlis angelos, in terris magiſtratus ac judices. Conſtat etiam, rectè à nobis ſuprà conſtitutam eſſe duplicem nominis *Dei* ſignificationem, laxiorem & ſtrictiorem. Ea enim non minùs hìc, quàm in loco Pauli ſuperiùs citato reperitur. Laxior, cùm judices eo nomine appellantur: ſtrictior, cùm ad eos ſermonem *Dei* eſſe factum, & Chriſtum *Dei* Filium eſſe dicitur. Nam Patrem hìc intelligi, res ipſa loquitur. Eandem ſignificationem omnes innumeris agnoſcunt locis, ſed iis maximè, in quibus Deus à Chriſto, ut iſtìc contingit, diſcernitur. Verùm eam agnoſcere debebant, in omnibus Novi Teſtamenti locis, in quibus vel ſubjectivè, ut loquuntur, vox *Dei* ponitur, cùm interim ad eum ipſum, qui Deus dicitur, ſermo non dirigatur; vel in Græco articulus voci præfigitur, qui nec penitus, nec ex parte aliqua vim ſuam perdere deprehendatur. Idem de plæriſque locis Græcę Veteris Teſtamenti verſionis dici poteſt, in quibus vox θεός ſingulari numero ponitur. Duobus enim illis modis vox θεός uſurpata, Deum ſummum, tum in N. Teſt. tum in plæriſque Veteris Teſtamenti locis ſignificat.

‡ *Ut ergo ad*] Verum eſt Chriſtum *propriè* dici Deum, quia eſt Patri coeſſentialis; ſed falſum id nominis ulli Creaturæ in ſignificatione propria convenire, aut alio ſenſu quam

ſu quam improprie, diminuto & ſecundum quid.

Conſtat etiam] Illa *laxior* eſt impropria, conveniens τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς, *iis qui natura Dij non ſunt* Gal: IV, 8. *Strictior* vero propria, Deum natura & eſſentiâ ſignificans. Cum verbum *Dei* ad eos dicitur factum qui *Dij* dicuntur, nomen *Dei* ſumitur ſtrictè, ſed οὐσιωδῶς; Cum Chriſtus Filius *Dei* dicitur, ſumitur quoque ſtrictè nomen *Dei*, ſed ὑποστατικῶς pro Deo Patre, ut eam perſonam notet quæ ſit ſummus & verus Deus, licet illa perſona id ipſum ſola non ſit. Chriſtus itaque *diſcernitur* à Deo bifariàm; vel perſonaliter quà Filius, cum nomen Dei ſupponit pro Patre, vel eſſentialiter quà Θεάνθρωπος; quia ex tribus perſonis quibus ſimul competit eſſe ſummum Deum, ipſe ſolus eſt qui ſimul ſit verus homo ac Mediator inter Deum & homines 1 Tim: II, 5. Sed neutra diſtinctione abrogatur Chriſto ſuprema Divinitas.

Verum eam agnoſcere] Sed 1. inde non ſequitur hanc vocem non debere ſumi propriè, vel ut hic amat loqui, ſtrictiori ſignificatione, cum uſurpatur *attributivè*, ſive cùm pertinet ad prædicatum enunciationis. Vt cum Chriſtus dicitur eſſe *Deus ſuper omnia benedictus* Rom: IX, 5. Dato enim quod ſemper vox Dei ſtrictiorem habeat ſignificationem cum *ſubjectivè* ſumitur, non tamen inde ſequetur ergo ſemper ei competere laxiorem ſignificationem cum ſumitur *attributivè*. 2. Nulla probabili ratione removetur à ſtricta hac ſignificatione nomen Dei, *cum ad eum ipſum qui Deus dicitur, ſermo* dirigitur; ut cum Thomas dixit Chriſto Ioh: XX, 28. ὁ κύριός μου καὶ ὁ θεός μου: cùm è contrario nemo pius quenquam ita precari & compellare poſſit, quem non agnoſcit pro ſupremo Numine, ne ſerviat iis qui naturâ Dij non ſunt. 3. Multa loca N.T. proferri poſſent in quibus nomen *Dei*, etiam cum ſubjectivè non uſurpatur & deſtituitur articulo, tamẽ neceſſariò in ſtrictiori ſignificatione ſumendum eſt: ut Matt: IV, 4. V, 9. VI, 24. 30. 33. Marc: XI, 22. XV, 34. Luc: I, 35. 78. II, 14. 40. 52. III, 2. IV, 4. XVI, 13. Ioh: I, 12. III, 2. IX, 33. X, 33. collato cum V, 18. XIII, 31. XIX, 7. XX, 17. Hæc paucula exemplâ ſufficiant ex Euangeliſtis, ne in re non neceſſaria chartam impleam citationibus: Saltem ex his evidenter conſtat frivolam eſſe reſponſionem adverſariorum, ad locum Iohannis, I, 1. καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, quod ibi nomen Dei non ſubjectivé ponatur ſed attributivé abſque articulo, cùm ſæpé idem nomen pro vero ſummoque Deo ſupponat, etiam attributivé & ſine articulo poſitum. Quod ſi ad verſionem Græcam V. T. luberet ire, plurimis ex illa exemplis demonſtrari poſſet, hanc Socinianam regulam falſam eſſe & fallacem, tantum abeſt ut pro apodictica veniat uſurpanda. Sanè nomen hoc de ſummo Deo legitur abſque articulo Gen: I, 2. IX, 6. XXI, 17. XXX, 2. & alibi paſſim; & alio ſenſu cum articulo Gen: II, 2. 4. ubi υἱοὶ τοῦ θεοῦ dicuntur illi בני האלהים *Bene Haelohim*, quos Chaldæus Paraphraſtes, Symmachus & Pagninus, *filios potentum* interpretantur. 4. Nec deſunt exempla quibus probetur Chriſto nomen *Dei* deferri & ſubjectivé, & cum articulo. Ita ſubjectivé dicitur Deus acquiſiviſſe Eccleſiam proprio ſuo ſanguine Act: XX, 21. Id enim referre ad Patrem, cujus ob imperium in Chriſtum, ſanguis Chriſti proprius ſanguis dicatur, dilutius eſt quam ut debeat refutari: æquè enim *proprius* Dei ſanguis cenſeretur ſanguis Martyrum, imò ſanguis beſtiarum qui fundebatur in ſacrificijs legalibus; Pſ: L, 10. 11. Nullaque ſubeſt probabilis ratio cur ſanguis hic alterius *proprius* potiùs quam Chriſti cenſeatur, ut Heb: IX, 12. XIII, 12. Ita ſubjectivé idem nomen Dei Chriſto tribuitur 1 Tim: III, 16. ubi dicitur *Deus manifeſtatus in carne*: Ita eidem nomini de Chriſto uſurpato, præfigitur articulus 1 Ioh: V, 20. ubi dicitur ὁ ἀληθινὸς θεός: & Tit: II, 13. dicuntur pij expectare *apparitionem*

Digitized by Google

tionem gloriæ τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ. Quare certiſſima regula propriæ ſignificationis quam adverſarius anguſtiorum vocat, ab impropria dignoſcendæ, hæc demum eſſe debet, videlicet, Deum ſummum intelligi maximè in N. T. quoties id nomen abſolutè & in ſingulari uſurpatur nec ulli idolo deſignando & exprimendo catachreſticè adhibetur.

Atque ut de priori modo, adeoque de priori ſtrictioris illius ſignificatûs indicio nunc dicamus; ſubjective *Dei* vocem uſurpari dicimus, quoties ea de aliquo ſubjecto non enunciatur, etiamſi fortè prædicati, ex pluribus vocibus conſtantis, pars ſit, ut cùm dicitur, Chriſtum eſſe Filium *Dei*; nos accedere ad *Deum*; offerre hoſtias *Deo*; & quæ ſunt hujus generis alia. (*Heb: 7.25: 11.6: 13.15: adde 1 Ioh: 4.2, 3, 6, 7.*) Hoc ergo modo uſurpata vox *Dei* κατ' ἐξοχὴν ſumi, & Deum ſummum, in novo præſertim fœdere, denotare ſolet. Atque hęc eſt cauſſa, cur *Deus* ſimpliciter poſitus à Chriſto toties apertiſſimis verbis diſtinguatur. At cùm eadem vox prædicati locum obti- 97.
net, articulo deſtituta, (interdum enim habet) (*vid: 2 Sam: 7, 28. Pſal: 32, 12: 47. 98. 77. 15. Eſa: 45. 22: 46. 9. Oſea 11, 9.*) ſupremam deitatem non denotat, niſi ex accidenti. id quod ex enunciationis ſubjecto, aut aliis locorum circumſtantiis eſt colligendum. Aliàs enim non proprii, ſed appellativi rationem habet. Eadem ratio eſt, cùm vocandi caſu quiſpiam eo nomine compellatur, honoris tantùm & dignitatis exprimendæ cauſsâ, non ut ab aliis, quibus idem nomen conveniat, diſtinguatur. Illo enim modo, abſque ulla ἐξοχῇ ſignificationis, vocabula generalia cuivis illius generis, quod deſignant, individuo poſſunt accommodari.

Atque ut de priori] Verum primò ſummæ foret inſaniæ nomen Dei tum demum de ſummo intelligere, ubi ponitur ſubjectivè: Nam etiam attributivè eodem ſenſu plerumque ſumitur: ut cum fœlix pronunciatur *populus, cujus Deus eſt Deus* Pſal: XXXIII, 12. Deinde quomodo ſubjectivè ſumatur ea vox quæ pars eſt attributi ſive prædicati in enunciatione, vix cogitari poteſt. Tertiò, cum & *hoc modo* uſurpetur hæc vox de Chriſto, ejus ſumma Divinitas, vel ex hypotheſi Adverſariorum ſuorum, venit inde agnoſcenda.

Atque hæc eſt cauſa] Quin Chriſti à Deo diſtinctio, aliò longé ſpectat; Si enim Dei nomen ſumatur οὐσιωδῶς in illa oppoſitione, tunc Chriſtus conſideratur quâ θεάνθρωπος & mediator Dei & hominum, 1 Tim: II, 5. At ſi Chriſtus præciſè quà λόγος & Filius diſtinguatur à Deo, tunc Dei nomē ſumitur ὑποστατικῶς pro perſona Patris, quæ frequentiùs Deus dicitur propter ſuam ὑπεροχὴν relativam, & quod ordinis & originis reſpectu, ſit aliarum duarum perſonarum principium. Quin frequenter in regimine Ariſtocratico, inſignia Magiſtratus præferuntur uni Conſuli, non quò ejus collegis & Senatoribus poteſtas abrogetur, ſed quia ille eſt Præſes Curiæ & habet ſimulachrum imperii.

At cum eadem) Sanè omnibus locis hîc citatis ſupremum Numen intelligitur, & tot habet Adverſarius exceptiones contra ſe, quot hoc loco proſtant citationes, ad quas plures aliæ poſſent accedere. Cur autem ubi deeſt articulus ſuprema Deitas denotabitur demum *ex accidenti*, non vero propriè & per ſe?

Id quod ex] Hæc eſto ergo vera regula intelligendi veram uſurpationem hujus loci, pro ſubjecta materia, uſu Scripturæ, & aliis locorum circumſtantiis. Sanè deeſt

Digitized by Google

articulus Pſal. XIV, 1. *Dixit ſtultus in corde ſuo* οὐκ ἐςὶ θεὸς, ubi tamen de ſummo Numine agitur.

Alias enim] Id falſum eſſe, ſuo loco oſtenſum eſt.

Eadem ratio eſt] Et id falſum eſſe, etiam dictum antea; Nemoque unquam reperietur, eo nomine ſigillatim perſonaliterque vocatum & compellatum, *honoris & dignitatis exprimendæ cauſâ*, qui ſummus Deus non ſit, aut ſaltem pro tali ab Idolorum cultoribus ad Bahalem v. g. clamantibus, habitus non fuerit.

Illo enim modo] Hoc pernego: Nam etſi de Magiſtratibus & Principibus in communi legatur *Dixi Dij eſtis*, nulli tamen eorum in particulari & *individuo* fas eſt dicere, *Domine Deus mi, juva me*: Et talis loquutionis in Scriptura nec vola extat nec veſtigium.

Jam ut de altero etiam indicio ſtrictioris ſignificationis vocis θεοῦ aliquid dicamus; quia id in articulo ei præfixo conſiſtit; ideo pauca nobis de articuli vi dicenda ſunt, alibi etiam profutura. Fatendum quidem eſt, articulum voci naturâ ſuâ generali præpoſitum, non ſemper vim habere, eam ad certam aliquam ſive ſpeciem ſive individuum, reſtringendi. imò ut ipſi notant Græci, articulus nonnunquam eſt προσδιορισμὸς τοῦ καθόλου, ſeu univerſalis naturæ nota quædam: quin & ornatûs ſæpè cauſſâ magis, quàm neceſſitatis, præfigitur vocibus, & rem quamvis ſui generis deſignat. Sic, ut rectè annotârunt interpretes quidam, apud Matthæum (*Mat*: *18, 17.*) ὁ ἐθνικὸς, non ſingularem aliquem, ſed quemcunque notat Ethnicum; ὁ τελώνης quemvis publicanum: apud Marcum (*Mar: 1, 44.*) ὁ ἱερεὺς quemcunque ex ſacerdotibus. Participiis præpoſitus nil conſuevit ſignificare aliud, quàm apud Latinos pronomen *qui* verbis præpoſitum. ut fruſtra illi ſint, qui alicubi (*Apoc: 2. 23.*) quippiam eo ſingulare notari contendunt. Exempla paſſim ſunt obvia: (*vide inter alia Mat: 5, 22, 28, 40, 42: 7: 8, 21, 26: 10. 37, 39, & d. Ioh: 3. 15, 16, 18, 36: 6. 35, 47, 54, 56.*) eſtque res jam olim viris doctis notata.

‡ *Iam ut de altero*] Quam parum ſit certitudinis in hac regula, ex ſuperiùs dictis conſtat: Caret articulo Paulus 1 Tim: III, 16. ubi dicit *Deum manifeſtatum in carne*, & tamen ibi, vel ex falſa explicatione adverſariorum, id nomen ſtrictiorem hanc obtinet ſignificationem.

Fatendum quidem] Et hoc fatemur ſæpè articulum notare τὸ καθόλου, nec ſingulariter eſſe ſumendum, ut non ſolum patet ex locis hìc citatis, ſed etiam ex Marci XII, 28. & 2 Theſſ. II, 3. 4. Sed ex eo quod articulus quandoque eſt intenſivus ſignificationis & diacriticus, (quod ex loci circumſtantiis potiſſimùm intelligi debet) non benè colligi poteſt, Ergo nomen Dei de ſupremo Numine non eſſe intelligendum, quoties defuerit articulus.

Participiis præpoſitum] Sanè hoc Apocalypſeôs loco Divinitatem Chriſti, firmiſſimè probari patet, non tam ex articulo, qui non comparet in omnibus exemplaribus, quam ex illo attributo, ἐγώ εἰμι ὁ ἐρευνῶν νεφροὺς καὶ καρδίας, *ego ſum is qui ſcrutatur renes & corda*, quod paſſim Iehovæ ac ſummo Deo tribuitur 1 Chron. XXVIII, 9. Pſal. VII, 10. Ierem. XI, 20. Act. I, 24.

Solet tamen articulus nominibus præfixus, perinde ut apud Hebræos He emphaticum

Digitized by Google

phaticum ab illis dictum, ea creberrimè ad rem certam reſtringere, qua de cauſa nominibus propriis frequentiùs ſubducitur. ſiquidem ea per ſe jam ſatis arctata, reſtrictione alia non indigent. Reſtringit autem voces articulus duplici ratione; vel ut mentem audientis referat ad rem aliquam notam, præſertim antea nominatam, aut aliqua ratione indicatam; ob quem uſum ἀναφορικὸς appellatur: vel ut deſignet rem in ſuo genere eximiam. quo tempore generale διακριτικῦ nomen obtinet: cum cæteroquin, etiam quando ἀναφορικὸς eſt, diſcernendi vim habeat. Et haud ſcio, an ex priori vi poſterior nata ſit, atque ideo res eximiæ articulo notentur, quia præ cæteris notæ eſſe ſoleant, ut ad eas facile mens audientis referatur. Utriuſque uſus exempla notantur ab eruditis plurima. 98. Et poſterior quidem, qui noſtri potiſſimùm inſtituti eſt, adeò celebratur, ut nonnulli, & ex iis etiam Græci, hunc ſolum propemodum videantur agnoſcere. Monuit in præceptis analyticis Philoſophus (*lib: 1. Prior Analyt: 6, c.37. Pacio.*) diſtinguendum eſſe vocabulum articulo præditum, & eo carens, exemplo in voce ἀγαθῦ propoſito. Non n. idem eſſe, voluptatem eſſe ἀγαθὸν, & voluptatem eſſe τ' ἀγαθὸν, & ſic in cæteris. ubi doctiſſimi quidam illius interpretes notant, ἀγαθὸν ſignificare quodcunque bonum: τ' ἀγαθὸν verò ſummum, articulum enim excellentiam quandam deſignare. quamquam alii rectè addunt, τ' ἀγαθὸν etiam bonum univerſum ſignificare: cùm, ut ſuprà monuimus, articulus etiam ſit προσδιορισμὸς τῦ καθόλυ, frequentiùs quidem nominibus pluralis numeri præpoſitus, ſed interdum etiam ſingularis: & apud Philoſophum τ' ἀγαθὸν & ſummum ſignificet bonum, & univerſum. Ea quæ diximus, ad vocem θεῦ nunc transferamus. Huic, & ſingulari numero, & prorſus abſolutè poſitæ, articulum ſæpiſſimè videmus præfigi, qui tamen nec univerſalis cujuſdam naturæ indicium eſt; præſertim cum Chriſti Patrem toties tam apertè denotet; nec ἀναφορικὸς dici meretur, quòd ad rem antea indicatam referatur. Sæpè enim nulla nec aperta, nec tacita Dei antecedit mentio. Reliquum igitur eſt, ut ἐξοχὴν ſeu excellentiam quandam denotet. niſi dicere velis, eum rem denotare in ſuo genere notiſſimam. ſed notiſſima in hoc genere illa cenſenda erit, quæ omnium eſt excellentiſſima, ita ut res eòdem recidat. Agnoverunt articuli voci huic præfixi vim, etiam veteres quidam, tum Græcæ, tum Latinæ Eccleſiæ doctores, quorum teſtimonia ſunt à noſtris alibi producta. Cyrillus enim (*lib: 1. c. 4. in Ev: Ioh. interprete Georg: Trapezuntio.*) illud, inquit, *apprimè tenendum eſt, quòd quando divina ſcriptura nominibus, ſecundùm Græcæ linguæ uſum, articulos præponit, tunc & unum, & quod ſolum propriè atque verè tale quid dicitur, ſignificat: articulo autem non adjecto, generaliùs cuncta deſignat: ut verbi cauſâ; Multi vocati ſunt dii: ſed quando cum articulo græcâ linguâ Deus dicitur, tunc ſolus & propriè deus deſignatur: cùm verò abſque articulo deus profertur, qui ad hoc gratiâ vocatus eſt, intelligitur.* Incautiùs quidem aliquantò loquitur, ut partim ex iis conſtat, quæ ſuperiùs de voce θεῦ ſubjectivè

jectivè poſita, deque articulorum vi, ex eruditorum ſententia diximus; partim ex infrà dicendis conſtabit. veruntamen magno ea ſunt argumento, quantum
99. articulo tribuerit. Cautiùs illo Auguſtinus. Latinus Græco. Nam (*lib. 1. Quaſtion: ſuper Geneſ: quaſtione 105.*) de verbis Jacobi (*Gen: 33, 10.*) ad fratrem Eſavum diſſerens, *Propter hoc vidi faciem tuam, quemadmodum videt aliquis faciem Dei*, ita inter alia ſcribit: *Hoc potuit ſic dici, quemadmodum & Moſes Pharaonis deus dictus eſt* (*Exod: 7, 1.*) *ſecundùm quod dicit Apoſtolus, Etſi ſunt, qui dicuntur dii, ſive in cælo, ſive in terra, quemadmodum ſunt dii multi & domini multi* (*1 Cor: 8, 5. vid. etiam Iudic: 13. 22.*) *maximè, quia ſine articulo in Græco dictum eſt, quo articulo evidentiſſimè ſolet dei veri unius fieri ſignificatio. Non enim dixit* πρόσωπον τοῦ θεοῦ, *ſed dixit* πρόσωπον θεοῦ. *Facilè autem hoc intelligunt, quâ diſtantiâ dicatur, qui Græcum eloquium audire atque intelligere ſolent.*

‡ *Incautius quidem*] Imo ſatis cautè & accuratè; cum *propriè & verè* loquendo unus tantum ſit Deus; & vult probare quod articulus Ioh. 1, 1. *In Principio erat* ὁ λόγος, diacriticè ſit ſumendus; *Non enim* (inquit) *poteſt, niſi ad unum verbum, quod propriè atque verè in principio erat, articulata referri oratio.* Tamen quoad ejus regulam, quod *articulo non adjecto, generalius cuncta deſignentur*, obtinet ea in nominibus appellativis, quibus integra ſpecies ſolet deſignari, cujuſmodi nomen eſt *homo*; Sed mens illius non eſt eam extendere ad nomina propria, cujuſmodi eſt nomen *Deus*, ſaltem in N. F. quoties ponitur in ſingulari. Itaque verba illa *cum abſque articulo Deus proferetur*, debent intelligi de nomine hoc in plurali, non in ſingulari enunciato, uti patet ex loco Pauli 1 Cor: VIII, 5. ipſi citato: Aliàs nec ipſe adverſarius auſit negare ſæpiſſimè hoc nomen articulo deſtitutum, nihilominus ſupremum Numen denotare: Adeoque procedere quidem argumentum ab articulo deſumptum affirmativè, non vero negativè; ut ſummus Deus intelligatur quoties adeſt articulus, non tamen negetur quod abfuerit.

Cautiùs illo Auguſtinus] Quaſi vero Græco authore Auguſtinus peritior ſit dicendus in lingua Græca, quam ſe puerum odiſſe profitetur *lib. 1. Confeſſ. cap. 17.* & ſuam in illa imperitiam confitetur *lib. 3. de Trinit. in proœmio* his verbis; *Græcæ autem linguæ non eſt nobis tantus habitus, ut talium rerum libris legendis & intelligendis ullo modo reperiamur idonei*, &c. Sed hic eſt mos hæreticorum, ut ſicubi aliquid reperiant quod in ſpeciem ſibi faveat, ejus authorem ideo omnibus alijs præferendum velint.

Nam de verbis] Vt nomen Dei alio ſenſu quam proprio hic ſumatur nihil cogit: Eſt enim proverbialis loquutio, quaſi θεὸς ἀπὸ μηχανῆς Patriarchæ in fratre ſuo apparuiſſet. Ipſe quoque Auguſtinus *ibi* paullò ante non abludit ab iſta interpretatione, quæ eſt etiam Chryſoſtomi *homil. 57. in Gen.* cujus hæc eſt paraphraſis, *Cum tanta enim jucunditate vidi faciem tuam, cum quanta quis viderit Dei faciem.* De locis Exod: VII, 1. & 1 Cor: VIII, 5. ſuprà dictum fuit. Quoad Iud: XIII, 22. ſatis conſtat ibi *Elohim* de Deo ſummo intelligi, cum ex illius, non ex Angeli creati apparitione, mors metueretur. Quo etiam argumento confirmatur quod volumus, non ſemper articulum in Græco abſentiam, abrogare huic voci θεὸς propriam & ſtrictiſſimam ſuam ſignificationem.

Veruntamen obſervandum eſt, nonnunquam voci θεοῦ præfigi articulum, etiamſi de Deo

Digitized by Google

de Deo ſummo ſermo non ſit · ſed tum ea vox vel pluralis eſt numeri; vel cum adjectione quadam ponitur, quæ articuli vim reſtringat; vel denique articulus pro adverbio ὦ, quod vocandi caſui præfigi ſolet, uſurpatur. Primum in Græca vet. Teſtamenti tranſlatione occurrit: cætera etiam in novi Fœderis ſcriptis. Nam quod ad primum attinet; cùm Deus ſummus dicitur *Deus Deorum*, tum apud Moſen, tum apud Danielem, (*Deut: 10. 17. Dan: 11. 36.*) voci θεῶν plurali articulus præfigitur, qui univerſitatem quandam denotat. Significatur enim, eum eſſe omnium cæterorum deorum Deum. Quod ad ſecundum attinet vox θεοῦ articulo quidem notata, ſed cum adjectione aliqua, nunc ſingulari (*Iudic: 11. 24. 1 Sam.: 5. 7. 4 Reg: 19. 34.*) nunc plurali numero poſita (*Exod: 12. 12: 23, 24, 32, 33: 34. 15, 16. Deut: 6. 14: 7. 16. 25. & alibi paſſim.*) etiam falſis diis tribuitur: ut nil prohibeat, quominus vero alicui Deo, licèt non ſummo, tribui queat, ob peculiarem quendam ad eum, cujus mentio adjicitur reſpectum. Animadvertendum enim eſt, quando vocabula cum adjectione aliqua ponuntur, vim articuli eis præfixi, vel penitus perire, vel ex eo, quod adjicitur, æſtimandum eſſe. Neque enim, ſi quid fortè ſingulare denotat, eam ſemper rem deſignat, quæ in toto illo genere, quod voce eadem abſolutè poſitâ ſignificatur, eminet: ſed ſæpè eam tantùm, quæ peculiarem quendam ad id, quod apponitur, reſpectum habet. Et hoc quidem cernitur in iis exemplis, in quibus fictitius aliquis Deus, hujus aut illius gentis Deus, cum articulo dicitur: quia ab ea gente vel ſola, vel præcipuè colatur, vel primùm omnium cultus fuerit. Cæteroquin nullam rei, ut ita dicam, ſingularitatem denotat articulus, præter eam, quam ipſum vocabulum appoſitum per ſe ſignificat. Sic ὁ κύριος, ὁ διδάσκαλος abſolutè poſitus, certum quendam dominum, aut doctorem ſignificat: & in ſacris quidem literis
nominatim Chriſtum. De voce κύριος cum articulo poſita, res omnibus eſt nota. 100.
de voce διδάσκαλος habes apud Matthæum & Johannem exempla. (*Matt: 26. 18. Ioh: 11. 28.*) At cum dicitur ὁ κύριος vel ὁ διδάσκαλος τούτου ἢ ἐκείνου, dominus vel magiſter hujus aut illius, nihil ſingulare denotari ſolet, quod ex voce appoſita per ſe non pateat. quemadmodum vel ex ſacris literis (*Matt: 10. 25. & 24. 45. Luc: 12. 36, 45; 47.*) petita docent exempla. Sic ὁ ἀδελφός σου, frater tuus (*Matt: 5. 23, & d. 7. 3, & d.*) ὁ υἱὸς αὐτοῦ, filius ipſius, (*ib. v. 9.*) & ſimilia, nil ſingulare ſignificare deprehenduntur.

‡ *Veruntamen*] Iterum contra ſeipſum exceptiones & limitationes proponit Crellius, ex quibus conſtat parum ipſi in hac obſervatione relictum eſſe præſidij.

Sed tum ea vox] De primo & ſecundo facilè concеſſerim, quando nempe nomen *Dei* cum articulo de falſo Deo dicitur: Sed nullum dabunt iſti homines exemplum in quo articulus apponatur nomini *Dei* in ſingulari, ubi non intelligatur vel is qui falſò & perperam pro ſummo Numine ab Idololatris habetur ut Phil: III, 19. ὧν ὁ θεὸς ἡ κοιλία, vel is qui revera ſummus ſit Deus, ut cum Chriſtus dicitur 1 Ioh: V, 20. ὁ ἀληθινὸς θεὸς, ejuſque fit mentio ceu τοῦ μεγάλου θεοῦ Tit: II, 13. & τοῦ θεοῦ

Eccleſiæ

Eccleſiæ qui eam redemit proprio ſuo ſanguine Act: xx, 28. quique dicens πατέρα ἴδιον ſe habere τὸν θεὸν, eo ipſo faciebat ſeipſum ἴσον τῷ θεῷ Ioh: v, 18. Phil: II, 6.

Vt nihil prohibeat] At illius rei exemplum nullum hactenus vel profertur, vel proferri poteſt ab iſtis hominibus: Nec valet hæc ratio, Nomen *Dei* cum articulo ponitur interdum de Idolo quolibet, quod à ſui cultoribus habetur pro ſummo Numine, ergo poteſt cum articulo & in ſingulari poni de eo qui non ſit naturâ Deus, ſive ex colentium falſa opinione, ſive in rei veritate.

Animadvertendum enim] Etiam hinc liquet quam lubrica ſit obſervatio adverſariorum de articulo vel præmiſſo vel omiſſo. Quanquam cum Idolum Deus alicujus gentis cum articulo dicitur, articulus vim ſuam retinet ad denotandum ſummum Deum, quia illi genti hoc ſuum Idolum eſt pro ſummo Numine.

Sic ὁ κύριος] Imò ut ὁ θεὸς abſolutè poſitus ſummum denotat Deum, ita etiam ὁ κύριος, ὁ διδάσκαλος, cum in ſenſu abſoluto de Chriſto uſurpantur, denotant ſupremum omnium Dominum, ac Magiſtrū illum cujus reſpectu pij omnes debent eſſe διδακτοὶ τοῦ θεοῦ Ioh: VI, 45.

At cum dicitur] Imò etiam tum ſingulariter denotatur is qui hujus aut illius præceptor fuerit ac dominus. adeoque articulus eſt diacriticus ac diſtinctivus hujus præceptoris domini-ve, ab aliorum domino vel præceptore.

Denique articulum voci θεὸς præpoſitum in adverbium vocandi ὦ migrare, ijs ignotum eſſe non poteſt, qui vel Pſalmorum tranſlationem Græcam legerint. Nam in iis fortaſſe ſemper, (*vid. inter alia Pſ: 3. 8: 5. 3, 11: 7. 2, 4, 10: 10. 12, &c.*) in cæteris ſacrorum librorum plærumque (*vid. Num: 12. 13: Iud: 16. 28 3 Reg: 8. 23, 25, 26, 28. 1 Par: 17. 17.*) pro vocandi caſu θεὲ vel ὦ θεὲ, legitur ὁ θεός. Ejuſdem rei exempla habes etiam in novo Teſtamento. Nam & apud Marcum (*Mar: 15. 34.*) Chriſtus in cruce pendens exclamaſſe legitur, ὁ θεός μου, ὁ θεός μου, hoc eſt, *Deus meus, Deus meus*, pro, *Deus mi, Deus mi*: quemadmodum apud Matthæum (*Mat: 27. 46.*) expreſſè legimus, ubi eſt, θεέ μου, θεέ μου. In iis autem verbis Chriſtus reſpexiſſe creditur ad Pſalmi 22. initium, ubi itidem in Græco eſt ὁ θεὸς ὁ θεός μου, nominativus pro vocativo. Exemplum etiam extat in verbis Pſalmi 45. (*v. 7.*) quæ citantur in Epiſtola ad Hebræos, (*Heb: 1. 8.*) quibus Pſaltes literali, quem vocant, ſenſu Salomonem, myſtico Chriſtum compellans, ὁ θεὸς dicit, pro θεὲ, vel ὦ θεὲ. Eandem caſuum enallagen ſequuntur & aliæ voces, præſertim, quando cum voce θεὸς pro vocativo uſurpata junguntur. Sic uſurpatur ὁ βασιλεύς μου Pſal: 5. 2. ὁ κύριός μου Pſal: 35. 32. illic ſequitur, hîc præcedit ὁ θεός μου. (*vide etiam Pſal: 86: 12.*) Pſalmo autem 8. 2. κύριος ἡμῶν ita ſumitur, licèt proximè præceſſerit κύριε. Apud Johannem ſimilia occurrunt. cap. 13. 31. 13. ait ad diſcipulos Chriſtus: *vos vocatis me* ὁ διδάσκαλος καὶ ὁ κύριος, ubi rectè doctiſſimi quidam interpretes vulgatam verſionem defendunt, quę vocandi caſu habet, *Præceptor & Domine.* cap. 19. 3. milites ita affantur Chriſtum: Salve ὁ βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων, id eſt, ὁ *Rex Iudæorum.* Similia reperies in Apocalypſi. (*Apoc: 6. 10.*)

‡ *Denique*

‡ *Denique articulum*] Sed nemo pius in Scripturis unquam ita compellat alium quam ſummum Deum.

Exemplum etiam] Admittimus quod hic Deum unctum ab ungente Deo diſtingui fatetur Crellius; Sed id *literali ſenſu* dictum ad Salomonem negamus. Nam etſi forte occaſio hujus Pſalmi ſcribendi fuerint nuptiæ Salomonis, quod incertum, cum nequidem probari videantur illæ quas iniit cum mulieribus peregrinis ac nominatim cum Pharaonis filia, tamen plurima ſunt in eo Pſalmo, quod & alibi ex Hieronymo obſervavimus, quæ nulla ratione poſſint convenire Salomoni; præſertim hæc ipſa pericopa, quam Paulus Heb. 1, 8. de æterno Chriſti regno dictam aſſerit. Quid quod eo loci diſertè Chriſtus diſtinguitur ab Angelis, quos tamen Deos quandoque vocari in Scripturis certum eſt; Unde oportet ipſum longè alio ſenſu Deum appellari. Quoad cætera exempla hic congeſta, illis immorari nihil attinet. Moneo tantum quod Epiphanius *de hær. Ebion.* in loco Ioh: XIII, 13. enallagen, vidit non nominativi caſus pro vocativo, ſed nominativi pro accuſativo, ac ſi dixiſſet · Chriſtus, ἐμὲ λέγετε κύριον καὶ διδάσκαλον: ut etiam in accuſandi caſu reddidit eum locum Iohannis ipſe Eraſmus.

Ut non immeritò credas, cùm Thomas apud eundem Johannem (*Ioh: 20. 28.*) ita Chriſtum affatur, ὁ κύριός μου, καὶ ὁ θεός μου, eum nominativo pro vocativo eſſe uſum, quaſi dixiſſet, *ô domine mi, & ô Deus mi:* quemadmodum alibi eaſdem voces ad alterum directas uſurpari videmus. Quanquam etiamſi ea Thomæ ver- 101
ba ita accipiantur, ac ſi dixiſſet, *Tu es dominus meus & Deus meus*, quemadmodum nonnulli verterunt interpretes: intelligi tamen ex ſuperioribus poteſt, articuli vim ob adjectam particulam μου, id eſt, *meus*, minui. Quòd ſi vim aliquam habere concedendum; conſentaneum eſt, Thomam, cùm Chriſtum à Deo reſuſcitatum videret, dicere voluiſſe, eum eſſe illum Dominum, qui à Deo fuerit Iſraëlitico populo promiſſus, qui ei genti ſit inſigniter benefacturus, eumque ex ſervitute liberaturus: ut jurè eum non modò dominum ſuum, ſed & Deum ſuum appellare poſſit aut debeat. breviter, eum eſſe illum Chriſtum Dei filium, quem eſſe aliquando unà cum cæteris crediderat ac profeſſus fuerat; (*Matt: 16. 15, 16. Ioh: 6. 69.*) ſed quæ fides, Chriſti morte tam dira tamque infami, deliquium aliquod in Thoma fuerat paſſa. Quare articulus potiſſimùm cenſendus erit ἀναφορικὸς, qui mentem ad rem certam anteaque notam referat..

‡ *Ut non immeritò*] Sive in caſu recto, ſive in caſu vocandi, Thomas loquutus dicatur, ſanè agnovit Chriſtum eſſe Dominum ſuum & Deum ſuum, eo modo & ſenſu quo Chriſtus ipſe exclamavit in cruce, ὁ θεός μου ὁ θεός μου *quare me dereliquiſti?* Et cum ipſi adverſarij quandoque hæc verba Thomæ adhibeant probaturi religioſam invocationem Chriſti, hinc etiam veram & ſummam Divinitatem ejus debent confiteri.

Quemadmodum alibi] At ubi in tota Scriptura hæc dicta reperies alicui qui naturâ Deus non ſit?

Intelligi tamen] Certè vis articuli non magis minuitur particulâ illâ, quam cum Deus alloquendo populum ſuum dicit Exo. XX. 2. 5. ἐγώ εἰμι ὁ κύριος ὁ θεός σου. Nec debuit Thomas quemquam Deum ſuum profiteri & agnoſcere, qui, omnium univerſim Deus non ſit.

Digitized by Google

Quod ſi vim aliquam] At ut ſic agnoſcitur Chriſtus à Thoma eſſe κατ' ἐξοχὴν ὁ κύριος, ſummus ille Dominus qui unus eſt 1 Cor. VIII, 6. Epheſ. IV, 5. ita etiam ab eodem agnoſcitur eſſe κατ' ἐξοχὴν ὁ θεὸς: Imo eo ipſo ὁ θεὸς, quod ſit Dei Filius μονογενὴς, ἴδιος & naturalis; prout ex hoc nomine ſequi ipſum Deum eſſe & ἴσον τῷ θεῷ, adeoque Deum auguſtiſſimo illo ſignificatu qui in merum hominem non cadat, jure colligebant ipſi Iudæi Ioh. V, 18. X, 33.

Quare articulus] At ſanè quoties articulus nomini θεὸς auguſtiſſimè ſumpto præfigitur, eo ipſo *mentem* dicentis vel audientis ad *rem certam* referri, nemo ibit inficias: Vt taceam quod rei antea indicatæ nulla præceſſerit mentio, ex qua ſit colligendum Thomam hic alicui retentioni vel reſtrictioni mentali, locum dediſſe.

Cæteroqui cùm de Chriſto vox θεὸς uſurpatur, vel manifeſtè, ut in loco Pſalmi ſuperiùs viſo, (*Pſal: 45. 7.*) articulus vim perdit, cùm nominativus pro vocativo ponatur; vel vox θεὸς ſine articulo poſita, prædicati locum obtinet. Sic apud Eſaiam (*Eſa: 9. 7.*) puer aliquando naſciturus dicitur appellandus θεὸς ἰσχυρὸς, *Deus fortis*: apud Johannem (*Ioh: 1. 1.*) dicitur θεὸς ἦν ὁ λόγος, id eſt, *Verbum* vel *Sermo erat Deus*. Nam vocem λόγος articulo notatam, quo vox θεὸς caret, ſubjecti locum ibi tenere, omnes, quod ſciam, interpretes atque explanatores Græcæ linguæ non ignari animadverterunt. Apud Paulum (*Rom: 9. 5.*) Chriſtus dicitur eſſe *ſuper omnes* vel *omnia* θεὸς, *Deus*, itidem abſque articulo. Ut ſatis appareat, ſoli Patri nomen hoc, articulo vim ſuam retinente notatum, tribui: cum etiam ſolum intelligi, cùm vox ea ſubjectivè in Novo Teſtamento uſurpatur.

‡ *Cæteroqui cum de*] Sed quo argumento demonſtrabitur vim ſuam hic perdere articulum eò quod nominativus veniat pro vocativo? Quis è contrario non putet illam enallagem ideo obtinere, quod is compelletur qui eſt κατ' ἐξοχὴν ὁ θεὸς?

Vel vox θεὸς] At non ſequitur ex eo quod nomen Dei ponatur aliquando in prædicato & ſine articulo cum ſit mentio Chriſti, illud tunc non uſurpari in ſingulari & eximia ſua ſignificatione; cum etiam idem quandoque obtineat cum, vel ex adverſariorum confeſſione, de ſummo Deo agitur; ut cum *verbum Dei*, *Eccleſia Dei*, *Creaturæ Dei*, &c. tam frequenter ſine articulo leguntur in Novo Teſtamento.

Sic apud Eſajam] Fruſtra vero ita prædiceretur nominandus in ſingulari, niſi pro tali κατ' ἐξοχὴν eſſet agnoſcendus; unde ibidem *Pater æternitatis*, ſimiliter cognominatur.

Apud Iohannem] Sed ut θεὸς propter ſedem in prædicato, alium ſenſum ibi obtineat, quam cum dicitur eod. commate & 2. idem ſermo qui θεὸς erat fuiſſe πρὸς τὸν θεὸν, nemo perſuadebit; maximè cum ipſe Chriſtus Ioh. X, 30. aſſerat quod ipſe & Pater unum ſint.

Apud Paulum] Atqui Deus ibi dicitur Chriſtus cum tali adjectione, quæ omnem vim Grammaticam articuli diacritici ſuperet, & ſoli ſupremo Numini conveniat; Maximé cum hoc elogium *Benedictiſ in ſecula* frequenter de Deo Iſraëlis uſurpetur.

Vt ſatis appareat] Verum & ſubjectivé & cum articulo de Chriſto legi, ſuo loco indicatū eſt: Nec quia ſupremus intelligendus eſt Deus, cum articulus adeſt, negari debet agi de ſupremo Deo ſi articulus abfuerit. Etſi canities hominem eſſe indicet, quod ſoli homini caneſcere competat, non tamen deſinet eſſe homo ſi cani abſuerint.

Ex eo

Digitized by Google

Ex eo autem, quòd vox *Dei* tum in Hebræo, tum in Græco, ejuſmodi adjectionem amat, quâ relatio ad alios ſignificatur, ut cùm Deus dicitur eſſe Deus hujus aut illius; ex eo, inquam, facilè intelligitur, eam vocem nec naturâ ſuâ propriam eſſe, nec ipſam Dei eſſentiam ſignificare. Propria enim nomina apud Hebræos ejuſmodi adjectiones non patiuntur. Non dicitur verbi gratiâ, Moſes vel Jeſus vel Paulus hujus aut illius, niſi cùm ſubauditur vox *filius*, in fœminarum nominibus *filia* vel *uxor*. Eſſentia etiam Dei ex rerum abſolutarum eſt numero, non relatarum. Cur ergo tam crebrò Deus dicitur horum aut illorum Deus? nempe quia Dei vox poteſtatis inprimis & imperii nomen eſt, cui honor ac veneratio debetur, & quod parentibus ſolet eſſe ſalutare. Significat 102. igitur ejuſmodi adjectio, Deum eſſe benigniſſimum ejus, cujus Deus eſſe dicitur, dominum ac rectorem; aut ab eo pro hujuſmodi numine coli, vel coli debere, quemadmodum exempla docent. (*vide inter alia Exod: 3, 6, 15, 16. confer Gen: 17.7.8. & Mat:22.31.32: 2 Cor:6,16. conf: Levit:26, 12. 1 Gen:24 2,27, 42, 48: 27.20: 31. 5, 29, 42, 53: 33. 20. conf: cum 28, 21: 43, 23: 50. 17.*) Latini etiam Dei vocem, tanquam principatus benefici nomen, uſurpant: quanquam interdum ad ſolum principatum, ſeu mavis eminentiam alicujus, interdum ad ſolam beneficii magnitudinem exprimendam adhibent. Nam & Principes viroſque potentes, Deos interdum videmus appellari; & eum, qui inter Poëtas eminet, Poëtarum; qui inter Oratores aut Philoſophos, Oratorum aut Philoſophorum Deum dici: denique eum, qui alteri inſigniter benefacit, Deum cenſeri. Unde illud vulgò tritum, *Homo homini deus*: cujus contrarium, *Homo homini dæmon* aut *lupus*. Eo modo Orator Lentulum, *fortunæ nominiſque ſui deum ſtatuere ſe* ait. Sed de his ſatis. Alia nonnulla, quæ eò pertinent, ut rectiùs intelligatur, quo pacto Deus ſummus ob poteſtatem atque imperium Deus dicatur, ad explicationem ipſius poteſtatis divinæ reſervamus.

‡ *Ex eo autem quod*] Nomen eſſe ſingulare & proprium apud Latinos inde liquet, quod plurale proprium non habeat; Et communi hominum conſenſu id ſignificat quo majus aut perfectius cogitari non poteſt; à quo cum cœtera pendeant, mirum non eſt ſi ſæpè habeat adiectionem relativam: Vt taceam quod hæc adiectio orta ſit ex vitio & errore hominum in illo ſummo Numine deligendo & aſſignando aberrantium: Si enim ut ſunt homines unius Numinis creaturæ, ita in eo agnoſcendo & colendo convenirent, ceſſaret eiuſmodi adiectio; nam qui foret omnium abſolutè Deus, hujus aut illius ſpeciatim Deus dici amplius non deberet. Sic in ampla & numeroſa familia, Pater non dicitur hujus aut illius è liberis Pater, ſed omnium ore communi hoc communi nomine ſalutatur. Sic in ampliſſima Monarchia, Rex cum nominatur, id fit abſque adjectione hujus aut illius Provinciæ; quia omnes omninò Provinciæ eum pro Rege colunt & agnoſcunt.

Nempe quia Dei] Atqui Creator nomen quoque eſt relativum, quod tamen ſupremo Numini proprium eſt: Neque notat hæc vox Dei, quamlibet poteſtatem, ſed ſupremam & independentem, & quæ unius tantum eſſe poſſit, ſi in proprio ſuo ſignificatu uſurpatur.

Nam & Principes] Vitioſè & per adulationem

tionem : ut bene oſtenſum à Fileſaco *de Idol. Politica.*

Et eum qui inter] Homerum vel Virgilium Poëtarum, Ciceronem vel Demoſthenem Oratorum Deũ dici non memini me legere: Sed nec, ſi factum ab aliquo ex Ethnicis in tenebris palpante laudari vel approbari debet. Fuerit Lentulus Oratori, *fortunæ nominiſque ſui* Deus, aut de Auguſto dixerit Virgilius,

— Erit ille mihi ſemper Deus, *illius aram*
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus,

quid hoc ad pietatem Chriſtianam; vel quid mirum ſi homines qui erant *ſine* Deo in mundo, tam facile quidlibet fecerint ex quolibet, & ex obvio quoque homuncione Deũ ſibi fabricati ſint? Ita Ethnici Dijs annumerarunt Febrem & Pallorem, eo ipſo digni qui ſua Numina ſemper ſecum haberent.

Vnde illud vulgo] Negari nequit quin nomen Deus in hoc adagio valde impropriè & catachreſticè ſumatur; & cum Græci ſic illud efferant, ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον, parum concinnè refertur ad vocem θεός. Imo hæc vox, ſi primam ejus ſpectemus originem, videtur inter Latinos primùm Plinij fuiſſe, hominis Athei & impij, etiam eo loco ubi Deum curare mortalia negat, & impietatis copioſam ſementem ſpargit, nempe *lib. 2. Hiſt. nat. cap. 7.* Ibi enim ſic loquitur; Deus *eſt mortali juvare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via. Hac proceres ivere Romani: hanc nunc cæleſti paſſu cum liberis ſuis vadit maximus omnis ævi rector Veſpaſianus Auguſtus feſſis rebus ſubveniens. Hic eſt vetuſtiſſimus referendi benè merentibus gratiam mos; ut tales Numinibus adſcribantur.*

Alia nonnulla] Perperam hic opponuntur quæ erant potiùs inter ſe componenda, nempe Eſſentia & Poteſtas Numinis. Nec enim tale imperium per adjectionem relativam ei tribuitur, niſi quia per ipſum nomen, ei convenire intelligitur talis natura & eſſentia, quâ ſublimior & perfectior cogitari non poteſt.

CAP. XIV.

De nomine κύριος *&* δεσπότης.

Reſpondente ad hoc caput & duo ſequentia RODOLPHO CRANS, *Zwollâ-Tranſiſſulano.*

REſtat vox κύριος, *dominus*, &, quæ interdum ejus loco reponitur, δεσπότης, id eſt, *herus*. Significatio illius nominis genuina nota eſt omnibus; ut ne quidem neceſſe ſit monere, id perinde ut cætera hucuſque à nobis viſa, cùm naturâ ſuâ commune ſit, κατ' ἐξοχὴν ſumtum, de Deo frequenter inſtar proprii uſurpari. Diximus autem ſuprà, id tum pro nomine *Adonai*, cui magis propriè reſpondet, tum propter hoc, etiam pro tetragrammato *Iehova* in Græco reponi. Quia enim *Adonai* pro *Iehova* in lectione Hebræorum verborum ſubſtitui conſuevit, ideo illius etiam interpretatio huic accommodatur. præſertim quia durius viſum fuiſſet Græcis auribus, ſi interpretes proprietatem vocis ſequuti, eam toties reddidiſſent ἵςαι vel ὁ ἵςαι. Adde, quòd illud Dei nomen, quod ob venerationem etiam inter Hebræos occultaretur, ejuſmodi interpretatione non videntur vulgare voluiſſe. Quia verò vox Jehova magis, quàm cætera Dei nomina, propriorum naturam ſequitur: ideo etiam Græca κύριος, cùm pro illa ponitur, propriorum indolem, quà licet, æmulatur. Diximus ſuprà ex virorum doctiſſimorum ſententia, propriis nominibus articulum libentiùs ſubtrahi: quia cùm per ſe ſatis videantur eſſe reſtricta, reſtrictione ea, quæ per articulum

Digitized by Google

ticulum fieri ſolet, non indigeant: licet interim articulum etiam ſæpe concinnitatis potiùs, quàm neceſſitatis cauſſâ admittant. Idem fit in voce κύριος, cùm pro *Iehova* ponitur (*Gen: 2. 5, 8, 15, 16, 22: 3. 1, 8, 9: 14, 21. 23. & alibi paſſim.*) ſæpe etiam cùm pro *Adonai* (*Pſal: 68. 18, 21, 23, 27: 71. 16: 77. 8:*) præſertim cum utraque vox Hebræa, propriarum more, He emphaticum, quod articulo apud Græcos reſpondere diximus, reſp at. Nam licet ἐξοχὴ ſignificationis, & diſtinctio ſupremi domini ab aliis dominis, videatur articulum poſtulare: tamen quia res ipſa, locorumque circumſtantiæ Dominum illum ab aliis ſatis diſcernunt, & de ſummo rerum omnium monarcha ſermonem eſſe docent; ideo articulus longe frequentiùs omittitur: ut vox illa non per eum demum coarctata, ſed tanquam propria, per ſe ſatis jam reſtricta eſſe videatur. Cæteroqui cùm nomen illud κατ᾽ ἐξοχὴν ſumitur, ſed de alio, præterquàm de uno Deo, uſurpatur, articulum plærunque ſibi præfixum habet; ut appareat, id per ſe commune, ab articulo ad certam perſonam eſſe reſtrictum.

‡ *Cum natura ſua*] Parum intereſt num ab hominibus ad Deum, num à Deo ad homines, id nominis tranſierit: ſatis eſt quod in proprium abeat cùm de Deo uſurpatur.

Diximus autem] Cum ergo κατ᾽ ἐξοχὴν id nominis Chriſto tribuatur, eum proculdubio deſignare debet qui & *Adonai* & *Iehova* dicitur in V. T. incommunicabiliter creaturæ.

Idem fit in voce] Vt igitur per abſentiam articuli non amittit ſuæ ſignificationis ἐξοχὴν, ob rationes hic poſitas, ſic non perit nomini θεὸς ſuæ ſignificationis ἐξοχὴ propter articuli defectum; quod perperam in præcedenti capite adverſarius pertendebat.

Cæteroqui cum nomen] Abſurdè eidem nomini κύριος, duplicem vindicaveris ἐξοχὴν, unam qua Deus, alteram qua alius aliquis deſignetur: Neque diſtinguit articulus ἐξοχὴν creatam ab increata, quandoquidem nec ſemper adeſt cum Dominus creatus, nec ſemper abeſt cum Dominus Creator intelligitur.

Atque hæc eſt cauſa, cur in novo Teſtamento, maximè apud Lucam & Paulum, vox κύριος, cùm Deum ſummum deſignat, articulo libentiùs careat: quemadmodum & apud veteres Teſtamenti interpretes, unde in Nov. Teſtamenti libros conſuetudo illa manavit. At cùm de Chriſto ſubjectivè uſurpatur, raró articulus omittitur, niſi fortè cùm occurrunt verba *in Domino*, quæ apud Paulum ſatis ſunt frequentia. (*vide inter alia Rom. 16. 2, 8, 11, 12, 13, 22. 1 Cor: 7. 39: 9. 1, 2. Epheſ: 5. 8.*) Licèt enim ea de Chriſto plærumque accipiantur, de Deo autem ſummo tunc fortaſſe tantùm, cùm ad aliquem veteris Teſtamenti locum reſpicitur (*1 Cor: 1. 31. 2 Cor: 10. 17. vid. Ier: 9. 24.*) tamen vix eſt, ubi ea cum articulo voci κυρίῳ præpoſito reperiantur.

‡ *Atque hæc eſt*] Inepta & ridicula obſervatio: In præcedenti capite volebat ideo nomen θεὸς convenire ſummo Deo quod haberet articulum præfixum; hic è contrario vult nomen κύριος, (factum à κῦρος quod *robur* & *vim* & *imperium* ſignificat, in

Digitized by Google

car, in quo nominis Dei formalem rationem adverſarius ſolet collocare,) de ipſo demùm intelligi cum caret articulo. Ibi volebat ſummam divinitatem non notari in Chriſto per nomen θεὸς, ob defectum articuli, hîc eidem vult illam abrogari nomine κυρίου eo quod habeat articulum. Sed primò vox *Adoni* per *patach*, ideſt cum de hominibus uſurpatur, hâc expreſſa ſæpè caret articulo in interpretibus Græcis. Sic Gen. XLV, 8. 9. dicit Ioſephus ad fratres ſuos quod Deus ſe fecerit tanquam patrem Pharaonis καὶ κύριον παντὸς τοῦ οἴκου αὐτοῦ; item quod ſe fecerit κύριον πάσης τῆς γῆς. Secundò etiam ſæpè habet articulum cum *Adonai* ſcribitur per *Kametz* & de Deo ſumitur; ut Pſal. VIII, I. 9. κύριε ὁ κύριος ἡμῶν: Pſal. CXXXVI, 9. ἐξομολογεῖσθε τῷ κυρίῳ τῶν κυρίων: Pſal. CXLVII, 5. μέγας ὁ κύριος ἡμῶν. Sic ſæpè apud Eſajam, ὁ δεσπότης κύριος σαββαώθ, I, 24. III, I. X, 33. Tertiò etiam cum κύριος reſpondet τῷ *Iehova*, ſæpè habet articulum. Notus eſt locus Pſal: CX, I. εἶπεν ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου, & Prov: XXIX, 26. ὃς δὲ πέποιθεν ἐπὶ τῷ δεσπότῃ σωθήσεται. Quartò in Novo Teſtamento vox κύριος ſæpè habet articulum cum de Patre, ſive de ſummo Deo extra controverſiam ſumitur: ut Matt: II, 15. ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ Κυρίου; & Matt: V, 33. ἀποδώσεις τῷ Κυρίῳ τοὺς ὅρκους σου; & Luc: I, 7. Zacharias & Elizabetha dicuntur ambulaſſe *in omnibus mandatis* καὶ δικαιώμασι τοῦ Κυρίου ἄμεμπτοι; & com. 9. Zachariæ ſorte obtigit ut ſuffitum offerret εἰσελθὼν εἰς τὸν ναὸν τοῦ κυρίου; & in ſalutatione Angelica ibid. com. 28. ὁ κύριος μετὰ σοῦ: & apud Paulum I Cor: XVI, 7. ἐὰν ὁ κύριος ἐπιτρέπῃ. Similia occurrunt Eph: V, 17. 19. Col: III, 16. 20. 2 Theſſ: III, 3. 16. 2 Tim: I, 16. Heb: VIII, 2. II. Iac: IV, 15. Apoc: XXI, 22. Quintò ſæpè quoque hoc nomen tribuitur Chriſto abſque articulo; Matt: XXII, 45. David καλεῖ αὐτὸν Κύριον. Luc: II, II. ὅς ἐστι χριστὸς κύριος. Act: II, 36. Κύριον καὶ χριστὸν αὐτὸν ὁ θεὸς ἐποίησε. Act: X, 36. οὗτός ἐστι πάντων κύριος. I Cor: I, 3. *Gratia vobis & pax* ἀπὸ θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ. Vide etiam Matt: XX, 30. 31. 33. XXV, 44. Rom: I, 7. X, 9. XIV, I4. I Cor: VIII, 6. 2 Cor: I, 2. IV, 5. 10. Gal: I, 3. V, 10. Eph: IV, 5. Philipp: II, II. & alibi paſſim.

Licet enim ea] Scepticé hic loquitur per *fortaſſe*, quia nihil audet definire: Nec eſt cur I Cor: I, 31. & 2 Cor: X, 17. illa loquutio ἐν κυρίῳ alio ſenſu ſumatur quam qui vulgò obtinet apud Paulum: Sanè priori loco debet intelligi Chriſtus in quo ſolo debemus gloriari, ut pote qui nobis factus eſt, uti dicebatur com. præced. *Sapientia, Iuſtitia, Sanctificatio & Redemptio.* Parem eſſe quoque rationem poſterioris, facilè intelliget, qui meminerit Paulum Gal. VI, 14. erupiſſe in hæc verba, *Abſit à me gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*, & dixiſſe Phil: III, 3, *Nos ſumus circumciſio qui ſervimus in ſpiritu Deo & gloriamur in Chriſto Ieſu, nec confidimus in carne.* Sed ægré fert Crellius, verba Veteris Teſtamenti de ſummo Deo uſurpata, applicari Chriſto in Novo Fœdere, quo ſic ejus æterna Divinitas magis conſtabiliatur.

Itaque non eſt illud diſcrimen, quod in additione aut detractione articuli conſiſtit, ita perpetuum, ut non ſit interdum neceſſe aliunde judicare, utrùm de Chriſto, an verò de Deo ſummo ſit ſermo. Cum ergo ad locum aut hiſtoriam veteris Fœderis reſpicitur, aut de re ſermo eſt, quæ facta fuerit, antequam munus ſuum ordiretur Chriſtus; ſimplex *Domini* nomen Deum ſummum revera ſignificat:

Digitized by Google

gnificat: niſi fortè verba veteris fœderis ad Chriſtum potiús accommodentur, quàm de eo prolata fuiſſe dicantur; aut in ſimplici narratione ad Chriſtum, qui futurus aliquando ſit dominus, aperte reſpiciatur. At cúm verba fiunt de re ad N. Fœderis tempora propriè pertinente, ſi articulus nomini κυρίου præfixus ſit, ‡
ſaltem ut plurimúm Chriſtus intelligitur: cúm abeſt, ſæpiús Deus ſummus; 104.
præſertim ſi excipias locos, in quibus extant verba ἐν κυρίῳ.

‡ *Itaque non eſt*] Nempe deſerit quod prius dixerat, quia ſentit illud nullo niti fundamento, ut modò oſtenſum.

Cum ergo ad locum] Atqui de Chriſto hoc nomen uſurpatur Heb. 1, 10. cum ei applicatur, non per ſimplicem accommodationem, ſed in expreſſam probationem ὑπεροχῆς ſuæ Divinę, locus Pſal. CII. qui agit de ipſius ęternitate, eumque celebrat mundi conditorem. σὺ κατ' ἀρχὰς κύριε, τὴν γῆν ἐθεμελίωσας, καὶ ἔργα τῶν χειρῶν σου εἰσὶν οἱ οὐρανοί.

Saltem ut plurimum] Nec regula eſt perpetua, & vitioſa eſt antithesis inter Chriſtum & ſummum Deum, cum ipſe ſit *Deus ſuper omnia benedictus* Rom. IX, 5.

‡ Ex hoc autem diſcrimine facilè apparet, nomen *domini*, cùm de Chriſto uſurpatur, non reſpondere nomini *Iehova* vel *Adonai*. quia alioquin articulo frequentiùs careret. Articulus igitur ille ſignificat quidem, Chriſtum κατ' ἐξοχὴν dici *dominum*: ſed tamen *domini* vocem aliquid minus ſignificare, quàm *Iehova* aut *Dei* nomen ſubjectivè poſitum. Atque hinc eſt, quòd *Dominus* abſolutè poſitus, à *Deo* itidem ſimpliciter nominato, tam crebrò diſtinguatur, & ille titulus Chriſto, hic Patri tanquam proprius in novo Fœdere tribuatur, atque adeò Pater ille unus Deus, Chriſtus ille unus Dominus dicatur. *(1 Cor: 8. 6. Epheſ: 4. 5, 6. conf. 1 Cor: 12. 5, 6.)* Dei enim nomen eum tunc ſignificat, qui poteſtatem habeat in omnia à nullo alio dependentem: Domini verò nomen eum, qui divinum quidem imperium, ſed ab alio tamen acceptum habeat, idque ejus nomine ac voluntate adminiſtret; & cui nominatim divini populi gubernatio ſit commiſſa. Alioqui Deus ille unus à Domino uno diſtingui non poſſet: ſed utrumque nomen Patri adſcribendum eſſet. Supremus enim Deus, ſimpliciter etiam ſupremus rerum omnium, ac porrò unicus eſt dominus; & contra.

‡ *Ex hoc autem*] Cum vero hoc diſcrimen ſit imaginarium, quicquid ei inædificatur facilè corruit: Siquidem nec caret ſemper articulo id nomen cum reſpondet nomini *Iehova* vel *Adonai*, & ſæpè eo caret cum de Chriſto uſurpatur. Imò ex eo quod Chriſtus κατ' ἐξοχὴν dicitur ὁ κύριος, faciliùs colligas id nominis ei tribui eodem ſenſu quo *Iehova* etiam κατ' ἐξοχὴν κύριος appellatur. Et ſunt plura loca ad *Iehovam* ſpectantia in V. T. quæ veniunt de Chriſto intelligenda in Novo. Exempla proſtant Ioh: XII, 41. 1 Cor. 1, 31. X, 9. Epheſ. IV, 28. Heb. 1, 6. 7. 10. Apoc. 11, 23.

Atque hinc eſt] Verum eſt Filium ſæpè diſtingui à Patre per nomen Domini, cum ille nomine

le nomine Dei inſignitur; Sed 1. Etiam in illa oppoſitione Domini ad Deum articulus deeſt 1 Cor. VIII, 6. Eph. IV, 5 6. tum in voce θεὸς, tum in voce κύριος. 2. Nomen *Domini* non magis dependentiam eſſentialem ibi notat aut Dominij limitationem, quam nomen Dei, quandoquidem 1 Cor. VIII, 6. *per ipſum omnia* eſſe dicuntur; Nec minùs ille εἷς κύριος ad excluſionē omnis alterius Domini vel ſuperioris vel ſpecie æqualis, quam iſte εἷς θεὸς ad excluſionem omnis alterius Numinis vel ſpecificè ſocij, vel ſuperioris poteſtate; Imo 1 Cor. XII, 4. 5. 6. non minus eidem Domino tribuuntur διαιρέσεις διακονιῶν, quam eidem Spiritui διαιρέσεις χαρισμάτων, & eidem Deo (Patri ſcilicet) διαιρέσεις ἐνεργημάτων. 3. Vera itaque ratio iſtius oppoſitionis tā frequentis inter Deum & Dominū, non eo facit ut magis abrogetur Filio participium Deitatis, quam Patri participium Dominij & ſuperioritatis, nec magis Pater dicitur εἷς aut μόνος θεὸς, ad excluſionem Filij, quam Filius εἷς κύριος & μόνος δεσπότης, ad excluſionem Patris; ſed tantum quo ſic inſinuetur diſtinctio perſonalis inter Patrem & Filium, qui ita ſunt unum naturâ & eſſentiâ & omnibus attributis eſſentialibus, ut tamen non ſint una perſona ſed duæ. Id vel inde liquet evidenter quod aliàs ceſſante hac oppoſitione relativa, utrumque nomen promiſcuè, ut *Domini* Patri, ſic *Dei* Filio, in Scripturis tribuitur. Adde quod cum hoc nomine κυρίου Chriſtus diſtinguatur formaliter ab ijs πολλοῖς κυρίοις, qui cæteroquin Paulo dari dicuntur 1 Cor. VIII, 5. etiam eodem nomine debet diſtingui ab illis πολλοῖς θεοῖς Paulo commemoratis, qui ita dicuntur in cœlo & in terra; maximè cum Apoſtolo ſynonyma ſint & æquivalentis ſignificationis, ut ſuo loco oſtendi ex Theodoreto, illi multi Dij & Domini, quibus unum Deum & unum Dominum opponit. Et cum Domini illi multi, non ſubordinentur Dijs multis, nec ab illis dependeant, non eſt quod eſſentialiter debeat ſubordinari illi uni Deo iſte unus Dominus, quem colere & adorare debemus. Eorum utrique convenit ſumma Divinitas & ſummum Dominium, quia unum ſunt Ioh. X, 30. Etiam in Romana Republica ſuprema erat poteſtas Conſularis, etſi eam ſimul duæ perſonæ ſuſtinerent.

Jam ut de nomine δεσπότου, ſeu *heri*, nonnihil dicamus; eo ſimpliciter poſito rariùs deſignatur Deus; (*vid. Prov: 29. 25. Luc: 2. 29. Act: 4. 24.*) ſæpius aliis additis verbis ex quibus facilè intelligatur, de Deo ſummo ſermonem eſſe. (*Gen: 15. 2: Iob: 5. 8. Eſa 1. 24: 3. 1: 10. 33. 2 Pet: 2. 1. Iud: v. 4. Apoc: 6. 10.*) in Græca veteris Teſtamenti verſione plarumque pro nomine *Adon* vel *Adonai*, de quo ſuprà ſatis diximus, ponitur: rariùs pro aliis Dei nominibus. Hinc quo pacto Deo tanquam proprium nonnunquam tribuatur, facilè apparet. uti nec illud obſcurum eſt, cur ei omninò tribuatur. Jus nempe illi eſt in omnia dominicum, atque in res omnes intelligentiâ præditas herile: & in nos quidem, tum ob creationem, tum ob redemtionem, quâ nos ſibi vindicavit atque aſſeruit. Ille ſummus atque adeò unicus eſt, ſive in maxima hac univerſi domo, ſive nominatim in cœlo, ſive denique in Eccleſia, quæ peculiariter domus Dei appellatur, (*1 Tim: 3. 15.*) paterfamilias. Hunc dignitate proximè attingit Chriſtus, qui licèt non ſemel in ſacris literis Dei ſervus appelletur, ejus temporis habita ratione, quo in terris mortalis egit: nunc tamen non, ut Moſes, ſervi partes in Dei domo ſuſti-

Digitized by Google

mo ſuſtinet, ſed, quemadmodum teſtatur divinus ad Hebr. ſcriptor, (*Heb: 3. 5, 6.*) filius eſt ſuper Dei ſuamque domum, quæ partim Eccleſia, partim cœlum eſt. 105.

Eo ſimpliciter poſito] Non tantum apud Salomonem ponitur ſimpliciter pro Deo, ſed etiam Ioſ: v, 14. δέσποτα τί προστάσσεις τῷ σῷ οἰκέτῃ: & Jobi v, 8. τὸν πάντων δεσπότην ἐπικαλέσομαι: Ubi nomen אל *El* extat in textu originali. Nec ſolum Luc: II, 29. & Act: IV, 24. Deus ſimpliciter δεσπότης appellatur, verum etiam 2 Tim: II, 21. 2 Pet: II, 1. & Apoc: VI, 10. Sed nominatim & cum magna emphaſi tribuitur Chriſto in epiſtola Iudæ com. 4 ubi etiam cum articulo ὁ μόνος δεσπότης θεὸς καὶ κύριος appellatur.

Hinc quo pacto] Sed & hæ rationes cadunt etiam in Chriſtum, qui jure Creationis & Redemptionis eſt omnium dominus, & jus dominicum habet in omnes & omnia, & Eccleſia domus illius eſt Heb: III, 6. quam etiam ceu ſuam ædificaturum pollicebatur Petro Matt: XVI, 18.

Hanc dignitate] Imo ejuſdem eſt cum Patre & eſſentiæ & dignitatis: Ac licet Dei *ſervus* dicatur reſpectu officij œconomici quod aſſumpſit, & exinanitionis illius per quam *caro factus eſt* Ioh: I, 14. Phil: II, 7. 8. attamen etiam tum cum *in terris mortalis egit*, tantum differebat à Moſe, quantum a famulo fideli, filius & hæres omnium: Nec partim *Eccleſia, partim Cœlum* domus eſt ſua, niſi quatenus eſt ὁ κατασκευάσας αὐτὸν Heb: III, 3.

Etſi autem in Dei domo ita, ut diximus, eminet: quia tamen non ſimpliciter in ea ſummus eſt, cùm caput habeat Patrem (*1 Cor: 11. 3.*) ideo nuſpiam δεσπότης ſeu *herus* aut *paterfamilias* appellatur: ſed ab illo nonnunquam clariſſimè diſtinguitur. (*vid. Luc: 2. 29. & d. Act: 4. conf. v. 24. cum 27. & 30.*) Nam quòd apud Judam (*Iud. v. 4.*) ſub uno uterque articulo commemoratur; id conjunctionis, non identitatis, ut ita dicam, indicium eſt, quemadmodum alibi diſputabitur. (*inf. lib. 5. cap: 10.*) Si unus idémque eſſet, nil fuiſſet opus, poſtquàm eum appellaſſet *ſolum herum Deum*, nominare *dominum noſtrum*: præſertim cùm vox *heri*, vim omnem vocis *domini* complectatur. ut taceam, Chriſtum *ſolum illum herum* dici non poſſe; cùm Pater ita herus ſit, ut hoc ipſo nomine appellatus, à Chriſto diſtinguatur, quemadmodum exempla è Lucæ ſcriptis adducta docent.

Etſi autem] Sic in ea eminet, ut ſit ſua ipſius, quam ædificavit, quam regit, quam inhabitat, ambulans inter ſeptem candelabra Apoc: I, 13.

Non ſimpliciter] Nempe non ſolus excluſivé ad Patrem, ſed tamen ſummus cum Patre. Ioh: X, 30.

Cum caput] Id nihil detrahit conſubſtantialitati Chriſti: Nam 1. hoc poteſt intelligi humanitatis aſſumptæ reſpectu. 2. Vt Chriſtus quà homo eſt caput Eccleſiæ homogeneum, & vir eſt caput mulieris conſubſtantiale & ejuſdem naturæ, ita ut hæc ſit os ex oſſibus illius & caro ex ejus carne, ita Pater eſt caput Conſubſtantiale Filij, quod ſit ejus principium, quoad ordinem & originem perſonæ.

Ideo nuſpiam] Id falſum eſt: Nam & illius οἶκος ſumus Heb: III, 6. & is eſt δεσπότης quem abnegant impij, qui tamen eos mercatus fuerat 2 Pet: II, 1. Hinc profitetur Matt: X, 25. quod οἰκοδεσπότης cum eſſet & ὁ κύριος, Belzebub tamẽ fuerit appellatus:

Digitized by Google

pellatus: Et Matt: XIII. in parabola ſementis & zizaniorum, qui οἰκοδεσπότης appellatur & κύριος ſalutatur com. 27 dicitur ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου com. 37. & 41. Nec potuit niſi quà οἰκοδεσπότης, *claves* regni cœlorum & domus ſuæ ſuis primarijs œconomis committere Matt: XVI, 19.

Sed ab illo] Perſonaliter nempe non eſſentialiter; Nec ideo Chriſtus non ὁ κύριος, quod ὁ κύριος, nempe Pater ab ipſo diſtinguitur Pſal: CX, 1.

Nam quod apud] Falſum eſt: Nam idem Chriſtus ibi & abſolutè ὁ δεσπότης θεὸς *Dominus Deus*, & relatè ad nos κύριος ἡμῶν, appellatur. Quid quod Eraſmus id ſtatuat diſcriminis inter δεσπότην & κύριον, quod illud dicat eſſe nomen juris privati, hoc honoris & authoritatis publicæ; cum & matresfamiliàs οἰκοδεσποτεῖν dicantur 1 Tim: V, 14. κυριεύειν nunquam: Adeo falſum eſt quod ſtatuit adverſarius, vocem *heri* vim omnem vocis *domini* complecti. Cum ergo conveniat Chriſto dignius nomen κυρίου, nulla ratio ſubeſt, cur minus dignum δεσπότου ei denegetur. Adde quod non ſit inſolens Scripturæ titulos ſynonymos de Deo & Chriſto congerere. Vt cum Deus dicitur δεσπότης κύριος σαβαὼθ Eſ: 1, 24. III, 1. X, 33. Item Apoc: VI, 10. ὁ δεσπότης ὁ ἅγιος καὶ ὁ ἀληθινὸς; & Chriſtus appellatur Apoc: XIX, 16. *Rex Regum & Dominus Dominorum.* Nec poſſe illud elogium δεσπότου in epiſtola Iudæ de Deo oppoſitè ad Chriſtum Dominum intelligi, vel ex Adverſarij canone patet, cum ibi Nomen θεὸς careat articulo. Et ſub illis encomijs is deſcribitur quem Apoſtatæ abnegabant deficiendo à profeſſione Evangelij: Is autem proculdubio erat Ieſus Chriſtus.

Vt taceam] Nempe eodem modo & ſenſu ſolus Herus & δεσπότης Chriſtus, quo ſolus κύριος dicitur Paulo 1 Cor: VIII, 6. Eph: IV, 6. aut quo Pater μόνος ἀληθινὸς θεὸς Ioh: XVII, 3. Nam ut hic Filius nô excluditur ſed includitur potiùs, uti patet ex 1 Ioh: V, 20. ita etiam illic Pater non excluditur; ſed Filio cum Patre & Spiritu Sancto alia omnis poteſtas ſubjicitur. Et quod Pater aliquando ſub Heri nomine à Chriſto diſtinguitur, nihil magis derogat poteſtati Chriſti, quam Patris poteſtati detrahit, quod Chriſtus ſæpè à Patre diſtinguitur ſub nomine κυρίου ſive Domini.

Et hæc de nominibus Dei, tum Hebræis, tum Græcis: ex quorum vi de ſignificatione Latinorum, quatenus hæc in illorum locum ſubeunt, ſtatuendum eſt. Hæc autem divinorum nominum explicatio primùm eò prodeſt, ut non pauca ſacrarum literarum loca rectiùs intelligamus, quæ, ignorata earum vocum vel ambiguitate quadam, vel propria vi ac ſignificatione, in alienum ſenſum trahi facilè poſſunt, atque adeò trahuntur: ſimul ut controverſias quaſdam non exigui momenti faciliùs dijudicare ac decidere poſſimus. Deinde cùm videamus, nomina Dei pleraque aut potentiam, aut imperium Dei ſupremum ac maximè beneficum exprimere; quædam etiam ipſius fidem & conſtantiam in ſervandis promiſſis: monemur, ut hæc Dei attributa altiori quodammodo cogitatione expendamus, animiſque noſtris infigamus. Prorſus enim credibile eſt, ab iis potiſſimùm rebus Deum eſſe in ſacris literis appellatum, quas de ipſo ſciri ac credi omnium hominum plurimùm interſit, & quarum cognitio ad religionem ac pietatem in nobis excitandam, maximum habeat momentum. Huc enim omnia,

quæ

quæ de Deo in ſac. literis dicuntur, tendunt. Et profectò quis eſt, qui ſi potentiam Dei ſummam, ſi ſummum ejus in omnia imperium, nec ſummum tantum, ſed & maximè beneficum; ſi denique fidem ejus ac conſtantiam in ſervandis promiſſis planè immutabilem agnoverit, & iis de rebus cogitationem ex animo nunquam depoſuerit, ſpem ſuam in eo collocare dubitet, & ad eum ſumma animi veneratione colendum, atque ad obſequium ei præſtandum, totum ſe non componat? quis ei placere, & favorem ejus, quibus poſſit modis, ambire non ſtudeat? Quòd ſi quis aliquantò diligentiùs ea rimari ac perſequi velit, quæ dè nominum illorum vi dicta ſunt; haud difficulter ea poterit eruere, 106.
vel omnia, vel ſaltem plæraque, quæ de Dei natura ſunt omnibus neceſſariò cognoſcenda. Sed cùm ea aliunde clariùs intelligantur, ut infrà videbimus, hæc nunc perſequi nolumus.

CAP. XV.

Deſcriptio quædam Dei traditur.

POſtquam de nominibus Dei ſatis diſſeruimus; ſequitur, ut de re ipſa videamus: quamquam & de nominibus agentes, rem aliquatenus attingere oportuit. Requiri autem primò omnium videtur, ut definitione quadam res explicetur. Perfectam & exactam Dei definitionem nemo fortaſſis adhuc Chriſtianorum auſus eſt polliceri, nec nos promittimus. Nam cùm aliàs difficilis eſt eſſentiæ rei unius cujuſque inveſtigatio, & exquiſita per definitionem explanatio; tum verò maximè Dei, cujus eſſentia eſt à ſenſibus noſtris remotiſſima, adeoque ſublimis, ut ad ejus contemplationem oculi mentis noſtræ caligent. Quare ea contenti erimus deſcriptione, quæ rem, quoad ejus fieri poteſt, commodè nobis explicet, & à cæteris omnibus diſcernat.

‡ *Perfectam & exactam*) Sed non ſolum propter rationes hic additas ab Authore Deus nequit definiri, verum maximè & potiſſimum quoniam eſt infinitus, nec genus univocum ſupra ſe agnoſcit, aut ullam admittit in ſe differentiam ſpecificam quâ à rebus congeneribus diſtinguatur: Totâ enim ſui naturâ à cœteris rebus omnibus creatis differt, multo magis quam ſtatuunt Philoſophi de ſupremis Categoriarum generibus ea totâ ſuâ naturâ à ſe mutuo differre. Quî ergo poſſet definiri Deus in quem nec genus nec differentia cadere poteſt; cum tamen hæc duo ad omnem veram & accuratam definitionem neceſſariò requirantur? Quid quod ſingularia non poſſe definiri, ſed ſolas ſpecies, hactenus ita receptum eſt in Scholis, ut nemo ſit qui contradicat. Nequit ergo definiri Deus quem eſſe Ens ſingulariſſimum, nec ipſa impudentia auſit negare.

Poteſt autem duplex Dei tradi deſcriptio, quarum altera minùs quidem accurata eſt, & ipſam Dei naturam atque eſſentiam vix attingit; ſed tamen ad uſum popula-

Digitized by Google

popularem eſt accommodatior, atque haud ſcio, an ad religionem utilior cognitu: altera aliquantò accuratior eſt, & Dei eſſentiam, quà licet, explanat. Prior ad hunc ſimilémve conſtitui poteſt modum, ut Deum dicamus eſſe Creatorem ac Dominum omnium rerum ſupremum, Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti. de qua poſtrema hujus deſcriptionis parte agetur, tum in hoc opere, (*inf: l. 5. c. 9.*) tum à nobis, ſi Deus voluerit, alibi. Hoc fere modo in Symbolo, quod Apoſtolicum vocant, Deum videmus deſcriptum. In ea religionis ac cultus, quem ipſi debemus, cauſſa continetur ac fundamentum. Ejus explicatio fuſior ad tractationem partim attributorum, partim effectorum divinorum ſpectat. In illorum enim numero eſt dominium Dei in res omnes: in horum creatio, & generatio Jeſu Chriſti, ob quam Pater ejus dicitur. Quare his nunc non immorabimur.

‡ *Prior ad hunc*] Atqui hæc non eſt deſcriptio Dei, οὐσιωδῶς ſic dicti, ſed tantum ὑποστάσεως Patris: Et quamvis is qui eſt Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſit ſolus & verus ille Creator & Deus quem colimus & adoramus, attamen ſolus Pater non eſt ſolus ille verus Deus & Creator: cum Creator & Deus verus ac ſolus, ſit etiam cum Patre Filius & Spiritus Sanctus.

Hoc fere modo] Verùm in Symbolo Apoſtolorum, is Deus in quem credimus Trinus eſt, Pater, Filius & Spiritus Sanctus; cùm Symbolum hoc nihil ſit aliud quam exegetica explicatio formulæ à Chriſto præſcriptæ Matt: XXVIII, 19. de baptiſmo conferendo in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti. Siquidem Symbolum continet brevem eam confeſſionem quæ à Catechumanis olim erat præſtanda, cum Chriſto per baptiſmum erant initiandi.

Generatio Ieſu Chriſti] Filij Generatio malè Creationi conjungitur, quaſi eſſet opus ut hæc ad extra & temporale, cum ſit opus ad intra & æternum.

Poſterior definitio conſtitui poteſt hujuſmodi, ut Deum dicamus eſſe Spiritum æternum. Æternum autem, non tantùm quia ſemper exstiturus ſit, ſed etiam quia ſemper extiterit. Eodem propè ſenſu dixeris Spiritum ex ſeipſo exiſtentem:
107. ex ſeipſo autem exiſtere, cujus nulla prorſus eſt efficiens. Spiritum cùm nominamus, ſubſtantiam intelligimus ab omni craſſitie, qualem in corporibus oculorum arbitrio ſubjectis cernimus, alienam. Hoc modo & Angelos dicimus ſpiritus, & diviniorem noſtri partem, quam animam Philoſophi libentiùs appellant; & aërem denique, licèt ſenſibus quibuſdam, ut tactui, patentem, & alia corpora huic ſimilia: quorum unumquodque tantò magis hoc nomen ſortitur, quantò eſt ſubtilius. Hoc ergo genus ita eſt Deo cum iſtis rebus commune, ut ordo tamen ſit inter has ejus ſpecies, partim naturæ, quatenus aliæ ab una pendent; partim perfectionis. Pendent enim cæteri ſpiritus à Deo: & aliis magis, aliis minùs id nomen convenit. Itaque non ita naturam generum ſynonymorum retinet, quin ad illa propiùs accedat, quæ communia ab uno appellari ſuperiùs alicubi diximus. (*cap: 13.*) Hoc autem genus ipſæ nobis ſuppeditant ſacræ literæ, quandoquidem Chriſtus apud Johannem (*cap: 4. 24.*) *Spiritus*, inquit

Digitized by Google

tu, inquit, [*eſt*] *Deus*. Animadverterunt enim ibi omnes propè ſac. literarum interpretes, *Dei* nomen, quod articulo eſt in Græco notatum, ſubjecti locum tenere; vocem *Spiritus*, quæ articulo caret, prædicati: neque eam Spiritum Sanctum iſtic denotare: cùm manifeſte de Patre ſit ſermo: ſed ſpiritualem ſignificare ſubſtantiam. Itaque perinde eſt, ac ſi dictum fuiſſet, Deus eſt ſpiritus, ſeu ſpiritualis ſubſtantia. Ex his autem intelligitur, membra humani corporis, quæ Deo in ſac. literis adſcribuntur, uti & partes quædam aliarum animantium, quales ſunt alæ, non niſi impropriè Deo tribui. ſiquidem à ſpiritûs natura prorſus abhorrent. Tribuuntur autem Deo per metaphoram cum metonymia conjunctam. nempe quia vel facultates, vel actiones Deo conveniunt, illarum ſimiles, quæ membris illis aut inſunt, aut per ea exercentur. Veteres quidam, quos hodie omnes vulgò ſequuntur Theologi, hanc loquendi figuram ſpeciali nomine ἀνθρωποπάθειαν vocarunt; ad quam & illi pertinent loquendi modi, quibus humani affectus, aliaque his ſimilia Deo tribuuntur, de quibus ſuo loco.

‡ *Ab omni craſſitie*] Deus eſt Spiritus non tantum quod ſit immunis ab omni craſſitie, quæ nequidem cadit in ventum & aërem, quos tamen naturæ eſſe corporeæ nemo ſanus inficiatur; ut nihil dicam de illis ſpiritibus animalibus & vitalibus, quos Medici in noſtris corporibus corporeæ etiam naturæ ſtatuunt; Sed Deus eſt Spiritus quod ſit ſimpliciſſimæ naturæ exſperſque omnis omninò compoſitionis, quod nec Angelis nec animæ rationali, licet ſint naturæ cæteroquin incorporeæ, competit.

Hoc ergo genus] Sub eodem Spiritus genere contineri Animas noſtras & Angelos, libenter damus; ſed negamus vel aërem & ventum in genere hoc proximo convenire cum Angelis & animabus noſtris, (ſi quidem ventus & aër naturam habent corpoream, ut omnes phyſici agnoſcunt,) vel *Spiritum* univocè & eodem modo de Deo, & de Angelis ac animabus noſtris prædicari poſſe: Quinimò cum nonniſi æquivocè & analogicè conveniat id nominis Deo & Creaturis, minus adhuc habet rationem generis propriè dicti, quam in Scholis philoſophorum *Ens* ad ſubſtantiam & accidens. Ideo cogitur Crellius ei abrogare decus generis ſynonymi.

Hoc autem genus] At non magis inde conficias Dei genus eſſe Spiritum, quam Dei genus eſſe Ens, eo quod dicatur is qui eſt. Exod: III, 14. Apoc: I, 4. IV, 8.

Animadverterunt enim] Parum appoſitè hoc adfertur: nec enim quicquid Deo tribuitur prædicativè, eo ipſo habet generis rationem.

Cum manifeſtè] Nec ibi de Patre ὑποςατικῶς agitur, ſed de Deo οὐσιωδῶς; & hæc Spiritualitas non ſoli Patri convenit, ſed ſimul cum ipſo Filio & Spiritui Sancto.

Hinc porrò & illud intelligitur, Dei formam ab homine concipi revera non poſſe, nedum imagine aut ſimulacro aliquo exprimi. Quam tu enim ſpiritui, quem oculis cernere non potes, formam tribues? Cumque neceſſe ſit, quicquid homo mente concipit, multò autem magis, quod manu efformat, Dei majeſtate longè eſſe inferius; ideo eam, quantum in ſe eſt, minuunt, & venerationis

108. rationis illi multum detrahunt, quicunque ſimulachro atque effigie Deum exprimere audent; vel potiùs, cùm exprimere nequeant, conantur tamen. qui quidem tantò peccant gravius quòd id Deus fieri expreſſè vetuit, & cùm fieret, graviſſimè reprehendit. qua de re quia alibi in his libris agetur (*inf: lib. 4. cap: 12.*) ſacræ ſcripturæ teſtimoniis citatis; ideo plura hîc non addimus.

Ex his autem & uſus doctrinæ patet de genere, quod in deſcriptione Dei poſteriore collocavimus. Cui accedit ille, quem is ipſe ſuggerit locus (*Ioh: 4. 23, 24.*) in quo Deum ſpiritum appellari vidimus. Ait enim Chriſtus: *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus* [*eſt*] *Deus: & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Significat enim Chriſtus, id quod ratio ipſa dictat, Deum, cùm ſpiritus ſit, non niſi ſpiritualibus revera delectari. Itaque carnalem atque umbratilem ejus cultum, qui certo aliquando loco fuerat ab ipſomet Deo alligatus, jam porrò ex ipſius conſilio ceſſare, ſpiritualem autem ei ſuccedere debere. Quapropter ſpiritûs ſeu animi religione ac pietate, Deum propitiandum eſſe meminerimus; ita nimirum, ut agnita ipſius majeſtate atque imperio, agnita ſimul bonitate, agnitâ ſapientiâ, quâ intimos cogitationum noſtrarum receſſus ſcrutatur, humillime nos coram eo demittamus, ac veluti proſternamus; ei nos totos dedamus, ejuſque nutum in omnibus ſequi velimus; eum amemus toto pectore; ſimul tamen, filiorum more, etiam timeamus ac revereamur; ac porrò omnia, quæ juſſerit, ſumma animi alacritate exſequamur: eundem animum ab omni cogitationum atque affectuum impuritate ita purgemus, ut corpus quoque ab omni peccatorum labe ſervemus immune. Neque enim ita ſpiritu colendus eſt Deus, ut interim de externis operibus ſolliciti non ſimus, & cùm corpus in peccatorum cœno volutetur, animum inquinari non putemus: quemadmodum nonnulli & ſibi, & aliis fruſtrà, vel potiùs impiè, perſuadere conantur. Nam omnia, quæ corpore delinquuntur, ab animi quadam manant impuritate, & in illum ita redeunt, ut conſcientiæ labem aſpergant, notamque inurant, ni gratia divina, & emendatio vitæ accedat, indelebilem. Non otioſa & ignava animi cogitatione aut conſilio colitur ac propitiatur Deus; ſed ea demùm, quæ efficax eſt, & in omnium bonorum operum fructus exuberat; quos niſi proferat, ne ipſe quidem animus ſibi ſatisfacit, nedum ut Deo ſatisfacere poſſit. Itaque ad ſpiritualem Dei cultum pertinet, quicquid animus, divinæ voluntatis cognitione inſtructus, & veneratione majeſta-
109. tis ipſius plenus, ac fiduciâ in ipſo poſitâ ſuffultus, facere jubet. Unde & opera illa, quæ ceremoniæ dicuntur, & per ſe nihil, quod ad honeſtatem pertineat, in ſe continent, eatenus olim Deo placuere, quatenus ex ſtudio ipſi placendi, ac mandatis ipſius parendi, fuére profecta. quæ tamen poſtea per Chriſtum ſuſtulit, utpote nec ſuæ naturæ, ut vidimus, ſatis convenientia, nec virili humani

mani

Digitized by Google

mani generis ætate, judicio, ac ſtudio ſatis digna. qua de re agetur in his libris alibi. Et hæc de genere in deſcriptione Dei poſito dicta ſufficiant. Alia enim, quæ plus ſubtilitatis, quàm utilitatis, aut etiam certitudinis habent, libenter prætерimus, & in cæteris quoque prætеrituri ſumus. cùm non id agamus, ut ad diſputationes ac certamina ſcholarum, ſed ut ad pietatem ac religionem inſtructiores evadamus. quam ob cauſſam nobis nunc etiam pluſculum indulſimus in uſu hujus doctrinæ explicando: quia utut aliquantùm à via digreſſi ſimus, non tamen aberraſſe videmur. ad ſcopum enim noſtrum tetendimus.

‡ *Quapropter Spiritum*] Verum enimvero non noſtro cultu, ſed ſanguine Chriſti propitiari Deum tota clamat Scriptura, Rom: III, 24. 1 Ioh: 1, 7. II, 2. Heb: 1, 3. Neque is noſter cultus propitiando Deo inſervit, ſed potius gratitudini noſtræ conteſtandæ quod eum propitium in Chriſto conſequamur.

Haſtenus olim] Neutiquam: ſed quatenus eas uſurpantes attentiùs, minus conſiderabant quid eſſent, quam quid ſignificarent, & per iſta *αἰσθητὰ* & ſenſibilia ad *τὰ νοητὰ* aſſurgebant: Nam quotquot in manna Chriſtum intellexerunt, Chriſtum etiam manducarunt.

Quod ad æternitatem attinet, quam differentiæ loco in eadem deſcriptione poſuimus; de ea inferiùs agemus, (*inf. cap. 18.*) cùm attributa divina explicabimus. Illud, quod itidem differentiæ loco poni in definitione Dei potuiſſe diximus, nempe quòd à ſeipſo exiſtat, uberiori explicatione non indiget. Admonere nos tantùm debet, ut Dei majeſtatem & admiremur & veneremur, ſupra quicquid in creaturis magnum cernimus & admiramur; atque adeo ſupra cœleſtes atque immortales ſpiritus, quorum natura inter cæteras res creatas eminet maximè. Deus enim à ſeipſo eſt, quicquid eſt: ſimplici exiſtit neceſſitate, quę in ipſomet eſt, non in cauſſa ipſius aliqua, ut pote quę nulla eſt. cum res createę omnes, ut Apoſtoli verba huc accommodemus, (*Rom: 11. ult.*) ex ipſo ſint, & per ipſum, & porrò etiam in ipſum, ſeu ipſius gratiâ. Itaque quo creatura quæque eſt præſtantior, tantò plus Deo debet referre acceptum: Deus nihil cuiquam.

‡ *Differentiæ loco*] At non eſt hæc differentia propriè dicta: Differentia enim eſt diviſiva generis & conſtitutiva ſpeciei, ut in Scholis notum. Sed non eſt ſufficiens diviſio Spiritus in æternum & non æternum, maximè in Schola adverſariorum, qui ſtatuunt Angelos præextitiſſe Creationi mundi, adeoque ipſius temporis natalibus: quod ſolis rebus æternis convenit; Neque ſpiritualis natura ceu per omnia communis Deo, Angelis, animabus noſtris, aëri & vento, reſtringitur ad Deum per æternitatem. Habet Deus Infinitatem non Durationis modo ſed Perfectionis, Omnipotentiam, Omniſcientiam, Omnipræſentiam &c. per quæ omnia æquè diſtat à Creaturis, ac per ſuam Æternitatem: Ad hæc cum omnis differentia propriè dicta, & quæ pars altera eſt definitionis, de pluribus in quale quid prædicari debeat, nequit eo ipſo abſoluta æternitas ſtatui differentia propriè dicta, ut pote quæ de ſolo & unico Deo prædicari poteſt.

Illud

Illud quod ibidem] At duo attributa formali ſuo conceptu differentiæ propriè ſic dictæ naturam ſimul induere vix poſſunt.

CAP: XVI.

Attributorum divinorum diſtinctio.

POſtquam deſcriptionem Dei vidimus, & illud inprimis ipſius attributum conſideravimus, quod συνωνύμως, (*univocè ſeu directè*) ſeu in quid, ut in ſcholis loquuntur, de ipſo enunciatur: nunc ad illa veniendum eſt, quæ παρωνύμως
110. (*denominativè ſeu obliquè*) ſeu in quale quid, de eo dicuntur; & ea quidem revera tantùm, quæ in ſacris literis commemorantur. cœtera enim, ſi quæ ſunt, non niſi eatenus attingemus, quatenus in illis vel continentur, vel ad eorum xplicationem aliquid facient. Nam illa, quæ in ſacris literis extant, & indubitata ſunt, & ad eum, quem quærimus, uſum, h. e. religionem ac pietatem, ſufficiunt. Quamquam & inter ea, quæ de Deo in ſacris literis dicuntur, is nobis in hoc opere habendus eſt delectus, ut ea per ſe ac præcipuè ſumamus explicanda, quę affirmatè de eo enunciantur; vel ſaltem, utut negativa eſſe videantur, ſi vocum formam ſpectes, tamen ſi rem ipſam intueàris, affirmativa potiùs ſunt, aut affirmationem in ſe continent, ut incorruptibilitas atque immortalitas. Utraque enim neceſſitatem quandam perpetuò exiſtendi ſignificat; poſterior & vitam in ſe includit. Illa verò exiſtendi neceſſitas, ad æternitatem Dei ſpectat. Vita Dei ſuum habet in hac tractatione locum. Cœtera, quę negativè de Deo in ſacris literis dicuntur, & non qualis ſit, ſed qualis non ſit, explicant, ſatis erit tum attingere, cum vel ad affirmativa declaranda, vel ad uſum illorum oſtendendum aliquid facient. Nam alioqui nulla diſciplina per ſe attendit ea, quæ negativè de ſubjecto illius dicuntur. quia negationes de re quaque infinitæ eſſe poſſunt; & porrò diſciplinâ comprehendi nequeunt. adde, quòd ijs probè cognitis, quæ rei inſunt, facilè eſt de ijs judicare, quæ ei non inſunt. Non diſputabimus autem hoc loco multis, quo diſtinctionis genere attributa Dei, præſertim naturalia, (quædam enim illi vi liberæ voluntatis inſunt) à ſe invicem diſcernantur, in quo Scholaſticorum ingenia ſeſe exercent. Satis hîc nobis erit illud tenere, quod omnes fatentur, ea, quę naturaliter Deo inſunt, nunquam à ſe invicem reipſa ſejungi poſſe: interim tamen neceſſe eſſe, ut & iſta, & cœtera omnia, aliter atque aliter animo concipiamus, ac porrò etiam deſcribamus; & uno cognito atque explicato, non protinus cognita atque explicata eſſe cœtera. Aliter enim v. g. mente concipere & definire oportet unitatem Dei, aliter æternitatem, aliter vitam, aliter ſapientiam; & ſic in cœteris. nec qui unum iſtorum cognoverit, protinus cognita habet & cœtera. Alioqui ſatis foret unum Dei attributum explicuiſſe; & ſic ſuperflua foret cœterorum tractatio. Neque verò

Digitized by Google

verò, dum illa diſtinctè & conſideramus, & explicamus, falli nos, aut falſa Deo affingere, quiſquam dixerit. Aliàs ſine errore vix quicquam de Deo aut cogitare, aut loqui poſſemus. quin & viri divini, dum divini ſpiritus impulſu diſtincte de Dei attributis loquuntur, &, ut diſtincte de iis cogitemus, hoc pacto efficiunt, nobis in hoc errore præiviſſent, atque ad eum nos impuliſſent. 110.

Quod συνωνύμως] Atqui falſum eſt *Spiritum* univocé prædicari de Deo & creatura. Et capite præcedenti negabat Spiritum hoc reſpectu *naturam generum ſynonymorum retinere.* Mendacem oportet eſſe memorem. Nec etiam ea omnia quæ *παρωνύμως* dicuntur, prædicantur in quale quid. Nemo ſobrius putet τὸ *rationale* prædicari παρωνύμως de homine.

Cætera quæ negativè] At ſanè nec horum omittenda eſt conſideratio, cum etiam per *viâ negationis*, ut loquuntur Scholaſtici, ad Dei notitiam debeamus aſſurgere, remotis ab ipſo defectibus & imperfectionibus quæ cadunt in creaturas. Hinc enim formantur illa attributa negativa & incommunicabilia, quæ eò efficaciùs perfectionem Dei exprimunt, quod de Deo facilius ſit dicere, quid non ſit, quam quid ſit: Huc pertinent non modò *incorruptibilitas* & *immortalitas*, de quibus author paullò ante, ſed etiam immenſitas, infinitas vel infinitudo, incomprehenſibilitas &c.

Nam alioqui] Valde jejuna ratio: Nam aliarum rerum proprietates ac perfectiones, ut ſunt finitæ, ita abſolutè in ſeipſis & citra comparationem ad alias res poſſunt cognoſci; Sed omnimoda & infinita Dei perfectio, non poteſt ſatis percipi niſi per comparationem ad res alias, & defectuum qui in illis occurrunt remotionem à Deo. Vt enim homo ſe comparans cum Deo ſuam imperfectionem meliùs novit, nec magis ſenſit Moſes ſe blæſum eſſe quam cum Deo loqueretur Exod: IV, 10. ita Deum ad nos noſtraque conferentes altiùs in ejus notitiam provehimur.

Non diſputabimus] At ſanè de attributorum divinorum diſtinctione tum a Dei eſſentia, tum inter ſe, amplius erat dicendum: Non ſatis eſt quod *nunquam reipſa à ſeinvicem ſejungi poſſunt*, cum etiam in rebus materialibus aut aliter compoſitis, multa dentur realiter diſtincta, quæ tamen à ſe ſejungi aut ſeparatim exiſtere nequeunt. Quare ſtatuendum de attributis divinis, naturalibus nempe & eſſentialibus (nam alia non agnoſcit ſanior Theologia, quia nihil eſt in Deo quod non ſit Deus, & ſi quæ de Deo dicuntur *vi liberæ ejus voluntatis*, illa tamen propriè Deo non *inſunt*, ut τὸ ineſſe ſignificat inhærere more accidentium) quod nec ab illius eſſentia nec inter ſe aliter diſtinguantur quam ratione & ex modo cognoſcendi noſtro, ex quo diſtinctæ illæ definitiones, Adverſario hic commemoratæ, naſcuntur. Et mirum nobis eſt hos homines ſatis palam realem diſtinctionem attributorum divinorum inter ſe propugnare, & nolle tamen plures Perſonas nonniſi modaliter inter ſe diſtinctas in Deo agnoſcere: Cùm id minus pugnet cum unitate & ſimplicitate Divina quam illud.

Neque vero dum] Non equidem tum fallimur aut falſum quid Deo affingimus. ſed tamen inadæquatos formamus conceptus perfectionum Divinarum, quas unico & adæquato conceptu, propter mentis noſtræ imbecillitatem, aſſequi non valemus. Nec tamen inde quod non falleris, debes reale diſcrimen inter hæc conſtituere, ut hic Author ſtatuere videtur.

Inter illa verò hunc ſervabimus ordinem, ut ea priùs tractemus, quæ ad communes entium, ut loquuntur, ſeu rerum affectiones vel revera pertinent, vel

cum iis conjunctionem habent; tum demum illa, quæ viventium ſunt propria. Ad priora quod attinet; inter communes entium affectiones ſunt, exiſtentia, unitas aut multitudo, itemque duratio. De Dei exiſtentia ante omnia nobis fuit agendum, ob cauſſam primo capite explicatam. Sequitur ergo, ut de unitate Dei in ſequentibus primò agamus; deinde de æternitate, quam durationis vel perfectionem, vel perfectiſſimam ſpeciem poſſis dicere. Ea, quæ viventium ſunt propria, ſuo loco diſtribuemus.

Ita verò in ſingulorum attributorum explicatione verſabimur, ut declarata, ubi opus fuerit, vocum ſignificatione, oſtenſo, attributa illis ſignificata Deo convenire, eorum rationem ac naturam inveſtigemus, locis etiam ſacrarum literarum excuſſis, qui ad eorum intelligentiam magis videbuntur neceſſarii. quo facto, de uſu, quem earum rerum cognitio nobis poſſit afferre, nonnihil adjiciemus.

CAP. XVII.

De Unitate Dei.

‡ *Reſpondente* HECTORE FRIESMA, *Leovardo-Friſio.*

QUod ergo ad unitatem Dei attinet; non perſequemur hîc ea, quæ de multiplici ejus vocis uſu in ſcholis diſputantur. Satis erit, eam nos hîc ſignificationem explicare, quâ Deus in ſacris literis, atque adeo vulgò quoque, unus eſſe dicitur. Dicitur autem unus, quia unus ſit numero, ut loquuntur, & quidem ita, ut plures ſui generis, ſeu tu mavis dicere ſpeciei, non habeat. quo pacto unum dicimus eſſe Solem, aut Lunam, aut terrarum orbem, & ſi quæ ſunt iis ſimilia. Significare enim volumus, eorum quodque unum eſſe numero, & ita ſingulare, ut alia, quæ ejuſdem ſint ſpeciei, non extent, h. e. plures Soles, Lunas, terrarum orbes non eſſe. Hoc modo Deum in ſac. literis unum dici, nemo ignorat. Sciunt enim omnes, unum Deum ideo aſſeri, ut oſtendatur, plures Deos non eſſe: idque tum abſolutè ac ſimpliciter, tum relatè, quatenus nimirum aſſeritur, unum eſſe tum horum, tum illorum hominum, Judæorum v. g. & Gentium Deum, qua de re infrà nonnihil monebimus. Dictum eſt autem
112. ſuprà, Dei nomen hoc loco eum ſignificare, qui à nullo pendeat alio, ſed à ſeipſo imperium habeat in alia.

‡ *Quia unus ſit numero*] Non tamen prout numerica unitas competit ſingulis individuis alicujus ſpeciei infimæ, quæ de multis (ut vulgò definiri ſolet) numero differentibus prædicatur in quid; ſed prout unicus eſt & ſingulariſſimus, indiviſus in ſe & diviſus ab omni alio.

Quo pacto] Imò adhuc magis unus eſt. Nam per abſolutam Dei potentiam poſſent dari plures Soles vel Lunæ, ſed implicat contradictionem dari plures Deos. Et Sol ita ſolus eſt, ut tamen conveniat in ſpecie *Planetæ* vel *Luminaris majoris* cum Luna; ſed nihil eſt cum quo Deus in genere vel ſpecie conveniat.

Qui à nullo pendeat] Dependentiâ nempe eſſentiali,

Digitized by Google

eſſentiali; nam Filius poſſet dici pendere à Patre ceu ſuæ originis principio dependentiâ perſonali & ordinis; cum tamen eſſentiæ ſuæ reſpectu non minus quam Pater ſit αὐτόθεος.

Unum ergo Deum eſſe cùm dicimus, primò plures negamus eſſe Deos, qui à ſeipſis imperium habeant, ac porrò ſimpliciter ſint ſupremi: ſed conſequenter & illos hac ratione deos excludimus, qui, licet ſummi non ſtatuantur, ſed ab aliis ſuperioribus pendere cenſeantur; tamen Deo, qui ſolus à ſeipſo imperium habet, revera non ſunt ſubordinati, præſertim ita, ut occulta quadam ratione, & naturæ limites excedente, gubernent alios, id quod illis tamen tribuitur. nempe quia vel planè non exiſtunt aut vivunt; vel etiamſi vivant, à Deo tamen ad ſocietatem divinioris illius gubernationis non ſunt admiſſi. Cæteroquin eædem ſacræ literæ, quæ unum tantùm eſſe Deum aſſerunt, multos etiam Deos eſſe apertiſſimè docent, ſed à ſupremo Deo pendentes, eique ſubordinatos. qua de re dictum eſt ſuprà, (*cap: 13.*) Loca ſacrarum literarum, quæ unum eſſe Deum affirmant, ſatis ſunt obvia. vide Deut. 6. 4: & Mar. 12. 29. ubi prior ille locus citatur; & Rom. 3. 30. 1. Cor. 8. 4, 6: Gal. 3. 20: Eph. 4. 6: 1. Tim. 2. 5. Adde his ea teſtimonia, in quibus Jehova ſolus dicitur eſſe Deus, & nullus alius præter eum, & ſi quæ ſunt his ſimilia. vide Deut. 4. 35: 32. 39: 2. Sam. 7. 22: 3. Reg. 8. 60: Eſa. 37. 16: 43. 10, 11: 44. 6: 45. 5, 6, 21, 22: 46. 9. Oſe: 13. 4: Joh. 17. 3: 1. Cor. 12. 6.

‡ *Unum ergo Deum*] Quid opus his ambagibus? Dicas unicam te agnoſcere naturam æternam, ſpiritualem, infinitam & incomprehenſibilem: Nam etiam Deus fuit cum nulla eſſet Creatura in quam haberet imperium: & quod Ethnici Deos habebant majores & minores, manifeſtam implicabat contradictionem.

Ad ſocietatem] Atqui ad eam ſocietatem nullus admitti poteſt. Nec amor nec majeſtas conſortem ferre queunt. Et divinior illa gubernatio exigit ſapientiam & potentiam infinitam, quæ in nullam creaturam cadere poteſt.

Multos etiam Deos] Sed illi ſunt & dicuntur Dij nuncupativè, θετικῶς, & nomine tenus, imò plerumque merè abuſivè, non eſſentiâ, proprietatibus & φυσικῶς; adeoque ſemper incapaces omnis divini & religioſi cultus, nunquam iis deferendi qui *naturâ Dij non ſunt* Gal. IV, 8.

Loca Sacrarum literarum] Omnia teſtimonia quæ hic citantur & cumulantur non ſunt ejuſdem ordinis: Plurima ſic agunt de unitate eſſentiæ divinæ, ut ſimul pluralitatẽ perſonarum vel ſupponant, vel inſinuent. Ita 1 Cor. VIII, 4. 6. unus verus Deus ſic opponitur multis nomine tenus Dijs, ut is dicatur eſſe tum Pater tum Filius. Ita Epheſ. IV, 4. 6. qui unus Deus eſt deſcribitur per unum Spiritum, unum Dominum & unum Patrem. Ita 2 Tim. II, 5. qui unius Dei & hominum *Mediator* eſt, non minus Dei quã hominis naturam participare inſinuatur. Nec deſunt viri eruditi qui putent ibi Chriſtum & unum Deum & unum Dei & hominum ſimul Mediatorem appellari. Ita Ioh. XVII, 3. Chriſtus ſic jungitur Patri in aſſignando objecto ex cujus cognitione pendet vita ęterna, ut etiam ipſe cum Patre veniat cognoſcendus verus Deus ab ijs qui vitâ ęternâ potiri debeant, prout eodem elogio inſignitur

 1 Joh. V, 20.

1 Ioh. v, 20. Ita 1 Cor. xii, 45. ſigillatim enumerantur unus Spiritus à quo ſunt diſtinctiones donorum; unus Dominus, nempe Chriſtus, à quo ſunt diſtinctiones Miniſteriorum; & unus Deus nempe Pater, à quo ſunt diſtinctiones operationem. Et quæ apud Prophetas leguntur de uno Deo Creatore cœli & terræ, communia eſſe tribus perſonis ſuo loco fuſiùs oſtendetur.

Verùm non tantùm ſacræ literæ id aſſerunt, ſed & ipſa ratio ſana dictat, unum tantùm ſupremum eſſe Deum: ac porrò neminem ullo pacto Deum eſſe, qui unius illius beneficio talis non evaſerit. Nam & Ariſtoteles, (*lib: 12. Metaph. cap: ult.*) licèt in eo nobiſcum non conſentiat, ob quam cauſſam Deus revera Deus dicitur; nihilominus tamen, unum tantùm eſſe Deum, à nullo alio pendentem, hac oſtendit ratione, quia multitudo dominantium, intellige eorum, quorum alter alteri non ſit ſubordinatus, haud ſit bona. Non conſpiraturam rerum univerſitatem, ſi à duobus diverſis principiis, quorum nimirum alterum alteri non ſit ſubordinatum, penderet.

‡ *Supremum eſſe Deum*] Adeoque & verum, ſive φύσει θεὸν. Sed aliquem fingere inſuper Deum factitium qui *unius illius beneficio* in Deum evaſerit, eſt oppoſitum in appoſito ſtatuere; Nam licet Angelis & Magiſtratibus in communi, hoc nomen Deorum pluraliter tribuatur, nemo tamen eorum uſpiam dicitur factus Deus, aut in Deum evaſiſſe ſummi Dei beneficio.

Intellige eorum] Quamvis & Angeli & maximè Principes & Magiſtratus terræ, Deo quadantenus ſubordinentur, ut ſummo Magiſtratui in Republ. ejus officiarij particulares, tamen illi ſubordinationi locus eſſe nequit quoad Monarchicam univerſi adminiſtrationem; nec exiſtimandus eſt Chriſtus tanquam Deus factitius & ſubordinatus, ſummum omnium Creaturarum citra limitationem imperium Matt. xxviii, 18. ad dextram Patris obtinere. Nam ſi quis in Regno Monarchæ ſubordinetur, quoad univerſalem & abſolutam regni adminiſtrationem, id fit vel quia ipſe Monarcha non eſt par ſolus illi oneri; vel quia rebus ſuis supereſſe non poteſt; vel quia vult ſe levare parte curarum & moleſtiarum, regimen concomitantium, quod eas ſolus vel nequeat vel nolit devorare; vel quia legibus Regni Ephoros conſecutus eſt ad ipſius coarctandam potentiam, ut in Laconum Republica; vel quia domo & regno abeſt: Sed horum nullum in orbis Summum Moderatorem cadere poteſt: Vnde colligitur Filium ſummum cum Patre imperium univerſi obtinere, citra reſtrictionem aut limitationem, non per miniſterialem ſubordinationem, ſed quod ſit Perſona divina ejuſdem potentiæ & eſſentiæ cum Patre.

Quod nos tantò rectiùs urgere poſſumus, quia Deum, ſeu ſupremum rerum dominum, libera prædituam eſſe voluntate oſtendimus, quam Ariſtoteles ſummo omnium rerum principio abſtulit. Nam ſi plures eſſent ſupremi rerum domini; poſſent de eadem re ſtatuere contraria, ſi nempe neutrum eorum cum rectitudine pugnaret. At tum turbaretur univerſitatis ordo, & alter alterum impediret. Utrique ſimul obtemperari non poſſet. Quòd ſi ergo melius eſt, unum eſſe univerſi dominum, quàm plures; unum eſſe neceſſe eſt. In ſuprema enim divinitate non niſi id, quod optimum, eſſe poteſt. Adde, quòd in imperiis,

Digitized by Google

periis, ſeu regiminibus, à natura inter homines inſtitutis, quale eſt domeſticum; uti & in imperiorum umbris, quas in animalibus quibusdam natura exhibet, unum videmus cæteris omnibus præeſſe. In familia enim omnibus imperat paterfamilias. Nec dubium eſt, quin inter imperia; quæ in rebuspubl. cernimus, humano arbitrio quodammodo inſtituta, monarchia naturâ ſuâ ſit optima, ſi in eum incidat, qui & virtute præditus ſit tanta, ut quàm optimè velit omnibus proſpicere, ac bonum publicum tueri; & tantâ polleat tum ſapientiâ, tum potentiâ, ut etiam poſſit; breviter, in quo ſint omnia, quæ ad imperium feliciter adminiſtrandum pertinent. Magis enim ſic imperii vis unitur, quàm cùm in plures dividitur. Uniri autem vim imperii, non in plures ſpargi & dividi, boni publici multum intereſt. Jam verò in eo, qui ſupremus ſit rerum dominus, non poſſunt non illa omnia concurrere, quæ ad imperium rectè ac feliciter gerendum pertinent. Quis ergo dubitet, eum tantùm eſſe unum? Accedit, quòd perfectiſſimum unicum tantùm eſt. Omnis multitudo, ſive à natura eſt, ſive à conſilio, ob defectum eſt aliquem. Si unum ſufficeret, plura non quærerentur. imò multitudo, ſi alterum alterius ope prorſus non indigeat, ac proinde alterum alteri planè nil conferat, etiam noxia eſſe ſolet. Quis verò dubitet, ſupremum numen, primum naturæ principium, eſſe perfectiſſimum? quis id aliquo defectu laborare dicat? Taceo, quòd, ſi ab unitate numinis diſceſſeris, nullam afferre poſſis cauſſam, cur aut duo magis ſint Dii, quàm tres, aut vice verſa tres, quàm duo; & ſic deinceps. ita ut vel in unitate tibi ſit acquieſcendum, vel, cùm nullius certi numeri ratio conſtare queat, ad infinitam deorum multitudinem ſit deveniendum, quâ nihil eſt à ratione ſana alienius. Quod enim quidam de duobus diis, altero bono, altero malo, impiè nugati ſunt; id vix commemorari meretur. Ab ipſa ergo ratione abhorret deorum multitudo, quam impia olim Gentium ſuperſtitio invexit. qui quidem duplici ratione peccarunt: primò quòd in tres ſupremum hujus univerſi imperium diſtribuerunt, Jovem cœlo potiſſimùm, Neptunum mari, Plutonem inferno, ſumma cum poteſtate præficientes. deinde quòd ut hos, ita & alios pro libitu finxèrunt ac coluerunt deos propè innumerabiles, qui ſupremis illis ſubeſſent. 113.

‡ *Primò quod in tres*] Videmus quo tendat Sycophanta; Sed nihil huic Ethniciſmo ab Orbis regionibus ſua Numina multiplicanti, commune cum doctrina Eccleſiæ Catholicæ, quæ tres in uno Deo Perſonas ejuſdem naturæ & poteſtatis confitetur. Imo Ethniciſmum revocant adverſarij, qui multos Deos, qui revera & propriè tales ſint, audent comminiſci, eoſque in ſuperiores & inferiores diſtribuunt.

Sed, ut ad Deum verum redeamus; unum tantùm eſſe numero, omnes Chriſtiani, ut alios nunc omittam, fatentur. Quia verò unius numero rei non niſi una eſt eſſentia; ideo omnes unam tantùm eſſe Dei eſſentiam ſeu ſubſtantiam, 114. (per ſe enim ſubſiſtit Deus) rectè affirmant. Interim tamen plurimi ſecum ipſis

pugnantes,

pugnantes, non unam illius perſonam eſſe contendunt. cùm unius numero ſubſtantiæ, ſeu, ut rectiùs loquamur, una numero ſubſtantia, non niſi una eſſe queat perſona. Eſt enim perſona, ut alibi eſt à noſtris oſtenſum, nihil aliud, quam ſubſtantia prima intelligens. Prima verò appellatur, quæ una eſt numero, ſeu ſingularis. Ubi ergo una tantùm eſt ejusmodi ſubſtantia, una tantùm eſt perſona: ubi plures perſonæ ſunt, ibi etiam plures ejusmodi ſubſtantias eſſe neceſſe eſt.

† *Per ſe enim ſubſiſtit*] Commodiùs dixeris quod per ſe exiſtat: quia *exiſtentia* actum rei dicit, ſubſiſtentia modum: nec quicquid exiſtit ſive actu eſt, ideo ſubſiſtit, vel habet ultimum illum exiſtendi modum, qui completus & incommunicabilis dicitur. Animæ ſeparatæ, ut & ipſi cadaveri exanimi, *Perſeitas*, quam barbarè vocant, ſive exiſtentia actualis ſubſtantiarum competit, ſubſiſtentia nequaquam.

Interim tamen] Nulla ratione pugnant ſecum hac in re Orthodoxi; ſed turpiter errant hæretici qui ſub prætextu Vnitatis eſſentiæ Divinæ, Perſonarum Trinitatem, facillimè ex Scripturis cum illa conciliabilem, Titanio conatu eunt everſum.

Cum unius numero] Nec unitas numerica Ariſtotelis, quæ eſt ſingulorum individuorum ſub eadem ſpecie comprehenſorum. Deo convenit, qui ſic eſt unicus, ut nullum agnoſcat alium à quo ſolùm numericè, ut Petrus à Paulo, diſtinguatur; nec ludendum hic in ambiguitate vocis. Nomen enim *ſubſtantiæ* quandoque latiùs uſurpatur, vel ut contradiſtinguitur ab accidenti cujus eſſe eſt ineſſe, vel prout ſumitur pro ipſa rei quidditate & eſſentia quæ Græcis ὐσία appellatur; quandoque ſtrictiùs, prout *ſubſiſtentiam* habet, ſive pro eo quod Græcis ὑφιςάμενον vel ὑπόςασις dicitur; qua de diſtinctione videndus eſt Auguſtinus *lib. 5. de Trinit. cap.* 8. *&* 9. & *lib.* 7. *cap.* 4. quorum ultimo loco ſic loquitur; *Sicut ab eo quod eſt eſſe appellatur eſſentia, ſic ab eo quod eſt ſubſiſtere ſubſtantiam dicimus.* Hoc poſito, agnoſcimus primò quod una numero ſubſtantia ſecundo ſenſu ſit una perſona: quomodo Hilarius 4. *de Trinit.* ſtatuit Patrem, Filium, & Spiritū Sanctum, tres eſſe ſubſtantias, licet eas ὁμοουσίυς & coeſſentiales faciat. Deinde negamus omnem ſubſtantiam priori ſenſu, ideſt omnem naturam & eſſentiam ſingularē eſſe perſonam, quod liquet exemplo tum cadaveris exanimis, tū animæ ſeparatæ, quorum neutrum, licet exiſtat in rerum natura, perſona dici poteſt. Ac ut concedimus omni ſubſtantiæ finitæ ſtricto ſenſu ſumptæ convenire unicū modum exiſtendi completè & incommunicabiliter, ita negamus eſſentiam ſive ſubſtantiam infinitam, qualis eſt Divina, tres ejusmodi modos exiſtendi incommunicabiliter admittere non poſſe, per quos tres diſtinctæ perſonæ ejuſdem ſingularis eſſentiæ vel ſubſtantiæ divinæ concedantur.

Eſt enim perſona] De ſubſtantia quidem ſtrictè ſumpta, quatenus ſubſiſtit, ideſt completè & incommunicabiliter exiſtit, concedo; de ſubſtantia latiùs dicta, ut notat tantum rei quidditatem & eſſentiam, nego: Nam ad meam ſubſtantiam ſingularem per quam ſum homo, ejuſdem cum Petro & Paulo conditionis & naturæ, debet aliquid accedere per quod ſim perſona, ideſt hic homo, alter ab omnibus alijs. Deinde nec verum eſt quod omnis ſubſtantia ſingularis intelligens ſit perſona: Nam anima ſeparata quæ pars tantum eſt perſonæ & ordinata ad illius complementum, perſona dici nequit, quamvis ſit ſubſtantia ſingularis intellectu prædita. Quare perſona debet definiri potiùs *ſuppoſitum intelligens*, quatenus ſuppoſitum eſt id non modo quod exiſtit actu; id enim convenit omni ſubſtantiæ ſingulari, ſive ſit totalis & completa, ſive partialis & incompleta;

Digitized by Google

completa; ſed id quod propriè ſubſiſtit, ideſt completè & incommunicabiliter exiſtit.

Vbi ergo una] Vbi una eſt eſſentia ſingularis finita ibi una tantum poteſt eſſe perſona: ſed ubi eſſentia eſt infinita plures perſonæ eſſe poſſunt. Quod enim ſit divina eſſentia communicabilis, inde eſt quod eſt eſſentia, prout mihi fuit communicabilis mea eſſentia humana, abſque qua homo non forem: Sed quod ſit communicabilis pluribus perſonis, inde habet quod eſt infinita; meæ enim ut pote finitæ communicabilitas omnis, uno illo exiſtendi modo quem in me conſequuta eſt planè exhauritur.

Sed eandem ſententiam inductione facilè oſtenderis. ‡ Exemplis enim patet, rem quamque intelligentem, ſi una ſit numero, unam tantùm eſſe perſonam, non plures. Etenim unus homo, una eſt perſona: ſimiliter & angelus unicus. Ac ne in rebus tantùm creatis id locum habere dicas, idem in divinis cernimus. Nam & unus Pater, una perſona eſt, & unus Dei filius, & unus Spiritus ſanctus; ille ex noſtra etiam ſententia, hic ex mente eorum, cum quibus hîc nobis res eſt. Eſt autem Pater unum numero, & intelligens; ſimiliter & Filius; ex iſtorum autem ſententia & Spiritus ſanctus. Cum ergo & Deus ſupremus unus ſit numero, & intelligens; quid eſt, cur is quoque una perſona non ſit? præſertim cum illi ipſi fateantur, qui contrarium aſſerunt, vocem *Dei* non rarò hypoſtaticè ſumi, ſeu de una tantùm perſona uſurpari; ita ut *Deus unus* unam perſonam ſignificare queat.

‡ *Exemplis enim*] Hæc exempla ab hominibus & Angelis deſumpta, nihil huc faciunt: cum eorũ eſſentiam ſingularem finitam una etiam ſubſiſtentia exhauriat & terminet. Vnde illa eſſentialis perſonarum humanarum diſtinctio inter ſe, quarum neutra in alia eſſe poteſt, ut Pater in Filio eſſe dicitur & Filius in Patre Ioh. xiv, 10.

Nam & unus Pater] Agnoſco tres diſtinctas perſonas intelligentiâ præditas: ſed licet ſint tres perſonæ quæ intelligunt, non ſunt tamen tres intelligentiæ vel eſſentiæ; imo neque tres res intelligentes, cum vel ipſi Iuriſconſulti doceant diſtinguendum eſſe inter rem & perſonam; & unius rei infinitæ tres poſſunt eſſe perſonæ, quod illa unica res tres modos exiſtendi incommunicabiles habeat.

Eſt autem Pater] Vnitas perſonalis cum eſſentiali in hoc myſterio confundi non debet; nam illa pendet ex ſingulari modo ſubſiſtendi, hæc ex ipſius rei quidditate & eſſentia. Pater itaque dicendus potiùs unus numero, quam *unum numero*, niſi unum ſumatur adjectivé, pro uno ſuppoſito: Eſtque unus numero, ideſt unum ſuppoſitum, ſive una perſona, quoniam unicus eſt Pater in divinis, & habet unicam numero eſſentiam; ſed ſolus tamen eam non habet, cum ſit ipſi communis cum Filio & Spiritu Sancto, nam hi tres unum ſunt 1. Ioh. v, 7. Nec ſi tres perſonæ humanæ dicunt tres homines, debebunt tres Deos ſonare tres perſonæ in divinis; quoniam trium perſonarum humanarum tres ſunt eſſentiæ ſingulares diſtinctæ numero; ſed trium perſonarum Divinarum unica eſt eſſentia individua & ſingularis.

Cum ergo & Deus] At non ſtatim quicquid eſt unum numero & intelligens, debet eſſe perſona: ut patet exemplo animæ Lazari in ſinu Abrahæ: Ea enim perſona dici non poterat, quamvis & numero una & intelligens eſſet. Adhæc etſi unicâ perſonalitate debeat ſubſiſtere, id quod naturâ eſt unum numero & intelligens finitum,

Digitized by Google

tum, non tamen ad has anguſtias Ens infinitum debet redigi, ut ad unicam perſonalitatem coarctetur. Et revera in hac argutiola Adverſarij mera eſt petitio principij & ſuppoſitio ejus quod eſt in quæſtione: dum ſtatuitur ideo Deum ſupremum, unam duntaxat eſſe perſonam, quod ſit unus eſſentia & naturâ. Itaque Deus ille unus, ſupremus & intelligens, una perſona non eſt, quia juxta Scripturam perſonis trinus eſt, Pater, Filius & Spiritus Sanctus.

Præſertim cum illi] Abſurdè: Nam etſi *Dei* nomen quandoque de Patre reſtrictivè ſumitur, non inde ſequitur quod in Deo eſſentialiter ſic dicto non ſint tres Perſonæ. Itaque quoties *Dei* nomen hypoſtaticé de Patre ſumitur, tunc *unus Deus unam perſonam ſignificare* debet: non quo denotetur unicam tantum eſſe in Deo Perſonam, ſed quo ſignificetur unicam eſſe Patris perſonam, quæ Dei nomine hypoſtaticè exprimitur. Non valet ergo hoc Sophiſma, Si Deus unus unam tantum perſonam ſignificat, tum ut Deus eſt unus, unica tantum erit perſona divina: nam in antecedente nomen *Dei* ſumitur hypoſtaticé & reſtrictivé de perſona Patris; in conſequenti ſumitur eſſentialiter & prout convenit tribus perſonis. Imo cum de Patre dicitur quod ſit *unus Deus*, id non fit ad excludendum à Divinitatis ejus conſortio, Filium & Spiritum Sanctum, ſed tantum ad diſtinguendum Patrem ab utroque: Ut Filius dicitur *unus Dominus*, quo diſtinguatur à Patre & Spiritu Sancto, non quo illi ab ejuſdem Dominij communione & participio excludantur. Cur vero Patri potius, quam Filio aut Spiritui Sancto Dei nomen, talis diſtinctionis gratiâ, appropríetur, hæc ratio redditur à Veteribus, quod Pater ſit fons & origo totius Divinitatis, ut eſt communicabilis & communicatur ad intra per proceſſiones divinas.

Præterea *Dei* nomen ſuprà docuimus eſſe nomen imperii potiſſimùm ac poteſtatis, & hoc loco eum denotare, qui ſummo imperio cuncta regat. Imperare autem & regere non niſi perſonarum eſt. Qui ergo unum eſſe dicit Deum, unam dicit eſſe perſonam, ſummo imperio pollentem: qui plures hujusmodi perſonas dicit, plures Deos dicit. Quòd ſi idem nihilominus unum dicat eſſe Deum, ſibi ipſi contradicit, & non Deorum magis, quàm perſonarum ſupremam divinitatem habentium pluralitatem hac ratione tollit. Accedunt aperta ſacrarum literarum teſtimonia, & argumenta ex iiſdem depromta, quæ ſolum Jeſu Chriſti Patrem Deum ſupremum eſſe docent; ita ut non ſolùm intelligatur, Deum unam tantùm eſſe perſonam; ſed etiam quænam illa perſona ſit, agnoſcatur. Qua de re animus quidem erat hoc loco pluribus agere. Cum enim alibi in hoc opere argumenta potiſſimùm refutentur, quæ pro contraria ſententia afferuntur; non alienum ab hoc loco eſſe videbatur, veram ſententiam aliquantò
115. pluribus, primùm ex ſacris literis, deinde ex alijs principiis rationi manifeſtis confirmare. Sed quia nobis opus ſub manu ita crevit, ut juſtum per ſe librum conficere poſſit; viſum eſt ea, quæ ſcripſimus, ab hac tractatione ſecernere, & aliquando, ſi Deus voluerit, ſeparatim lectori dare. Interea iis lector poterit eſſe contentus, quæ infrà in his de vera religione libris ea de re dicuntur: *(lib: 5. cap: 9. & ſeqq.)* Nunc de uſu hujus doctrinæ quædam ſubjiciemus.

‡ *Præte-*

Digitized by Google

‡ *Præterea Dei nomen*] Eſto hujus nominis hæc ratio, (licet aliud denotet ejus origo) quod nempe proprié ſumptum cum ſignificet cui ſummum competit imperium: Saltem hinc ſequetur, aut ſummum imperium eſſe Chriſto abrogandum, contra quam univerſa docet Scriptura Matt: XXVIII, 18. Phil: II, 9. 10. Apoc: XIX, 16. aut ejus Divinitatem ſummam eodem modo & titulo eſſe agnoſcendam. Nec eſt quod putet quis ſimpliciter ſummum imperium non convenire Chriſto, ſed dependens & ſubordinatum, ipſique in tempore collatum à Patre, quod & Orthodoxi coguntur fateri de ejus regno œconomico. Nam primò ſubordinatio & dependentia duplex conſiderari poteſt; altera quidem naturæ, dignitatis & majeſtatis, altera vero ordinis tantum & originis. Tunc autem ei ſoli abrogatur ſummum imperium qui imperat ſubordinaté & dependenter ab alio, priori ſenſu; non vero poſteriori: quæ dependentia & ſubordinatio ſic poteſt Filio competere, quà pendet à Patre eique ſubordinatur, quoad originem perſonalem & ordinem, ut tamen ſit cum Patre ejuſdem dignitatis, majeſtatis & naturæ: Ioh: X, 30. XIV, 9. 10. Inde dicitur ſedere cum Patre in ipſius throno Apoc: III, 21. Ita ſi Regina hæres adſciſcat virum ſuum in conſortium majeſtatis & poteſtatis Regiæ, non erit Rex inferior Reginâ, dignitatę & majeſtate, aut ei ſubditus cenſebitur, eo quod regiam illam dignitatem & majeſtatem habeat dependenter à Regina, quoad ordinem & originem. Præterea etſi detur minoritas & ſubordinatio œconomica in Filio, quà Mediatoris munus ſuſtinet, illa tamen nihil delibat de illius eſſentiali majeſtate & poteſtate, juxta quam rapinam non ducit Deo æqualem eſse Phil: II, 6. Ioh: V, 18. Adhæc diſtinctio quæ fit inter imperium Chriſti naturale & œconomicum, non ponit duas realiter diſtinctas poteſtates in eadem perſona, ſed ponit tantum ejuſdem poteſtatis ſummæ, quæ Filio competit cum Patre, novum eumque duplicem reſpectum ipſi accedentem in Mediatorio munere; Alterum ex parte ſubjecti, quatenus humanitas aſſumpta in unitatem perſonæ λόγου, etiam aſſumpta fuit ſolemniter in conſortium ejuſdem poteſtatis; ut cum Rex aſſumens ignobilem aliquam puellam in thori conſortium, eam quoque evehit ad conſortium diadematis & throni; Alterum ex parte objecti, quatenus hæc eadem poteſtas à Dei Filio Redemptore noſtro ordinatur maximé in bonum & ſalutem Eccleſiæ & complementum operis quod Pater illi commiſerat; Vnde dicitur tandem traditurus regnum Deo & Patri 1 Cor. XV, 24. non quod ſit depoſiturus ſimpliciter munus Mediatorium, cum per ipſum ſimus æternùm adhæſuri Deo, & agnum ſequuturi quocunque iverit Apoc: XIV, 4. ab ipſomet paſcendi & ducendi ad vivos fontes aquarum Apoc: VII, 17. Sed quod ſit exhibiturus Patri opus Redemptionis Eccleſiæ conſummatum & perductum ad umbilicum, adductis jam ad gloriam pluribus illis filijs, de quibus eſt dicturus, *Ecce ego ac pueri mei quos dedit mihi Deus* Heb: II, 10. 13.

Imperare autem] Sed licet imperare ſit actio perſonalis, tamen ſummum imperium ita ſemper unum eſt, ut non ſit neceſſariò unius, & pluribus perſonis ſimul poſſit convenire. Nec magis ſequetur ex Dei imperantis nomine & unitate, unitas perſonæ divinæ, quam ex Magiſtratus ſummi unitate & nomine in qualibet Republica, poteſt colligi omnem Rempublicam unius perſonæ imperio contineri. Qui dicit ſummum Magiſtratum in Republica, dicit ſummum imperium: Sed utut Magiſtratus ſit unus, quo ſenſu ſummum imperium ſemper unum eſt, tamen ejus imperij adminiſtratio penes plures perſonas ſimul eſſe poteſt, ut in regimine polyarchico: adeo inepté proceditur ab unitate ſummi imperij, ad unitatem imperantis. In Republica Romana duo Conſules ſummam & Regiam poteſtatem obtinebant; &

Digitized by Google

ſimul tantum habebant authoritatis, quantum Rex vel Dictator ſolus. Notum quoque illud Cypriani *de unit. Eccl. Epiſcopatus unus eſt cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Sic ſummum Dei imperium unum eſt, ut unica Divinitas & poteſtas; ſed quam in ſolidum participant tres perſonæ, Pater, Filius & Spiritus Sanctus: Quare *qui unum dicit Deum*, ut unicam dicit eſſentiam, ſic unicum dicit imperium; ſed non tollit ideo pluralitatem perſonarum & imperantium. Ne quis tamen ideo ſuſpicetur velle me facere regimen mundi polyarchicum. Nam in regimine polyarchico, perſonæ quibus competit, nec eſſentiâ ſingulari, nec voluntate unum ſunt, ut unum ſunt perſonæ in Divinis: Quæ unitas ſufficit ad Monarchicum regimen univerſi adſtruendum. Imò poſſe Monarchiam manere, imperio non quidem diviſo ſed indiviſim & in ſolidum communicato pluribus perſonis, nexu quodam propiori inter ſe connexis, eſt certiſſimum: Manebat inter Iudæos regimen Monarchicum, etiam tum cum pater filium in throni & regni conſortium adſciſceret, cujus rei haud pauca exempla ex hiſtoria ſacra poſsent referri: Sic quondam in Hiſpanijs, manente regimine Monarchico, nec ita pridem in Belgio Hiſpanico, omnia peragebantur ſub auſpiciis & communi nomine Ferdinandi & Iſabellæ. Etiam mea Gallia vidit ſæpè citra Monarchici ſtatus imminutionem, Reginas cum Regibus ſuis coronatas; imò tempore Henrici II. & cum ipſo Filium ejus natu majorem Franciſcum, ſalutari *Regem Delphinum*, quod ex nonnullorum librorum inſcriptionibus ipſi factis facilè poſſet demonſtrari: Eo ſanè caſu pater & filius, ut loquuntur Iuriſconſulti, adeoque etiam vir & uxor, pro una perſona politicè cenſebantur.

Qui plures dicit] Id tum demum foret verum ſi qui dicit unicum Deum imperantem, eo ipſo diceret unicam eſse perſonam Divinam. Sed non ideo plures ſunt Magiſtratus ſupremi in Republica, quod plures perſonæ illum componant & conſtituant. Vnaquæque ergo perſona in Divinis habet ſummum illud imperium quod unius Dei eſt, adeoque eſt unus ille Deus, ſed non excluſivè ad alias.

Quod ſi idem] Ne umbra quidem hic eſt contradictionis Tollitur enim Deorum pluralitas, unitate eſsentiæ, imperij, & poteſtatis aſſertâ; manet tamen perſonarum pluralitas, ſi illius unius eſsentiæ, imperij, & poteſtatis, in ſolidum conſortes ſint Pater, Filius & Spiritus Sanctus.

Accedunt aperta] Ea quæ alibi Crellius hac de re ſcripſit, ab alijs ſunt refutata: Et ſuo loco Deo dante refutabuntur quæ Volkelius profert adverſus hunc Fidei Chriſtianæ primarium articulum. Sufficiat in genere monuiſſe nullum teſtimonium iſtius generis, vel argumentum ſolidum ex Scripturis eó faciens quo dicit adverſarius, proferri poſſe. Et ſupra vidimus teſtimonia quę proferebantur pro unitate Dei, Perſonarum Trinitati neutiquam adverſari. Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti Ioh. XVII, 17. dicitur quidem *ſolus verus Deus*, ſed tamen ſolus Pater, is non eſt; imo Filius cum Patre ſolus verus Deus eſt agnoſcendus, ut dicitur ſimiliter ὁ ἀληθινὸς θεός, (etiam cum articulo qui deeſt in loco de Patre) 1. Ioh: V, 20. idque eo magis quod non in ſolius Patris, ſed in Patris & Filij ſimul cognitione vita æterna à Chriſto priori illo loco collocetur; ut poſſit hic eſſe ſenſus verborum ipſius; Hæc eſt vita æterna hominum ſalutis ſuæ ſtudioſorum, ut & te & me, quia ego & tu Pater ac Spiritus Sanctus, unum ſumus, cognoſcant & colant tanquam ſolum verum & ſummum Deum, unum eſſentiâ, perſonis trinum. Eſt quidem perſona Patris perſona verè divina & particeps veræ illius divinitatis quæ ſola & una eſt: Sed hæc perſona Patris non tamen ſola & unica eſt perſona divina, cum eandem communicent eſſentiam & naturam cum Patre, Filius & Spiritus Sanctus. Cum Petrus ſit homo, ei quoque competit id eſſe

quod

quod ſolum eſt & definitur animal rationale; ſed tamen id ſoli Petro non competit. Particula *ſolus*, aliud ſonat in prædicato, aliud in ſubjecto enunciationis.

Eſt autem uſus doctrinæ hujus in univerſa religionis ac cultus divini ratione longè maximus, & inprimis neceſſarius. Nam primùm in eo ipſo pars magna conſiſtit gloriæ, quam ſupremum ſibi numen jure ſuo vindicat, ut ſolum pro eo rerum domino & rectore agnoſcatur ac prædicetur, qui à ſeipſo imperium omne habeat. Pars hæc magna eſt honoris ac reverentiæ, quam ipſi debemus, ne quem ei audeamus apponere ſocium. Et hoc eſt, quòd Deus honorem ſuum in prima Decalogi parte, ſeu, ut loquuntur, tabulâ ſanciens, id primò omnium vetuit, ne Deus alius coram ipſo habeatur. quod populo quidem Iſraëlitico nominatim dictum eſt, ſed omnes tamen revera obſtringit. Habent autem Deum aut Deos alios coram ſupremo numine, non tantùm qui plures uno deos ſupremos ſtatuunt aut colunt; ſed & qui ſupremo numini aliquem adjungunt in imperio naturæ limites excedente ſocium, & occultiorem rerum humanarum gubernationem ac procurationem audent impertiri ei, quem ipſe Deus ſummus ſibi non adjunxerit, & adjunxiſſe, clariſſimè non fuerit teſtatus. Et hi & illi læſæ majeſtatis divinæ ſunt rei; utrique unitatem ſupremi numinis oppugnant; quamquam illi apertiſſimè, hi poſteriores aliquantò occultiùs. Unum regem apertè non agnoſcit, qui plures ſupremos in eodem regno aut republica dominos manifeſte ſtatuit: ſed & ille plures quodammodo reges inducit, qui ea munia, quæ ad regem primò ſpectant, & non niſi ab ipſomet cum aliis communicari poſſunt, cum iis ſententiâ ſuâ communicat, quibus ea rex ipſe non commiſit; ac porrò honoris eos regii participes facit: utut illos interea reges non appellet, imò regi ſubeſſe apertè dicat. Sic & plures Deos apertiſſimè quidem illi ſtatuunt, qui plures ſupremos, ac ſibi invicem minimè ſubordinatos in hanc rerum univerſitatem introducunt dominos: verùm & illi, quamquam aliquantò minùs apertè, idem faciunt, qui occultam illam, & naturæ limites excedentem gubernationem & providentiam, ac porrò & cultum religioſum ſuâ ſententiâ in plures dividunt, quibuscum iſta Deus non communicavit, aut communicaſſe manifeſtè teſtatus eſt; utut eos Deos non appellent, imò Deo ſupremo hac in parte miniſtrare aut ſubeſſe dicant, & honorem illis exhibitum, in ipſius honorem cedere putent. 116. Nam ſi unus eſt ſupremus rerum omnium arbiter, unus qui à ſeipſo imperet omnibus; quicquid eſt imperii, id non niſi ipſo dante aut permittente poteſt teneri; & tantò quidem minùs, quantò id eſt ſupremo propius. Proximum autem illud eſt, quod naturæ limites excedit, & rationem imperiorum humanorum omnem ſuperat. Hoc enim verè divinum eſt: quemadmodum & cultus ille verè divinus eſt, qui cuipiam ob hujusmodi gubernationem ac procurationem rerum tribuitur.

Digitized by Google

‡ *Pars hæc magna*] Atqui hujus ipſius criminis rei volunt eſſe Sociniani, dum Chriſtum, quem naturâ Deum eſſe negant, Deo *ſocium* apponunt in regimine univerſi. Et quandoquidem hoc mandatum primum Decalogi *omnes revera obſtringit*, illudque ipſe Chriſtus ſedulò inculcavit Matth: IV, 10. aut Chriſtus ſummæ divinitatis particeps eſt agnoſcendus, aut omnis religioſus cultus eſt illi abrogandus.

Habent autem Deum] Scilicet huic crimini ſunt affines quotquot vel theoreticé plures naturâ Deos aſſerunt, vel practicé plures adſciſcunt, divinos honores iis qui naturâ Dij non ſunt deferendo, quod fit ab Arianis & Socinianis, ex falſa ſua hypotheſi, reſpectu Chriſti. Æqué abſurdé divinum cultum actu impendas ei, vel expreſſé, vel interpretativé, quem negas tamen eſſe Deum, ac eum putaveris verum Deum naturâ ſuâ, adeoque & cultu divino dignum, qui revera tamen talis non fuerit.

Sed & qui] At Chriſtum talem eſſe Dei *ſocium*, volunt Adverſarij, ejus tamen Divinitate negatâ & abrogatâ.

Quem ipſe Deum] Sed Deus ſanciendo ne Deus alius coram ſe habeatur, eo ipſo oſtendit, quod nec velit ſibi dari à nobis ſocios in cultu & honore, nec velit ipſe ullam Creaturam in illam ſocietatem admittere, prout proteſtatur per Eſaiam XLII, 8. ſe *gloriam* ſuam *alteri* non daturum. Et cum lex illa de nullo alio Deo coram ipſo habendo vel colendo, ſit juris æterni, immutabilis & indiſpenſabilis, etiam ipſimet Deo, qui ſuæ illi ὑπεροχῇ non magis renunciare poteſt quam ſeipſum abnegare, non eſt quod credamus ipſum potiùs nunc quam olim de illo ſuo jure remiſiſſe, & meram Creaturam in throni ſui ſocietatem admiſiſse.

Sed & ille] At Rex niſi ſe ultro exregem faciat, *munia* ad ſe immediatè ſpectantia citra Majeſtatis ſuæ imminutionem & læſionem evidentem, alijs communicare nequit. Quomodo olim regio exciderint faſtigio priſci Galliæ Reges, poteſtate nimiâ eorum ſuorum officialium qui *Majores domus* dicebantur, ex hiſtorijs notum eſt. Deus vero majeſtatem ſuam imminui non patitur, nullique communicat Creaturæ ea quæ ad illam primò & immediaté ſpectant: Vt illius polytheiſmi, quem hic improbant adverſarij, tanto magis rei ſint, quod eum Chriſtum, quem Deum naturâ eſse negant, Dei tamen nomine & cultu religioſo proſequuntur.

Hoc enim veré] At is cui competit *imperium veré divinum & cultus verè divinus*, naturâ & eſſentiâ verè Deus eſt. Nam tam repugnat poſſe conferri Creaturæ imperium *veré* divinum, & *veré* divinum cultum exinde illi deferri, quam repugnat poſse ei conferri naturam, eſsentiam, & æternitatem divinam: Etenim Deus Eſai: XLII, 8. non ſolum teſtatur quod nolit ab hominibus ſuam gloriam dari alteri, ſed etiam quod ipſe nolit & ſibi repugnet, eam alteri dare, aut ulli creaturæ communicare id cujus per naturam ſuam finitam & dependentem capax non eſt. Et ſicut nos idola formaliter facimus, cum illis gloriam Dei damus, ſic Deus Idolum faceret & erigeret, ſi gloriam ſuam daret alteri. Dat quidem Pater eam gloriam ſuo Filio, qui alter eſt à ſe; ſed illius tamen capax eſt quod non ſit alter à Iehova vel à Deo; cum in Deo ſit alius & alius, non tamen aliud & aliud, ut Veteres obſervarunt.

Et tamen hodie quoque occulta illa, & naturæ limites excedens gubernatio ac procuratio, & ſimul cultus religioſus, citra ullum divinum teſtimonium, nedum, quod hîc requireretur, apertum & omni exceptione majus, in multos dividitur ab iis, à quibus minimè debebat. Nam & mater Domini Maria, ut regina cœli, & diviniſſimorum donorum veluti diſpenſatrix quædam colitur; & alius

Digitized by Google

alius ex ſanctis vita functis ut hujus, alius ut illius regionis aut urbis cœleſtis quidam patronus, alius ut huic, alius ut alii præcipuè rei curandæ præfectus, religioſè adoratur, & precibus auxilium ejus, licèt longiſſimè abſentis, infinitis etiam locis ſimul imploratur. quo ipſo divinitas illi revera adſcribitur, etiamſi ut quidam apud Deum interceſſor compelletur. Poteſtatis quidem aut virium imperfectionem interceſſio arguit: at divinitatem non tollit. Neque verò deſunt inter hujus erroris patronos, qui ſanctis aliquid interceſſione majus adſcribant. Mariam ſanè virginem ut reginam cœli, ſicut diximus, colunt, ideoque in laude ac gloria Deo paſſim adjungunt. quin & celebri in loco editus eſt libellus de ſeptem Excellentiis Beatiſſimæ Virginis, (*Auctore Iohanne Argento, Vilnæ apud Ioſeph. Karczan. anno 1614.*) in quo modi deſcribuntur illam ſalutandi, ubi inter alia aſſerit Auctor, Chriſtum *ſervire atque aſſiduè miniſtrare Matri ſuæ.* & addit: *O ſi liceret, quàm libenter me illi ſocium adjungerem, quàm libenter ab eo modum & tibi* (Mariam virginem alloquitur) *& Deo perfectè ſerviendi addiſcerem. quàm libenter dulciſſimum Ieſum à labore ſublevarem. Domine Ieſu ſalvator amabiliſſime, permitte me aliquid Matri tuæ præſtare. Et ſi non vis hoc mihi concedere, ſaltem permitte, ut dum tu Matri ſervis, ego ſerviam tibi.* Miraris fortè, vel potiùs abominaris. Audi alia his gemina, aut majora. Eo enim non contentus, quòd eam *Reginam cœli, Dominam mundi*, antea appellaſſet, quodque aſſeruiſſet cum quopiam alio, (*Petro Damiano*) *Deum in reliquis creaturis, tribus modis eſſe, per eſſentiam, per præſentiam, per potentiam; in beatiſſima verò virgine quarto quodam modo, per identitatem*; altiùs adhuc aſcendens, ſeptimum Excellentiæ gradum conſtituere audet, quòd ſit *Domina Dei.* & ait, *Si in aliis gradibus B. Virgo hæc obtinuit, ſanè in ſeptimo, quaſi ſuæ conditionis oblita, in Filium dominium ſuſcipiens, ſupra ipſum Dei thronum ſolium ſuum collocavit.* Potuiſſetne quippiam magis horrendum dici? Et nititur quidem ille homo illis Lucæ verbis, quibus de pueri Jeſu erga Joſephum ſimul & Mariam obſervantia, & obſequio illis olim præſtito loquitur: *Et erat ſubditus illis.* (*Luc: 2. 52.*) ubi mirum eſt, eum Joſephum quoque non ſupra Deum, imò & ſupra Mariam, cujus ſolium ſupra ipſum Dei ſolium extulit, collocaſſe: ſiquidem & puer Jeſus, & unà cum illo etiam Maria, ut uxor marito, ſubjecta, divina lege fuit. Et etiamſi quis hæc ita excuſare velit, ut dicat, de Deo, h. e. Chriſto, ſermonem iſtic haberi ſecundùm humanam tantùm naturam conſiderato; ut taceam, ordinem ac gradus excellentiæ ab eo conſtitutos id vix pati: an non impium eſt, Mariæ ſolium ſupra Chriſti thronum collocare, ſecundùm humanam naturam, ut cum illis loquamur, conſiderati? Quid enim? An non ex ipſorum ſententia Chriſtus ſecundùm humanam naturam ad dextram Dei evectus ac collocatus eſt, longè ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro? (*Epheſ: 1. 20, 21.*) Quid ergo reſtat aliud, quàm

117

Digitized by Google

quàm ut Maria ipſum Dei locum occupet, Joſephus autem adhuc ſublimiùs collocetur? Sed de his aliiſque ſimilibus ſententiis aut vocibus, in Dei majeſtatem vehementer injuriis, plura nunc dicere nolumus. Monere tamen iſta debuimus, hoc præſertim tempore, quod, ſi ullum aliud, hujuſmodi monitis eget.

‡ *Citra ullum* Divinum] At id non fit ſolum *citra* ullum Divinum teſtimonium Sacræ Scripturæ, ſed apertè *contra* illam, Matt. IV, 10. Nec poteſt is honos naturæ creatæ & finitæ competere.

Nam Mater Domini] Verum id non magis repugnat, quam quod ſtatuunt Sociniani de Chriſto, ejus negatâ Divinitate; imò minùs: cum faciliùs ſit unum Sanctum hominem præfici uni Provinciæ, toto orbe inter multos iſtiuſmodi Sanctos diviſo, quam unum merum hominem, qualis eſt Chriſtus adverſariis, toti mundo: Et cum Romanæ Communionis homines Divinitatem *revera* adſcribant ſuis ſanctis, eos abſentes, *infinitis etiam locis ſimul*, invocando, debent Sociniani vel abſtinere invocatione & cultu Chriſti, corpore *longiſſimè abſentis* à nobis, vel veram illi adſcribere Divinitatem, juxta quam ubique præſens ſit, & præſto ſuis: quod & ab ipſo promiſſum legimus Matt. XVIII, 20. XXVIII, 20.

Poteſtatis quidem] Primò valde abſurdè ſtatuitur ibi eſſe Divinitatem veram, ubi tamen ſit poteſtatis & virium imperfectio; nam vera & ſumma divinitas omnem ejuſmodi imperfectionem debet excludere. Secundò ſi interceſſio Divinitatem non tollit, & omnipræſentiam quæ in illa ſupponitur; fruſtra ſunt adverſarij, cum ex Chriſti precibus ac interceſſione pro nobis apud Deum, veram ejus Divinitatem ſubruere conantur. Tertiò falſum eſt omnem interceſſionem arguere *poteſtatis & virium imperfectionem*, cùm Chriſto qui jugiter pro nobis intercedit, conveniat tamen *omnis poteſtas* in cœlo & in terra Matt. XXVIII, 18. Nec enim intercedit per humilem deprecationem, & ut vulgò loquuntur per modum *ſuffragij*; ſed potius per modum *juriſdictionis*, atque per efficaciſſimam perfectiſſimi ſui meriti repræſentationem, cujus vi & efficaciâ nobis non ſolum obtinet, ſed confert ipſe, quicquid neceſſarium eſt ad ſalutem.

Neque verò de ſunt] Multo plura iſtius generis poſſent referri: Verùm ut Pontificij nunquam ſatis ſolidè contra Socinianos Divinitatem Chriſti adſtruent ab ipſius cultu religioſo, quamdiu ejus tam prodigi erunt in meras Creaturas, & ſuos Sanctos in Divos & *Deos* transformabunt, quibus etiam vota nuncupare liceat, quod *Dij ſint per participationem*, ut loquitur Bellarminus *lib.* 3. *de Sanct. cap.* 9. Ita nunquam Sociniani ſolidè convincent Pontificios Idololatriæ & illiciti cultus, in religioſo cultu, adoratione & invocatione B. Mariæ & Sanctorum demortuorum, quamdiu ſtatuent poſſibilem eſſe communicationem illius cultus & poteſtatis verè Divinæ, alicui meræ Creaturæ, cujuſmodi ipſis Chriſtus eſt: Et ſanè niſi natura totâ diſtaret Chriſtus per ſuam Divinitatem à B. Virgine matre ſua, nihil ferè tam durum hic carpitur à Crellio in Pontificijs, quod illi æquè ac ſuo Filio competere non poſſet; cum tam facilè potuiſſet Deus matrem ſupra filium collocare, quam præpoſtero ordine naturæ, multis paraſangis Filium matri præferre: Nec video cur nunc Filius etiam in ſua gloria non deferret ſuæ matri cultum parem ei quem Bathſebæ exhibebat Salomon 1. Reg. II, 19. ſi eam infinitâ dignitate ſuæ perſonæ non ſuperat, & eo diſcrimine quod eſt inter Creatorem & Creaturam. Et cum repugnet Deum eſſe in B. Virgine per *identitatem*, quia eſt mera Creatura, eadem ratione repugnabit Patrem ſic eſſe in Chriſto ut *unum* ſint, neque hic rapinam ducat æqualem eſſe Patri.

Et nititur

Digitized by Google

Et nititur quidem] Abſurdè fateor: cum etiam in forma ſervi non tantum Ioſepho & Mariæ ſubditus fuerit, ſed etiam Cæſari & Pilato, cujus poteſtatem in ſe à Deo profectam agnoſcebat Ioh: xix, 11. Interea tamen non ſolvit nodum Adverſarius ſua rhetoricatione; nec ſolvet quamdiu naturas in Chriſto nollet diſtinguere. Subjectio enim iſta utut toti perſonæ tribuatur, eſt tamen intelligenda reſtrictivè & ad ſtatum humiliationis, & ad naturam humanam, in cujus aſſumptione, huic ſe ſubjectioni voluerat ſubmittere.

An non impium eſt] Id tamen nequit eſſe impium in ſchola Socimana: cum ſi Chriſtus mera ſit creatura, æquè facile ſit Deo ipſi præferre B. Virginem, ac ipſum B. Virgini præponere.

Chriſtus ſecundum humanam] At quando Chriſtus dicitur ſedere ad dextram Dei *ſecundum humanam naturam*, id non eſt ſumendum præciſè de ipſa natura humana, & illius demum ſolius reſpectu; quo ſenſu viſibilis & mortalis erat ſecundum humanam naturam, ſivè excluſivè ad aliam, nempe divinam: ſed id eſt intelligendum de tota Chriſti perſona, etiam quatenus in illa includitur natura humana, ceu natura & pars quædam ipſius Chriſti ſedentis ad dextram Patris & ſummum cum Patre imperium obtinentis.

Patet ergo jam ſingularis, ac longè maximus hujus doctrinæ in re pietatis uſus, qui latiùs etiam extendi debet. Etenim unitate Dei, tanquam fundamento quodam, omnia illa nituntur præcepta, aliaque ſpiritus ſancti dicta, quibus vel univerſus cultus divinus, vel pars ejus aliqua, ſoli Deo vindicatur atque aſſeritur, cæteris omnibus, qui ei hac in parte ſubordinati non ſunt, excluſis. Talia ſunt, in quibus Deum ſolum timendum, aut adorandum, ei ſoli ſerviendum, ſoli confidendum, per ejus ſolius nomen jurandum eſſe, vel expreſſè aſſeritur, vel non obſcurè ſignificatur. Eodem fundamento nititur maximum illud ac præcipuum Legis univerſæ mandatum, (*Deut: 6. 5.*) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*, ſeu *ex totis viribus tuis*. Unde Moſes hoc præceptum traditurus, hæc præmiſit verba: *Audi Iſraël, Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt.* nec malè doctiſſimi quidam interpretes, cùm Moſes ſubjungit, *Et* (ſic eſt in Hebræo) *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* &c, particulam *Et* pro *Ergo* acceperunt, ut alibi non ſemel in ſac. literis evenit: (*Gen: 44. 11. confer Hebr: cum Lat: Mat: 9. 5: 10. 26: 12. 30, 37. Phil: 1. 22. 2 Tim: 2 19. Hebr: 3. ult: & alibi.*) quaſi dixiſſet Moſes, *Diliges ergo Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Nam ſi unus tantùm Deus eſt, in eum unum totus cordis affectus eſt convertendus, ei tota animi ac voluntatis propenſione ſtudendum, totis viribus mandatis ejus obtemperandum eſt. Quòd ſi plures eſſent Dij ſummi, id fieri non deberet. Plures enim forent amandi, & quidē ita, ut in ſingulis amor ille terminaretur. Qui autem plures eo modo diligit, is unum eorum nominatim toto cordis affectu amare non poteſt. Quod in plures ſibi non ſubordinatos dividitur ac ſpargitur, ad ſingulos totum non pervenit: ſed quicquid uni tribuitur, alteri decedit. Itaque ſummus amor pluribus ſibi invicem minime ſubordinatis, ſimul tribui non poteſt, niſi eo cæteri penitùs priventur. Id quod & de ipſo amoris affectu ſtatuendum 118.

eſt, &

Digitized by Google

eſt, & de ejuſdem effectu, qui in eo conſiſtit, ut ea facias, quæ grata ſunt illi, quem diligis, &, ſi quid tibi jure imperat, id alacriter exſequaris. qua quidem in re Johannes (*1 Ioh. 5. 2, 3.*) noſtrum erga Deum amorem, Chriſtus apud eundem ſcriptorem (*Ioh: 14. 21. conf: v. 15, & 23, 24.*) noſtræ erga ſe charitatis vim collocat. *Nemo poteſt*, ut idem Chriſtus ait, (*Mat: 6. 24.*) *duobus dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit* (vel potiùs *uni adhærebit*) *& alterum contemnet, negliget.* Id ergo neceſſe erit contingere iis, qui plures Deos ſummos fingunt. Sed ſimilia contingunt iis, qui Deo pro ſuo arbitrio adjungunt in imperio ſive unum, ſive plures, quos ipſe ſibi non adjunxit. Quicquid enim illis amoris, quicquid cultûs, quicquid obſequii præſtant, id Dei veri amori, cultui, obſequio demunt. Et etiam ſi Deo ipſi per eos putent honorem ſe præſtare, non præſtant tamen, ſed rivales potiùs atque æmulos Deo conſtituunt, quibus quicquid præſtatur, id ſibi detractum meritò judicat Deus.

‡ *Cæteris omnibus*] At in eo cultu quenquam non naturâ Deum ſociari, vel ſubordinari, falſum eſt. Imò contradictionem implicat aliquem eſſentialiter ſubordinatum Deo, eſſe participem cultus illius qui *ſoli* Deo debetur: cum is cultus ſit proteſtatio independentiæ Divinæ & agnitio ſupremi Dominij in Numine.

In quibus Deum ſolum] At ſi ea loca in quibus putant adverſarij *ſolum* Patrem verum Deum dici, removent omnem alium, ipſumque Chriſtum à conſortio & communione ejuſdem cum illo eſſentiæ & naturæ divinæ, multo magis ea loca in quibus Deus *ſolus* timendus aut adorandus dicitur, removebunt omnem omninò Creaturam, adeoque & ipſum Chriſtum, qui iſtis hominibus mera eſt Creatura, ab ejus honoris & cultus divini participio & conſortio. Quod enim *ſoli Deo*, per æternam & immutabilem Dei Legem debetur, nulli unquam Creaturæ, citra Sacrilegium evidens, deferri & communicari poteſt.

Vnde Moſes hoc] Atqui illa ipſa Moſis præfatio haud obſcura Sanctæ & individuæ Trinitatis continet indicia, eo quod in illa ter Dei nomen repetatur; quò ita ſignificetur quod is qui *ſolus* timendus, colendus & diligendus venit, ſit Deus eſſentia unus, perſonis trinus.

Nam ſi unus] Iam autem cum in iſtius ſummi amoris communionem debeat venire Chriſtus, quem ſi quis non diligit, etiam ſummo illo amore, quo vel ipſo teſte major non datur Ioh: xv. 13. animam ſuam ponendo pro ipſo, debet eſſe *Anathema Maranatha* 1. Cor: xvi. 22. vel eo ipſo agnoſcendus eſt unus ille ſummus Deus cum Patre & Spiritu Sancto.

Quod ſi plures] Id veriſſimum de pluribus Dijs, ſed falſum de pluribus perſonis in eadem unica Divinitate; de quibus illud Nazianzeni uſurpandum occurrat; οὐ φθάνω τὸ ἓν νοῆσαι, καὶ τοῖς τρισὶ περιλάμπομαι: οὐ φθάνω τὰ τρία διελεῖν, καὶ εἰς τὸ ἓν ἀναφέρομαι: *non poſſum unum cogitare quin trium fulgore circumfundar; nec tria poſſum diſtinguere, quin ſubitò referar ad unum.* Qui plures eo modo diligit, unicum tamen diligit Deum non plures.

Quod in plures ſibi] At ſummus amor ita fertur in unum, ut in objecto amato ſubordinationem non ferat: Verbi gratiâ amor conjugalis ita uni legitimæ uxori debetur, ut ei nulla pellex ſubordinari poſſit. Nec ſummus Deus ſibi quenquam vel coordinari vel ſubordinari patietur, in cultu, obſequio & amore quem ſibi uni & ſoli tam conſtanter deberi teſtatus eſt: vel totum vult habere vel nihil; & nemo

poteſt

Digitized by Google

poteſt duobus Dominis ſervire, inquit ipſe Chriſtus Matth: VI, 24.

Quicquid enim illis] At ſanè hujus criminis rei ſunt adverſarij, in amore, cultu & obſequio Chriſti, quem eſſentiâ & naturâ Deum & unum cum patre eſſe negant; ut adeo longè potiori jure quam Neſtoriani olim *Cod. de ſumma trinit. l. 5. §. 2.* anthropolatræ dici debeant.

Quomodo verò ea, quæ de unitate Dei, deque cultu ei ſoli præſtando hucuſque diſſeruimus, cum vera Jeſu Chriſti Deitate atque honore divino non pugnent; partim ex dictis cordatus lector facile intelliget, partim alibi in hoc opere (*vid: lib: 4. cap: 8. 11. & lib: 5 c. 29.*) videbit explicatum.

‡ *Quomodo vero ea*] Quam parum fœliciter illi homines huc trahant Chriſti Divinitatem datiuam & ſubordinatam, vel inde liquet, quod non minus poſt Chriſtum natum quam antea hæc lex maneat immutabilis, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies* Matt. IV, 10. Et tam repugnat naturæ Divinæ ſibi in cultu religioſo & Divino ſubordinare merum hominem, cujuſmodi Chriſtus fingitur ab iſtis, quam nobis præſcribere adorandum & invocandum vel ſolem, vel canem, vel angelum, vel lapidem. Sed benè conveniet unitati Dei & cultui ei ſoli præſtando, *cum vera Ieſu Chriſti Deitate atque honore Divino*, ſi Ieſum Chriſtum verum cum Patre Deum, ejuſdem naturæ, eſſentiæ & majeſtatis conſiteamur.

Præterea hic quoque doctrinæ de unitate Dei uſus eſt, ut, cùm videamus, unum eſſe omnium hominum Deum, non alium hujus, alium illius populi, alium v.g. Judæorum, alium Gentium; inde colligamus, eum & ab omnibus 119.
coli velle, & omnibus viciſſim velle benefacere, eorumque pietatem remunerari; imò & cultum, & beneficia ſeſe maximè digna, omnibus terrarum populis velle eſſe communia. Docuit nos hæc Paulus, qui ad Romanos ſcribens, (*Rom: 3. 28, & d.*) poſtquam dixiſſet, *juſtificari hominem per fidem ſine operibus Legis*, addit: *An Iudæorum Deus tantùm? nónne & Gentium? Imò & Gentium. quoniam quidem unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem* (h. e. circumciſos ſeu Judæos) *ex fide, & præputium* (h. e. præputiatos, ſeu Gentes) *per fidem*. Beneficium hoc Dei longè maximum, quod per Chriſtum orbi eſt patefactum, conſiſtitque in juſtificatione per fidem, Judæis ac Gentibus commune eſſe docet, quia unus utrorumque ſit Deus. Sic & ad Timotheum ſcribens, cùm dixiſſet, Deum *omnes homines velle ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire*, id confirmaturus addit: *Vnus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum*, & quæ ſequuntur. 1 *Tim: 2. 4, 5.*

‡ *Beneficium hoc*] Quam præpoſteré hoc ſummum beneficium interpretentur adverſarij, & quo ſenſu illud Deus fecerit commune omnibus populis Euangelij præconio, cum antea ſolorum Iudæorum ſalus eſſet Ioh: IV, 22. ſuo loco videbitur.

Denique cùm omnes unum communemque habeant Deum, par eſt, ut ſe invicem omnes diligant, & inter ſe concordes vivant, atque ii inprimis, qui in agnitione unius illius Dei conſentiunt, & in cultu ipſius conſpirant, ac vim be-

neſici

Digitized by Google

nefici ipſius imperii maximè experiuntur, h. e. ii, qui ad Dei ac Chriſti populum reipſa pertinent. Quam ob cauſſam Apoſtolus, Epheſios ad pacis ac concordiæ ſtudium cohortans, (*Epheſ. 4. 6.*) inter alias cauſſas, quæ illos eam ad rem incitare debeant, hanc quoque ponit, quod *Vnus ſit Deus & Pater omnium.* Omnino enim convenit, ut qui eundem ſupremum agnoſcunt dominum ac principem, ac multò magis, qui eundem habent patrem, pacem inter ſe colant. Quo quidem loco, uti & duobus proximè ante citatis, Deus dicitur unus, non tantum quia per ſe unus ſit, ſed etiam relatè ad diverſos homines, vel gentis ratione, vel ſpiritualibus donis, vel denique ſententiis quibusdam de rebus ad religionem ſpectantibus, de quibus ſalva fide ac pietate diſſentire Chriſtiani poſſint, inter ſe diſtinctos. Ita nimirum unus eſſe dicitur Deus, ut ſimul utrisque ſit communis; non verò alius horum Deus, alius illorum. Unde ſuprà diximus, Deum non tantùm abſolutè unum dici ſolere, ſed & relatè, h. e. reſpectu horum illorúmve hominum.

‡ *De quibus ſalvâ fide*] Sed iſtiuſmodi non ſunt ea quæ inter nos & Socinianos controvertuntur; cum hi revera abnegent fundamentum, & nemo Patrem habeat qui Filium non vult agnoſcere. Quare non eſt quod glorientur præter jus & fas, ſe unum nobiſcum Deum colere & habere.

Quæ de unitate perſonæ divinæ diximus, eorum uſum ibi, ſi Dominus opem tulerit, oſtendemus, ubi ſententiam illam noſtram pleniùs confirmabimus. Quamquam facilè videre poſſunt cordati, quantum ad verum Dei cultum interſit, ut is ſolus pro ſummo Deo colatur, qui ſolus etiam Deus ſummus revera ſit.
120. Videre & illud poſſunt, eandem rem in tota religionis ac ſalutis noſtræ ratione explicanda magnum habere momentum. Quis enim cauſſas ſive religionis, ſive ſalutis noſtræ rectè poſſit explicare, veritate ejus rei ignorata? ex errore autem circa rerum cauſſas, multi ferè ſequuntur alii. Certè non pauca, eaque valde abſurda, quin & perniciosa quædam dogmata, ſuper illa ſententia de tribus in una Dei eſſentia diſtinctis perſonis vulgò ſuperſtrui, haud difficulter poteſt oſtendi; & aliqua ex parte in his de Vera religione libris oſtendetur. Ut taceamus, eâ ſententiâ valde abſterreri à Chriſtiana religione eos, qui cùm unum tantùm eſſe Deum agnoverint, nihilominus tamen à ſacroſancta Chriſti religione ſunt alieni. Religionis enim putant eſſe errorem, qui hominum eſt eam profitentium.

‡ *Quæ de unitate*] Atqui hæc unitas *perſonæ divinæ*, commentum eſt hæreticorum, ex quo omnis Chriſtianorum & ſalus & religio & fides in Chriſtum corruit ac evertitur.

Vt is ſolus] At ſolus ille ſummus Deus Pater eſt, & Filius, & Spiritus Sanctus. Et cum omnis cultus religioſus ſolum Deum ſummum habeat pro objecto, aut Chriſtus religioſé colendus amplius non erit, aut ſummus Deus cum Patre & Spiritu Sancto erit agnoſcendus.

Certe

Digitized by Google

Certe non pauca]Imò negatâ æternâ Chriſti Divinitate, ſubruitur noſtra ſalus ceu nixa brachio carnis, & omnis cultus Chriſtianus illicitus ſtatuitur. *Pereant enim Dij illi qui non fecerunt cœlum & terram* Ierem. x, 11.

Vt taceamus] Erudiri debent iſti homines de myſterio S. S. Trinitatis, vel ex ſuis ipſorum Principijs ſive ſint illi Iudæi, ſive Mahumetani & Turcæ, quod fœliciter à multis factum eſt: non vero in ipſorum gratiam pietatis Chriſtianæ fundamentum eſt abnegandum: ac tam facilè ad eorum converſionem promovendam admittes Circumciſionem, quam abnegabis Trinitatem: Imo ſi res propiùs attendatur, eorum ſcandalum intenditur doctrinâ Socinianâ. Quomodo enim ijs qui cæteroquin Deum unum agnoverunt, eumque ſolum colendum & adorandum benè profitentur, perſuadere poteris legitimum eſſe eum cultum religioſum & Divinū quem defers illi ipſi quem cæteroquin negas eſſe natura Deum, & meram Creaturam profiteris? Annon de illo tuo Deo ſecundario & ſubordinato, qui non fecerit cœlum & terram, merito adhuc uſurpabunt Iudæi, illud ipſum quod olim inter medios Gentiles de falſis eorum Numinibus, ex Ieremiæ præſcripto verbis modò citatis debebant uſurpare? Exteri non ſunt abſterrendi à religione Chriſtiana, ſed nec illis cauſa Dei prodi debet.

CAP. XVIII.

De Æternitate Dei.

‡ *Reſpondente* PHILIPPO IENOTEAU, Sedanenſi.

SEquitur nunc, ut de æternitate Dei dicamus. Eſt autem æternitas ſempiterna rei duratio. Sempiterna verò ea demum revera eſt, quæ eſt infinita. Poteſt autem duratio infinita eſſe vel à parte antè, ut loquuntur, vel à parte pòſt, vel ab utraque, h. e. vel initio carere, vel fine, vel utroque. Et illa demum, quæ & initio caret & fine, perfectiſſima eſt æternitas, quam Deo competere aſſerimus, quamque ſupra (*cap: 15.*) differentiæ loco in deſcriptione ipſius poſuimus. Eſt enim Deus æternus, quia & ſemper fuit, & ſemper erit, & ſic non minùs initio caruit, quàm fine cariturus eſt. Duratio quæ fine caret, quam æternitatem à parte poſt vocant, & angelis & pijs omnibus cum Deo, ex ipſius benignitate communis erit: ſed æternitas à parte antè, ſeu duratio initio carens, illis eſt nequaquam cum Deo communis. Creaturæ enim non eſſent, ſi initio carerent.

‡ *Eſt autem*] Melius definitur Boethio, *Interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio* Alias *ſempiternitas* & *æternitas* duo ſunt vocabula idem ſignificantia: Nec idem per idem definiri debet

Poteſt autem] At Æternitas ſive Duratio infinita à parte poſt tantum, differt à vera & ſimpliciter ſic dicta æternitate triſariam: I. quod incœperit in tempore; II. quod conſiſtat in partium ſucceſſione & fluxu; III. quod ſit dependens & ſubordinata; adeoque nonniſi ſecundum quid infinita. Præterea ineptè fingitur dari æternitatem quæ tantum ſit à parte ante; cum nihil eo ſenſu ſit æternum quod non ſit etiam æternum à parte poſt; non quod

Digitized by Google

ſemper uſque & uſque fiat, ſed quod ſemper fuiſſe intelligatur. Imò paullò poſt ex eo quod Deus *initio* caruerit, ideſt ſit æternus à parte ante, colligit author debere *eum etiam fine carere.*

Duratio] Abſit ut duratione aliquam communem faciamus Deo & creaturis: Nam modus rei rem ipſam quadantenus imitatur. Vivent quidem Angeli & pij cum Deo in æternum; eorum tamen ſempiternitas, ut pote fluens & ſucceſſiva, & pro eorum natura, finita & dependens, erit alterius ordinis à ſempiternitate Dei. Id quoque hìc carpendum quod æternitatem à parte poſt, Sociniani nonniſi pijs & Angelis tribuant, cum tamen æternùm ſint duraturi impij in inferno, ubi nec *vermis* moritur nec *ignis* extinguitur Mar. IX. 48.

Eſſe autem Deum ita, ut diximus, æternum, patet. Nam quòd initio careat, inde manifeſtum eſt, quòd prima ſupremaque eſt cauſſa rerum efficiens, ut ſuprà cap. 3. & 4. vidimus. At ſi aliquando non extitiſſet, (non extitiſſet autem aliquando, ſi initium habuiſſet) ipſum iterum ab alia cauſſa efficiente productum fuiſſe neceſſe eſſet. Quare ipſemet prima rerum cauſſa non foret. Et ſanè eâ ſententiâ poſitâ, in cauſſis per ſe efficientibus omninò in infinitum eſſet abeundum. Neceſſe ergo eſt, ut initio Deus caruerit. Unde patet, eum etiam fine carere. Quæ ſubſtantiæ aliquando non fuerunt, iterum non eſſe poſſunt:
121. at quæ nunquam non fuerunt, nunquam poſſunt non eſſe. Eas enim abſoluta neceſſitate oportuit extitiſſe. Nam aliàs aliquando non extitiſſent. Quicquid ſit; primam rerum efficientem cauſſam abſoluta neceſſitate, & aliunde non pendente, exiſtere oportuit. Quod autem tali neceſſitate exiſtit, id nunquam poteſt non exiſtere. Quare Deus nunquam poteſt deſinere.

‡ *Et ſane eâ*] Atqui ex ſententia adverſarij de æternitatis natura, hoc ipſum abſurdum ſequitur, abeundum in infinitum circa partes temporis quæ ſibi mutuo ſucceſſerint ab æterno.

Quæ ſubſtantiæ] Niſi ejus conditionis & naturę ſint conditæ à Deo, ut nunquam deficere ac interire poſſint, cujuſmodi ſunt Angeli & animæ rationales.

Adde, quòd nec per ſeipſam ad interitum inclinet Dei natura, cum ex pugnantibus non ſit conſtata, cauſſam alioquin efficientem habitura: nec vis ipſi poſſit inferri; cum nec validior eo quiſquam cogitari, nec imbecillior ei nocere poſſit, præſertim cùm nec fraude, ob ſummam ſapientiam, circumveniri queat; nec ipſe ſalutem ſuam deſerere aut prodere, ſiquidem & optimum eſſe neceſſe eſt, & beatiſſimum, qui ſe vitamque ſuam non poſſit non maximè amare.

‡ *Nec ipſe ſalutem*] Hoc ut facit liberè, cum amor & ſui conſervandi ſtudium ſit actus voluntarius, facit tamen neceſſariò, nec poteſt non facere: quo ſic conſtet non eam eſſe pugnam liberi & neceſſarij quam perpetuo crepant adverſarij.

Sed præter rationes allatas, æternitatem Dei & ſacræ literæ aſſerunt. Nam & ipſum Deum, (*Gen: 21. 33. Eſa: 40. 28. Rom: 16. 26.*) & potentiam ejus (*Rom: 1. 20.*) æternam vocant; idque non magis reſpectu futuri temporis, quàm reſpectu

Digitized by Google

ſpectu præteriti. Nam cùm Abrahamus dicitur invocaſſe nomen *Dei æterni*; tacitè videtur *Deus æternus* opponi Diis recèns excogitatis atque inventis, ac porrò etiam aliquando perituris. Apud Eſajam ſanè, cùm Deus ſempiternus dicitur, ad præteritum tempus ſatis apertè reſpicitur. Ita enim ait: (*d. l. Eſa: 40.*) *Numquid neſcis, aut non audiiſti? Deus ſempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ.* Et Paulus, cùm Deum æternum appellat, ad id reſpicit, quod dixerat, myſterium Euangelicum, quod ipſius juſſu nunc ſit patefactum, *æternis temporibus* fuiſſe tacitum, ſeu à Deo ipſo celatum, & in hæc ultima tempora veluti reſervatum. Cùm verò & Dei potentiam æternam vocat, de ea loquitur potentia, à qua profecta ſunt Dei opera, ex quibus inviſibilia ipſius à creatione mundi intelligantur.

‡ *Nam cum Abrahamus*] Nempe eodem modo Deus quem invocavit Abraham אל עולם *El gnolam* dicitur Gen. xxi, 33. quo Chriſtus appellatur Eſ. ix, 15. אל גבור אבי עד *El gibbor, Abbi gnad. Deus fortis & potens & Pater æternitatis.* Sic enim iterum Deus dicitur Eſ. lvii, 15. ſublimis שוכן עד, *Schoken gnad, habitans æternitatem.*

Tacite videtur] Neque hoc ſolum, ſed ut Deus per ſibi maximè proprium attributum exprimatur: Quia nempe nullus verè & propriè Deus, niſi qui æternus. Quod ſi ſolus invocandus cum Abrahamo qui talis eſt oppoſitè ad Deos recens excogitatos atque inventos, videant hæretici qui poſſint invocare Chriſtum, quem habent pro Deo recens excogitato atque facto.

Et Paulus] Eò Paulum reſpexiſſe falſum eſt. Nam θεὸς αἰωνίος dicitur reſpectu abſolutæ æternitatis, prout eidem tribuitur Rom: 1, 20. ἀΐδιος δύναμις καὶ θειότης, at χρόνοι αἰώνιοι per quos tacitum fuerat Euangelium, ſunt tempora ſæcularia quæ fluxerant ab orbe condito: quæ eidem Paulo Act. xiv, 16. dicuntur παρῳχημέναι γενέαι, *præterita ætates*, per quas *ſivit* omnes gentes ſuis ipſarum vijs ambulare: nam *tempora æterna* referre cum Anſelmo & Cornelio à Lapide ad æternum Dei conſilium & decretum, duriuſculum eſt, & ab uſu Scripturæ alienum. Nec enim loquitur Paulus de Myſterio deſtinato à temporibus æternis, ſed tacito ab illis temporibus, nunc verò vocatione gentium penitùs revelato.

Non ignoramus autem, vocem *æterni* aut *ſempiterni* in ſac. literis frequenter ita accipi, ut infinitam durationem, qualem Deo nos tribuimus, revera non ſignificet. Sed id vel ex locorum circumſtantiis colligitur; vel ex ipſius rei, cui æternitas tribuitur, natura ac conditione, aliunde ſatis notâ, intelligitur; ex qua etiam æſtimari debet, an longius, aut minùs longum tempus, æternitatis nomine intelligi debeat. Nomen enim iſtud, quod in Hebræo plærumque eſt *Olam*, accommodatè ſumi ſolet ad rei illius, cui tribuitur, naturam ac conditionem. Itaque aliter v. g. dicuntur colles æterni (*Gen: 49. 26:*) aliter poſſeſſio æterna, (*Gen: 17. 8. 48. 4. Levit: 25. 34, 46.*) aliter ſacrificium æternum (*Lev:* 122
6. 20. Num: 28, & 29. capp: ſæpè.) aliter vita æterna nobis promiſſa. (*Ioh: 3. & alibi ſæpè.*) Colles enim æterni dicuntur, quia quamdiu hic mundus extitit, &

 porrò

porrò extiturus eſt, fuerint futurique ſint. Poſſeſſio æterna reſpectu futuri tantùm temporis dicitur, idque juris ſolius habita ratione; quod tamen & ipſum ceſſat, ceſſantibus perſonis, ad quas ſpectat; & alienari ac perdi à poſſeſſore poteſt. Sacrificium æternum dicitur, quia in perpetuum, quamquam ſtatis temporibus, offerri debeat, quamdiu nimirum ipſe legiſlator legem ea de re fixam non mutârit. Vita autem æterna nobis promiſſa in futurum tota ſpectans, fine prorſus eſt caritura. ſiquidem nobis incorruptibilitas & immortalitas apertè promiſſa eſt. (*vid: Luc: 20.36. 1 Cor: 15. 42, 50, 53, 54.*) Cum ergo pro diverſa rei conditione, aut locorum circumſtantiis, vox æterni aliter atque aliter accipiatur, & tum demum reſtringenda ſit, cùm illæ id poſtulant; ſi quis nomen *æterni* ad Deum ejúſve potentiam relatum reſtringere vellet, neceſſe eſſet, eum vel ex locorum circumſtantiis id colligere, vel ex rei ipſius natura. At ex neutris id colligi poteſt; imò natura Dei contrarium, ut vidimus, poſtulat. Accedunt alia ſacræ ſcripturæ teſtimonia, in quibus æternitas Dei veluti per partes exprimitur. Partes autem illius vel duæ conſtituuntur: altera, quæ antegreſſa eſt; altera, quæ conſequitur, & ſine fine duratura eſt: vel tres, pro triplici temporum differentia. Et interdum quidem tota Dei æternitas ita deſcribitur, ut vel duæ, vel tres illius partes eodem loco exprimantur; nonnunquam verò partes ipſius ſeparatim, ſeu locis diverſis, commemorentur. Duæ illius partes ſimul exprimuntur in illo Pſalmi loco: (*Pſal: 90. 2.*) *Prius quam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à ſeculo & uſque in ſeculum tu es Deus.* Tres autem in Apocalypſi, (*Apoc: 1. 4, 8: 5. 8: 11. 17: 16 5.*) ubi ita Deus deſcribitur, ut dicatur, *Is qui eſt, qui erat, & qui venturus* (h. e. *futurus*) *eſt.* Vocem enim *venturus* poni pro *futurus*, reliquæ duæ, quibus opponitur, temporis differentiæ, nempe *eſt* & *erat*, ſatis docent. Eodem pacto tempora aut ſecula ventura pro futuris apud profanos auctores, aut *ventura* ſimpliciter pro rebus futuris, (*Eſai: 41. 22, 23: 44. 7: 45. 11. Ioh: 16. 13.*) & feſtum *venturum* pro futuro (*Act: 18. 21.*) in ſacris literis poni cernimus. Neque verò iſta triu n temporum enumeratione ſimpliciter indicare Spiritus ſanctus voluit, Deum & tunc, cùm iſta ſcriberentur, & antea extitiſſe, & poſtea extiturum. Si enim ab iis diſcedas, quæ propè momento exiſtunt ac pereunt; quid eſt, cui tres illæ temporis differentiæ aſſignari non poſſint? Quare cum eximium aliquid iſtic notet divinus ſpiritus, ac Deo ſupremo proprium, utpote quem primo loco etiam non nominatum ita deſcribit; apparet, eum voluiſſe omne, quod unquam
123. vel fuit, vel porrò futurum eſt, tempus complecti: quaſi dixiſſet, Qui & nunc eſt, & antea fuit ſemper, & in poſterum ſemper extiturus eſt. Aliter ſi accipias, facilè id angelis accommodabitur, & præteriti *fuit* ſignificatio, ſignificationi futuri *erit* non rectè reſpondebit.

‡ *Accedunt alia*] Benè *veluti per partes*; cum revera nullis partibus conſtet Dei æternitas, ſed ſit indiviſibilis & interminabilis. Nec hæ quaſi partes tribuuntur abſolutè æternitati divinæ, ſed tantum comparatè ad rerum creatarum durationem.

Neque vero eſt] Optimè: Ergo pari ratione intelligenda quæ dicuntur de Chriſto, trium horum temporum enumeratione, quod *idem* ſit *& heri & hodie & in ſæcula* Heb. XIII, 8.

Referri autem vulgò ad ea loca, in quibus æternitas Dei veluti per partes quaſdam deſcribatur, & illa ſolent, ubi Deus ſeipſum appellat *primum & ultimum*, (*Eſa: 41, 4. conf. c. 43. 10, d. 44. 6. & d. conf. & v. 2, & d. 48. 12. conf: anteced: a v. 3.*) aut *Alpha & Omega*, h. e. ut ipſemet ſeipſum declarans addit, *principium & finem*: (*Apoc: 1. 8: 21. 6.*) nempe quia Græcarum literarum Alpha principium eſt, Omega finis. Sed ea loca, licèt quandam etiam perpetuitatem notent, non tamen abſolutam illam Dei æternitatem, ſeu durationem ejus per ſe conſideratam exprimunt. Nam quod ad priorem loquendi modum attinet; non ideo primus dicitur & ultimus, quia, ut ante omnes extiterit, ita etiam poſt omnes ſit extiturus. quandoquidem Deus tum angelos bonos, tum homines pios, in omnem ævorum perennitatem ſecum vult vivere; adeoque reſpectu ipſorum ultimus dici nequeat: Quod verò ad poſteriorem loquendi rationem attinet; ſi principium & finem ad ipſam Dei exiſtentiam ac durationem referri velis, evertetur potiùs Dei æternitas, quam tum initio, tum fine carere neceſſe eſt. Quòd ſi ita velis hæc verba interpretari, ac ſi dictum eſſet, Deum & ante omnes extitiſſe, & poſt omnes extiturum eſſe; obſtabit ratio paulò antè allata. Ut taceam, ne ſic quidem æternitatem Dei abſolutam ſatis expreſſum iri. Animadverterunt igitur eruditi quidam ſac. literarum interpretes, apud Eſaiam ideo Deum vocari primum atque ultimum, quia certa quædam opera, de quibus ibi ſermo eſt, & primus inchoârit, & ultimò ſit perfecturus, ita ut nemini, qui rem antea inceperit, ſucceſſerit; nemo etiam illi, qui eandem perficiat, ſit ſucceſſurus. Eadem & poſterioris loquendi rationis vis eſt.

‡ *Referri autem*] Et meritò. Quamvis enim Eſ. XLI, 4. videatur nonnullis agi de operibus Dei quæ primus inchoarit & ſolus abſoluerit; *Quis operatus eſt & fecit illud? quis vocat generationes inde à principio? Ego Iehova primum; etiam ultima ego idem operor*, ut habet Iunius; tamen æquè commodè vertas cum Pagnino, *Ego Dominus primus, & cum noviſſimis ego ipſe*: Ita etiam Vatablus; imò Græci interpretes, ſic reddiderunt, *Ego Deus primus & in ea quæ ventura ſunt, ego ſum*: Quin Chaldæus Paraphraſtes eum locum ad abſolutam Dei æternitatem retulit. Eò etiam directè pertinet locus Eſ. XLIII, 10. *Ut intelligatis ante me non eſſe formatum à Deo forti, & poſt me non futurum quicquam*: vel ut habet Pagninus, *Ante me non eſt formatus Deus & poſt me non erit.* Sic Eſ. XLIV, 6. *Ego ſum primus & ego ultimus, & præter me nullus eſt Deus.* quod repetitur Eſ. XLVIII, 12. Sic Plato 4. *de legibus* ait vetus eſſe de Deo proverbium, quod ipſe omnium rerum principium, medium & finem complectatur. Iam autem cum eadem planè dicantur de Chriſto Apoc: I, 11. XXI, 6. XXII, 13. quod ſit *α* & *ω*, *primus & ultimus*

ultimus, principium & finis, hinc vera & abſoluta ipſius æternitas à parte ante & à parte poſt meritò colligitur.

Non ideo primus] Primus & ultimus dicitur bifariam. I. Quatenus præextitit omnibus alijs rebus, & manebit in æternum etiam poſt ruinas hujus ævi, prout Iob xix, 25. de Redemptore ſuo certus eſt quod vivat & *poſtremus* ſit manſurus ſuper terra. II. Quatenus eſt & cauſa prima omnium rerum & ultimus finis: nam eodem punčto circulus debet claudi quo duci cœpit. Ac licet pij cum eo ſint victuri in æternum, tamen erit Deus ultimus eorum finis; & ejus duratio abſolutè & ſimpliciter infinita, ſemper ſuâ perfectione eminenter ſuperabit illorum durationem, quæ non erit infinita niſi analogicé & ſecundum quid.

Quod vero ad] Imo eo ipſo conſtabilitur; quomodo ſupra inde æternitas Dei comprobabatur, quod ſit *prima ſupremaque cauſſa rerum efficiens*. Eſt enim principium & finis, quod ab ipſo omnia incipiant & deſinant in ipſum; juxta illud Virgilij, *A te principium, tibi deſinet*, quod ſoli primæ & ſupremæ cauſæ convenit: nec enim finis hic terminationis debet intelligi, ſed ordinationis & intentionis.

An madverterunt igitur] Iam ante de hac animadverſione dixi, quâ etiam poſitâ remanet tamen inde in arce abſoluta Dei æternitas; Si enim Deus omnia ſua opera primus inchoavit, & nullum eſt habiturus ſucceſſorem qui illis regendis & dirigendis poſt ſe præficiatur, oportet eum abſolutè æternum conſtitui.

Jam ut ad ea ſacrarum literarum loca veniamus, in quibus æternitatis partes ſeparatim exprimuntur, aut aliqua ratione ſignificantur; conſequentem quidem illius partem, (ut de hac primò loquamur) ſeu æternitatem à parte pòſt, & ſæpiùs, & magis abſolutè videmus in ſ. codice deſcribi. ut cùm Deus dicitur vivens in ſecula ſeculorum; (*Apoc: 4. 9, 10.*) aut cùm affirmatur, cœlum quidem & terram perituram, Deum autem eundem permanſurum, & annos ejus non defecturos; (*Pſal: 102. 27, 28. & Heb: 1. 11, 12.*) aut cùm dicitur eum permanſurum in æternum; (*Pſal: 92. 9: 102. 13.*) eum regnaturum in æternum & ultrà, ſeu in perpetuum; (*Exod: 15. 18. Pſal: 145. ult.*) Eòdem pertinet, quòd & incorruptibilis dicitur Deus; (*Rom: 1. 23. 1 Tim: 1. 17.*) & ſolus immortalita-
124. tem habere (*1 Tim: 6. 16.*) aſſeritur. Cum enim vox prior corruptionis, poſterior mortis ſubeundæ ἀδυναμίαν ſeu impoſſibilitatem ſignificet; illa quidem exiſtendi atque integritatem naturæ ſervandi, hæc verò etiam vivendi neceſſitatem includit, & omnem durationis vitæque terminum efficaciſſimè excludit.

‡ *Aut cum affirmatur*] Præterea quod plura ex his attributis poſſint quoque comprobari de Chriſto, ſaltem vel hinc colligas abſolutam ejus æternitatem, quod quæ hic de æternitate Dei ex Pſ: CII, 27. 28. citantur, Chriſto tribuantur expreſſiſſimé Heb: 1, 10. 11. Nec tantum ibi denotatur æternitas à parte poſt; *Cælum & terra peribunt; tu autem idem permanes & anni tui non deficient*, quo ſenſu alibi *ultimus* appellatur; ſed etiam à parte ante; nam *fundaſti terram & cæli ſunt opus mannum tuarum*, quo ſenſu *primus* eſt.

Hujus autem æternitatis, quæ ſine fine duratura eſt, illud eſt conſequens, quod

Digitized by Google

quod in Pſalmo dicitur: *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna, quæ præterit, & cuſtodia in nocte.* (*Pſal: 90. 4.*) Significatur enim, ut viri docti explicant, Deum mille annos pluris non facere, quàm homo diem unum. Cùm enim infinitum illi ſit ævum, nihil illi revera perit, etiamſi mille anni, imò annorum myriades prætereant. ſiquidem nihilominus infinitum ævi ſpacium reſtat. De homine prædivite vulgò interdum dicimus, perinde illi eſſe mille florenos expendere, ac pauperculo alicui aſſem. quia hujus exiguæ admodum ſint facultates; illius prope videantur inexhauſtæ. Atqui longe rectiùs de Deo dici poteſt, mille annos illi perinde eſſe ac nobis dies unus ſit; quàm perinde eſſe diviti mille florenos expendere, ac pauperi aſſem. atque adeò hîc plus ferè dici ſolet, quàm revera debet; illic minùs. Illa autem Pſalmi verba imitatus eſt aliquo modo Petrus, (*2 Pet: 3. 8.*) dum dixit: *Vnus dies apud Dominum ut mille anni, & mille anni ſicut unus dies.* Significat enim, apud Deum diſcrimen illud temporum, quod nos maximi facere ſolemus, nihil habere momenti. perinde ipſi eſſe, ſive unus prætereat dies, ſive mille anni. quia nihilominus infinitum reſtet ævum. Nihil illi de totius ævi ſumma perit. Sed de his verbis inferiùs adhuc nonnihil dicendum erit.

‡ *Significatur enim*] Eo loci confertur brevitas vitæ humanæ cum æternitate Dei; ut quam illa nihil ſit faciliùs intelligatur: Nam Dei æternitas ſic immenſa eſt, ut mille noſtri anni minus ſint ad ipſam, quam dies hèſterna quæ præterijt & abijt; & tamen vita noſtra poſt peccatum non eſt mille annorum, imo neque centum; quid ergo erit ad vitam Dei? quo ſpectat illud Pſal: xxxix, 6. 7. *Ecce palmares diſpoſuiſti dies meos, & tempus meum ut nihil eſt coram te: profecto omnimodo vanitas omnis homo eſt, quantumvis conſtitutus maximè; profecto per imaginem præterit vir*; Vt gutta pendens ex ſitula comparata ad Oceanum nihil eſt, ſic longiſſimum tempus collatum ad æternitatem: Neque hic tam agitur de Dei exiſtimatione, quaſi ille pluris non faciat mille annos, quam homo diem unum, ſicut diviti perinde eſt mille florenos expendere ac alicui pauperculo aſſem vel ſtuferum, quam de noſtræ durationis, quæ eſt ephemera, ad divinam quæ æterna eſt collatione: Imo id inſuper hæc loquutio ſignificat, quod duratio divina non fluat per partes & minutias ſibi mutuò ſuccedentes, uti noſtra: nam in qualibet duratione ſucceſſiva mille anni non poſſunt commenſurari uni diei, ſed tantum mille aliis annis.

Significat enim apud] Minimè: nam cùm nos ad æternitatem facti pari ratione poſſemus exiſtimare, perinde eſſe ſive unus prætereat dies, ſive mille anni, quia nihilominus infinitum reſtat ævum quo fruemur beatitate in cœlis, ea ratione æquaremur ipſi Deo. Itaque hoc ſibi vult Petrus, primò quod Deum ad noſtram decempedam metiri non debeamus, cum longè aliter ſuas rationes ſubducat quam nos homunciones: ſecundò quod durationis ſuæ alia ſit ratio quam noſtræ; cùm unus ex ſuis diebus ſit prolixior mille noſtris annis, & mille noſtri anni, ſint ipſi minus quam unus ex diebus noſtris: adeoque propriè loquendo annorum & dierum diſcrimen in Deum non cadat, qui ſic ſuam æternitatem totam ſimul habet, ut eam ſemper præſentiſſimè poſſideat, nihilque ipſi de illa pereat, ut nobis jugi temporis noſtri effluxu.

Nunc

Digitized by Google

Nunc de ratione agendum eſt, quâ ſacræ literæ antegreſſam æternitatis divinæ partem ſignificare conſueverunt. Facere autem id ferè ſolent comparatè. Ita enim eam indicare ſolent, ut Deum ante mundum conditum extitiſſe dicant, aut apertè ſignificent. Sic ſuprà vidimus in Pſalmo, (*90. 2.*) ubi utraque divinæ æternitatis pars expreſſa eſt, priorem comparate primùm deſcribi, in illis nempe verbis: *Antequam montes fierent, aut formaretur terra & orbis*; deinde demùm abſolutè, dum additur, *à ſeculo* &c. *tu es Deus.* Sed alibi vix cernas eam aliter indicatam, quàm quatenus Deus aliquid ante hunc mundum egiſſe, aut quippiam apud ipſum extitiſſe ſignificatur. quò pertinent illa Salomonis (*Prov: 8. 22 & d.*) de ſapientia; *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio: ab æterno* (*ſeu à ſeculo*) *ordinata* (*ſeu formata*) *ſum,*
125. *& ex antiquis, antequam terra fieret*; & quæ ſequuntur. de quibus verbis agetur intrà, (*cap: 24*) ubi de ſapientia divina diſſeremus. Eòdem pertinet & illud, quòd Chriſtus gloriam apud Patrem, antequam mundus eſſet, habuiſſe ſe ait, (*Ioh: 17. 5.*) ſeu, ut inferiùs in eadem oratione loquitur, (*ib: v. 24.*) ſe à Patre ante jacta mundi fundamenta fuiſſe dilectum; ex qua dilectione, illa ipſi gloria fuit à Patre decreta, quam ſibi ab eo dari, tum temporis petiit. Huc & illa Petri pertinent dicentis, (*1 Pet: 1. 20.*) Chriſtum ante jacta mundi fundamenta fuiſſe præcognitum; & iſta Pauli, aſſerentis, (*Eph: 1. 4.*) nos ante jacta mundi fundamenta fuiſſe à Deo in Chriſto electos; & (*2 Tim: 1. 9.*) gratiam nobis in ipſo datam eſſe ante tempora ſecularia.

‡ *Facere autem*] Atqui etiam plerumque comparatè loquuntur de æternitate Dei à parte poſt, uti ſupra viſum.

Ita enim eam indicare] Atqui hinc colligo contra Socinianos, ergo ante mundum conditum, nec Angelos extitiſſe, nec materiam ex qua mundus factus; item Chriſtum, Sapientiam Dei æternam, de qua Salomon loco hìc Crellio citato, eſſe verum & ſummum Deum ejuſdem naturæ & eſſentię cum Patre, cum quo fuit in principio, per quem omnia condidit, & qui eſt primogenitus omnium creaturarum: Siquidem hac phraſi ſignificatur æternitas Dei à parte ante, quæ nulli rei creatæ competit.

Eodem pertinet] Cum autem Chriſtus habuerit illam gloriam apud Patrem, antequam mundus eſſet, utique oportet illum, jam tum extitiſſe apud Deum, uti habetur Ioh: 1, 2. Nemo enim in Scriptura dicitur *habere* gloriam niſi actu exiſtat, & eâ fruatur: nec poteſt id intelligi de gloriâ deſtinata humanitati Chriſti, etſi eo videatur etiam propendere Auguſtinus *tract.* 105. *in Ioh.* ſed de gloria illa ęterna & divina, quam cum eſſet *in forma Dei,* & rapinam non duceret ſe *æqualem Deo* facere Phil: 11, 6. ſui exinanitione & noſtræ carnis aſſumptione, videbatur tantiſper depoſuiſſe, ut cum Codrus inſignia regia depoſuit mortem obiturus pro ſuo populo. Etenim cum *dives eſſet, factus eſt pauper* pro nobis 1. Cor: VIII, 9. & erat *priuſquam Abraham eſſet* Ioh: VIII, 58. quia *in principio erat verbum & verbum erat apud Deum & Deus erat verbum* Ioh: 1, 1. Ita contra Arianos communiter Veteres interpretes. Neque pertinet ad prædeſtinationem divinam ſimpliciter quod ibidem dicitur, *quia dilexiſti me ante jactum mundi fundamentum*; tùm quoniam hæc particula πρὸ καταβολῆς κόσμου, æquè poſſit referri

ad gloriam

ad gloriam Chriſto datam, ac ad dilectionem Patris, ex qua eam habuit; tùm etiam quia Pater gloriam illam ab æterno Filio ſuo communicavit, ceu dilectiſſimo ſuo unigenito, *cujus exortus inde à principio & à diebus ſæculi ſunt* Micæ v, 2. Aliàs nihil hîc ſpeciatim conveniret Chriſto, & quod cuilibet Sanctorum æquè tribui non poſſet: cum tamen nemo eorum dicatur eam gloriam quam tandem eſt conſecuturus, habuiſſe apud Patrem priuſquam mundus fieret.

Huc & illa Petri] Eadem eſt obſervatio Grotij, cum Socinianorum juvenca triturantis *ad Ioh.* 17. 5. *&* 24. Sed nulla eſt: non enim valet. Chriſtus fuit προεγνωσμένος ante jacta mundi fundamenta in Redemptorem & Mediatorem noſtrum, ex Dei prædeſtinatione ac decreto, ergo non fuit nec habuit gloriam apud Patrem ante jacta mundi fundamenta, niſi in Dei decreto: A dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter non valet argumentum: nec fuit Chriſtus προεγνωσμένος ſimpliciter ut eſſet, ſed ut eſſet *agnus immaculatus & incontaminatus* pro nobis.

Et iſta Pauli] Sanè quod electi dicimur in Chriſto *ante jacta mundi fundamenta*, evidenter pertinet ad Dei prædeſtinationem & decretum; juxta quod etiam à *mundi jacto fundamento* nobis *præparatum* fuit regnum cœlorum Matth: xxv, 34. Sed nunquam dicimur jam habuiſſe illam gloriam nobis decretã ante jacta mundi fundamenta apud Deũ, ideſt cum ipſo. Nam in loco Iohannis illã particula παρὰ σοὶ, *apud te*, non ſignificatur occultum Dei decretum, quod penes ſe conditum habuerit de gloria Chriſto conferenda in tempore, ſed ſignificatur communio & poſſeſſio gloriæ æternæ cum ipſo Deo, prout ſermo erat apud Deum *in principio*; & ipſe Chriſtus petit glorificari à Patre, παρὰ σεαυτῷ, *apud teipſum*, inquit, ideſt tecum & propè te; actu & revera, non ſolum in prædeſtinatione & decreto. Nec plus ineſt ponderis in altero Pauli dicto: Nam res ipſa per ſe loquitur quod gratia nobis in Chriſto non ſit data *ante tempora ſæculorum*, niſi ex Dei deſtinatione & decreto, prout aliquando verba activa per mentalia intelligi debent: Et ne id intelligamus de donatione actuali, quæ fieri non potuit ab æterno, cum nullum aliud haberemus eſſe quam potentiale & objectivum in mente divina, Paulus idem Tit: 1, 2. facit mentionem *ſpei vitæ æternæ quam promiſerat Deus ille mentiri neſcius ante tempora ſeculorum*; ubi id demum promiſſum dicitur quod ibi datum ſtatuitur. At Chriſtus repetit eam gloriam quam jam apud Patrem habuerat & poſſederat actu, ante jacta mundi fundamenta.

Hæc omnia, inquam comparatè dicuntur, & exiſtentiam quidem Dei ante orbem conditum oſtendunt; ſed æternitatem omni carentem initio non tam exprimunt, quàm ad eam cogitandam nos aliqua ratione ducunt. Ad eam enim, ſi cogitationem altiùs attollas, neceſſe eſt pervenire. Niſi enim quippiam ponas, quod ab omni æternitate extiterit, dicere cogeris, aliquando nihil prorſus extitiſſe. Quòd ſi verò nihil prorſus aliquando extitit; ne nunc quidem quicquam eſt. Unde enim illa, quæ nunc ſunt, extiterunt, cùm per ſeipſa non poſſent? & cur poſtea potiùs extiterunt, quàm antea? Neque enim, ubi nihil prorſus extat, quod diſcrimen faciat, ulla diverſitatis reddi poteſt ratio. Quòd ſi nos ipſos, & cætera, quæ cernimus, extare, ſine inſania negare non poſſumus; neceſſe eſt aliquid ſtatuere, quod ab omni æternitate extiterit. Quid autem potiùs, quàm id, quod cæterorum omnium eſt cauſſa? Non poteſt quidem

 ratio

Digitized by Google

ratio noſtra cogitando emetiri infinitum illud ævi ſpacium: (infinitum enim non eſſet, ſi finem ejus aliquem ratio inveniret:) ipſum tamen illud ævi ſpacium, quod infinitum eſſe neceſſe ſit, invenire poteſt, & ſi altiùs rem repetat, invenire cogitur. Non laboravit autem divinus ſpiritus in infinito illo, quod anteceſſit, Dei ævo pleniùs ac diſtinctiùs deſcribendo; ſed ſatis habuit, partim æternitatem Dei abſolutè commemorare, in qua infinitum illud, quod anteceſſit, ævum comprehenditur; partim ea dicere, quæ ad hujus quoque diſtinctiorem cognitionem nos veluti manu ducerent. præſertim quia ſatis aliàs in ſac. literis expreſſum eſt id, propter quod maximè videtur eſſe neceſſarium, ut Deus credatur ab omni æternitate extitiſſe. Id verò eſt primùm, ne & ipſius Dei, & aliarum rerum, alius introducatur ſupremus opifex, atque adeò alius adhuc Deus, eo, qui ſupremus ſtatuebatur, ſuperior. Nam ſi initium habuiſ-
126. ſet Deus, ab alio iterùm fuiſſet productus; ut ex paulò antè dictis conſtat. Hic ergo potiùs eſſet Deus ſupremus, non ille. Deinde ne verendum ſit, Deum aliquando iterum interiturum. ſiquidem, ut antè dictum eſt, quæ aliquando non fuerunt, poſſunt iterùm non eſſe, & in priſtinum ſtatum relabi; niſi ſuperioris cauſſæ, quæ hîc nulla eſt, benignitate & efficaciâ perpetuitatem ſortiantur, ac veluti firmentur. At utrique huic incommodo ſatis alibi occurritur. priori, cùm Deus unus, cùm idem altiſſimus, cùm omnium rerum conditor, omnibus aliis excluſis, dicitur; poſteriori, cùm ei immortalitas, & quidem ſoli, cùm incorruptibilitas adſcribitur, & eum in omnem ævorum perennitatem permanſurum ac victurum, ſat clarè docetur. Interea tamen, ut omnes, etiam ſimpliciores, tantò faciliùs perſpicere poſſent, omnium rerum auctorem rectè conſtitui Deum; eum ante mundum conditum extitiſſe, & tum de eo condendo, tum de genere humano ſervando, ac ſalutis duce nobis præficiendo, conſilium jam tum iniiſſe, apertè affirmant ſac. literæ; & ut eatenus potiſſimùm in antegreſſæ æternitatis conſideratione verſemur, non obſcurè monent. Adde etiam, ut ad profundæ illius, quæ retrò eſt, æternitatis aditum hac ratione veluti deducti, cùm nullum illius exitum, ſeu mavis initium, reperiamus, nec ullam Dei efficientem cauſſam ponere poſſimus; eò vehementiùs naturam illius ac majeſtatem admiremur. quod tantò magis facere debet, quantò quiſque eſt ingenioſior, & ad hujuſmodi rerum contemplationem aptior. Quare tantum hac in parte expreſſum eſt in ſac. literis, quantum cuique ad ſalutem ſatis eſt.

‡ *Hæc omnia inquam*] Imo revera Dei æternitatem exprimunt evidenter à parte ante; cum ante res omnes conditas, & temporis ipſius principium, nihil potuerit exiſtere niſi in abyſſo æternitatis.

Niſi enim] Si illud *aliquando* notet adverbium & differentiam temporis, verum eſt dicere quod *aliquando* nihil extitit; ideſt quod ante creationem mundi nihil prorſus eorum fuit, quibus competit *aliquando* eſſe,

eſſe, ideſt habere exiſtentiam in tempore: Deo enim non competit aliquando, ſive aliquod quando, ſed ſemper; ut ei non competit alicubi, ſeu aliquod definitum & determinatum ubi, ſed ubique.

Non poteſt quidem] At cum inter *ævum* & *æternitatem* diſtinguant Scholaſtici, hæc duo non erant ita promiſcuè uſurpanda. Nec illicò id ſimpliciter *infinitum* eſt cujus finem ratio non invenit, ſed ſæpè tantum indefinitum: ut mundus licet in ſe finitus, nobis tamen eſt indefinitæ magnitudinis.

Id vero eſt primum] At ipſiuſmet Dei Chriſtianorũ, Chriſti ſcilicet, iſti homines alium ſupremum opificem audent imaginari, dum eum habent pro Deo ſecundario & factitio.

Vt eatenus potiſſimum] Atqui hæc conſideratio nihil faciet ad æternitatem Dei à parte ante concipiendam, ſi aliquid præter Deum cenſendum ſit præextitiſſe creationi mundi, ut paullò poſt ſtatuet hæreticus. Quare potius ſtatuendum id ſimpliciter & abſolutè æternum nobis in ſacris literis proponi, quod ante mundum, conditum dicitur cogitatum, decretum, genitum fuiſſe, vel ullo modo extitiſſe.

Ex dictis autem facilè intelligitur, nos non arbitrari, perinde eſſe dicere, aliquid ante conditum mundum extitiſſe, & ab omni æternitate extitiſſe. neque id cenſuiſſe apparet eos ex veteribus Eccleſiæ doctoribus, qui angelos ante conditum mundum à Deo creatos fuiſſe ſtatuerunt. Neque enim vel creationis ratio, vel ipſorum ſententia patitur, ut creatura aliqua ſtatuatur ab omni æternitate extitiſſe. Conſentaneum autem id eſſe, quod illi de angelorum creatione cenſuerunt, alibi in his libris docetur. (*lib: 2. cap: 2.*) Itaque non eſt neceſſe, ut quicquid ante conditum mundum à Deo factum decretúmve eſt, id protinus ab omni æternitate factum aut decretum eſſe ſtatuatur; imò quod à libera Dei voluntate pendet, non potuit ab omni æternitate exiſtere. Etenim quæ cauſſam efficientem habent non neceſſariò ſed liberè agentem, poſſuntque naturâ ſuâ tam exiſtere, quàm non exiſtere, illa ab omni æternitate exiſtere non potuerunt. Tempore enim antegreſſam oportuit liberam illam, à qua profecta ſunt, cauſſam. Nam quæ cauſſæ, ſimul ac exiſtunt, agunt, neceſſariò agunt 127.
id quod agunt, non liberè, nec ab actione ſua ceſſare poſſunt. Atqui omnia Dei decreta, factaque externa, cauſſam habent liberè agentem, ipſam nimirum Dei voluntatem. Nihil enim extra ſe neceſſariò Deus agit, ac proinde nec faciendum decernit, ſed liberè. Quòd ſi aliqua eſt decretorum divinorum neceſſitas, ea ſemper liberrimo voluntatis actu nititur, ſive ut cauſſâ proximâ, ſive ut remotâ.

‡ *Ex dictis autem*] Imo ſi æternitas Dei à parte ante ijs loquutionibus exprimatur quæ illi quidpiam tribuunt ante jacta mundi fundamenta, neceſſe eſt id extitiſſe ab omni æternitate, quod extitit ante conditum mundum: Adde quod id extiterit ab omni æternitate quod extitit ante principium Moſaicum; ideſt ante conditum mundum: nec enim poteſt concipi tempus ante principium temporis, ſed tantum abyſſus æternitatis.

Neque id cenſuiſſe] Non reverentiâ Patrum ducuntur hac in re Sociniani, ſed quia putant ſibi à Photinianiſmo depulſis receptum ſaltem hac ratione fore ad Arrianiſmum, negatâ divinitate Chriſti, etſi conſtiterit illum præextitiſſe creationi mundi, eſſeque primogenitum omnis

creaturæ Coloſſ: 1, 15. ideſt genitum ante omnem creaturam. Nec omnes Patres id cenſuerunt; reluctantibus diſertè Auguſtino *lib.* 11. *de* C. D. *c.* 9. Epiphanio *hær.* 65. Cyrillo *lib.* 2. *contra Iul.* Gregorio *Moral. in Iob lib.* 32. Beda *ad* 1. *Gen.* & multis alijs; Et plerique ex ijs qui in hanc ſententiam citantur fuſé à Ioh. Gerhardi Voſſio p.m. *lib.* 1. *de orig. Id. cap.* 7. poſſent ita intelligi ut juxta eos Angeli fuerint conditi non quidem ante principium Moſaicum, ſed in ipſomet principio ante opera viſibilia Dei: quem in ſenſum ſumendum eſſe Gregorium Nazianzenum & Chryſoſtomum docet Damaſcenus *lib.* 2. *orth. fidei cap.* 3. Et ſi qui aliter ſenſerunt id veterum nævis debet adſcribi, ut quod omnes ferè ſtatuunt Angelos muliebri captos amore à Deo defeciſſe & Gigantes genuiſſe.

Neque enim vel] Ergo cum omnis creatura debeat in tempore initium accepiſſe, nec fuerit tempus ſed abyſſus æternitatis ante principium temporis, non potuerunt antea Angeli per creationem extitiſſe.

Conſentaneum] De eo ibi videbimus: Monemus autem in anteceſſum id planè conſentaneum non eſſe, cum Deus in principio creaverit cœlum & terram & quicquid eſt in illis; & Angeli pertineant ad exercitus cœleſtes quos tunc perfectos fuiſſe dicit Moſes Gen: 11, 1. Quin Chriſto Col: 1, 16. tribuitur ſimul creatio *viſibilium & inviſibilium*: nec potuerunt Angeli exiſtere cùm nondum eſset ubi exiſterent & operarentur: Etenim de rebus finitis & creatis omnibus eſt verum Auguſtini axioma *ep.* 57. *ad Dard. Quod nuſquam eſt neque eſt*; Et benè dictum à Philone *lib.* 2. *de alleg.* πρὸ γενέσεως ὐκ ἦν τὶ σύν τῷ θεῷ: Erat tum ſibi ipſi & locus & mundus & omnia.

Itaque non eſt] Imo illud eſt ſummoperè neceſsarium, ſiquidem id eſt æternum à parte ante quod præextitit natalibus temporis & mundi.

Imo quod à libera] Hoc argumento quod jam olim à Socinianis mutuatus erat Vorſtius, nihil infirmius. Equidem non potuit exiſtere ab æterno, quod pendet à libera Dei voluntate per actionem tranſeuntem, ut creatura; Sed debuit ab æterno exiſtere quod fluit à libera Dei voluntate per actionem merè immanentem: Nam cum ſit ab æterno præditus intellectu & voluntate, tam neceſſe eſt illum ab æterno aliquid intellexiſſe & voluiſſe ac decreviſſe, quam neceſſe eſt illum fuiſſe ab æterno: Et ſi tempore poſteriora ſunt Dei decreta ipſo Deo, illud tempus vel finitum erit vel infinitum. Si finitum, Deus æternus non eſt; qui nonniſi finito temporis ſpatio à ſuis decretis in tempore factis diſtet; Si infinitum, Ergo nihil potuit decernere niſi poſt infiniti temporis durationem, & per infinita ſæcula cenſendus erit nihil ſciviſſe, nihil intellexiſſe, nihil voluiſſe de rebus futuris in tempore.

Etenim quæ] At Deus non tam eſt cauſa efficiens ſui decreti ceu realiter à ſe diſtincti, quam illius principium immanens pro noſtro concipiendi modo, uti eſt ipſiuſmet Dei per modum actus vitalis liberrima determinatio ad hæc vel illa facienda in tempore.

Poſſuntque natura] Id non eſt de liberi eſſentia ut poſſit eſse vel non eſse, vel ut ſit immune ab omni neceſſitate; ſed ut fiat ſpontè & citra coactionem: Nam Deus neceſsariò ſe ipſum amat & tamen liberè: Non poſſunt non diligere Deum beati qui ipſum vident; & tamen dilectio eſt actus ſpontaneus & ἑκύσιος, adeoque liberrimus.

Illa ab omni] Falſum eſt id quod eſt à libero agente non poſse eſse æternum, ſi illud liberum agens æternum fuerit. Deus enim ut fuit ab æterno volens & intelligens, ſic fuit decernens ab æterno; ut nunquam dici potuerit, Deus nondum quicquam decrevit de futuris.

Tempore enim]Ordinis & naturæ prioritas hîc intercedere poteſt, temporis non: Sol eſt cauſa irradiationis & illuminationis ſuæ, nec tamen eſt illa prior tempore, ſed naturâ. Angelus, cujus natura eſt intelligere, eo momento quo cœpit eſſe, cœpit Deum intelligere

Digitized by Google

intelligere & ad illum converti liberrimâ operatione, quę operante nô fuit poſterior tempore, ſed tantum naturâ. Sanè actiones intellectus & voluntatis ſunt ut ſpirituales ita quadantenus indiviſibiles, ut temporis mora non egeant ad ſui productionem: Imò quamvis creatura intelligens mora egeret inter deliberationem & conſtitutionem rei alicujus, an Deus Opt. M. ad has anguſtias erit redigendus?

Nam quæ cauſæ] Petitio eſt principij; Nam ſimulac Adam extitit, ut pote conditus ad imaginem Dei, amavit Deum ſuum conditorem; actus tamen ille fuit liber, & à quo potuiſse eum ceſsare, triſtis experientia docuit.

Atqui omnia] Hæc non debent confundi; cum decretum Dei ſit actio immanens, ſola ratione ab ipſo Deo diſtinguenda; opera vero externa, liberè producta in tempore, ſunt planè extra Deum, ab ipſo realiter diſtincta.

Nihil enim extra ſe] Primum non debet cenſeri decretum Dei eſse ſubjectivè extra illum, etſi actionibus ad extra terminativè & objectivè annumeretur. Deinde hoc axioma falſum eſt; Nam cum Deus ſit ens intelligens, ut neceſsariò intelligit & vult, idque ab æterno, neceſsarium eſt illum ſaltem *in actu ſignato* aliquid decreviſse, voluiſse & ſtatuiſse ab æterno; etſi hoc potius quam illud *in actu exercito* ſtatuere & decernere pro ſuo beneplacito voluerit. Adhæc multa ſunt quæ Deus neceſſariò extra ſe agit, neceſſitate non ſolum hypotheticâ ex ſuppoſitione ſui decreti, quoniam eſt immutabilis, ſed etiam abſoluta, quoniam juſtus & verax eſt. Ita condendo hominem qui ſe coleret, neceſſariò debuit eum donare juſtitiâ originali; & cum ſit judex totius terræ Gen. XVIII, 25. debet neceſsariò jus dicere atque punire peccatum, nec illud impunitum dimittere.

Quod ſi aliqua] Hic ergo agnoſcit Crellius non tolli libertatem decretorum divino. ſi omni neceſſitate, ſaltem hypotheticâ; Verum ut liberrimus ille actus voluntatis divinæ ex quo ſunt potuit eſse ab æterno, imò non potuit non eſse ab æterno, tùm quia præceſſit natalia temporis & mundi, tùm quia Deus non potuit non aliquid velle ab æterno, ita ipſa decreta ſimpliciter & abſolutè æterna cenſeri & poſsunt & debent.

Non poteſt autem nobis eorum probari ſubtilitas, qui æternitatem Dei, omnia, quæ unquam extiterunt, temporum ſpacia complectentem, in unius puncti ſeu momenti anguſtias cogunt. Indiviſibilem enim eam eſſe ſtatuunt; nihilque in ea prius, nihil eſſe poſterius. Itaque quicquid Deus unquam egit, acturúsve eſt, id eum ſimul agere. Omnia ipſi præſentia; nihil præteritum, nihil futurum. Quæ ſententia & ſacris literis repugnat, & ſibi ipſi, omninoque contradictionem non unam involvit.

‡ *Non poteſt autem*] In hac ſententiæ Chriſtianæ & Catholicæ explicatione, quędam per calumniam inſeruntur: Verum quidem eſt æternitatem Dei eſſe indiviſibilem & nihil habere prius & poſterius, quo modo à tempore diſtinguitur, ſed inde non ſequitur Deum quicquid unquam egit acturusve eſt ſimul agere: aut nihil præteritum nihil futurum ineſſe rebus quæ menti divinæ obverſantur: quod poſtea fuſiùs demonſtrabitur.

Quæ ſententia] Imo hæc ſententia de æternitate Dei inextenſa & indiviſibili per partes priores & poſteriores, multis firmiſſimiſque nititur argumentis: Nam 1. Si in duratione divina ut in noſtra daretur prius & poſterius, tum falſum eſſet quod dicit Scriptura mille annos noſtros eſſe Deo ut diem

Digitized by Google

ut diem unum, & unum diem ipſius eſſe ut mille noſtros annos; nam ut non ſunt longiores anni & dies ſinguli ejus qui vixit centum annos, annis & diebus ejus qui tantum duos annos vixerit, ſic mille anni noſtri non eſſent breviores mille annis Dei, aut viceverſa unus dies Dei longior uno die noſtro, ſi eadem eſſet in duratione divina partium ſucceſſio quæ in noſtra. 2. Quale eſt Dei eſſe talis debet eſſe illius duratio, quæ ſola ratione differt ab ejus eſsentia; atqui Dei eſse eſt indiviſibile & expers omnis mutationis: quod monet Auguſtinus *in Pſal.* 101. *Non aliud anni Dei & aliud ipſe Deus, ſed anni Dei æternitas Dei eſt; æternitas ipſa Dei ſubſtantia eſt, quæ nihil habet mutabile.* 3. In ea duratione in qua datur prius & poſterius, datur quoque primum aliquod abſolutum; nam ut poſterior pars dicitur comparatè ad eam quæ præceſſit, ſic prior debet ſupponere primam: & ſicut datur in motu primum inſtans quo cœperit, qui terminus a quo dicitur, ſic in duratione ſucceſſiva, quæ eſt numerus motus per prius & poſterius, ut Ariſtoteli ipſi definitur, deberet dari primum inſtans quo cœperit & ante quod non extiterit: at in duratione divina non datur primum abſolutum; nam qui ſemper fuit nunquam incœpit eſse. 4. Adhæc Deo aliquid quotidie accederet novæ perfectionis, ſi ſuam durationem poſſideret tantum uti nos noſtram ſucceſſivé & per partes, ac verum eſset dicere Deum hodie eſse ſeniorem multis ſæculis & longé diutiùs duraſse, quam temporibus Noæ vel Adami; atqui id eſt abſurdiſſimum; & veré dictum ab Auguſtino, *Ibi* (nempe in duratione divina & ſui eſse poſseſſione) *nihil eſt præteritum quaſi jam non ſit, nihil eſt futurum quaſi nondum ſit; non eſt ibi niſi eſt; non eſt ibi, fuit & erit.* Sané Deus non expectat quid ſerus veſper vehat. 5. Quotquot æternitatem deſcribere voluerunt eam expreſſerunt per circulum perfectum, in quo nihil eſt prius & poſterius. Hinc Perſæ & Saraceni Deum vocant *circulum cœli*, & Numa præcepit ut adoraturi ſe in circulum vel orbem converterent; videatur Pierius *Hierogl lib.* 39. *cap.* 16. Quare poteſt dici Æternitas circulus cujus centrum Semper, circumferentia Nunquam. 6. Inter tempus & æternitatem abſolutam diſcrimen aliud non poteſt conſtitui, quam quod illud fluat per prius & poſterius, hæc non: unde nonnullis æternitas dicitur Nunc ſtans, ut tempus Nunc fluens: ſeque habet illa ad hoc ut axis mundi ad primũ mobile, aut in ſcioterico, gnomon ad umbrã quam ſpargit. 7. Aut Deus tempori debet ſubjici, quod Thales dixit omnium ἀμαθέςατον, & *edax rerum* appellatur à Poëtis, quo ſpectat fabula Saturni ſuos liberos devorantis, aut tempore ſuperior ejuſque legibus & imperio exemptus, non debet habere durationem fluentem & ſucceſſivam per prius & poſterius. Sed audiamus quas repugnantias hic fingit adverſarius.

Etenim ſacræ literæ æternitatem Dei deſcribentes, eam, ut vidimus, nunc triplici temporum differentiâ complectuntur, dum dicunt, (*Apoc: 1. 4, & 4. 8.*) *is, qui eſt, & qui erat, & qui venturus* ſeu *futurus eſt*; nunc in duas eam partes dividentes, præteritum & futurum aut ſimul, aut disjunctim commemorant. Quorſum enim illa, cùm Deum eſſe dicunt, (*Pſal: 90. 2.*) *à ſeculo in ſeculum?* nonne *à ſeculo* præteritam ævi partem, *in ſeculum* futuram ſignificat? Quorſum illa, cùm hinc quidem eum ante conditum mundum extitiſſe aut aliquid egiſſe docent; (*Prov: 8. 22. Ioh: 17: 24, & 8. lib.*) cùm *antiquum dierum* appellant: (*Dan: 7. 9. 13.*) hinc verò, eum porrò *permanſurum & annos ejus non defecturos*, (*Pſal: 102, 27, 28.*) aſſerunt. Nónne hæc omnia temporum ſucceſſionem arguunt?

† *Etenim*

Digitized by Google

‡ *Etenim ſacra*] At quamvis ſub illis temporis differentijs, æternitas divina nobis proponatur, cum vix aliter eam concipere valeamus quam ſub imagine temporis, tamen ab ea debet removeri omnis imperfectio; qualem importat illa partium ſucceſſio & fluxus in noſtro tempore: aliàs cum id quod fuit aut futurum eſt, vel non amplius ſit, vel nondum ſit, idem de Deo eſſet ſtatuendum, ſi hoc ἀκριβῶς illi tribui deberet. Vt aſtrolabio ligneo vel æneo, magnitudinem cœlorum & ſitum aſtrorum metimur, ita æternitatem ſub temporis ſimulachro concipere ſolemus: Imò eò nos ducit ipſa Scriptura, dum nempe modò Deo aſſignat præteritum, præſens & futurum, modò nonniſi præteritum & futurum: Et quamvis æternitas Dei complectatur omne noſtrum præteritum & futurum, non tamen ſequitur in illam cadere proprie præteritum & futurum.

Quorſum enim illa] Quin potiùs hac loquutione, *à ſæculo in ſæculum*, talis fit utriuſque conjunctio reſpectu Dei, ut præteriti noſtri cum noſtro futuro, fiat quædam in ipſo σύγχυσις, ſublatâ omni diſtantiâ inter utrumque.

Quorſum illa] At cùm ante conditum mundum extiterit, nec tamen ante conditum mundum fuerit tempus, ſive numerus motus per prius & poſterius, quum nullum eſſet mobile nulluſque motus qui numerari poſſet, & ad cujus numerum fluens & ſucceſſiva duratio aliarum rerum menſuraretur, hinc potiùs ſequitur quod æternitas ſpecificé à tempore veniat diſtinguenda.

Cum antiquum] Quinimò hoc ipſo elogio ejus æternitas vera exprimitur: Antiquus enim dierum dicitur, non quod ſenio ſit confectus & *Satur annis*, ut Ethnicorum Saturnus, ſed potius quod diebus ipſis & temporis natalibus ſit prior & antiquior: Quod eleganter expreſſit vetus Scriptor qui fecit ſibi nomen Dionyſij Areopagitæ *cap.* 10. *de Divinis nominibus. Dierum antiquus laudatur Deus propter hoc quod omnium ipſe eſt & ævum & tempus, & ante dies & ante ævum & tempus & diem, ſicut exiſtens intranſmutabilis & immobilis, & in hoc quod ſemper movetur manens in ſeipſo; & ſicut ævi & temporis & dierum cauſa.* Aliqui, teſte Theodoreto, pro *antiquus dierum* vertunt *antiquans dies*, quod videlicet ſuâ æternitate tranſcendat omnes dies & tempora, eoſque quaſi ſe inferiores antiquet, abroget, aboleat, cum ipſe ſtabilis maneat & vegetus, expers omnis mutabilitatis, ſucceſſionis & defectus.

Hinc vero eum] Atqui illa permanentia non tantum indefectibilitatem denotat, ſed etiam immobilem plane durationem, prout æternitas *nunc ſtans* ſolet appellari, ut diſtinguatur à tempore quod *nunc* eſt *fluens*, ut linea punctum fluens definiri ſolet. Hanc immobilem nec fluentem per partes, Dei permanentiam in ſuo eſſe, utcunque Ethnici adumbrarunt, pleroſque ex ſuis Numinibus formâ juvenili & imberbi effingendo. Nec poteſt expreſſiùs æternitas Dei probari à priori, quam ab ipſius permanentia & immutabilitate. Hæc vero inde conſtat quod quicquid mutari poteſt eſt in potentia ad aliquid aliud acquirendum; Deus autem actus eſt purus & perfectiſſimus, imò infinitæ perfectionis, quæ nihil poteſt amplius acquirere, cum nihil ei deſit. Adde quod Pſaltes ibi durationem Dei *permanentiæ* nomine exprimat, noſtram vero nomine *umbræ* quæ eſt in motu perpetuo, nec unquam eandem menſuram retinet.

Nonne hæc] At θεοπρεπῶς debent intelligi quæ Deo ἀνθρωποπαθῶς tribuuntur: Succeſſionem quidem hæc denotant in rebus creatis, à quibus iſtæ loquutiones deſumuntur, ſed neutiquam in Deo, in quo non eſt ulla παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα Iac: 1, 17. Sol ille æternitatis tropicos non habet, ſed hæret immutabiliter in ſuo ſolſtitiali cardine.

Atque ut hanc ſententiam ſibi quoque ipſi adverſari videas; utuntur illi qui eam propugnant, Boëthii potiſſimùm definitione, qui æternitatem ait eſſe *Interminabilis vitæ totam ſimul & perfectam poſſeſſionem.* Ideo autem *totam* ejus vitæ poſſeſſionem *ſimul* eſſe dicunt, ut intelligatur, æternitatem non in infinito quodam ſeculorum tractu conſiſtere, ita ut alia ejus pars præcedat, ſuccedat alia; ſed univerſam uno eodemque momento exiſtere. At præterquam quòd vita ad æternitatis eſſentiam conſtituendam non pertinet; ſi vita illa interminabilis eſt ſeu infinita, quomodo ejus poſſeſſio tota ſimul eſt? Interminabilis enim vita ea demùm eſt, quæ ſemper durat. Sempiterna autem duratio, quomodo tota eodem momento conſiſtere poteſt? Siquidem omnis duratio partes habet, quarum alia ſuccedat alteri, alia prior ſit, alia poſterior. Si poteſt tota æternitas in uno momento tota conſiſtere; ponatur Deus
128. momento extitiſſe ac periiſſe: num tu eum interminabilem habuiſſe vitam, num æternum fuiſſe dixeris? Eadémne vita & momentanea eſſe poteſt & æterna?

‡ *Atque ut hanc*] Hæc legitima eſt definitio veræ æternitatis, quam carpere faciliùs poſſunt hæretici, quam evertere.

At præterquam quod] Id falſum eſt; cum æternitas ſit Dei permanentia in ſuo eſſe, id eſt revera in ſuo vivere: Nam *fons vitæ eſt penes* ipſum Pſal: xxxvi, 10. Nec poteſt æternitas hîc aliter concipi quam in actu exercito & ut Deo propria eſt; ſiquidem nihil abſolutè æternum poſſit conſcipi vel dari præter Deum, qui vivit in ſæcula ſæculorum.

Si vita illa] Interminabilis dicitur, non tantum quod principio careat & fine; ſed etiam quod non habeat priùs & poſterius, ut tempus, adeoque tota ſimul poſſideatur: Id enim totum ſimul habetur quod eſt indiviſibile & in quo non ſunt illi termini diſtincti, prioris & poſterioris.

Sempiterna autem duratio] Non ſanè poteſt tota conſiſtere eodem momento fluente, quale eſt vinculum partium temporis noſtri; ſed poteſt eodem momento ſtante, quale eſt æternitatis.

Siquidem omnis duratio] Id concedo de duratione finita Creaturarum, de infinita Dei, quæ ipſe Deus eſt, nego: nam ut Deus nullas habet planè partes vel Phyſicas vel Metaphyſicas, quippe ſimpliciſſimus & omnis compoſitionis expers, ſic ejus duratio eſt impartibilis, nec ſucceſſiva.

Si poteſt tota æternitas] Ineptè & blaſphemè: nam ſupponendo Deum momento extitiſſe & perijſſe, negaretur eſſe Deus, adeoque æternus dici non poſſet: Tum ludit hæreticus in voce *momenti*: Nam aliud eſt momentum æternitatis, quod ſtat, & ſonat perfectiſſimam & indiviſibilem durationem, quæ Dei eſt; aliud momentum temporis, quo res aliqua alia extitiſse & perijſse dicatur. Tale enim momentum nequidem Mathematicè pro temporis fluentis principio, quod ἄτομον dicunt Græci, ſed Politicè pro breviſſimo illo tempore fluente quod Græcè ςιγμὴ dicitur, ſumi debet: quo ſenſu etiam Ariſtoteles *lib.* 1. *de Cæl. c.* 6. benè de tempore ſtatuit quod detur minus & majus, ſed non minimum; ἐλάχιςος ᾗ ὐκ ἔςιν: quia videlicet quantumlibet parva ejus pars concipiatur, erit adhuc in plures diviſibilis.

Deinde

Digitized by Google

Deinde quo pacto poteſt indiviſibile complecti ſpacia in innumeras partes diviſibilia? Æternitas Dei complectitur omnia, quæ unquam fuerunt aut futura ſunt, tempora. Nihil enim eam anteceſſit, nihil ſequetur; ſed quæcunque ab initio mundi fluxerunt, & ad ejus finem fluent ſecula, intra ejus ambitum continentur. Quomodo ergo indiviſibilis eſt? quomodo in punctum momentúmve collecta? Quis, quæſo, dixerit, punctum aliquod, aut id, quod puncti ſit inſtar, amplecti totum hunc mundum? Indiviſibile quodvis quovis diviſibile minus eſt. Majus autem minoris amplexu contineri non poteſt. Certè hoc pacto non vita noſtra reſpectu æternitatis divinæ puncti inſtar eſſet, ſed æternitas Dei reſpectu vitæ noſtræ.

‡ *Deinde quo pacto*] Illud *complecti* eſt ambiguum: nam hæc ſpacia temporum æternitas Dei indiviſibilis non complectitur formaliter, quaſi ex illis conſtet, ſed tantum eminenter, quod illis coexiſtat, & illa ſuperet: Præterea negatur ſpacia temporis quæ complectitur æternitas, eſse ſimpliciter diviſibilia in partes innumeras; Nam primò à parte ante, ſpacia temporum non habent partes innumeras, cum ſiſtendum ſit in principio Moſaico & primo illo momento à quo fluere cœperunt: Secundò nec à parte poſt ſunt diviſibilia in partes ſimpliciter innumeras, cum illæ partes nondum ſint actu ſed tantum potentiâ: Deus vero eſt actus puriſſimus in quem nulla potentia paſſiva, nulla mutabilitas, cadit: Addo tertiò quod cum ipſe author ſpacia hæc in partes innumeras diviſibilia auſpicetur *ab initio mundi*, eo ipſo illa non adæquat æternitati Dei. Ad argutiam verò hæretici reſpondeo, quod æternitas Dei indiviſibilis complectitur omnia tempora diviſibilia, non coextenſivè vel formaliter, ſed eminenter & indiviſibiliter: ut anima complectitur omnes partes diviſibiles corporis quas animat, etſi illas complectatur indiviſibiliter & inextenſè: aut quemadmodum Deus complectitur ſuâ Omnipræſentiâ omnes mundi partes extenſas & diviſibiles, etſi ſuâ naturâ ſit indiviſibilis & impartibilis, quia ubicunque eſt totus eſt.

Quomodò in punctum] Non utique in illud punctum vel momentum quod vel Mathematicè eſt principium aut lineæ aut temporis, vel Phyſicè ſeu Politicè breviſſimam extenſionem vel molis corporeæ vel temporis ſonat; ſed in illud quod nec prius habet nec poſterius, & fine ac principio caret; denique ut punctum & momentum ſonat extenſionis quantitativæ & diviſibilitatis negationem.

Quis quæſò dixerit] Si punctum ſumatur pro infinito, quod nec quantum, nec extenſum, nec diviſibile eſt, ſanè Deus qui inextenſus eſt & impartibilis & infinitus, inſtar puncti totum hunc mundum amplectitur, & pariliter ejus æternitas totum tempus noſtrum, omneſque illius partes & differentias.

Indiviſibile] Abſurdè: nam majus & minus comparativa ſunt ei demum ſubjecto convenientia quod magnum & quantum & extenſum eſt: & quod eſt diviſibile in infinitum: Quare nequit illi comparationi ſubeſse quod eſt ſimpliciter indiviſibile; id enim tã ineptè minus dices diviſibili, quam eodem brevius, aut melius, aut magis viſibile.

Certe hoc pacto] Utrumque dici poteſt: nam æternitas Dei eſt punctum Mathematicum ſive potius Metaphyſicum reſpectu vitæ noſtræ; quatenus caret principio & fine, nec eſt ut ætas noſtra diviſibilis, partibilis & ſucceſſiva: Vita verò noſtra punctum eſt atque momentum

Digitized by Google

Phyſicum & Politicum ad æternitatem Dei, quatenus durationis eſt breviſſimæ & citò evaneſcit; Hic æternitas Dei concipitur per modum longiſſimæ durationis ad breviſſimam comparatæ, ibi per modum durationis infinitæ & indiviſibilis, quæ confertur cum duratione finita & diviſibili.

Præterea ſi æternitas Dei quovis momento tota exiſtit, quicquid eſt, æternum erit. Quicquid enim cum tota æternitate unà exiſtit, id æternum eſſe neceſſe eſt. At iſtâ ſententiâ poſitâ, etiam ea quæ momento exiſtunt, unà exiſtent cum tota æternitate. Quinetiam ipſa temporum intervalla & res omnes, licèt longiſſimis ſpaciis à ſe invicem diſjunctæ, hac ratione ſimul extiterunt atque exiſtent, & initium mundi, verbi gratiâ, cum ejus fine connectetur. Omnia enim in illo æternitatis divinæ, ut ita dicam, momento inter ſe coeunt: non aliud hac, aliud illa æternitatis parte extitit, vel exiſtet. Quæ verò eodem momento exiſtunt, certè ſimul exiſtunt, quemadmodum ea quæ eodem tempore toto exiſtunt. Alia eſt eorum ratio, quæ eodem quidem temporis ſpatio, ſed diverſis ejus temporis partibus exiſtunt; ut ſi eodem ſeculo exiſtant, at non eodem anno; aut eodem quidem anno, ſed non eodem menſe, die, hora, momento.

‡ *Præterea*] Proponatur modo hæc ratio in forma debita, & evertetur. Quod cum tota æternitate unà exiſtit id æternum eſt; at quicquid vel momento exiſtit in mundo, exiſtit cum tota Dei æternitate, ergo; Major univerſaliter ſumpta falſa eſt. Nam ſimultas exiſtentiæ ſive coexiſtentia, vel eſt adæquata vel eſt inadæquata: adæquata eſt eorum quæ ſunt ejuſdem naturæ & durationis; inædaquata eſt eorum quæ quamdiu ſunt, unà quidem & ſimul exiſtunt, ſed ſunt cæteroquin durationis heterogeneæ: Si ergo intelligatur major de coexiſtentia adæquata, ea vera erit: quo ſenſu tres in S. Trinitate perſonæ ſunt coæternæ, & falſò cenſuit Ariſtoteles mundum coextitiſſe Deo ab æterno; at falſa eſt, ſi intelligatur de coexiſtentia inadæquata, qualis eſt rerum creatarum ad Deum: nam totus Deus, adeoque tota ejus æternitas, quæ eſt ipſiſſimus Deus, coexiſtit cuilibet Creaturæ quamdiu ipſa exiſtit & durat, & ſic quęlibet creatura coexiſtit toti Deo ejuſque indiviſæ æternitati; ſed hęc coexiſtentia eſt inædequata, quia rerum eſt naturæ & durationis planè heterogeneæ. Totum cœlum coexiſtit Adamo, & totum cœlum mihi coexiſtit. Non tamen ſequitur durationem Adami vel meam commenſurandam eſſe durationi cœlorum, quia duratio mea & cœli non ſunt ejuſdem conditionis, & coexiſtentia cœli & mei eſt inadæquata.

Quinetiam] Sanè quę conveniunt in uno tertio inter ſe convenire oportet, ſed tantum ejuſdem tertij reſpectu: Conveniunt ergo in eo omnes temporis differentię inter ſe quod unaquæque earum cum exiſtit, coexiſtat toti æternitati & illius reſpectu, ſed non debent inter ſe ideo ita convenire ut coexiſtant; Nam tota æternitas non coexiſtit omnibus temporis partibus conjunctim & ſimul ſumptis ac exiſtentibus, ſed tantum ſingulis diviſim ſumptis, & prout ſibi mutuo ſuccedunt: v. g. hodie tota æternitas coexiſtit hodierno diei, cras tota coexiſtet craſtino, perendie diei perendino, & ſic de cœteris: Hinc autem non ſequitur hodiernum, craſtinum & perendinum

dinum diem ſimul inter ſe exiſtere, ſed potius unum alteri ſuccedere. Quamdiu extitit Moſes toti cœlo coextitit, & David ſimiliter: non tamen inde ſequitur, ergo eos ſimul extitiſſe.

Omnia enim] Non coeunt omnia in illo æternitatis divinæ indiviſibilis momento, ut ſimul ſint inter ſe, ſed ut æternitas Dei tota coexiſtat ſingulis earum partibus cum ſunt & exiſtunt.

Non aliud hac] Verum eſt quod nihil rerum creatarum & finitarum, nihil quoque temporis noſtri, hac æternitatis parte exiſtat, illud aliâ, quia in æternitate, ut pote indiviſibili, nullæ ſunt partes; ſed non ſequitur, non aliud hac, aliud illâ parte æternitatis extitit, vel exiſtet, ergo hæc omnia ſimul exiſtunt; cum hoc extiterit antea toti æternitati, iſtud nunc toti æternitati exiſtat, & hoc olim eidem toti exiſtet, cum ſuam exiſtentiam adeptum erit: Sic columna humi defixa tota præſens eſt omnibus Zodiaci partibus in converſione primi mobilis, ſed demum prout illæ ſibi invicem ſuccedunt in Horizonte.

Quæ vero eodem] Nempe in quantum & quamdiu illam coexiſtentiam habent, & ſi momentum illud ſit univocum; Iam vero nihil creatum accuratè loquendo coexiſtit Deo eodem momento, tum quia nulli rei creatæ competit momentum illud ſtans quod ſpecificum eſt æternitatis divinæ; tum quia nihil creatum exiſtit in momento Mathematico & indiviſibili; ſiquidem omnis duratio creata, partes habet & eſt diviſibilis.

Alia eſt eorum ratio] Verum etiam hæc ſuo ſenſu ſimul ſunt tempore, quæ eodem ſæculo exiſtunt, ſi temporis partes in ſæcula diſtribuamus, & multos hiſtoria facit coævos & qui eodem tempore fuerint, qui tamen ſimul nati & denati non fuerunt: Quod ſi unà exiſtunt ſenex capularis & infans unius diei, quia eodem exiſtunt momento, etſi non antea vixerint ſimul, nec in poſterum ſint unà victuri, quid impedit quominus unà exiſtamus cum antiquo dierum Dan: VII, 9. 13. utique toto, ut ille puer coexiſtit toti illi ſeni, etſi ante nos extiterit & poſt nos extiturus ſit in æternum? Neque tamen ex eo quod ſic quandam temporis & durationis ſimultatem, ſive coexiſtentiam, habemus cum Deo, ſequitur tempus fluens & ſucceſſivum eſſe univocam menſuram durationis divinæ & noſtræ; quemadmodum inde non ſequitur extenſionem quantitativam & dimenſiones convenire Deo, eo quod per ſuam ubiquitatem & omnipræſentiam ſit ſimul loco nobiſcum, & ubicumque ſumus ibi ſit, non tamen per coextenſionem ad ſpatium quod occupamus, ſicuti nos: Itaque ut noſtra ſimultas loci cum Deo, eſt planè inadæquata, nec Deum facit ullo loco incluſum vel ulli coextenſum, ita noſtra ſimultas temporis cum Deo, quamdiu ſumus, utpote inadæquata, Deum non ſubjicit durationi diviſibili & ſucceſſivæ.

Quòd ſi æternitas Dei nullas habet partes, nihilque in ea prius eſt, nihil poſterius; certè cum omnia in ea fiant, omnia eodem momento fient: & quicquid Deus ſemel fecit, aut facturus eſt, æternùm fecit, facturuſque eſt. Condidit ſemel mundum hunc, & ex nihilo produxit: eundem ergo adhuc condit, & exiſtentem licèt, ex nihilo producit; quinetiam tum eum conſtruet, cùm deſtruet; & quia deſtructurus eſt aliquando mundum, deſtruxit jam tum cùm condidit. Nam ſi dicas, eum antea non condidiſſe mundum, poſtea condidiſſe, nunc non ampliùs condere, aut conditurum; partes dabis du-

bis durationis divinæ, alias antecedentes, alias conſequentes, in quarum alia hoc faciat, in alia illud. Idem de cæteris omnibus Dei actionibus intelligendum eſt. Omnes licèt inter ſe pugnantes, jungendæ erunt: traditio
129. Chriſti in mortem, cum ejus reſuſcitatione; aſſumtio in cœlum, cum ejus è cælo miſſione: iraſcetur nobis Deus, cùm maximè propitius eſt; & propitius erit, cùm vel maximè iraſcitur. Quæ tanta eſt rerum inſociabilium conſociatio?

† *Quod ſi æternitas*] Omnia in æternitate fieri eſt falſum: nam quęcunque fiunt à Deo extra ſe, fiunt in tempore, ideſt durationem partibilem & ſucceſſivam naciſcuntur. Sic enim in principio, idque ſpatio ſex dierum, omnia condidit; & condendo, ſubjecit quoque illa tempori & durationi ſucceſſivæ, alterius ordinis à ſua, quæ eſt permanens & indiviſibilis.

Quicquid Deus ſemel] Non facit uſque & uſque quod ſemel fecit, ſed tamen quod ſemel fecit hactenus æternùm feciſſe cenſendus eſt, quia ſemper & in æternum verum erit id factum ab ipſo ſemel fuiſſe: nam quod factum eſt infectum fieri non poteſt: ita ab æterno & ſemper verum fuit id Deum facturum quod adhuc eſt in fieri, & ſuo tempore facturus eſt.

Nam ſi dicas] Propriè non dicam quod Deus antea mundum non condiderit: cum propriè non debeam concipere tempus, quod illo adverbio exprimatur, præextitiſſe mundo; ſiquidem mundo non exiſtente tempus non erat ſed abyſſus ęternitatis; Sed benè dicam mundum conditum à Deo in principio temporis, & hoc tempore mundum non condi, ideſt non accipere ſuæ durationis principium, ſed in ſuo eſſe jugiter à Deo conſervari, quamdiu ei placuerit eum vel evertere vel invertere & mutare: Benè quoque dicam quod jam ante Deus condidit mundum & poſtea non ſit conditurus: neque tamen ſic partes dabo durationis divinę alias antecedentes alias conſequentes, in quarum alia hoc faciat, alia illud; ſed tantum dabo partes durationis mundi & temporis, quod cœpit fluere ex quo mundus cœpit eſſe, & cujus reſpectu hæc & illa nunc vel tunc fieri, facta eſſe, aut futura dicuntur.

Idem de cæteris] Hæ omnes tranſeuntes Dei actiones ita habent eum authorem qui eſt ęternus, ut tamen non fiant in æternitate, ſed in tempore; adeoque diverſis & diſtinctis illius partibus: Imò cum id demum fiat quod eſſe aliquando incipit, uti ipſe author docebat ſuprà *cap.* 4. unde liquet mundum non potuiſſe ab æterno exiſtere, quia fieri debuit & incipere eſſe, nihil propriè fit in æternitate in qua non eſt principium aliquod exiſtendi, ſed demum in tempore.

Neque verò ſententiam tot abſurdis fœcundam illa ſtabiliunt Petri verba, (*2 Pet: 3: 8.*) de quibus ſuprà egimus: *Unus dies apud Dominum ut mille anni, & mille anni ſicut unus dies*; aut illa Pſalmi, (*Pſal: 90. 4.*) unde ſua depromſiſſe videtur Petrus: *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna, quæ præteriit, & cuſtodia in nocte.* Neque enim magis ex his ſequitur, in æternitate Dei nullam eſſe ſucceſſionem, nihil prius aut poſterius, quàm in ſeptem illis annis, quos pro Rachele ſervijt Jacobus, nihil tale fuiſſe; quia ſcriptum ſit, (*Gen:*

ſit, (*Gen: 29. 20.*) illos *ſeptem annos fuiſſe in oculis ejus* (ſic eſt in Hebræo) *ut dies ſingulos.*

‡ *Neque vero*] Imo in utroque hoc loco multum ineſſe ponderis pro divinæ æternitatis indiviſibilitate, ſuo loco indicatum; eo quod in nulla duratione ſucceſſiva mille anni poſſint commenſurari uni diei, vel unus dies mille annis: In longævitate priorum hominum qui ultra nongentos annos ſuam vitam prorogabant, anni & dies ſinguli erant ejuſdem durationis ac noſtri; nec poteſt dici quod apud illos decem anni, fuerint inſtar unius menſis noſtri; aut quod decem ex noſtris annis, vix idem ſint quod unus ex menſibus eorum. Adde quod durationis divinæ & noſtræ utroque hoc loco non putativum duntaxat ſed reale diſcrimen proponitur, quod non aliunde poteſt accerſeri quam ex diſtincto utriuſque modo, ut illa ſit indiviſibilis, hæc fluens & ſucceſſiva.

‡ *Neque enim magis*] Nulla eſt comparatio utriuſque hujus loquutionis; nam reale eſt diſcrimen unius diei Domini ad mille noſtros annos, & mille noſtrorum annorum ad unum diem Domini; at non erat reale diſcrimen inter ſeptem annos Iacobi ſervientis pro Rachele, & illos paucos dies quos eos eſſe putabat; ſed tantū diſcrimen putativum reſpectu opinionis & rationis ſuæ: quatenus nempe licet *affectivè* fuerint illi hi ſeptem anni longiſſimi reſpectu ſui amoris qui moræ ſemper eſt impatiens, tamen *appretiativè* breviſſimi judicabantur, quatenus labor ille ſeptennis ad præmij promiſſi & ſperati comparationem, nullus ferè ipſi cenſebatur: Tum Petrus & David conferunt durationem noſtram cum duratione divina, at Iacob in exiſtimatione & appretiatione ſua, ſeptem annos ſuæ durationis, cum paucis itidem ſuæ durationis diebus conferebat: & licet putativè viderentur illi ſeptem anni eſſe tantum inſtar unius diei, tamen actu & revera habebant tot dies ſucceſſivos quot ſeptennium integrum ad ſui conſtitutionem exigit.

Quin ſi hoc modo premere illa, ſive Petri, ſive Pſalmi verba libeat, faciliùs contrariam inde ſententiam expreſſeris. Nam & in mille annis, & in uno die, temporis eſt ſucceſſio; nec totum, ſive mille annorum, ſive unius diei ſpacium, uno momento exiſtit. Si quis dixerit, Deo victoriam largiri volenti unum militem eſſe ut mille, & mille ut unum, rectè omninò dixerit. Ec quis verò erit, qui inde colligere velit, unum militem & mille apud Deum per ſe nihil differre, nec numeri hujus ullum eſſe diſcrimen. An non manifeſtum eſt, eum, qui ſic loquatur, id ſibi tantùm velle, perinde eſſe Deo, & æquè facile, ſive per unum vincere, ſive per mille? ſimiliter etiam, vel unum vincere, vel mille. Cur ergo ex eo, quòd apud Dominum unus dies eſſe dicitur, ut mille anni, & contrà, colligitur, apud Dominum per ſe nihil inter utrumque temporis ſpacium intereſſe, aut nullam in æternitate ejus ſucceſſionem eſſe? Plura de ijs locis non addimus, quia eorum ſenſum jam ſatis ſuprà explicuimus.

‡ *Quin ſi hoc*] Fateor quod ſit temporis ſucceſſio in mille noſtris annis & in uno noſtro die; ſed cum dies unus Dei dicitur eſſe inſtar mille noſtrorum annorum

Digitized by Google

norum, & mille noſtri anni inſtar unius diei divinæ, eo ipſo ſtatuitur quod dies & anni Dei ſint planè alterius ordinis à noſtris; Nec poteſt illa diverſitas aliunde repeti, quam ex eò quod in diebus & annis noſtris, propriè ſic dictis, detur partium fluxus & ſucceſſio, non vero in diebus & annis Dei, qui nonniſi figuratè & ἀνθρωποπαθῶς illi conveniunt: Si enim in duratione Dei eſſent partes propriè dictæ majores & minores, uti in noſtra, tum daretur non ſolum numerus actu infinitus, ſed etiam daretur numerus major infinito; quod evidentem contradictionem involuit: Etenim plures eſſent dies in Deo quam anni, & plures anni quam ſæcula: & ſic, ſæculis ejus per prius & poſterius numeratis, infinita eſſent numero ſæcula, ut tamen illo infinito ſæculorum numero major eſſet numerus annorum ipſius; prout major eſt numerus menſium meorum quam annorum meorum; & iterum infinito numero annorum ſuorum, major adhuc daretur numerus, nempe dierum ſuorum: Si enim ejus duratio per dies, annos & ſæcula fluat, plurium proculdubio erit dierum quam annorum, & annorum quam ſæculorum; Quare vel nec infiniti erunt anni Dei, quod blaſphemum eſſet ſtatuere, vel dabitur infinito majus, ſi plures dantur dies quam infiniti anni.

Nec totum] Luſus eſt perpetuus in voce *momenti*, quam ſatis ſuperque ſuo loco diſtinximus: Satis eſt quod mille noſtris annis, per ſuas partes ſucceſſivas & effluentes, tota coexiſtat æternitas, ceu momentum ſtans & indiviſibile.

Si quis dixerit] Hoc ſimile eſt planè diſſimile: Nam ſi ex comparatione facta militum inter ſe dicamus, æquè facile eſſe Deo victoriam largiri de mille hoſtibus ac de uno, idque non minus per unum militem quam per mille, manente tamen numeri diſcrimine inter mille milites & unum, nihil inde amplius ſequetur, quam pariliter poſſe Deum efficere ut puer aliquis unius anni ſpatio tantum creſcat ac alij toto ſeptennio, aut non magis proficiat toto ſeptennio, quam alij uno anno; manente ſemper diſcrimine numerico inter ſpatium annuum & ſeptenne. Nec quiſquam noſtrum negat, inter mille annos noſtros & unum diem noſtrum eſſe numericum diſcrimen: cum ejuſdē natura temporis unum ſpacium ſit extēſius altero, ceu plures numero partes ſibi minores ſuccedentes continens. Sed longè aliud ſibi vult Scriptura cum dicit unum diem apud Dominum eſſe ut mille annos, & mille annos ut diem, item mille annos noſtros eſſe ipſi ut diem heſternam quæ præterijt. Ibi enim non fit comparatio inter diſtincta temporis noſtri ſpatia, quibus ſive prolixioribus ſive brevioribus Deus poſſit extra ſe aliquid efficere, quæ ſanè ejuſdem cæteroquin ſpeciei & naturæ nonniſi numero differunt, ſed fit comparatio inter durationem Dei & noſtram, inter quas ſpecifica differentia his loquutionibus conſtituitur: quia ſi per partes ſucceſſivas tempori noſtro homogeneas fluat duratio divina, revera non erit unus dies Dei longior uno die noſtro, aut mille anni noſtri breviores mille annis Dei.

Cur ergo] Sanè agnoſcimus quod in notitia & exiſtimatione Dei, unus è noſtris diebus ſit longè brevior mille noſtris annis, & quod ſit ſemper magnum interſtitium etiam apud Deum inter hoc utrumque temporis ſpacium, cum Deus noverit res extra ſe uti revera ſunt; ſed negamus ipſius Dei durationem per diſtincta ſpatia temporis ſucceſſivi fluere; ſiquidem tam diverſa eſt durationis divinæ & noſtræ ratio, ut unus dies Dei ſit longior mille noſtris annis, quod ſanè futurum non eſſet, ſi per eadem temporis labentis ſpatia duratio divina & noſtra decurrerent.

Illud

Digitized by Google

Illud adhuc de æternitate Dei addendum eſt; eam non ipſi tantùm Deo, ſed etiam attributis ipſius, quæ tota ſimul exiſtunt, attribui. Itaque ſuprà vidimus, etiam potentiam Dei æternam appellari. Et ijs quidem attributis, quæ Deo ſunt prorſus naturalia, uti eſt ipſius potentia, ſeu vires ac robur, non minùs abſolutè competit æternitas, quàm ipſi Deo. Ipſe enim ſimpliciter æternus non foret, ſi attributa, quæ ſunt illi prorſus naturalia, æterna ſimpliciter non eſſent. At quæ ita ſunt comparata, ut actu ipſo, niſi creaturæ extent aliquæ, exiſtere nequeant; æterna non prorſus abſolutè dicuntur, ſed relatè, h.e. ita, ut ſignificetur, tamdiu ea ineſſe Deo, quamdiu 130.
ij extent ad quos ea ſpectant. Hoc pacto regnum Dei, ut ſuo loco dicetur, (*inf: cap: 23.*) æternum eſſe prædicatur; & *miſericordia Domini ab æterno & uſque in æternum eſſe* dicitur, (*Pſal: 103. 27.*) ſed additur, *ſuper timentes eum*: quæ verba æternitatem illam reſtringunt, & non abſolutè miſericordiæ divinæ tribui oſtendunt. Et hæc eſt cauſſa inter alias, cur ſæpiùs in æternum duratura eſſe dicatur Domini miſericordia, quàm ab æterno. quod etiam de regno divino intelligendum eſt.

‡ *Illud adhuc*] Non ſatis accuratè diſtinguuntur attributa Dei in ea quæ *tota* ſimul exiſtunt, & alia quæ fingantur tota ſimul non exiſtere; nam cum Deus totus ſimul exiſtat, & nihil ſit in Deo quod non ſit Deus, neceſſe eſt nullum dari attributum divinum & eſſentiale quod totum ſimul non exiſtat; Adhæc cum Deus ſit ſimpliciter æternus, & æternitas debeat ijs attributis annumerari quæ Deo *ſunt prorſus naturalia*, cur ergo negat adverſarius eam totam ſimul exiſtere, & ineptè pertendit illam inſtar noſtræ per partes fluere, quarum aliæ non amplius ſunt, aliæ nondum ſint?

At quæ ita ſunt] Abſurdè diſtinguitur æternitas in abſolutam & relativam; Cum æternitas ſit abſoluta & ſempiterna duratio ejus rei cui tribuitur, ita ut & fine & principio careat. Abſurdè quoque ullius attributi divini æternitas ſuſpenditur à creaturis quæ non exiſtunt niſi in tempore: Id enim æternum cenſeri non poteſt, quod actu exiſtere nequit, niſi creaturæ extent aliquæ, quarum nulla æterna eſſe poſſit.

Hoc pacto] Regnum Dei ut notat gloriam Dei eſſentialem ejuſque majeſtatem & potentiam, eſt ſimpliciter & abſolute æternum; ut notat actualem adminiſtrationem rerum creatarum, æternum non eſt; ut nec prout ſumitur pro fœlicitate ſuprema quam ſuis communicaturus eſt in cœlo, niſi *æternum* ſumatur ſenſu diminuto & ſecundum quid pro æviternitate, ſive æternitate à parte poſt.

Et miſericordia] Ea ſi conſideretur *affectivè* eſt ſimpliciter æterna à parte ante & à parte poſt: cum Deus nos ab æterno ex miſericordia ſua elegerit in Chriſto, idque miſericordiâ nunquam ceſſaturâ: ſed *effectivè*, ut ſonat beneficia ex illa in nos redundatura, habet tantum æviternam durationem, non ſimpliciter abſolutam æternitatem.

Quod ad uſum hujus doctrinæ attinet; primùm ad venerationem divini numinis tantò majorem in animis noſtris excitandam, facit conſideratio divinæ æternitatis. Pertinet enim hoc ad excellentiam ſupremi numinis, quâ

Digitized by Google

creaturas omnes ſuperat, quòd nec initium habuerit, nec finem ſit habiturus; aut habere ulla ratione poſſit: cùm hæ & initium habuerint, & finem, niſi ab ipſomet æternitate donentur, ſint habituræ.

‡ *Pertinet enim hoc ad*] Cur non etiam & iſtud quod monuimus, ut ſuum eſſe non poſſideat per partes caducas & fluentes ſicuti nos?

Quorſum autem id nominatim proſit ſcire, quòd Deus ab omni æternitate extiterit; jam ſuprà ſatis explicatum eſt, cùm oſtendimus, qua ratione ſac. literæ æternitatem Dei à parte antè, ut vocant, exprimere conſueverint.

Quod ad eam attinet æternitatem, quam à parte pòſt appellant; illius cognitio eò ſpectat, ut fidem ac ſpem noſtram in Deo firmiter collocare, & æternam ab eo vitam nobis polliceri queamus. Concideret enim fides ac ſpes noſtra, ſi hoc perennitatis divinæ fundamentum ei ſubduceretur. Quomodo enim ei tutò ad extremum uſque ſpiritum confidere queas, de quo certò non conſtet, utrùm cras aut perendie ſit ſuperfuturus? At niſi de æternitate atque immortalitate divina conſtaret, dubitari non immeritò poſſet, utrùm cras aut perendie victurus eſſet. David, ut in principibus hominumque filijs confidendum non eſſe, nec ab ijs ſalutem ſperandam eſſe doceat, hac potiſſimùm ratione nititur: (*Pſal: 146. 2, 3.*) *Exibit ſpiritus ejus, revertetur in terram ſuam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* & loquitur tamen is de ſalute temporali. quid ergo de ſpe ſalutis æternæ vitæque immortalis cenſendum eſt? quomodo hæc in eo poteſt locari, qui mortalis ipſe ſit? Atque hæc eſt cauſſa, cur ſac. literæ æternitatem divini numinis conſequentem aliquantò & pleniùs & crebriùs exprimant, quàm antegreſſam. quia nimirum fides ac ſpes noſtra magis in futurum reſpicit, quàm in præteritum: imò ſpes per ſe non niſi futurum ſpectat; maximè ſpes Chriſtianorum, quibus reſurrectio eſt & immortalis vita promiſſa.

131. Quod verò hujus æternitatis conſequens eſſe diximus, nempe quòd apud Dominum unus dies ſit ut mille anni, & vice verſa; id quem uſum habeat, Petrus nos docuit, qui & de re ipſa nos monuit. Inde enim perſpici poteſt, Deum tarditate in promiſſis exſolvendis non uti, nec ullas nectere moras, dum decretorium illum adventus Chriſti diem diutiùs differt. Tempus enim ipſi nunquam deerit ad exſolvendapromiſſa ſua, cui mille anni perinde ſunt, ac dies unus. Æternum illi ſupereſt ævum, quantumcumque etiam effluxerit. Idem ad alia quoque Dei promiſſa, præſertim non ad hunc aut illum hominem nominatim, ſed vel ad totum genus humanum, vel ad populum aliquem ſpectantia, transferendum eſt.

‡ *Quod*

‡ *Quod verò hujus*] Id non tam ad æternitatis conſequens, quam ipſiuſmet eſſentiam & naturam pertinet, ut ſupra viſum.

Inde enim perſpici] Id inde perſpici poteſt quod non debemus Deum metiri noſtro pede, aut inquirere in tempora & tempeſtates, quas Deus, Pater æternitatis cum ſit, in ſua ipſius *poteſtate* eſſe vult Act: 1, 7.

Tempus enim] Non eſt hæc mens Petri, ſed quam modò retuli: Parum enim id faceret ad compeſcendas querelas hominum de promiſſione Dei fruſtratâ, ſi dicamus illi adhuc ſupereſſe tempus ad eam exſolvendam: ut ei qui de debitore divite quereretur quod perſolvere ad tempus detrectet, aliquis diceret ſupereſſe tamen illi ſat nummorum ad perſolvendum: Quare dicendum Deum non retardare nec differre ſuam promiſſionem, ſed conſilia Dei ad noſtri temporis momenta, vel impatientiæ aut curioſitatis humanæ decempedam, exigenda non eſſe: eò quod longè ſit alia ratio temporis divini quam noſtri: Quò altiores ſunt planetæ eò lentiùs in ſuo curſu procedunt.

CAP. XIX.

De Vita Dei.

‡ *Reſpondente* JOHANNE SCHLICHTINGIO, Friſio Orientali.

POſtquam illa Dei attributa vidimus, quæ vel ad communes rerum affectiones pertinent, vel cum ijs conjunctionem habent; nunc ad ea veniendum eſt, quæ viventium ſunt propria. Ea verò ita ſunt comparata, ut alia alijs veluti innitantur, &, ut in ſcholis loquuntur, alia ab alijs præſupponantur. Et primùm quidem ſequuntur facultates, ſeu actionum propriæ cauſſæ ac principia; tum demum ea, quæ facultatibus his iterùm nituntur. Cum autem actiones, etiam divinæ, duplicis ſint generis, aliæ, quas immanentes vocant, quæ ab agente in rem aliam non transeunt, eámve afficiunt; aliæ transeuntes: etiam facultates, quæ earum ſunt principia, duplicis ſunt generis. Aliæ enim immanentium propria ſunt principia: aliæ transeuntium. Facultates, quæ per ſe immanentium, conſequenter & transeuntium actionum ſunt principia, duæ in Deo ſunt, Intellectus & Voluntas, quæ vitam ejus veluti determinant, ac differentiarum inſtar ad eam reſtringunt ſpeciem, quæ eſt perfectiſſima. Facultates ſimiliter, quæ actionum transeuntium ſunt principia, duæ ſunt, Potentia, quæ in efficacia conſiſtit ac viribus, & Poteſtas, quæ in jure. De his ergo ita agemus, ut initio à Vita facto, ad actionum immanentium principia progrediamur; ab his iterum ad principia transeuntium; cętera ſuis locis viſuri.

‡ *Vel cum ijs*] Atqui hoc de æternitate abſoluta dici nequit, quæ ita Deo eſt propria ut nullam cum alijs rebus conjunctionem aliam habeat quam coexiſtentiæ dum illæ ſunt.

Ac differentiarum] Certè Deum vel Dei vitam ad aliquam rerum ſpeciem, niſi valdè æquivocè & catachreſticè reſtringere, nefas

re, nefas eſt, cum Deus ſit ens ita tranſcendens & infinitum, ut nihil ei competat niſi tranſcendentaliter & modo infinito.

Quod ergo ad vitam Dei attinet, ut de voce primùm dicamus; animadvertendum eſt, cùm id nomen ad Deum in ſacris literis refertur, non protinus vitam illam ſignificari, quâ Deus ipſe vivit, de qua nobis eſt hoc loco
132. agendum. Etenim cùm Paulus in Epiſt. ad Epheſ. (*cap: 4. 11.*) ait, Gentes *alienatas eſſe à vita Dei*; quivis facilè cernit, non eam intelligi vitam, quâ Deus ipſe vivit; ſed vel vitę rationem à Deo pręſcriptam, eique placentem; ut opus Dei aut Domini, alicubi (*Ioh: 6. 29. 1 Cor: 15. 58.*) ſignificat opus à Deo aut Domino pręſcriptum, eique gratum & acceptum; vel vitam ſempiternam, quę à Deo proficiſcatur. quo pacto *vita Ieſu* apud eundem Apoſtolum (*2 Cor: 4. 10.*) ſignificat vitam, ſeu mavis conſervationem in vita, atque è mortis periculo liberationem, quę à Jeſu Chriſto proficiſcatur. quamquam prius eſt vero ſimilius. Cùm verò Chriſtus apud Johannem ait, (*Ioh: 5. 26.*) *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo: ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo*: itidem non de illa vita, vel ſaltem non de illa ſola loquitur, quâ Deus aut Chriſtus ipſe vivat: ſed potiùs per metonymiam effecti, vim atque efficaciam deſignat vitam alijs largiendi; quemadmodum ab interpretibus nonnullis (*VVolf: Muſculo, Ioh: Maldonato.*) eſt animadverſum. Probat enim Chriſtus his & ſequentibus verbis id, quod antea dixerat, *mortuos audituros vocem Filij Dei*, *&*, *qui audierint*, *victuros.* Id autem non rectè probaſſet, ſi per vitam, quam Pater in ſemetipſo habeat, & Filio quoque habere in ſemetipſo dederit, eam tantùm intellexiſſet, quâ ipſemet Pater ac Filius vivat. At rectiſſimè id probat, ſi vim atque efficaciam intelligit vitam alijs largiendi, vel ſaltem hanc quoque verbis iſtis includit. Verùm hac de re non eſt hîc fuſiùs dicendi locus.

‡ *Gentes* alienatas] Hæc vita Dei amplius quid ſonat; nempè eam vitam ſpiritualem quam Deus Spiritu ſuo vivifico per Chriſtum excitat & accendit in nobis, qui naturâ eramus *Filij iræ & mortui in peccatis* noſtris Eph: II, I. Sic *opus Domini* non tantum ſignificat opus ab ipſo præſcriptum, ſed illud etiam quod Deus in nobis operatur: Sumus eum *ipſius opus conditi in Chriſto Ieſu, ad opera quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus* Eph: II, 10.

Quo pacto vita Ieſu] Et hunc locum 2. Cor: IV, 10. malim intelligere de vita illa ſpirituali, de qua etiam Gal: II, 20. quam de noſtri conſervatione in hac caduca vita: Hæc vita ſpiritualis *vita Ieſu* dicitur, tum quia ex Ieſu merito pendet, tum quia illius inhabitatione in cordibus noſtris per fidem Eph: III, 17. peragitur, tum quia procedit à Spiritu Chriſti Rom: VIII, 10. 11. tum quia Ieſus illius cauſa exemplaris eſſe debet, dum paulatim pervenimus *in virum adultum ad menſuram ſtaturæ pleni Chriſti* Eph: IV, 13. Ita etiam Chriſtus *vita noſtra* dicitur Col: III, 3. & ipſe ſe vocat *viam, veritatem & vitam* Ioh: XIV, 6. Itaque præſtat dicere

Digitized by Google

vitam Dei tripliciter ſumi, 1. de vitæ ra-tione à Deo præſcripta; 2. de vita illa ſpirituali quam ipſe in nobis *operatur*, quæ vitæ æternæ ſemen eſt: 3. de vita quâ ipſe vivit.

Cum vero Chriſtus] Hic quærit adverſarius occaſionem nobis eripiendi firmiſſimum argumentum pro Divinitate Chriſti; ſed nullo fundamento: Loquitur enim hîc Chriſtus non metonymicè & effectivè de vita quam alijs largitur, ſed ſubjectivè & formaliter de vitâ divinâ, quam per generationem accepit à Patre, penes quem *fons eſt vitæ* Pſal: XXXVI, 10. cujuſque vitæ quam in ſe habet reſpectu, Patri eſt ὁμοέσιος & αὐτόθεος. Sanè qui habet vitam independentem & in ſeipſo, non ſecus ac Pater, is eſt *ſummus ac verus Deus & vita æterna* 1. Ioh: V, 20. At hoc ſibi tribuit ipſe Filius; *ut hoc ſolum,* inquit Auguſtinus *tract.* 19. *in Ioh. interſit inter Patrem & Filium, quia Pater habet vitam in ſeipſo quam nemo ei dedit, Filius autem habet vitam in ſemetipſo quam Pater dedit*, nempè per generationem æternam: *non ſic quaſi ante fuerit Filius ſine vita*, inquit idem, *atque ut viveret à Patre acceperit vitam; nam ſi hoc eſſet non haberet vitam in ſeipſo.* Habet quidem Filius eam vitam dependenter in ordine ad Patrem: Ea tamen vita in ſe eſt independens, cujuſmodi eſt ipſa eſſentia divina, quæ vivens & habens vitam in ſeipſa Filio communicatur per generationem.

Quemadmodum ab interpret.] Sed illi interpretes, non negant Filium hîc ſe æquè ac Patrem conſtituere *totius vitæ fontem*, ut loquitur Eraſmus *in Paraphraſi*. Quod vero malint poſt Cyrillũ id intelligere, propter *dandi* vocabulum, de Chriſto quà θεάνθρωπῳ quam de ipſo præciſè quà λόγῳ, etſi minus commodè, tamen non juvat cauſam adverſariorum; cum vim illam vivificam ſemper arceſſant à Divinitate Chriſti.

Probat enim Chriſtus] Imo id commodiſſimè probat, & ſe vim habere ac efficaciam vitam aliis largiendi, eo quod ſit cum Patre ipſiſſima vita; cum illud habere vitam in ſe ipſo duo denotet; 1. Habere vitam ſimpliciter independentem, divinam & æternam; 2. Habere exinde vim vivificandi cœtera: Sicut ſol qui habet lucem in ſeipſo, cœtera quoque illuminare poteſt; Vnde illud Ioh. VI, 57. *Sicut miſit me vivens ille Pater & ego vivo per Patrem, ita etiam qui ederit me, vivet quoque ipſe per me.*

Si vim atque efficaciam] Verum enim vero hæc illam neceſſariò præſupponit, adeoque Chriſtus meritò ex illa hanc infert & demonſtrat hoc loco.

Accedendum enim nobis eſt ad illam Dei vitam, quam ipſemet Deus vivit; quę tum ſignificari ſolet, ſaltem primò, cùm Deus vivens in ſac. literis appellatur: aut illa jurandi formula Deo uſurpata legitur, *Vivo ego*, & illa hominibus, *Vivit Dominus.* Utrumque autem horum in ſac. literis frequens eſt. Itaque ſi teſtimonia requiras hujus divini attributi, ea ſunt obvia. Quod ad alias rationes, quibus id probetur, attinet; eædem ſunt, quibus Deum eſſe ſuprà probavimus. Deus enim revera non eſſet, ſi vitâ careret; ut omnes per ſe intelligunt. Quam ob cauſſam Deus verus in ſac. literis, idolis fictitiſque Dijs eo nomine, nunc apertè, nunc tacitè opponi ſolet, quòd ſit Deus vivus; ut propemodum perinde ſit, Deum vivum dicere, ac Deum verum: quamquam nonnunquam vox *veri* & *vivi* Deo ſimul, uberioris declarationis cauſſâ tribuitur. Sic Jeremias, cùm de idolis non

Digitized by Google

pauca dixiſſet, & ea nec benè, nec malè cuiquam facere poſſe docuiſſet, (*Ier: 10. 10.*) Deum verum illis opponens ait: *Dominus autem Deus verus eſt: ipſe Deus vivens, & rex ſempiternus.* & Paulus ad Theſſalonicenſes ſcribens: (*1 Theſſ: 1. 9.*) *Converſi eſtis*, inquit, *ad Deum à ſimulacbris, ſervire Deo vivo &*
133. *vero.* Idem in Actis ſolam *vivi* vocem opponit *vanis* ſeu commentitijs Gentium dijs. Ita enim Lyſtrenſibus ait, (*Act: 14. 14.*) ſibi ac Barnabæ ſacrificare volentibus, & ſe Mercurium, Barnabam Jovem appellantibus: *& nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt.* Itaque cùm Deum *vivum* in ſac. literis appellari audimus, præter ipſam vitam omnia illa cogitare debemus, quæ in Deo vero requiruntur, ac nominatim immenſam ipſius potentiam; non quidem vi ſolius vocis *vivi*, ſed & nominis *Dei*, cui apponitur. Quò accedit, quòd vox illa κατ᾽ ἐξοχὴν Deo ſummo tribui, certis præſertim in locis, omnino videatur, ita ut intelligendum ſit, Deum ita vivere, ut fons ſit omnis vitæ; h. e. ut ipſe primò ac per ſeipſum vivat, cæteriſque omnibus ſit vitæ cauſſa. Unde illic Viventis epitheto non ſine peculiari emphaſi videmus inſigniri Deum, ubi de vita ac ſalute, ſive æterna, ſive temporali, quæ ab eo vel proficiſcatur, vel ſperetur, ſermo eſt. vide Joh. 6. 57. 1 Tim. 4. 10: conf. cum v. 8: & 6. 17.

‡ *Quamquam nonnunquam*] At ſanè illa conjunctio harum duarum vocum *veri & vivi*, cum de ſummo Deo agitur, maximè cum opponitur Idolis, nobis luculentum præbet argumentum pro ſumma Divinitate Ieſu Chriſti, qui ideo *verus Deus & vita æterna* dicitur 1 Ioh. v, 20.

Quo accedit] Ergo iterum vel hinc colligas Ieſum, verum & ſummum eſſe Deum, quod ſit via, veritas & vita, & fons vitæ omnibus in ſe credentibus.

Quod ad ipſam vitæ divinæ rationem ac naturam attinet; de ea non adeo multa nobis ſunt dicenda. primò quia ad religionem ac ſalutem hac in parte ſatis eſt, ſi tantum de vita Dei intelligamus, quantum etiam rudiſſimi quique intelligere facilè poſſunt, atque adeò, cùm vitæ nomen audiunt, intelligere ſolent. nempe ut ſtatuamus, Deum non eſſe rem ſive ſubſtantiam naturâ inertem atque otioſam, & porrò intelligendi, volendi, & liberè agendi vi deſtitutam: qualia videmus eſſe corpora inanimata, ac nominatim idola ſive ſimulachra, ligna ac lapides: ſed contrà talem eſſe Deum intelligamus, in quo facultates illæ locum habere queant. Deinde quia nos mortales de vitæ divinæ natura diſſerere non multa poſſumus, qui ne noſtræ quidem vitæ naturam ſatis intelligimus. Unde etiam inter doctiſſimos viros de vitæ definitione controverti videas. Eò tamen ferè eorum, qui rectiùs cæteris ea de re loqui videntur, redeunt ſententiæ, ut vita dicatur eſſe vigor quidam, aut actus quidam internus ac continuus ab anima corpori juncta proficiſcens.

Digitized by Google

ficiſcens. Sed quia hæc definitio quatenus animæ corpori junctæ mentionem facit, vitæ in univerſum non competit; ideo aliquid eſt quærendum, quod latiùs pateat, & divinæ etiam vitæ poſſit accommodari. De verbis, quibus accurata vitæ definitio concipi queat, non laborabimus: ſatis erit indicare, quod ad rei intelligentiam proſit. Dici igitur poteſt, vitam eſſe vigorem
aut actum quendam internum ac continuum, ſive ipſius ſpiritus elementa- 134.
rem naturam ſuperantis, ſive ab hujuſmodi ſpiritu, qui corpori alicui ſit junctus, manantem. Spiritûs nomen & Deo convenit, & angelis, & animæ humanæ, à Philoſophis, imò & vulgò ſic appellatæ, & animæ brutorum, (*vid: Gen: 6.17: 7.15. Eccle: 3. 21.*) ac denique nobiliori illi plantarum parti, quæ illis inſita, eas vegetat, & nutriendi ac generandi vim illis largitur. Spiritus autem vel ita perfectus eſt, ut per ſe non modò unitatem atque integritatem ſuam ſervare, ſed & operari queat; vel aliqua ratione imperfectior, ita ut corpore aliquo naturaliter indigeat, quo & contineatur, & in operando utatur. Ille per ſe vivit: hic per ſe non vivit, ſed ejus virtute atque efficaciâ vivit compoſitum, quod conſtituit, & cui naturaliter ineſt. Prioris generis ſpiritus eſt Deus; poſt Deum angeli. poſterioris, ſpiritus rerum corruptibilium. in quo tamen genere ſpiritus humanus nobilitate ac perfectione maximè eminet.

‡ *Sed quia hæc definitio*] Non competit ſanè vel ipſi animæ, quæ vivit à corpore ſeparata, vel Angelis, qui cum non componantur ex anima & corpore, nihilominus vivunt vitam excellentem & multis paraſangis hac noſtrâ mortali vitâ nobiliorem & perfectiorem.

Spiritus nomen] Non tamen univocè Deo & creaturis hoc nomen competit: cum à Deo removeat omnem compoſitionem, quæ multiplex venit conſideranda in Angelis & Spiritibus creatis.

Et animæ] At licet voces רוח *Ruah* & נפש *Nepheſch* de brutis uſurpentur, tamen nunquam illis tribuitur נשמה *Neſama*, quo etiam anima humana quandoque inſignitur; quod nomen derivant Iudæi à שמים *Schamaijm*, *Cœli*, quoniam naturę & originis planè cœleſtis eſt: ut videre eſt apud Iudęum Menaſſeh Ben Iſrael *de reſ. lib. 1. cap. 9.*

Poſterioris ſpiritus] Hîc nempe ſe prodit genius iſtorum hominum ex quo ejuſdem ordinis & naturæ ſunt anima bruti & hominis: Spiritus tamen ille humanus, quem morientes pij commendant cum Davide *in manus* Dei Pſ. XXXI, 6. & qui revertitur ad Deum qui illum dederat Eccl. XII, 9. eſt independens a corpore, tum in ſuo eſſe tum in ſuo operari: cum & illi conveniant operationes quædam inorganicæ, etiam dum hoc corpus incolit. Quare & per ſe vivit quoad actum primum, & compoſitum vivit per ipſum quoad actum ſecundum; & remanet ac operatur compoſito jam reſoluto, juxta promiſſionē factam latroni Luc. XXIII, 43. *Hodie mecum eris in Paradyſo*, & votum Pauli Phil. 1, 23. *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.*

Ex his ergo intelligi aliqua ratione poteſt, quid Dei ſit vita. Quòd ſi ſpecialiùs ac diſtinctiùs cognoſcere velis, qualis ſit ille divinæ naturæ vigor, ſeu qualis

Digitized by Google

qualis Dei ſit vita; id, quatenus nobis cognitu neceſſarium eſt, ex ſequentibus intelligetur, ubi de intellectu, voluntate, potentia Dei, cæteriſque ipſius attributis agemus. Illud hîc ex ſuperiori capite repetendum eſt, vitam Dei eſſe prorſus neceſſariam; ac porrò, ut ab æterno duravit, ita & æternum duraturam. Unde eum vidimus appellari viventem in ſecula ſeculorum, (*Apoc: 4: 9, 10. vid: & Deut: 32. 40.*) deque eo pronunciari, (*1 Tim: 6. 16.*) quòd ſolus habeat immortalitatem. Immortalitas enim moriendi impoſſibilitas eſt, vivendi autem neceſſitas, quæ æternam vitæ durationem poſtulat. Neceſſitatem autem non eam intelligimus, quæ coactionis eſt, & ſpontaneo opponitur: ſed quæ contingentiæ tantùm opponitur, nec externa eſt, ſed Deo naturalis & interna. Solus autem immortalitatem habere dicitur Deus, uti & ſolus appellatur ſapiens, (*Rom: 16. 27. Iudæ vers 25.*) & nemo bonus, niſi is unus, eſſe dicitur, (*Matth: 19. 17.*) nempe quia iſta ſolus à ſeipſo, & perfectiſſima ratione habeat: cæteri, qui habeant, non niſi ab ipſo, & inferiori perfectionis gradu. Nam nec immortalitas noſtra, ut de hac ſola loquamur, Dei ipſius immortalitati prorſus par erit. Dei enim vita ſimpliciter & abſolutè neceſſaria eſt: cæterorum non niſi ex hypotheſi quadam. Nam à voluntatis divinæ conſtantia, & angelorum nunc pendet vita atque immortalitas, & noſtra aliquando pendebit. Cæteroqui Deus, ſi vellet, deſtruere poſſet, quicquid conſtruxit. Sed quod ad nos attinet, voluntatem ſuam Deus, non modò decreto, ſed & promiſſione varijs modis ſtabilita, reddi-
135. dit hac in parte immutabilem: ita ut nobis extra inobedientiæ ac contumaciæ periculum poſitis, nunquam ſit verendum, ne nobis vitam auferat, & viribus ſuis ad perniciem noſtram utatur.

‡ *Nam nec immortalitas*] Imò δὶς διὰ πασῶν differunt: ut ſuo loco viſum alterius planè ordinis à noſtra Divinam durationem eſſe; cum in DIVINAM nulla cadat partium ſucceſſio aut *obumbratio mutationis* Iac. I, 17.

Nam à voluntatis Divinæ] Hęc Divina voluntas circa rerum Spiritualium immortalitatem, non ſolum repetenda eſt ex jugi Dei concurſu quo in eſſe ſuo conſervantur, ſed ex eo quod ipſi placuit res illas ejus indolis facere & naturę juxta quã nec ab intra per contrariarum qualitatum pugnam, nec ab extra per ullius Creaturæ vim deſtrui poſſint; unde Chriſtus non vult eos timeri qui corpus trucidare poſſunt, animam non Matt. X, 28.

Cæteroqui Deus ſi vellet] At cum voluerit facere Angelos & animas hominum naturâ immortales, ex illa ſaltem hypotheſi nequidem poteſt velle illos annihilare & deſtruere. *Ego Iehova & non mutor* Mal. III, 6.

Ita ut nobis] Quod ſi citra imminutionem humanæ libertatis dabitur tempus quo extra inobedientiæ ac contumaciæ periculum erimus poſiti, cur non poterit dari tempus ſub gratia, quo citra lęſionem liberi arbitrij, ſimus extra deficientiæ totalis & finalis periculum, Chriſto pro nobis precante non minus quam pro Petro Luc. XXII, 32. ne fides noſtra deficiat?

Reſtat,

Digitized by Google

Reſtát, ut de uſu hujus doctrinæ quædam moneamus. Is verò ex dictis ſatis intelligitur. Quandoquidem Deus revera Deus non eſſet, ſi vitâ deſtitueretur; nec magis foret colendus, quàm idola atque ſimulachra. Mera ſuperſtitio atque ſtultitia foret omnis religio, in eamque voces quadrarent divinorum virorum, quibus idololatrarum ſtultitiam meritò inſectantur, quòd Deos habeant omni vita, omnique facultate, quæ viventium ſit propria, deſtitutos: qui, ut Ieremias ait (*Ier: 2, 27.*) *ligno dicant: Pater meus es tu: & lapidi: Tu me genuiſti*; vel, ut Eſajas inquit (*Eſa: 42, 19.*) qui *confidant in ſculptili; qui dicant conflatili: Vos Dii noſtri: ſurdi audite: & cæci intuemini.* Unde alibi Jeremias (*Ier: 10, 14.*) *Stultus*, inquit, *factus eſt omnis homo à ſcientia, confuſus eſt artifex omnis in ſculptili: quoniam falſum eſt quod conflavit, & non eſt ſpiritus in eis.* Stultiſſimum enim eſt, pro domino ac rectore ſuo eum agnoſcere, qui non vivat: metuere eum, qui nocere nequeat; ſpem ſuam in eo ponere, qui benefacere non poſſit; preces admovere ſurdo; à cœco petere, ut ſe reſpiciat. Itaque ut uno verbo rem totam complectar, vitâ Dei ſublatâ, ipſe Deus ac religio omnis tolleretur. Eâdem autem ſtabilitâ, ab idolorum cultu abſtrahimur, ut ex dictis patet.

Quorſum verò profit ſcire, Dei vitam æternam eſſe atque immortalem, id capite ſuperiori ſatis eſt explicatum. Itaque nihil eſt neceſſe his diutiùs immorari.

CAP. XX.

De Intellectu Dei.

‡ *Reſpondente ad hoc & ſequens caput* ALEXANDRO TILIKINGIO, Groningano.

SEquitur nunc, ut de intellectu Dei agamus: ſiquidem ejus explicatio partim ad uberiorem ac diſtinctiorem vitæ divinæ cognitionem pertinet; partim fundamenti cujuſdam inſtar ſubſternitur reliquorum Dei attributorum tractationi. Intellectum autem hoc loco pro facultate intelligendi, ſeu res percipiendi ac cognoſcendi ſumi, facilè ex ſuperiori capite perſpici poteſt. quod propterea monemus, quia apud Veterem Latinum Bibliorum interpretem vox Intellectûs pro ſapientia ſæpè uſurpata legitur, & alicubi etiam, cùm de Deo ſermo eſt. (*Pſal: 36. 5.*) Sapientia autem ac ſcientia, ejus, de quo hîc loquimur, intellectûs actus quidam eſt ac perfectio, de qua inferiùs agemus. (*inf: cap: 24.*)

‡ *Pro facultate*] Quamvis quædam in Deo per modum facultatum, alia per modum actus veniant conſideranda pro noſtro concipiendi modo, tamen non eſt ulla in Deo concipienda compoſitio ex actu & potentia, cum ſit Deus ἀεικίνητος & actus purus ac perpetuus: *Pater meus uſque adhuc operatur & ego operor* Ioh. V, 17.

 Deinde

136. Deinde & illud animadverti cupimus, nos non ita ſtrictè Intellectûs vocem ſumere, uti tum ſumitur, cùm hominibus tribuitur. Intellectus enim humani non eſt, res ipſas primò ac per ſeipſum percipere, ſed ſenſu jam antè perceptas dijudicare, rerum eſſentiam ac naturam ex iis rerum affectionibus, quæ ſenſu jam ſunt cognitæ, penitiùs rimari, univerſalia ex ſingularibus colligere, alia ex aliis ratiocinando deducere. Unde in ſcholis vulgò dicitur, Nihil eſſe in intellectu, quod non priùs fuerit in ſenſu. Similiter nec illud intellectûs noſtri propriè eſt, res antea cognitas earumve ſpecies retinere; ſed memoriæ. At nos cùm de intellectu Dei loquimur, unà cum aliis, qui de eo diſſerunt, ſimpliciter intelligimus facultatem res quaſvis, quatenus ſub cognitionem ullo modo cadunt, percipiendi ſeu cognoſcendi. Itaque uni divino intellectui tribuimus ea omnia, quæ pluribus in homine facultatibus ſunt delegata, ſegregatâ, quæ in nobis eſt, facultatum iſtarum imperfectione. Eo nempe & præſentia intuetur Deus, & præterita tenet, & futura prævidet; eo & externas & internas rerum affectiones cognoſcit, & naturas earum intelligit; eo quis rerum ſit ordo, quæ ſimilitudo aut diſſimilitudo, quis cauſſarum atque effectuum nexus cernit; res & ſingulas & univerſas perſpicit. Ut autem hujuſmodi facultatem Deo ineſſe demonſtremus, non multis eſt opus. Cum enim totius rerum naturæ ſit & opifex, & rector ſupremus, uti ex illis conſtat, quæ de exiſtentia Dei ſuprà diſputavimus; (*ſup: capp: 2. 3. 4.*) cumque omnia in fines ſuos dirigat; nihil eorum illi incognitum eſſe neceſſe eſt. Cognoſcere autem quî poſſet, niſi cognoſcendi eſſet facultate præditus? Ipſi ſenſus noſtri, ipſa mentis noſtræ vis admonere nos debet de intellectu ejus, omnem alium ſenſum atque intellectum ſuperante, unde ipſa promanavit. Quî enim ſentiendi atque intelligendi vim largiri cæteris omnibus potuiſſet is, qui ſenſu (liceat enim & hac voce de Deo uti) atque intellectu ipſemet eſſet deſtitutus; imò qui omnem ſenſus atque intellectus vim ipſemet perfectiſſima ratione non complecteretur? Itaque non injuriâ ita Pſaltes (*Pſal: 94.9.*) hominum impiorum ac providentiam divinam negantium errorem, vel potiùs væſaniam refutat: *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat*, (vel *non videbit?*) Idem de cæteris, quibus à Deo inſtructi ſumus, cognoſcendi ſentiendique facultatibus cogitandum. Hinc autem eſt, quòd & ſenſuum organa, ut oculi & aures, Deo per anthropopathian, quam vocant, ſeu metonymiam cum metaphora conjunctam, in ſac. literis tribuantur, nempe quia ſenſuum illorum vis ac
137. facultas, quæ per organa iſta exſeritur, Deo convenit.

‡ *Nihil eſſe in intellectu*] Hoc axioma verum eſt tantum de intellectu dianoetico ſive diſcurſivo per modum inductionis: non vero de intellectu ſimpliciter noëtico. Sunt enim quædam communes notiones naturaliter omnium mentibus inſitæ, quæ omni

omni ſenſatione priores ſunt nec ab illa derivantur; quò ſpectat naturalis ille inſtinctus per quem omnes perſuaderi de Numinis exiſtentia, ipſe author ſuprà docebat *cap.* 5. Dantur & operationes quædam intellectus reflexæ, quibus ſeipſum intelligit & de ſua cogitatione cogitat, ad quas hoc axioma extendi nulla ratione poteſt. Sed iſti homines ſtudioſè inſinuant omnes mentis operationes à ſenſibus corporeis pendere, ut illius quoque naturam & exiſtentiam omnem ſuſpendant à corpore.

Sed memoriæ] At memoria perperam opponitur intellectui, cum Philoſophia ſanior memoriam aliquam intellectivam aſſignet homini, diſtinctam à ſenſitiva, quæ illi cum beſtiis communis eſt. Et ad huc diſputatur in Scholis num facultates illæ ſuperiores, quæ intellectivæ in genere dicuntur, realiter nec ne inter ſe diſtinguantur.

Nihil eorum illi] Cur ergo Sociniani Deo abrogant futurorum contingentium præſcientiam abſque qua ordinariè dirigi ad fines ſuos non poſſent?

Is qui ſenſu] Senſus tamen non competit Deo formaliter, ſed ad ſummum eminenter, ut Scholæ loquuntur.

Ex his & illud cerni jam poteſt, de ſacrarum literarum auctoritate, quâ intelligendi cognoſcendique facultas Deo aſſeratur, vix neceſſe eſſe ampliùs monere. Teſtimonia ubique ſunt obvia. Siquidem Deo intellectus ſeu intelligentia, ut ſuprà vidimus, & intelligendi actus, & ſapientia, & omnium rerum ſcientia apertiſſimè adſcribitur: quemadmodum & vulgò notum eſt, & inferiùs cùm de Sapientia Dei agemus, patebit. ad quem locum & cætera differimus, quę de intellectu Dei ſcire ad religionem ac pietatem utile eſt. Nonnulla, quæ in ſcholis de eo diſputantur, tutiùs ignorari, quàm definiri arbitramur.

Uſus hujus doctrinæ unicuique patet, & ex dictis ſatis poteſt intelligi. Tolle à Deo intelligendi facultatem, & Deum eſſe negaveris; opificium ac regimen hujus mundi ei ademeris, & unà cum providentia omnem religionem ſuſtuleris. Quod in idolatrarum ſtuporem dictum ſuperiori capite ex Eſaja attulimus, nempe quòd dicant conflatili, *Vos Dii noſtri: ſurdi audite: & cæci intuemini.* id huc maximè pertinet. In eos enim quadraret, qui Deum colunt, & ab eo auxilium ſperant, & precibus impetrare ſtudent, niſi Deus intellectu, & quidem perfectiſſimo, eſſet præditus. Sed pleniùs hujus rei uſus intelligetur, cùm de ſapientia Dei agemus.

CAP. XXI.

De Voluntate Dei.

INtellectum Dei ſequitur ejuſdem voluntas, alterum actionum immanentium principium. quod unà cum illo & ad vitæ ipſius pleniorem intelligentiam pertinere, & ſequentium ejus attributorum fundamentum eſſe diximus. Voluntatis divinæ nomen paſſim in ſacris literis occurrit: (*vid: Pſal: 40. 9: 103. 21: 143. 10. Eſa: 44. 28: 46. 10: 53: 10. Mat: 6. 10: 7. 21: 18. 14: 16. 42.*

 & alibi

Digitized by Google

& alibi paſſim in N. Teſt.) quanquam pro effectu, aut objecto ejus potiùs; quàm pro ipſa facultate, de qua nos hîc agimus, uſurpatum. Triplici enim potiſſimùm ratione voluntatis nomen accipi ſolet. primùm pro ipſa facultate, quâ aliquid velle atque appetere, vel contrà nolle atque repudiare poſſumus. deinde pro ejus facultatis actu, hoc eſt ipſa θελήσει, quam barbarè, ſed ſignificanter tamen, volitionem, aut contrà nolitionem appellant. De-
138. nique pro eo, quod quiſpiam vult, aut volendo conſtituit: quod partim objectum, partim effectum voluntatis eſt: quo pacto nos, verbi gratiâ, Dei voluntatem facere dicimur (*d. l. Mat: 7. 21: & 12. 50. Ioh: 7. 17: 9. 31. Act: 13. 22. Epheſ: 6. 6. Heb: 10. 36: 13. 21. 1 Ioh: 2. 17.*) Nos in prima ſignificatione vocem voluntatis accipimus, quam Deo ineſſe oſtenditur, quoties voluntatis divinæ, quocunque tandem ſignificatu, fit mentio. Neque enim vellet quippiam Deus, niſi volendi facultas ei ineſſet. Siquidem actus facultatem arguit, eamque neceſſariò ponit. Neque verò quicquam eſt, quod intellectu ſit præditum, quod non ſimul etiam ſit præditum voluntate. Itaque cum Deo intellectus neceſſariò inſit, ineſt & voluntas; ſine qua non magis eſſet Deus, quàm quod ducitur nervis alienis mobile lignum. Nihil ille præciperet aut prohiberet. vult enim aliquid fieri, qui præcipit; non fieri, qui prohibet. non ſceleratis ſupplicium ab eo metuendum eſſet, non piis ſperandum præmium. Neque enim vel pietatem amare, vel impietatem odiſſe poſſet. Omnes ei preces fruſtra adhiberentur; ut pote qui moveri, ſeu ut aliquid velit aut nolit, induci nullo pacto poſſet.

‡ *Vult enim aliquid fieri*] Voluntatis divinæ nomen ambiguum eſt: interdum enim ſonat Dei mandatum, quo præcipit hominibus quid debeant facere, aliquando Dei decretum, quo conſtituit quid ſit futurum. Deus autem non ſemper vult poſteriori ſenſu fieri, ideſt non ſemper decrevit id futurum & eventurum, quod priori ſenſu vult fieri, ideſt præcipit & mandat hominibus ut faciant.

Vt pote qui moveri] Et hoc cum grano ſalis ſumendum: Deus enim non mutatur precibus ſuorum ut ex nolente fiat volens, ſed ſuis indulget per eorum preces, quod conſtanter & immutabiliter decrevit ipſis eo modo concedere.

Definitur autem in Scholis voluntas, Appetitus intellectualis, hoc eſt, appetitus ejuſmodi, qui intellectum propriè ſequitur: & cum eo eſt neceſſariò connexus. Appetitus enim vox latiùs hîc extenditur. Nam alioquin eo nomine illa vocatur in animalibus facultas, quæ ſenſibus externis annexa, ea, quæ illis grata ſunt, perſequitur; quæ ingrata, averſatur ac fugit: qui quidem appetitus ſenſitivus in ſcholis vulgò appellatur, ut diſtinguatur ab intellectivo, qui voluntas propriè dicitur. Hic enim non niſi in illis eſt, quæ intellectu ſunt prædita, & ex eo aliquo modo pendet. Dum enim ſubſtantia in-

tellectu

Digitized by Google

tellectu prædita res percipit ac conſiderat, eas animadvertit ſibi naturæque ſuæ vel accommodatas eſſe atque amicas, vel adverſas atque inimicas, vel denique neutras. quæ autem amicæ ſunt, eo ipſo ſunt bonæ: quæ adverſæ, malæ: quæ neutrę, neutrę & hîc ſunt, hoc eſt, nec bonæ per ſe, nec malæ. Bonum verò cognitum, quà tale, ſtatim amatur ac deſideratur: malum contrà cognitum averſatur animus: neutra in medio quodammodo relinquuntur; tum demum vel amoris, vel odii capacia, ubi in alterutram partim fuerint pertracta. Hoc ergo primum voluntatis munus eſt, bonum ab intellectu perceptum amare ac deſiderare, malum ab eodem cognitum averſari, & quodammodo refugere, neutra in medio relinquere. Neque enim eſt, quod quis dicat, voluntatis eſſe velle, non verò etiam nolle, & appetitûs appetere ac deſiderare, non averſari. Etenim facultates hæ ſunt contrariorum; licèt appellationes ab effectu potiore ducantur. Potior enim eſt voluntatis effectus 139.
velle, quàm nolle; & appetitûs appetere, quàm refugere.

‡ *Connexus*] Adde & qui ſe habet ad intellectum ut appetitus ſenſitivus ad ſenſum, adeo ut per illum moveatur & determinetur ad utrumque ſuum actum proſecutionis & fugæ. Atque hoc ipſum ſequentia authoris poſſent comprobare. Agnoſcit enim quod *aliquo modo* voluntas pendeat ex intellectu, & quod *bonum cognitum quà tale* ſtatim ametur ac deſideretur: Quare eo per intellectum indicato non poteſt voluntas actum ſuum ſuſpendere, aut ſe in oppoſitum determinare, vel *neutra* manere unquam, niſi circa res quæ neutræ ſunt.

Diximus autem, hoc primum eſſe voluntatis munus, non ſolum. Sunt enim & alia duo, ad quæ primum illud gradus quidam eſt. Alterum ergo voluntatis officium eſt, è rebus duabus aut pluribus, quæ ſimul omnes conſiſtere vel planè non poſſint, vel commodè non poſſint, unam eligere, & quid agendum, quidve omittendum decernere. qua in re voluntatatis libertas maximè cernitur, quam Græci αὐτεξούσιον, Latini arbitrium appellant. Arbitrium enim libertatem in ſe continet, quam ſi demas, arbitrium eſſe deſinet. Itaque qui ſervum arbitrium dicunt, arbitrium ſimul eſſe & ajunt, & negant.

‡ *Alterum ergo*] Hoc vero non eſt nudæ voluntatis oppoſitè ad intellectum, ſed magis hujus quam illius: nam ejus eſt facultatis *decernere* quid agendum, quidvè omittendum, cujus eſt expendere & dignoſcere quid expediat & conveniat nec ne; itaque judicij eſt eligere & decernere, voluntatis verò, quæ facultas eſt cœca, proſequi & appetere quod fuerit electum & approbatum, refugere & omittere quod rejectum & improbatum fuerit.

Qua in re] Nec in ſola mediorum electione, elucet libertas voluntatis, ſed in omni operatione, quæ fit ex deliberatione & judicio; & cum finem qui ſub electionem propriè non cadit magis vehementer velit & appetat voluntas quam media ad illum, ſiquidem finis eſt qui ordinem & amabilitatem & neceſſitatem medijs conciliat, non eſt ejus libertas reſtringenda ad mediorum electionem,

nem, aut ex illa definienda: nam ex duobus medijs ad finem propoſitis, quorum unum cognoſcitur eſſe fini proportionatum & conveniens, aliud non, nequit voluntas, illo omiſſo hoc eligere & admittere: Itaque in eo propriè ſita eſt libertas voluntatis quod agat ἑκουσίως, ſponté & citra ullam coactionem, ſive volendum quid ſit, ſive nolendum, ſive actus ſit ſpecificandus per libertatem *contrarietatis*, ſive exercendus per libertatem *contradictionis*.

Quam Græci] Græcum illud nomen, maximè Creaturarum reſpectu, eſt nimis ſuperbum: non enim eò uſque voluntas creata eſt ſui juris, & ſuorum actuum Domina, ut non ſubſit Dei ſupremo Dominio: Ita ſuus ſpecialis motus ineſt ſingulis planetis, ut eos tamen citra illius læſionem rapiat primum mobile, ab oriente in occidentem. Deinde αὐτεξούσιον Græcorum & *arbitrium* Latinorum, perperam per libertatem voluntatis, explicatur; nam facultas eſt mixti ordinis ex intellectu & voluntate, quod vel ipſum arbitrij nomen evidenter indicat; *arbitrari* enim magis eſt intellectus quam voluntatis; Hinc liberum arbitrium commodè definitur, Facultas agendi quod lubet, præeunte judicio & ratione: prout & Iuris conſulti libertatem definiunt, *naturalem facultatem ejus quod cuique facere libet, niſi ſi quid vi aut jure prohibeatur; l. 4. ff. de ſt. hom. & Inſt. de jure perſon. §. 1.*

Arbitrium enim] Habet quidem libertatem à coactione & neceſſitate phyſica, quæ eſt agentium naturalium ad unum tantum determinatorum ex intrinſeca ſua conſtitutione; ubi enim eſt coactio ibi non eſt voluntas ſed nôluntas: & benè Comicus, *Nulla eſt tam facilis res quin difficilis fiet quàm invitus facias*; ubi item eſt neceſſitas phyſica, ibi nec προαίρεσις eſt, nec arbitrium: nam ſemper idem fit & eodem modo; Sed non debet ei neceſſariò ineſſe libertas à ſervitute: nec repugnat arbitrium eſſe liberum à coactione, & tamen eſſe ſervum vel *peccati ad mortem*, vel *obedientiæ ad juſtitiam*, ut duplicem hanc ſervitutem nobis proponit Paulus Rom: vi, 16. Regula eſt Chriſti generalis Ioh: viii, 44. quod *qui dat operam peccato ſervus eſt peccati*; & eo facit Petrus 2. ii, 17. *A quo quis ſuperatus eſt, huic in ſervitutem eſt addictus*: Quare vel abrogandum eſt peccatoribus liberum arbitrium, vel concedendum quod citra contradictionem ita liberum ſit à coactione ut ſit ſervum vitij & peccati. Nec Lutherus prior *nomen liberi arbitrij in ſervi arbitrij mutavit*, ut calumniatur Bellarminus *lib. 4. de gr. & lib. arb. cap. 6.* Nam Cornelius Ianſenius Yprenſis Epiſcopus *lib. 3. de ſtatu nat. lapſæ cap. 5.* oſtendit nomen *ſervi arbitrij & ſervæ voluntatis* ſæpiùs ab Auguſtino fuiſſe uſurpatum; de quo videatur ipſemet Auguſtinus *Ench. ad Laur. cap. 30. Liberaliter ſervit*, inquit ille, *qui Domini ſui voluntatem libenter facit, ac per hoc ad peccandum liber eſt, qui peccati ſervus eſt, unde ad juſtè faciendum liber non erit, niſi à peccato liberatus, eſſe juſtitiæ cœperit ſervus.*

Eſt enim animadvertendum, voluntatem non protinus id omne, quod intellectus bonum eſſe judicat, quodque adeo ipſi voluntati aliqua ratione allubeſcit, eligere, & omnino perſequendum ſtatuere, etiamſi nec externum aliquod impedimentum obſtet, nec majoris alicujus boni, ſive cognitio, ſive opinio, indeque nata ſpes ac deſiderium, prohibeat. Nam in ſumma etiam æqualitate rerum propoſitarum, è quibus unum aliquod eligendum, cætera omittenda ſint, delectum inſtituit voluntas. Ubi cur hoc potiùs, quàm

illud

Digitized by Google

illud elegerit, nulla alia, quæ impulerit, præter ipſam voluntatem cauſſa reddi poteſt. quia voluntas hac in parte prima eſt ac ſuprema cauſſa.

‡ *Eſt enim animadvertendum*] In agibilibus duplex eſt judicium practicum, abſolutum, & comparatum; Fateor voluntatem non protinus adhærere judicio intellectus abſoluto; ſed ultimum & comparatum, quo hic & nunc cenſet aliquid agendum aut fugiendum determinat ipſam voluntatem ex intrinſeca illius natura & conſtitutione, cum ſit appetitus intellectivus. Si lenior duntaxat allubeſcentia in voluntate excitetur ex judicio intellectus, indicio eſt quod iſtud judicium non ſit ultimum & comparatum; attemperatur enim appetitio voluntatis circa bonum, apprehenſioni & judicio intellectus, & quo hoc de aliquo objecto favorabilius eſt ac fixius, illius quoque tendentia in illud conſtantior & vehementior eſt.

Etiamſi nec externum] Primò externa impedimenta voluntatis tendentiam & appetitum non poſſunt impedire: imò id ſæpè impenſiùs volumus, quod plurimis impedimentis externis circumvallatum eſt; *Nitimur in vetitum ſemper cupimuſque negata*: Deinde tam impoſſibile eſt ut ad bonum aliquod cognitum & ab intellectu monſtratum voluntas non feratur, niſi ipſemet intellectus lora contrahat, ſive ſimul cenſens appetitionem illius fruſtraneam fore, ſive lactans appetitum alicujus majoris boni ſpe vel opinione, ex hujus omiſſione, quod eſt judicij comparati, quam id repugnat voluntatis & boni naturæ: Nam ut ignoti nulla cupido, ita boni cogniti non poteſt non eſſe cupido, niſi abjiciatur boni definitio Ariſtotelica, bonum id eſſe quod appetitur. Hic ſanè voluntas nequit vel actum ſuum ſuſpendere, vel aliorſum ſe determinare. *Trahit ſua quemque voluptas.*

Nam in ſumma] Imò & in hoc caſu voluntas ſequitur judicium rationis, & ab illo determinatur: Cur enim è duobus vel pomis vel nummis ejuſdem planè magnitudinis, ſaporis, coloris, valóris, mihi oblatis ut unum ſumam, hunc potius ſumo quam iſtum non multum ambigendo, ideo eſt, quoniam judico nihil referre utrum ſumam, ubi unius tantum ſumendi facultas eſt.

Quocirca licèt nullus ſit voluntatis actus, qui non cauſſam aliquam habeat impellentem, nempe finem ac bonum objectum, ejuſve cognitionem: nihilominus tamen illa cauſſa non protinus talis eſt, ut voluntatem in ſuas partes cogat, ac neceſſariò pertrahat; ſed multæ cauſſæ ſuadent tantùm, & leniter ducunt, libertate voluntati relicta, ut vel ſequatur, vel reſiſtat. Deſiderium enim ciet in voluntate boni cognitio; ſed non ſemper ineluctabile ac prorſus invictum. Ut igitur nihilominus vim cauſſæ impellentis ſequatur voluntas, impetum ejus quendam accedere oportet, cujus præter ipſam voluntatem nulla poſſit reddi ratio.

‡ *Quocirca*] Fateor quædam eſſe quæ duntaxat titillent appetitum, quædam quæ trahant; & diſtinguendum eſſe inter ſuaſionem & perſuaſionem, ut vulgò diſtinguimus inter oratorem & exoratorem: Sed ibi demum eſt inefficax titillatio appetitus, non plena volitio, ubi bonum quod ei proponitur ab intellectu proponitur ut minus vel bonum, vel neceſſarium, vel conveniens, nec ejus

bonitas

bonitas & appetibilitas omnis explicatur, ſed ejus duntaxat quidam radij ex ſupparo prominentes, ut in illa veteri Virtutis pictura, quæ ex velamine quosdam tantum radios proferebat, cum hac inſcriptione, *ô ſi eam videres*; Ibi vero excitatur in voluntate plenum & efficax deſiderium, ubi bonum tale judicatur, ſive judicium illud ſit rectum ſive diſtortum, quod hic & nunc maximè conveniat, & neceſſariam habeat connexionem cum ea beatitate quam omnes appetunt.

Deſiderium] Atqui hoc ipſum deſiderium, motio eſt & actus voluntatis ac propriè dicta volitio: quod vero deſideria alia alijs conſtantiùs hæreant, pendet ex infirmiori vel firmiori boni appetibilis cognitione: Sæpè enim fit ut prioris boni apprehenſionem in intellectu qui jam cœperat illius deſiderium in voluntate excitare, deleat apprehenſio & imago alterius alicujus boni ſecundi, quæ prius illud deſiderium inducit: *poſtquam nos Amaryllis habet Galatea reliquit.*

Vt igitur] Illa cauſa impellens, fateor, non determinat voluntatem per ſe & ſola ſuá bonitate objectiva, & ut habet rationem merè προκαταρκτικὴν, ſed eam determinat προηγουμένως, ut apprehenditur & judicatur ab intellectu, ceu hic & & nunc bona & appetenda: Quare ille ipſe impetus voluntatis in tale bonum, non eſt aliunde quam à voluntate ipſa eliſcitè & formaliter; ſed eſt originaliter & efficienter ab ipſo intellectu, qui eam movet, perſuadet & determinat ad illum actum ex ſe eliciendum.

Quare voluntas non eſt ejuſmodi cauſſa, quæ tantum agat aut moveat, quantum ipſa à cauſſa impulſiva movetur: ſed quæ etiam ampliùs agat, quàm ipſa movetur; quia vim habet aliquo modo ex ſeipſa agendi. Non dicimus, voluntatem omnem ex ſeipſa, vim agendi habere, quaſi ejus eſſentia à nulla alia ſuperiori cauſſa pendeat: id enim non niſi de Dei voluntate verum eſt: ſed id dicimus, voluntatem vim ac facultatem habere, licèt in creaturis aliunde pendentem, quâ poſſit ex ſeipſa ita agere, ut aliquid ad vim ac motum cauſſæ, à qua fuerat primùm impulſa, adjicere queat, & impetum, quem
140. aliunde non acceperat, addere, ut ita electio ac decretum fiat, indeque porrò actio aliqua proficiſcatur.

† *Quare voluntas*] Cum debeat diſtingui inter movens & mobile, & nihil ſit ſimul utrumque, voluntati creatæ competit quod ſit mobilis ex interna ſua conſtitutione & natura; eſt enim facultas apta nata appetere bonum & refugere malum; At quod ſeipſam moveat & determinet, ſtatui non poteſt: ſed exigit neceſſarius illius cum intellectu connexus quem ſupra Crellius agnoſcebat, ut ab intellectu moveatur & determinetur; Aliàs deſinet eſſe quod definitur appetitus intellectualis: ac ſicut Deus in macrocoſmo eſt primum movens, ita ſub ipſo in microcoſmo primum movens debet eſſe νοῦς, mens, intellectus; quo movente moveatur voluntas. Eſt enim ipſa voluntas facultas cœca, quæ non agit niſi prout ab intellectu dirigitur & applicatur: *Vt vidi, ut perij.* Quare intellectui in Creaturis rationalibus Deus dedit imperij authoritatem, voluntati reliquit obſequij gloriam.

Non dicimus] Benè eſt quod diſcrimen aliquod conſtituant hæretici inter voluntatem divinam & humanam; ſed illud non ſatis explicatur: Voluntas Dei eſt ipſe Deus; at voluntas noſtra eſt facultas

Digitized by Google

cultas accidentalis ſuperaddita nobis à Deo, quâ reddamur apti ad mala declinanda fugâ, & bona conſequenda appetitione. Voluntas Dei ſic eſt prima cauſa, ut nullam agnoſcat Deo ſuperiorem à qua ſit vel in ſuo eſſe vel in ſuo operari: Imò omnium quæ ſunt extra ſe ſic eſt cauſa, nam *omnia fecit propter ſeipſum* Prov: XVI, 4. & operatur omnia ex beneplacito voluntatis ſuæ, ut nihil extra Deum vel phyſicè vel moraliter voluntatem ipſius movere ac permovere queat; Quamvis enim effectuum quos ex ſua mera voluntate Deus decrevit Creaturis, cauſæ quædam extent in illis, & ita ſit aliqua cauſa rei volitæ extra Deum, tamen ipſiuſmet volitionis & voluntatis divinæ cauſa præter Deum non eſt quærenda; Atque huc facit quod obſervant Scholaſtici ex Thoma & cum ipſo 1. *p. q.* 19. *art.* 5. *Deum non velle unam rem propter aliam*, ut nempè ſibi finem extra ſe conſtituat, ſed tamen *velle unam rem eſſe propter aliam*, quatenus res omnes extra ſe ita vult diſponere ut una habeat ad aliam rationem vel cauſæ vel finis. At ſecus ſe habet voluntas humana, quæ ſic eſt principium formale ſuarum operationum, ut tamen ſubſit varijs cauſis extra ſe conſtitutis, earumque vim & efficaciam, qualiſcunque demum ea ſit, in ſe recipiat. Præterea voluntas Dei eſt ſimpliciter independens; voluntas vero humana pendet ſemper à Deo, & in ſuo eſſe & in ſuo poſſe & in ſuo operari: *In ipſo* enim *vivimus, movemur & ſumus* Act: XVII, 28. Ne putemus ita ſolam *vim & facultatem* agendi collatam eſſe voluntati humanæ à Deo, ut deinceps non concurrat cum ipſa ad omnes illius actiones in genere entis conſideratas.

Aliquid ad vim] In his ſanè verbis multa portenta latent. 1. Supponitur, omnem voluntatem, etiam divinam, ſubeſſe cuidam vi & motui alicujus cauſæ extra ſe à qua primum impellatur; quod de Dei voluntate ſtatui non poteſt, quin in ordine motuum fiat progreſſus in infinitum, & movens aliquod præter & ſupra Deum concipiatur. 2. Non ſatis accuratè diſtinguitur *impulſio* voluntatis, ab ipſius *impetu*; cùm ejus actualis impulſio ad aliquid vel fugiendum vel proſequendum, in illo impetu ſitum ſit quo vel averſatur iſtud vel appetit. 3. Addit quidem voluntas aliquid ad efficaciam objectivam boni præmonſtrati ab intellectu, nempè ſubjectivam illius bonitatis, tanquam ſibi apprimè hic & nunc convenientis, appetitionem; quam forte iſti homines *impetum* vocant; Sed illam appetitionem, non habet ſimpliciter vel ex objecto, vel ex ſe; ſed ex objecto, ut pronunciatur à judicio rationis hic & nunc conveniens & appetibile; ex ſeipſa, ut apta nata eſt & ordinata ad agendum & appetendum ex ultimo illo rationis practicæ judicio. 4. Perperam tanquam ſynonyma conjunguntur *electio* & *decretum*, cum illa ſit potiùs mediorum, hoc magis finis. 5. Nec in ſingularibus noſtris actionibus & volitionibus quæ ſtatim expediuntur, voluntatis impetum ſequitur decretum vel electio, quod eſt judicij, ſed illum potius præcedit. Nam intellectus ſancit atque conſtituit hîc & nunc hoc eſſe bonum & omni alio melius: Hoc judicium ſequitur voluntatis impetus & tendentia in illud: Ex hoc impetu qui eſt voluntatis actus elicitus, naſcuntur, niſi quid aliud obſit, ad boni appetiti fruitionem actus imperati, qui *actionis* nomine hîc exprimuntur; *Mars videt hanc, viſamque cupit, cupitaque potitur.*

Hanc voluntatis vim, quæ ſanè diviniſſima eſt, quia philoſophorum Princeps in Deo non agnovit; ideo mundi æternitatem introduxit, & unà cum mundi creatione imperium, & providentiam divinam circa res ſingulas ſuſtulit. quem

Digitized by Google

lit. quem mirum eſſet, non ſimul & arbitrium voluntatis humanæ, & ſic omnem veram virtutem & improbitatem, actionumque ſive bonarum, ſive malarum meritum ſuſtuliſſe; niſi rei evidentia, & inde natus communis hominum conſenſus, eum retinuiſſet. Nam certè ſi in Deo non eſt vis illa divina atque admirabilis movendi ultrà quàm à bono cognito moveatur ipſa; multo minùs in homine erit. Quicquid ergo homo facit, neceſſariò faciet, quemadmodum ſuprà oſtendimus (*cap: 4.*) ubi voluntatis divinæ arbitrium pluribus adverſus Ariſtotelem, & ejus hac in parte aſſeclas, demonſtravimus. Quòd ſi hoc abſurdiſſimum eſt, ut ſanè eſt; Deo multò magis hæc libertas inerit. imò ei primò, cæteris non niſi per ipſum; prout & intellectus, cum quo voluntas ac libertas pari paſſu ambulant. Nam cæteris, in quibus intellectûs tantùm umbra quædam eſt, ut voluntatis, ita & libertatis hujus tantùm ineſt imago.

‡ *Hanc voluntatis*] Nempè fortiùs norunt Sociniani adſtruere liberum ſuum arbitrium quam ipſi Ethnici Philoſophi. Quod Ariſtoteles mundum cenſuit ab æterno extitiſſe, & ſubduxit Providentiæ res ſingulares, non proceſſit ex eo quod vim illam voluntatis neſciret, quæ oppoſitè ad intellectum nulla eſt; ſed quod non intellexit ſatis quæ eſſet ſumma Dei Sapientia, quâ optimè novit, quid & quomodo unumquodque ſit peragendum, ut benè ſit: Nec ideo mundus non eſt æternus quod cum ab æterno Deus moveretur bonitate finis ad mundum creandum, etſi boni illius naturam ſatis intelligeret tamen ſua voluntas ex ſeſe hic ſuum impetum cohibuerit; ſed partim quod ex parte rei repugnet mundum creatum fuiſſe & extitiſſe ab æterno, partim quod Deus pro ſua ſapientia ab æterno quidem cognoverit, & intellexerit bonum eſſe mundum creari, ſed creari in tempore, eo ordine & modo qui in illius creatione ſervatus eſt. Quare non aliter voluit agere in creatione mundi, quoniam pro ſua infinita ſapientia noverat hanc demum agendi rationem eſſe optimam & ſibi convenientiſſimam. Quin videtur hic author perperam inſinuare ideo demum mundum ab æterno non extitiſſe quia Deus noluit; cùm è contrario Deus noluerit mundum exiſtere ab æterno, quia revera mundus ab æterno exiſtere non potuit, ut etiam ipſe olim demonſtrabat cap. 4. hujus operis. Siquidem æternitas eſt attributum Dei eſſentiale nulli enti finito communicabile. Sed forte obſervant hæretici quod ſi confecerint aliquid ab æterno potuiſſe exiſtere quod non ſit Deus, eâ ratione corruiturum argumentum Orthodoxorum pro divinitate I. C. ab ipſius æternitate & quod extiterit ante incunabula mundi deſumptum; atque hinc illa ſecum pugna hac in parte.

Nam certè ſi in Deo] At certè non eſt; cum Deus non ultra moveatur ad aliquid volendum & decernendum, quam prout intelligit ſuæ bonitati, ſapientiæ, libertati, gloriæ expedire ut ita fiat & conſtituatur.

Quicquid ergo] Neceſſariò quidem facit homo quicquid facit, primùm neceſſitate hypothetica, futuritionis & infallibilitatis euentus; cùm neceſſe ſit evenire quicquid Deus præſcivit futurum ac fieri decrevit: Deinde neceſſitate etiam morali; nam liberum arbitrium peccato mancipatum neceſſariò male agit, nec *poteſt arbor mala bonos fructus ferre, aut bona malos* Mat: VII, 18. Illud iridem planè liberatum non poteſt niſi benè agere, cum ut ſupra

ſuprà loquebatur hæreticus *cap.* 19. erimus *extra inobedientiæ ac contumaciæ periculum* poſiti; Sed tamen quod homo facit voluntariè, facit immunis à neceſſitate conſequentis, à neceſſitate coactionis, à neceſſitate phyſicâ & determinationis ad unum. Deus ſimiliter neceſſitate morali agit ſemper quod eſt optimum, etſi agat planè independenter & liberrimè. Sed de eo & nos egimus ſuprà ad *cap.* 4.

Prout & intellectus] At quod voluntas & libertas pari paſſu cum intellectu ambulant, confirmat quod ante docuimus, voluntatem ejuſque libertatem ſubeſſe regimini & determinationi intellectus.

Porrò autem ut appareat quouſque hæc voluntatis libertas extendatur; illud ſatis liquet, ibi eam incipere, ubi deſinit volendi aut decernendi neceſſitas. Neceſſitati enim volendi aut decernendi, opponitur libertas, utpote ad oppoſita indifferens. Itaque ibi locum habet, ubi contingentia ac poſſibilitas eſt volendi aut decernendi, vel potiùs in hac ipſa eſt ſita. Nam id ipſum eſt libertatem voluntatis habere, poſſe velle, ubi & nolle poſſis, & contrà.

‡ *Porrò autem*] Iam præoccupavimus & oſtendimus non omnem neceſſitatem cum voluntate pugnare; Volumus ultimum finem neceſſariò, cùm omnes velint eſſe beati nec poſſit quiſquam à ſe impetrare ut velit eſſe miſer: *Multi dicunt, ô ſi quis efficiat ut fruamur bono* Pſal: IV, 7. Eundem tamen liberrimè volumus abſque ulla violentia & coactione.

Neceſſitati enim] Id multipliciter falſum eſt: Neceſſe ſiquidem eſt voluntatem tendere & ferri in bonum quod hîc & nunc optimum judicat intellectus comparativus; Illa tamen voluntatis tendentia in tale bonum, eo ipſo liberior eſt quod fit ex ultimo judicio rationis practicæ. Qui negaverit neceſſitatem fuiſſe impoſitam Apoſtolo euangelizandi, ipſiſmet contradicet; Hoc tamen faciebat liberè & alacriter 1. Cor: IX, 16. 17. Libertas ergo voluntatis, nec ſervituti opponitur, neque neceſſitati omni, ſed neceſſitati demum phyſicæ & coactioni: Nec eſt ſemper indifferens ad oppoſita; niſi quatenus voluntatis creatæ naturæ non repugnat abſolutè, per implicationem contradictionis, contrarios vel diſparatos actus elicere ijs quos elicit: Sanè inter fœlicitatem ſummam & ſummam miſeriam, voluntas nunquam ſe indifferenter habebit. Voluntas quoque beatorum non ſe habet indifferenter ad Dei amorem & odium, cum neceſſariò in Deum plené cognitum tendat; etſi ſepoſitâ beatificâ viſione, ejus naturæ & conditioni non repugnet contrarium elicere actum nempe odij Dei, ut patet in voluntate damnatorum. Idem ſtatui poteſt de voluntate hominum ſub peccato conſtitutorum, qui *mali* cum ſint non poſſunt benè agere Ier: XIII, 23. Ioh: VIII, 34.

Itaque ibi locum] Non neceſſariò; ſed demum ubi vis, coactio & neceſſitas phyſica tollitur, & agitur ex proæreſi.

Nam id ipſum] Tolle ergo Deo & Angelis libertatem voluntatis, quia non poſſunt velle malum; Tolle eam dæmonibus & damnatis, quia non poſſunt velle bonum; *Ejus* quidem *eſt nolle, qui poteſt velle*, ut habet Vlpianus *l.* 3. *ff. de reg. juris*; ſed ſæpè ſufficit ut eadem libertate quâ hoc vis, ejus oppoſitum & contrarium nolis; non vero ſemper requiritur, ut indifferenter te habeas ad oppoſita, quò utriuſque oppoſitorum perinde capax ſis.

Digitized by Google

Jam verò ſi quæ eſt volendi ac decernendi neceſſitas, ea in ſummo bono ultimoque vitæ fine primò apparet: in cæteris eatenus, quatenus neceſſitatis quodam vinculo cum eo fine connexa judicantur, & ad eum obtinendum omnino cenſentur requiri. Eſt enim ſummum bonum αὐταρκὲς, & explendo neceſſario cujuſque deſiderio ſufficiens. Atſi neceſſariò quippiam aliud præter ſummum bonum eſſet expetendum, ipſum ſummum bonum ei rei non ſufficeret. Itaque neceſſitas volendi atque eligendi, ſi quæ eſt, intra felicitatem, & media, quæ ad eam neceſſaria cenſentur, conſiſtit. cætera contingenter vult,
141. ac perſequenda ſtatuit voluntas. Diximus autem neceſſitatem, *ſi quæ ſit*, intra illa conſiſtere. quia ubi aliquid cum ſummo alicujus bono in contentionem venire poteſt, ut in hominibus accidit; ibi felicitas appetitur quidem ac deſideratur neceſſariò: non tamen neceſſariò præ altero illo bono, quod cum illa in contentionem venit, eligitur, ac perſequenda ſtatuitur.

‡ *Iam vero*] Atqui ſic reddit hæreticus quod abſtulerat; nempè dari neceſſitatem aliquam volendi; adeoque falſum eſſe quod ſtatuerat omnem neceſſitatem volendi tolli libertate arbitrij. Annon enim ultrò & liberrimè volumus, tum finem ultimum, tum quæ cum illo neceſſariò connecti, ſive benè ſive ſecus judicamus? Hæc tamen neceſſariò nos velle Crellius confitetur: Iam autem quicquid volumus præter ultimum finem, habet rationem medij ad illum, ſive expreſſè, ſive interpretativè; unde ſequitur aliquam dari neceſſitatem in eo omni quod volumus, ſaltem quoties aliquid deliberatè & ſapienter volumus.

Cætera] At voluntas omnis intra hæc conſiſtit; cum vel circa finem vel circa media occupetur: Et ſi quos ſibi proponit fines ſubordinatos & particulares, illi omnes ſaltem interpretativè, ut modò dixi, habent aliquam rationem mediorum ad ultimum finem, qui naturam induit primi mobilis vel primi moventis in moralibus, ut docent omnes Philoſophi.

Diximus] At falſum eſt primum aliquid cum ſummo bono quod pro tali conſtanter habetur non theoreticè modò ſed practicè & quamdiu tale exiſtimatur, in contentionem venire poſſe, nec unquam diſquirit homo an debeat minus bonum majori præferre, cùm hoc tam repugnet naturæ voluntatis, quam ex duobus malis majus eligere; ſed ſolum utrum ex duobus pro majori & ſummo bono debeat admittere. Secundò abſurdè ſtatuitur, poſſe neceſſariò appeti & deſiderari fœlicitatem, nec tamen neceſſariò præ minori aliquo bono eligi; nam electio eſt mediorum non ipſius finis; & ſi vocabulum electionis ſumatur generaliùs pro tendentia in rem aliquam, ſane eo ipſo quod neceſſariò fœlicitas appetitur & deſideratur, eo ipſo quoque eligi cenſenda eſt.

Et ne fortaſſe exiſtimes de ijs tantùm nos hominibus loqui, qui quid ſit felicitas, nunquam expenderint: Paulum ſpecta. at quem virum? quàm ſapientem? quàm divinum? Is anathema à Chriſto pro Iſraëlitis, ſuis ſecundùm carnem agnatis, fieri optavit. (*Rom: 9. 3.*) Quid autem aliud eſt anathema à Chriſto fieri, quàm perire, ac felicitatem ſupremam perdere? Non longè

Digitized by Google

longè ab illo abiit Moſes, vir itidem diviniſſimus. Is enim, niſi Deus ignoſcere Iſraelitis vellet, ſe quoque ex libro, quem ſcripſerit, libro, inquam, vitæ, deleri cupivit. (*Exo: 32.32.*)

‡ *Et ne fortaſſe*] In his duobus exemplis nihil eſt quo probetur, poſſe hominem in ſuis deſiderijs ipſi fœlicitati ſummæ, aliquid aliud præferre. Nam primò in Paulo & Moſe non tam fuit determinata & abſoluta voluntas, quam conditionata velleitas, ſi nempe piè & juſtè fas eſſet illud optare & quantū liceret per Dei voluntatem; quæ ſane velleitas conſtans fœlicitatis perſonalis deſideriū non tollebat: imò Abulenſis & Dionyſius Carthuſianus, cenſent fuiſſe hyperbolem; quâ figurâ etiam non infrequenter uti Scripturam & notum eſt varijs exemplis & jam olim obſervatum Auguſtino *lib. 16. de C. D. cap. 21. Iſte autem modus locutionis fit quando id quod dicitur longe eſt amplius quam quod eo dicto ſignificatur*; Quā etiam ſententiam haud immeritò ſequitur Salomon Glaſſius *Philologiæ ſacræ lib. 5. tr. 1. cap. 19.* ubi de loco Rom: 1x, 3. ſic loquitur; *Per voti hyperbolen immenſum ſuum erga Iſraelitas amorem demonſtrat*: *Conditionaliter igitur id intelligendum, & hoc moderamine ſenſui Apoſtoli accommodandum eſt, Si id ſalvâ pietate liceat; Alioquin unius peccatricis animæ devotione pro innumeris aliis expiationem velle facere, abſonum nimis foret, quin & ignominioſum in Chriſtum, qui ſolus κατάρα & anathema pro nobis factus eſt Gal: 3. 13. 14. Sed affectus amantium cum inardeſcit, procedit etiam ad impoſſibilia, uti Lutherus pièſentit*: Atque ut hic eſt hyperbole amoris, proponitur hyperbole odij in Ep. Iudæ v. 23. *Odio habete etiam eam tunicam quæ à carne maculata eſt.* Secundò etſi propriè, abſolutè, citra conditionem & hyperbolem omnem, Moſis & Pauli votum ſumas, non conficies eos aliquid prætuliſſe ſummo bono, ſed ſupremum ſuum finem & ſummum bonum collocaſſe in Dei gloria & proximorum ſalute, etiam cum ſuo diſpendio: adeoque majus bonum exiſtimaſſe integræ gentis conſervationem & ſalutem, quam propriam incolumitatem: prout vir omnis fortis paratus eſt mori pro patria, & ſua morte redimere ſalutem publicam, ceu bonum majus & melius perſonali ſua incolumitate: Et ratio ipſa naturalis dictat ſpeciei & totius conſervationem præferendum eſſe conſervationi unius individui vel partis, ceu majus bonum minori: Homo patitur ſibi crus vel brachium extirpari, ad prorogationem vitæ: & aqua quæ ad ſui conſervationem fluit deorſum, incipit ad fugam vacui & conſervationem univerſi ſurſum aſcendere. Quare id non pendet ſimpliciter ex libertate voluntatis, ſed ex rationis judicio, bonum majus aut quod tale videtur præferentis bono minori & illud anhelantis etiam cum aliquo ſuo diſpendio: Ita Samſon ſuæ vitæ conſervationem prætulit vindictæ de ſuis hoſtibus, nec elegit mortem propriam in ſeipſo, ſed elegit per ſe mortem hoſtium, & propriam mortem concomitanter tolerandam admiſit propter bonum ultionis; *Perſpicuum autem eſt*, ut hic utar verbis Cajetani, *humanas actiones morales judicandas eſſe bonas vel malas moraliter ex per ſe objecto conſono vel diſſono à ratione recta, quicquid ſit de concomitantibus; ut patet de hominem iniquum occidente ſe defendendo, quamvis iniqui concomitetur æterna mors in inferno; quia defendens hæc non attendit, quamvis cognoſcat; ſed intendit defendere ſe, ad quod ſequitur mors corporis & animæ alterius.* Ita nautæ Belgici qui ex mandato ſupremi Magiſtratus & juramento ſuper ea re præſtito, igne in pulverem pyrium injecto ſeipſos cū propriis navibus & hoſtilibus ſuis innexis ſuſtulerunt, tanquam majus bonum elegerunt & intenderunt Reip. utilitatem & hoſtilium virium imminutionem,

minutionem, admittentes concomitanter proprium interitum, quem tamen per ſe nec eligebant nec intendebant. Sic ergo Paulus & Moſes viderentur hìc elegiſſe & intendiſſe per ſe ſalutem & incolumitatem totius gentis, licet cum ſuo diſpendio, quod concomitanter admittere fuiſſent parati, ſi hac ratione res confici potuiſſet.

Quòd ſi tanta eſt voluntatis humanæ libertas circa ipſam felicitatem, quæ ultimus eſt vitæ noſtræ finis ad nos relatus, & votorum noſtrorum ſumma; quantam putamus eſſe libertatem in cæteris? Tanta certè eſt, ut modò aliquod motûs principium nanciſcatur, hoc eſt, cognitionem aut ſpeciem boni alicujus, ſeſe ad id etiam, quod minus eſt, applicare queat, & efficere, ut illud potiùs perſequamur, quàm id, quod majus eſt. Id autem vel eam ob cauſſam fit, quia bonum cæteroqui minus, ob aliquam circumſtantiam in contentionem cum majori veniat, ita ut res velut in æquilibrium deducta, non niſi liberrimo voluntatis decreto definiri queat: vel quia dum per vices nunc hujus, nunc illius boni ſpecies animo occurrit, voluntas vel huic, vel illi pro libitu ſeſe applicare, & hac ipſa ſui inclinatione ei etiam pondus addere poteſt, quod minus eſſe mens non ignorat. Sua enim vi, ac liberrimo in alterutram partem impetu, voluntas ſupplet id, quod ſpeciei illius boni, ad quod ſeſe applicat, deerat. Veruntamen eó uſque hæc voluntatis libertas non pertingit, ut id, quod mens impoſſibile eſſe cernit, eligere poſſit, ut ut poſſit optare: neque etiam eò, ut id alteri præferat, quod nullam cum eo proportionem habere, ſed infinitis ab eo partibus ſuperari liquidò cernat.

‡ *Quod ſi tanta*] Imò ſi tanta eſt authoritas judicij & rationis in voluntatem, ut ubi ſpes vel ſpecies majoris & communioris boni ſe offert, (quò enim bonum communius eſt, eò etiam melius eſt) eò inclinet ac determinet voluntatem, ſub propriæ fœlicitatis periculo, quantam putamus eam fore in aliis?

Tanta certe eſt] Poteſt quidem fieri ut ex duobus bonis, id quod revera minus eſt & theoreticè tale judicatur, præferatur majori, ut cum Medea dicebat, *Video meliora proboque, deteriora ſequor*; Sed tamen quod in ſe minus eſt & theoreticè tale judicatur, majus practicè & comparativè, ideſt hìc & nunc, cenſetur ac habetur. Adeoque ut ex duobus malis ſemper minus eligitur, ſive quod tale hìc & nunc habetur, ita comparatione inſtituta inter duo bona, ſemper eligitur id quod hìc & nunc majus & melius habetur atque judicatur; & tam naturæ voluntatis repugnat minus bonum præferre majori, quam majus malum minori.

Id autem] At eo ipſo quod res in æquilibrium deducitur, ceſſat comparatio majoris & minoris: Quin inter duo bona quæ planè æqualia cenſentur, planè indifferenter ſe habet voluntas, ita ut alterum non aſſumat præ alio, niſi quia mens judicat perinde eſſe utrum aſſumatur.

Vel quia dum] Eo caſu, quod uni potius ſe applicet voluntas quam alteri, non eſt cenſenda per ſuam intrinſecam libertatem pondus aliquod adjicere ei quod ſectatur, prout Brennus Romanorum aurum elevabat poſito ſuo gladio in altera ſtateræ parte; ſed cenſenda eſt ſequi judicium rationis, quæ omnibus penſicu-

Digitized by Google

penſiculatis, ſaltem hìc & nunc judicat hoc melius eſſet & alteri præferendum; aut eam eſſe utriuſque æqualitatem, ut perinde ſit utrum admittatur.

Quod minus] At quam impoſſibile eſt voluntatem ferri in malum quà malum, tam impoſſibile eſt eam ferri in bonum quà minus bonum: Nam ut ex duobus malis inter ſe comparatis quod minus eſt induit præ alio rationem boni, unde fit appetibile & eligibile, ita inter duo bona inter ſe collata, quod minus eſt induit rationem mali, ad quod voluntas non ſe aliter tamdiu habet quam fugiendo & averſando.

Sua enim] Perabſurdum vero eſt ipſammet facultatem appetentem ſuâ vi poſſe ſupplere quod deeſt appetibilitatis in objecto comparatè ad aliud: cùm nullum objectum appetat niſi pro ratione appetibilitatis & bonitatis quam habet, & quæ jam illi ineſſe ſupponitur, priuſquam appetitus eò ſe convertat.

Verumtamen eo uſque] Atque ſic petitur jugulum cauſæ Socinianæ, circa exempla Moſis & Pauli: Si enim ſit diſcrimen inter *Tò eligere* & *optare*, ita ut poſſit optari quidem non tamen eligi id quod mens novit *impoſſibile*, perfacile erit diſcere Moſem & Paulum non *elegiſſe* ſed duntaxat *optaſſe*, ſi id poſſibile fuiſſet, fieri Anathema, aut deleri ex libro vitæ pro ſalute totius populi; cùm tamen mens ipſorum id noſſet eſſe *impoſſibile*: ut cùm Chriſtus optabat calicem illum à ſe tranſire, ſi poſſibile eſſet; cùm tamen noſſet id non poſſe fieri, & aliud eſſe à Deo decretum & conſtitutum: Quamquam optare ſit deſiderare, & voluntate ac appetitu ferri in objectum, & id quod optatur quamdiu optatur habeat in mentis judicio majoris boni rationem.

Itaque ut ad libertatem voluntatis divinæ aſcendamus; non poteſt non felicitatem ſuam Deus & appetere, & (fas ita ſit de Deo loqui) perſequi, eâve perfrui. Nam & neceſſaria illa prorſus eſt, ut ſuo loco docebimus; & nihil eſt, quod cum ea in contentionem venire ullo pacto queat, & porrò voluntatem, ut ei felicitatem ſuam poſtponat, ullo modo impellere. Itaque & illa neceſſariò vult ac facit Deus, ſine quibus felicitas ipſius conſiſtere non poteſt. At in cæteris, quibus neceſſarius non eſt cum felicitate ipſius nexus, libertas voluntatis ipſius regnat. Neceſſitate enim volendi ac eligendi ſubla- 142.
ta, libertas, ut diximus, relinquitur. Nihil autem eorum, quæ extra Deum ſunt, ad felicitatem ejus ſimpliciter ac per ſe pertinet. Quare eorum nihil velle aut facere neceſſariò cogitur; ſed quicquid vult aut facit, per ſe liberè vult ac facit. Dico autem *per ſe*: quia cum ſeſe obſtrinxit ad aliquid faciendum, jam id neceſſitate juris, ac porrò juſtitiæ vi, omnino facit; & niſi faceret, contra naturam ſuam ageret, ſuamque felicitatem everteret. ſimiliter cùm aliquid facit, id, ut rectè ac ſapienter faciat, neceſſe eſt: quia aliàs itidem naturæ ſuæ repugnaret, ſuamque felicitatem veluti oppugnaret. Eatenus ergo neceſſariò extra ſe agit, non liberè. Sed huic neceſſitati locum facit liberrimus quidam voluntatis ipſius actus.

Non poteſt non] Quin tamen Deus etiam hic ſe habeat liberrimè, cùm ſit actus voluntarius, dubitari non poteſt. Vnde liquet omnem neceſſitatem

cum

Digitized by Google

cum libertate omni non pugnare.

Libertas voluntatis] Liberrimam Dei voluntatem agnoſcimus, quatenus nempe Deus eſt ens ſimpliciter independens, & ſibi ipſi principium omnium ſuarum operationum ad extra; Sed tamen primò nihil unquam vult ad extra, niſi prout & inquantum judicat volendum & faciendum eſſe. Secundò quicquid vult, quomodo & inquantum vult, habet ſemper rationem optimi in ſuo genere; cum qui optimus eſt nihil unquam velit niſi quod optimum eſt. Tertiò ex duobus bonis poſſibilibus inter ſe comparatis, ſemper Deus vult id quod eſt optimum; Imò nos illud optimum eſſe debemus ſtatuere à poſteriori, quod Deo volitum fuiſse eventus ipſe comprobat. Quartò neceſſariò ita vult quod bonum eſt, ut non poſſit velle malum, illud vel approbando, vel præcipiendo, vel remunerando: Deus itaque ſi quando aliquid vult, neceſſariò ſemper vult quod optimum eſſe judicat & maximè ſuæ naturæ ac gloriæ conveniens: neque illi neceſſitati repugnat hæc ſua libertas.

Quare eorum] Agnoſco hîc tolli neceſſitatem coactionis; item phyſicam & determinationis ad unum; ſed non tollitur neceſſitas moralis, nihil volendi niſi bonum, & quod optimum à ſapientiſſimo & optimo agente judicatum fuerit.

Quia cum ſeſe] Ergo Deus ex neceſſitate ſuæ naturæ aliquid agit, quod tamen agit liberè & citra neceſſitatem coactionis. Quin ut ſua illi conſtantia & immutabilitas neceſſitatem juſtitiæ imponit, in dictis & conſtitutis ac decretis ſuis ſervandis; ita ſua ſanctitas & juſtitia, cum oculi ejus ſint puriores quam ut videant malum Hab: 1, 14. neceſſitatem illi imponit vindicandi peccati in ſe commiſſi, nec illud inultum relinquendi.

Similiter] Ergo neceſsariò etiam agit quod eſt optimum.

Eatenus ergo] Hic actus liberrimus voluntatis divinæ, etiam aliquam neceſſitatem accipit & à fine quem Deus intendit, cum neceſsariò velit gloriam ſuam, & ab objecto voluntati ſuæ propoſito, quod novit & intelligit illi ſuo fini convenientiſſimum & aptiſſimum eſse.

Reſtat adhuc ultimum voluntatis munus, ſeu mavis vis ac facultas: nempe quòd aliis rebus, cùm eveniunt, delectetur, aliis offendatur. Reſpondet id maximè primo voluntatis muneri, & quod hoc præſtat in futuris, id præſtat illud in præſentibus, aut etiam in præteritis. Ex eodem ſanè potiſſimùm etiam pendet; aliquo modo & ex ſecunda voluntatis functione. Quiſquis enim rem aliquam, ut bonam ac jucundam deſiderat, vel etiam eam perſequi omnino ſtatuit, eâ potitus aliquo modo delectatur ac lætatur: contrà ſi quod averſatur, id nihilominus eveniat, offenditur tanquam malo atque injucundo. Quam ob cauſſam ſacræ literæ per metaphoram quandam, & lætandi, & dolendi ſeu triſtandi verbum, & alia quædam his ſimilia Deo tribuunt; ut ſignificent, aliquid eſſe in Deo his voluntatis noſtræ actibus analogum. qua de re ibi agetur (*vid: cap. 31.*) ubi de illis voluntatis divinæ actibus dicemus, qui affectuum nomine in ſac. literis deſcribuntur. Nam & de his, & de decretis divinis, infrà ſeparatim tractabimus. Eò igitur cætera rejicimus de voluntate divina adhuc dicenda. Quod enim hîc quoque voluntatis divinæ actiones attigimus, id, ut facultatis ipſius rationem ac naturam

explicare-

Digitized by Google

explicaremus, fecimus. Quandoquidem facultates explicari non poſſunt, niſi per ſuos actus. Suâ enim naturâ ad illos referuntur, & quicquid ſunt, illorum ſunt.

‡ *Quam ob cauſam*] Tum ſanè homines contriſtantur cum eo excidunt quod tanquam bonum omninò perſequi & conſequi ſtatuerant: Sed cum Deus nunquam ſuo fine excidat, *Conſilium meum ſtabit*, Eſai. XLVI, 20. triſtitia propriè dicta in ipſum non cadit, quaſi doleat factum fuiſſe quod nollet, cum fieri non potuerit quod voluiſſet: Hinc ſi qui affectus triſtitię, gaudij, expectationis &c. tribuuntur Deo ἀνθρωποπαθῶς, debent θεοπρεπῶς intelligi; cum vel ipſi Stoici eos commotiores, ſaltem in ſuo Sapiente, tolerari nolint.

Uſum hujus doctrinæ jam antè attigimus. Docuimus enim, voluntate Dei ſublata, omnem veram religionem ruituram, & Deum revera non futurum, omni ipſius imperio, omni cura ac providentia, cum ipſa rerum creatione ſublata. Idem reipſa fit, ſi libertatem voluntati ipſius detrahas, & quicquid facit, neceſſariò eum facere ſtatuas. Neque enim revera poteſtatem atque imperium habet, qui, quod facit, neceſſariò facit, & arbitrio libertate que 143.
naturali deſtituitur. Præterea & illud conſequi vidimus. Dei arbitrio ac voluntatis libertate negata, corruituram multò magis humanæ voluntatis, uti & cæterarum creaturarum intellectu præditarum libertatem, quâ ſublatâ religio concidit; concidit virtutis ac vitii ſeu peccati ratio, præmium ac pœna. Simul autem omnis vera è rerum natura tollitur contingentia, ut vocant. Quocunque enim te vertas, vera atque abſolutè ſic dicta contingentia, non alio nititur fundamento, quàm voluntatis alicujus arbitrio, ſeu libertate ejuſmodi, quæ in alterutram partem ſeſe flectere ex ſeipſa poſſit. Inde enim poſtea actionum & effectuum longa concatenationis ſerie ducitur contingentia. Quæ enim non poſſunt vel moventi reſiſtere, vel ultrà, quam moventur ipſa, movere alia: ea contingentiæ abſolutè ſic dictæ, fundamentum eſſe nullo modo poſſunt, ſed per ſe potiùs ſunt neceſſitati ſubjecta, & libertatem nec ipſa habent, nec in aliis pariunt. Talia autem omnia ſunt, quæ arbitrio ac libertate voluntatis ſunt deſtituta.

‡ *Idem reipſa fit*] At quam non deſinat id eſſe liberrimum in Deo, quod tamen multiplicem habet neceſſitatem, jam ante ipſe Crellius docuit. Nec voluntatem Dei per omnia, ex noſtra debemus æſtimare, ut ante oſtenſum: cùm noſtra ſit mutabilis & flexibilis in malum, Dei non; imò noſtra ſit qualitas ſuperaddita noſtræ eſſentiæ, Dei vero voluntas ſit ipſiuſmet eſſentia & natura.

Quâ ſublatâ] Agnoſcimus id de libertate eo quem diximus ſenſu explicata, cui non repugnat multiplex neceſſitas, moralis, determinationis voluntatis per intellectum, infallibilitatis eventus &c.

Simul] At primò contingentia latiùs patet rebus voluntarijs, ſive ijs quæ pendent ex arbitrio creato: Nam etiam contingens eſt ut cras pluat, vel non: contingens eſt ſementem humi commiſſam

Digitized by Google

aut lętè venire aut putreſcere; contingens eſt arbores hoc anno vel valdè frugiferas vel penè ſteriles futuras. Secundò, fundamentum veræ contingentiæ non eſt præciſè in arbitrio conſtituendum, aut ipſa per longam cauſarum concatenationem debet deduci à cauſa remotiori; ſed ejus fundamentum in cauſa demum proxima debet collocari, quæ ex natura ſua ſe indifferenter habeat ad utrumque oppoſitorum, nec ad unum ex illis ex intrinſeca ſua natura determinetur. Sic contingens eſt quod catellus à lapide ſupernè decidente conteratur; cum lapis quidem neceſſariò & naturali motu deorſum feratur, ſed ejus lapſus indifferenter ſe habeat ad catelli læſionem, qui ut poterat eo loco abeſſe quo lapis ſuo impetu ferebatur, ſic poterat ab eo non lædi: Sanè actus ſpecificatio & denominatio non à cauſa aliqua univerſali & remota, ſed à ſola cauſa particulari & proxima repeti debet. Tertiò, tantum abeſt ut longa actionum & effectuum concatenationis ſerie ducatur contingentia à cauſa aliqua liberè agente; ut potiùs attendendo ad illam ſeriem, vel nulla planè neceſſitas ſuperſit in mundo; cùm cauſæ illæ quæ neceſsariò agunt & ſunt ad unum determinatæ, ut ignis ad urendum, pendeant & in ſuo eſse & in ſuo operari à liberrima Dei voluntate; unde deberet ſequi, juxta hypotheſes Crellianas, eas non agere niſi contingenter; vel nulla abſoluta contingentia ſit agnoſcenda; nam attendendo ad cauſarum concatenationem & nexum, quem nonnulli *fatum* dixerunt, cum illa reſolvatur tandem in Dei *effatum* ſive decretum, quicquid ex illa ſerie & longa concatenatione ſequitur, habet neceſſitatem infallibitatis & futuritionis: nam rumpetur ille nexus cauſarum inter ſe & illa ſeries abrumpetur, niſi id evenerit quod Deus per illam eventurum ordinavit & conſtituit: hæc eſt illa aurea Iovis catena apud Homerum, ex qua omnes Dij Deæque pendere dicebantur. Quartò, non debemus omnimodè ſic dictam contingentiam in rerum naturâ admittere: Sed quemadmodum quicquid neceſsariò evenit in mundo, videtur ex libertate cauſæ primæ, nempe Dei, aliquam habere contingentiam, licet tamen neceſsariò fiat & eveniat ex parte cauſarum ſecundarum ad id ex intrinſeca ſua conſtitutione determinatarum; ita viceverſâ quicquid contingenter evenit in mundo, reſpectu hominum & cauſarum ſecundarum indifferenter ſe ad utrumque oppoſitorum habentium, habet aliquam neceſſitatem futuritionis & infallibilitatis reſpectu cauſæ primæ, ſine cujus præſcientia & decreto vel effectivo vel permiſſivo non fiunt: Nec poſſunt Hæretici aliter abſolutam hanc contingentiam ſuam propugnare, quam abrogando ipſimet Deo futurarum contingentium præſcientiam, quæ tamen, ut habet Tertullianus, *tot habet teſtes quot fecit prophetas*; de quo infra amplius erit dicendum. Multis autem poſſim demonſtrare nihil eſse tam contingens quoad modum quo fit, ſive reſpectu ſuæ effectionis, quod non ſit neceſſarium reſpectu Providentiæ æternæ & quoad ſuam futuritionem & infallibilitatem eventus. Nihil magis contingens quam viatorem occidi per lignatoris ſecurim ex manubrio elapſam: Deus tamen dicitur eum objeciſse manui ejus, ſive illum eo adduxiſse Exod: XXI, 13. Deut: XIX, 5. Si contingentia uſpiam ſe prodit, ſanè ſe prodit in ſorte; ſortem tamen ſubjici Providentiæ Dei, & Deum per illam exſequi infallibilia ſua decreta, tota docet Scriptura: *In gremium ſors conjicitur, à Iehova autem tota ratio ejus* Prov: XVI, 33. Sic Ezech: XXI, 20. 21. & ſeqq. Nebucadnetzaris ſortes, cæteroquin impiæ, an Rabath adoriretur an Ieroſolymas, in Ieroſolymitanos à Deo ipſo diriguntur: & Act: 1, 26. ſortientes Apoſtoli inter Ioſephum & Matthiam, uter futurus

eſſet

eſset Apoſtolus, in locum Iudæ, petunt à Deo ut velit oſtendere utrum ex illis duobus elegerit. Imò ea propriè Dei judicio & arbitrio committuntur quæ committuntur ſorti, quâ exploratur quid Deus de hoc vel illo, nobis ignoto, in anteceſſum decreverit. Ita valdè contingens fuit hominum reſpectu quod crura Chriſto pendenti in cruce non fuerint fracta, ut duobus cruciarijs unà crucifixis: nec enim adamantina erant ipſius oſſa ut frangi nequirent; nec defuerat ea frangendi propoſitum & conſilium Pilati militibus; nec deerant ipſis ad id vires ſufficientes, & æquè poterant ea fregiſse ei jam mortuo, ac alijs duobus ægrè ſpiritum trahentibus: Interea tamen ſi conſilium & decretum Dei ſpectemus, neceſſe erat ut oſsa ipſius integra manerent & nullum ex illis frangeretur Ioh: xix, 36. Adde his omnia loca Scripturæ quæ teſtantur omnes pilos capitis noſtri Deum habere in numerato & nullum ex illis, imò nec minimum paſſerculum, abſque illius conſilio & voluntate cadere poſſe Matth: x, 29. 30. Ex quibus omnibus ſatis ſuperque patet nihil ita eſſe contingens quoad nos & cauſas ſecundas, quod reſpectu Præſcientię & Providentię Divinę non habeat aliquam neceſſitatem, non abſolutam quidem & conſequentis, uti benè diſtinguunt Scholaſtici, ſed tamen hypotheticam & conſequentiæ, ſive infallibilitatis eventus.

Quæ enim non poſſunt] Duæ iſtæ conditiones falsò requiruntur in contingenter agentibus; nam lapis non poteſt reſiſtere ei qui ipſum de loco ſuperiori temerè dejicit; nec poteſt ultra quam movetur movere alia: tamen quod catellum vel pullum fortè decidendo occidat, fit omninò contingenter; quia poterat non occidere, licet non poterat non decidere. Deinde voluntas ipſa creata quam iſti homines ſubſternere videntur in fundamentum omnis contingentiæ, neutram admittit harum conditionum. Nam primò nec rationis ultimo judicio eam determinanti & moventi ad hoc vel appetendum vel fugiendum, reſiſtere poteſt, quia ſic deſineret eſſe voluntas & appetitus intellectivus; nec etiam ipſi Deo, contra quam docet Scriptura Prov: xxi, 1. *Vt rivi aquarum ſic animus regis eſt in manu Iehovæ, quocunque vult inclinat eum*; Sanè ſi voluntas creata poſſet reſiſtere Deo eam moventi & inflectenti citra coactionē huc vel illuc, in creaturę arbitrio & facultate eſſet omnia Dei decreta eludere & impedire. Secundò voluntas non ultrà movet vel ſeipſam vel alia ſub ſe, quam movetur vel intrinſecè ab ultimo rationis judicio, vel extrinſecè ab ipſo Deo, non ut nolentem cogat, ut benè docet Auguſtinus, ſed ut ex nolente volentem reddat. Cum enim ſit facultas cœca, non ulrà movetur & ſe applicat ad agendum, quam ipſa agitur & ducitur: Et benè dictum à Philoſophis quod acti agamus: ex axiomate Paulino generaliori Act: xvii, 28. quod in ipſo ſumus, vivimus & movemur, adeo ut, Lyrano benè obſervante, ſit nobis intimior quam noſmet ipſi. Malè igitur in his duobus libertas & contingentia collocatur: Quare utriuſque alia ratio formalis eſt ſtatuenda; nempè libertatis, ut ſit agentium ex proæreſi, & citra coactionem & neceſſitatem phyſicam; contingentiæ vero, ut ſit quorumlibet agentium, hic & nunc ad eum quem producunt effectū, ſui videlicet reſpectu, ſe planè indifferenter habentium, neque vel ex ſua intentione, ſi libera ſint, vel ex ſua conſtitutione intrinſeca ſi naturalia, ad illum quem conſequuntur & producunt effectum determinata & ordinata.

Digitized by Google

CAP. XXII.

De Potentia Dei.

‡ *Reſpondente* JOHANNE NICLENIO, Excœsio-Omlando.

ABſolutis illis facultatibus divinis, quæ immanentium actionum propria ſunt principia, tranſeuntium conſequenter: ſequitur, ut eas etiam explicemus, quæ actionum tranſeuntium, h. e. in alia veluti manantium, & in iis vim ſuam exſerentium, propria ſunt principia. Diximus autem duas eſſe: Potentiam, quæ in vi atque efficacia conſiſtit, & Poteſtatem, quæ in jure. Utraque ad actiones operaque Dei externa requiritur. Nihil enim fieri poteſt à quoquam, niſi faciendi vires habeat: à Deo etiam nihil, cujus faciendi jus non habeat. Quamquam hæc poſterior etiam ad decreta Dei requiritur. Ut enim nihil facit Deus, quod jure facere nequeat; ita nec decernit. Interim tamen ad ipſa opera decretorumque effecta primò ac per ſe pertinet: ad decreta propter facta ipſa. Ideo enim aliquid decernere licet, aut non licet, quia id etiam facere licet, aut non licet; non contrà, ſi naturæ ordinem reſpicias: etiamſi ex rectitudine decretorum, etiam operum rectitudinem concludere liceat. Quamquam autem harum facultatum nomina interdum videantur confundi: poteſtas tamen Græcis ἐξουσία propriè eſt: potentia au-
144. tem, de qua hoc capite agere inſtituimus, ſive Deo, ſive aliis rebus attributa, δύναμις potiùs vocari ſolet, (*Mat: 22. 29. Luc: 15. 17. Rom: 1. 4, 20: 9. 17. 1 Cor: 6. 14. Epheſ: 1. 19.*) aut ἰσχὺς, (*Epheſ: 1. 19. Apoc: 7. 12. ſic & Eph: 6. 10. 2 Theſſ: 1. 9. 2 Pet: 2. 11.*) item κράτος, unde παντοκράτωρ, hoc eſt, omnipotens. (*Eph: 1. 19: 6. 10. Col: 1. 11.*) Verùm vox κράτος etiam imperium in ſac. literis denotat, vel ſaltem de imperio accipi rectè nonunquam poteſt. Non recenſemus alia, præſertim figurata, quale eſt brachium, vel brachium extenſum, dextra, & his ſimilia.

‡ *Quanquam hæc*] At ſanè cum decreta Dei pertineant ad actiones ipſius non *tranſeuntes*, ſed *immanentes*, non erat cur Crellius poteſtatẽ Dei, magis annumeraret propriis actionum Dei tranſeuntium principijs, quam ejus intellectum ac voluntatem.

Quid autem ea ſit potentia, ex dictis facilè intelligi poteſt. Eſt enim facultas extra ſe efficaciter agendi. Eam verò Deo ineſſe, & quidem infinitam, non tantùm affirmant ſacræ literæ, ſed ex clariſſimis etiam ejus effectis demonſtrant. Loca ſacrarum literarum, quibus immenſa Deo potentia tribuitur, paſſim ſunt obvia. (*vid: inter alia Gen: 17. 1: & 18. 14: & 35. 11: & 43. 14: & 48. 3. Exod: 34. 6. Iob: 9. 5, 19: & 12. 13: & 42. 20. Pſal: 89. 9: & d. Ier: 32. 17. Mat: 19. 26. Luc: 1. 37. Epheſ: 3. 20. Apoc: 1. 8: 4. 8.*) Quod ad effecta attinet; primum,

Digitized by Google

primum, quod habemus immenſæ Dei potentiæ documentum, eſt mundi hujus creatio, quam nos ſuprà cap. 4. & 5. rationibus demonſtravimus. Immenſam certè ejus, qui hæc omnia condidit, vim ac potentiam eſſe neceſſe eſt. Quanta enim in hoc univerſo eſt operum maximorum ac planè ſtupendorum multitudo? quanta varietas? quanta in ſingulis vis? quàm admirandæ facultates? Qui hæc producere potuit, quid non poſſit? Ideo toties in ſacris literis commemoratur rerum creatio, ut inde Dei potentiam æſtimare diſcamus. Iungenda creationi rerum eſt perpetua earundem conſervatio, procuratio ac gubernatio, quæ quotidie infinitæ Dei virtutis ac roboris documenta nobis proponit. Accedunt miracula, quorum maximus fuit numerus. ſed illuſtria præter cætera fuerunt ea, quæ per Moſen, maximè autem, quæ per Chriſtum fuerunt patrata: quorum illis Legis, his Euangelii initia Deus inſignivit, ac veluti conſecravit: ut certa atque in omne ævum duratura utriuſque doctrinæ, ſed hujus maximè, extarent fundamenta, quibus omnium poſterorum fides tutò inniti poſſet. Chriſti ſanè miracula tanta fuerunt, ut majora ante eum fecerit nemo. tot autem numero, ut ſi ſingula fuiſſent nominatim perſcripta, mundum libros, qui ſcribendi fuiſſent, non capturum Iohannes affirmet. (*Ioh: 21. ult.*) Miraculis autem Chriſti illa meritò accenſemus, quæ per ſervos ſuos in cœlum hinc profectus toto paſſim orbe edidit, & quibus tot terrarum populos in jura ſua adegit.

‡ *Extarent fundamenta*] Miracula propriè non ſunt fundamenta fidei, ſed tantum motiva ad fidem: cum fidei fundamentum ſit unicum, Dei dicentis ceu primæ veritatis revelatio & authoritas: Imò etiam miracula ſuo ſenſu ſunt exigenda ad fidei doctrinam, non hæc ad miracula: Quare nec Moſes nec Chriſtus, ille Deut. XIII, 2.3. hic Matt. VII, 15.22. & XXIV, 23. 24. miraculis credi abſque ſcrutinio doctrinę voluerunt. Et cum Chriſtus volebat ſibi credi propter opera quę faciebat, nihil aliud volebat quam Iudæos illis operibus ſuis moveri ad aſſentiendum ſibi & ſuam doctrinam ceu divinæ authoritatis admittendam.

Illuſtre fuit & illud potentiæ divinæ documentum, ac inſignitè commemorandum, quod rei & præſtitu, & nobis creditu difficillimæ, creditu autem maximè neceſſariæ, continet argumentum. Quid enim ſecundùm naturam magis videtur eſſe impoſſibile, quàm mortuorum reſuſcitatio, & ad immortalitatem traductio? Hic eſt noſtræ de Dei potentia fidei, ſi certorum ejus 145.
effectuum habeatur ratio, quidam veluti apex. Unde & in Abrahamo credentium patre id maximè inſigne fuit, quòd crediderit, etiam à mortuis reſuſcitare poſſe Deum. (*vid: Heb: 12. 19.*) At hujus rei documentum nobis evidentiſſimum dedit Deus in duce fidei ac ſalutis noſtræ Chriſto, dum eum & à mortuis reſuſcitavit, & ad dextram ſuam in cœleſtibus collocavit. quod quidem tam admirabile divinæ potentiæ opus verbis inſignibus (ſi modò in

re tanta ulla ſatis magnifica oratio eſſe poteſt) exprimit Apoſtolus in ea, quam ad Epheſios ſcripſit, Epiſtola; adeo ut dignus ſit locus, qui hîc expreſſè inſeratur. Cùm enim precatus eſſet à Deo Epheſiis illuminatos mentis oculos, ut ſcirent, quæ ſit ſpes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis, hoc eſt, ut intelligerent ſummam illius boni, quod ipſis à Deo eſſet oblatum, præſtantiam; optat etiam, ut ſummam ejuſdem boni certitudinem cognoſcant, quæ niſi infinitâ illâ Dei potentiâ, quâ ſolâ id præſtari nobis poteſt, cognitâ cognoſci nequit. Cognoſcitur autem ea potentia ex tam illuſtri, quem diximus, effectu. Itaque ita ſubjicit. (*Eph: 1. 19: & d.*) *&* (ſcilicet *ut ſciatis*) *quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis* (ſeu *potentiæ*) *ejus in nos, qui credimus ſecundùm operationem potentiæ virtutis* (ſeu *virium*) *ejus, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem* (ſeu *potentiam,*) *& dominationem, & omne nomen, quod nominatur non tantùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro, & omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit caput ſupra omnia* (ſic eſt in Græco) *Eccleſiæ, quæ eſt corpus ipſius,* [*&*] *plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet:* ſic enim potiùs vertendum eſt participium πληρυμένυ, quàm *adimpletur.* Satis ergo divina ſeſe demonſtravit potentia, quam Deo ineſſe aliàs quoque eſt conſentaneum. Quemadmodum enim Deus, quia intelligere tum bona, tum mala poteſt omnia, voluntatem quoque habet, ut illa approbet, hæc improbet, ac porrò diverſa de illis decreta facere queat: ita & conſentaneum, imò neceſſarium eſt, ut, quæ approbet, poſſit efficere; quæ improbet, tollere.

Cæterùm ut, quæ ſit potentiæ divinæ ratio, quæ amplitudo ac perfectio, meliùs intelligatur; de omnipotentia Deo in ſacris literis attributa nobis dicendum eſt: & quidem ita, ut primùm tum de Omnipotentiæ voce, tum
146. de aliis loquendi modis, quibus eadem res in ſcripturis exprimi ſolet, nonnihil dicamus: deinde rem ipſam penitiùs inſpiciamus. Quod ergo ad vocem *omnipotentiæ* vel potiùs *omnipotentis* attinet, Deo in ſacris literis attributam; ea Græcè, ut antè monuimus, eſt παντοκράτωρ. quam vocem Græci Veteris Teſtamenti interpretes, è quibus in Novum Teſtamentum proculdubio manavit, nunc pro voce *Schaddai* ponunt, de qua inter Dei nomina ſuprà egimus, (*ſup: cap: 12.*) vel pro nomine *Zebaoth*, quod *exercitus* denotat; cùm Deus ille ſummus, vel *Iehova Zebaoth*, hoc eſt, Jehova ſeu Dominus exercituum, vel explicatiùs *Iehova El Zebaoth*, hoc eſt, Jehova ſeu Dominus Deus exercituum appellatur. Utroque autem modo ſumta, Dei vim ac potentiam ſignificat; ſed magis, cùm pro nomine *Schaddai* ponitur, ut ex iis conſtare poteſt, quæ de ejus vocis vi ſuo loco diximus. Vox enim illa robur ac vires Dei ſignificat, quibus omnibus omnia ſuppeditare ac ſufficere

queat

Digitized by Google

queat. At cùm pro nomine *Zebaoth* ponitur, voci *Iehova*, aut *El* h. e. *Dei* ad-
jecto, primò & per ſe ſupremum Dei in legiones angelicas, ac porrò in res
cæteras angelis inferiores, ſignificat: conſequenter ètiam potentiam Dei
ac robur ipſius indicat. & hoc quidem duplici ratione. Nam primò qui innu-
meris ſpirituum immortalium ac robore præcellentium legionibus ſummo cum
imperio præeſt, eum illis omnibus longè robuſtiorem eſſe intelligimus; niſi
fortè cenſeas, eum non niſi ita volentibus imperare, & eos exercitus, ſi ve-
lint, imperium ipſius excutere impune poſſe; id quod de ſupremo numine
cogitare nefas eſt. Deinde cui res omnes, etiam angelicæ legiones, parent,
quid per eas efficere, in rebus præſertim humanis, non poſſit? Principes ac
reges δυνάστας ſeu potentes appellamus, non tam propter imperandi ac gu-
bernandi jus per ſe conſideratum, quàm propter id, quod juris hujus, cùm
eo uti reipſa queunt, conſequens eſt; nempe quòd multum in rebus huma-
nis poſſint, opibus regnorum ac ſubditorum ſuorum viribus ſubnixi. Quan-
tum igitur Deum poſſe cenſemus, qui omnibus angelorum legionibus, quo-
rum & robur maximum eſt, & numerus propè infinitus, imperat, eaſque
ſibi habet obſequentiſſimas? Itaque hoc veluti ſecundarium eſt Dei robur ac
potentia, extra ipſum ſita, atque ab eo pendens; quâ quidem in guberna-
tione rerum inferiorum, & exequutione decretorum ſuorum, creberrimè uti-
tur. Etſi enim Deus etiam per ſe, ſeu vi in ſe habitante poſſit omnia, quæ
vult, efficere: uti tamen libenter, atque adeo ordinariè ſolet mediis à ſe
jam paratis, & ad res varias efficiendas aptis. Neque enim res, quas pro- 147‡
duxit, otioſas eſſe vult: cum eas ideo produxerit, ut pro viribus ſibi ab ipſo
conceſſis operarentur, & variis muneribus incumberent. Itaque quemadmo-
dum per homines multa in terris efficit, multaque decreta ſua ad exitum per-
ducit: ita quæ occultiori quadam ratione efficit, per angelos libenter præ-
ſtat, quemadmodum ex hiſtoria ſacra intelligitur. quò reſpiciens Pſaltes
ait: (*Pſal: 103. 20. 21.*) *Benedicite Domino omnes angeli ejus; potentes virtute* (ſeu
robore) *facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum ejus. Benedicite Domi-
no omnes virtutes* (Heb. *exercitus*) *ejus, miniſtri ejus qui facitis voluntatem ejus.*
Itaque ut pateat, quantum per creaturas etiam ſuas poſſit præſtare Deus;
crebriùs illa Dei ſive appellatio, ſive deſcriptio inculcatur, quòd ſit Domi-
nus aut Deus exercituum.

‡ *Itaque ut pateat*] Quoad ſignificationem nominis *Schaddai*, ut nolimus negare quin Omnipotentiam Dei connotet, ita æquè fortè commodè illud traduxeris ad ipſius αὐτάρκειαν. Nec Deus appellatur Dominus Exercituum ſimpliciter propter Angelos, qui ſatis impropriè Crellio dicuntur *ſecundarium Dei robur*, ſed etiam tum propter cœlos & ſydera, quæ condidit & regit Gen. 11, 1. tum quod motibus bellicis inter mortales præſit, eorumque eventus pro arbitrio

moderetur

moderetur; adeoque omnem illam vim & potentiam habeat quam Bellonæ, Marti, Victoriæ, Gentilium vana ſuperſtitio adſcribebat.

Quod ad alios loquendi modos attinet, quibus infinita Dei potentia in ſac. literis exprimitur; de illis non eſt neceſſe multa dicere, qui controverſia carent. qualis eſt ille apud Jobum (*42. 2.*) cùm Deum ita alloquitur: *Novi, quòd omnia potes.* & illa Chriſti verba, (*Mat: 19. 26. & Mat: 10. 27.*) *Apud Deum omnia poſſibilia ſunt*: & iſta Angeli ad Mariam, (*Luc: 1. 37.*) *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* Notum enim eſt, *omne verbum* Hebraico more illîc poni pro *omnis* vel *ulla res.* His autem locis adjungi poſſunt & illi, ubi omnipotentia divina non tam exprimitur, quàm effectu ejus manifeſto commemorato indicatur, aut alia quapiam ratione deſcribitur. quò pertinent illa Davidis, (*Pſal: 115. 3.*) in quibus Deum verum fictis omnique robore deſtitutis idolis opponens, *Deus,* inquit, *noſter in cœlo* [*eſt*:] *omnia quæcunque voluit, fecit.* q. d. tantæ potentiæ eſt, ut quicquid voluerit, faciat. quam ſententiam etiam apud Eſajam habes expreſſam. (*Eſa: 46. 10.*) Neque enim de rebus tantùm præteritis loquitur David, ſed indefinitè de quovis tempore. Præteritum nempe Hebraico more pro præſenti, quodvis tempus indefinitè ſignificante ponitur; quemadmodum & alibi frequenter fit in ſacris literis. quandoquidem præſens Hebræi non habent, niſi participium, ut ii nôrunt, qui eam linguam primis labris guſtârunt. (*Pſal: 1. 1: 2. 1: 10. 3, 6, 10, 17: 11. 1, 7: 12. 5: 14. 1: 15. 3. 4. 5: 16. 1. & alibi paſſim.*) Eòdem pertinent & illa Pauli, quibus Deum ad hunc deſcribit modum. (*Eph: 3. 20.*) *Ei autem, qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quàm petimus, aut intelligimus, ſecundùm virtutem* (ſeu *potentiam*) *quæ operatur in nobis,* &c. Cùm enim inter ea, quæ nos petimus, quædam contineantur præſtitu per ſe maximè difficilia, ut eſt reſurrectio atque immortalis vita, nobis à Deo promiſſa: ſi Deus illa omnia præſtare poteſt, & quidem longè abundantiùs, quàm nos non tantùm petere, ſed & intelligere poſſumus; quid
148. erit, quod is præſtare nequeat? Illud tamen tum in hoc, tum in aliis fœderis novi locis, (*vid: Rom: 4. 21: 16. 25. 2 Cor: 9. 8. Iud: v. 24. add: 2 Tim: 1. 12.*) ubi Deus dicitur *potens eſſe* aliquid facere, notandum eſt, hac phraſi voluntatem, ſeu mavis propenſionem quandam Dei ad rem, de qua ſermo eſt efficiendam, vel tacitè præſupponi, vel cogitandam, & ex ipſa potentia quodammodo æſtimandam relinqui; præſertim ibi, ubi potentiæ nomen non minùs de jure ac poteſtate, quàm de viribus accipi poteſt. (*vid: Rom: 11. 23: 14. 4.*) Certè & ipſum verbum *poſſe*, de voluntatis propenſione, indeque nata agendi conſuetudine, omnino accipi videtur in illis D. Auctoris ad Hebræos de Chriſto verbis: (*Heb: 2. 18.*) *In eo, in quo paſſus eſt ipſe* [*&*] *tentatus, potens eſt* (Gr. ſimpliciter *poteſt*) *& iis, qui tentantur, auxiliari.* q. d. ad auxilium iis ferendum pronus eſt, & ferre libenter ſolet.

Illa au-

Digitized by Google

Illa autem ſacræ ſcripturæ loca, in quibus ſecundùm Veterem interpretationem Latinam dicitur, Deo nihil eſſe difficile, ab aliis in alium ſenſum trahuntur. Quia enim illis in locis (*Gen: 18. 14. Ier: 32. 17, & 27.*) in Hebræo pro *difficile* legitur *mirabile*; ideo id à nonnullis interpretibus recentioribus, apud Jeremiam etiam à Græcis, pro abſcondito ſumitur. Licèt autem inde nec falſus, nec à locorum circumſtantijs penitùs abhorrens naſcatur ſenſus: vero tamen ſimilior is eſt, quem vetus interpres expreſſit. Eo ſanè modo vocem *mirabilis* vel reddiderunt, vel explicuerunt omnes, quos videre licuit, interpretes apud Zachariam; (*Zach: 8. 8.*) ubi Deus id, quod de incolis urbis Hieroſolymitanæ promiſerat, confirmaturus inquit: *Si videbitur difficile* (Hebr. *erit mirabile*) *in oculis reliquiarum populi hujus in diebus illis; numquid in oculis meis difficile* (Hebr. *mirabile*) *erit?* Adde, quòd interpretes illi, qui *mirabile* illis in locis pro abſcondito acceperunt, exiſtimaſſe videntur, id ſimpliciter pro *ignoto* poni. Hanc autem vocis *mirabilis* ſignificationem haud temerè inveneris. Nam etiam tum, cùm ad cognitionem refertur, id ſignificare ſolet, quod difficilius ac ſublimius eſt, quàm ut penitùs cognoſci, aut ratio ejus perſpici queat, etiamſi de eo cæteroqui prorſus conſtet.

De illis verò Chriſti verbis, Patrem, ut calicem à ſe transferat, orantis, (*Mar: 14. 38.*) *Abba Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt*, meritò dubitari poteſt, utrùm de potentia hac, qua de nunc agimus, accipienda ſint. Imò vix dubitandum eſt, de poteſtate potiùs, quàm de viribus ac potentia Chriſtum loqui. Indicant id Matthæi verba, (*Mat: 26. 39.*) quibus eandem Chriſti precationem deſcribit: *Pater mi ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* quorum vim & Marcus expreſſit, dum proximè antè ſcripſerat, Chriſtum oraſſe, *ut ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora.* Neque enim verba illa, *ſi poſſibile eſt*, ita ſunt accipienda, ac ſi Chriſtus aliquo modo de divinis, quibus id præſtari queat viribus dubitaſſet; quo nihil poteſt excogitari abſurdius: ſed de ejuſmodi poteſtate, quam divina decreta, ipſiuſque rei ratio concedat, eum in hoc negotio dubitaſſe, abſurdum non eſt. Ambigere enim non immeritò Chriſtus poterat, utrùm id, quod cupiebat, divina decreta permitterent, & ipſa rei ratio ferret. Unde etiam ſtatim precationis verbis ſubjùnxit: *Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Neque verò eſt, quod quis dicat, pugnatura inter ſe Chriſti verba, ſi illa *Omnia tibi ſunt poſſibilia*, & iſta, *ſi poſſibile eſt*, de eodem poſſibilitatis genere accipiantur. In illis enim ſimpliciter aſſeri id, de quo in poſterioribus ex parte dubitetur. Nam in illis Chriſtus loquitur de rebus omnibus abſolutè ac ſimpliciter conſideratis, nulla habita ratione ejus, an ſint certo aliquo Dei decreto jam definita, nec ne; at in his, ut antè indicavimus, decretorum divinorum rationem vel inprimis habet. Quare perinde eſſe videtur, ac ſi dixiſſet Chriſtus: Pater, res omnes tuæ ſunt poteſta- 149.

Digitized by Google

ti ac arbitrio ſubjectæ, ita ut de illis ſtatuere tibi liceat, quod placet. quòd ſi tuis decretis, ac conſiliorum tuorum rationibus planè adverſum non eſt, transferre à me hoc poculum; transfer id, quæſo. Sin minùs; id fiat, quod tu decreveris; non quod ego cupio. Sed de vi verborum ſatis.

‡ *Imò vix dubitandum*] Hoc falſum eſt. Ius enim & poteſtatem Dei ſi ſpectes, res non amplius erat integra: Nec jure potuiſſet Deus, calici huic Chriſtum ſubducere, poſtquam ſe vadem & ſponſorem conſtituerat pro nobis, adeoque eum loco noſtro exhauriendum ſuſceperat. Nec minus *abſurdum* eſt Chriſtum dubitaſſe de Dei decreto hac in re, cum tam ſæpè profeſſus fuiſſet *oportere* ita evenire, quam de Dei potentia: Nec illa loquutio, *Si poſſibile eſt*, apud Matthæum, inſinuat Chriſtum, vel de *viribus* Patris, vel de illius *poteſtate* dubitaſſe; ſed tantum in illa animi perturbatione ſubdubitaſse, num abſolutâ ſuâ omnipotentia. quam agnoſcit apud Marcum, uti vellet Pater ad ſibi ſubtrahendum eum amarum calicem, ad quem tamen exhauriendum venerat in mundum.

Ambigere enim] At quì potuiſſet Chriſtus de eo ambigere, cum apud Marcum poſtquam dixiſſet, *Libera me ex hac hora*, ſtatim ſubjungat, *At propterea veni in horam hanc?*

Ad rem ipſam ut veniamus; primùm de objecto potentiæ divinæ, ejusque amplitudine dicendum eſt; deinde ipſius facultatis circa hoc objectum occupatæ genus, aliquantò propiùs eſt deſignandum, ut appareat, quomodo potentia divina circa objectum ſuum verſetur. Objectum potentiæ divinæ, quod, cùm reipſa exiſtit, ejuſdem etiam effectum eſt, quàm latè pateat, ſatis ſignificatur, dum dicitur *omnia* Deum poſſe. Quomodo autem ea vox ſit intelligenda, inter omnes rerum Theologicarum peritos ſatis conſtat. Ad omnia enim illa eſt extendenda, quæ ſeipſa non evertunt, ſeu, ut in ſcholis loquuntur, contradictionem non implicant. Quæ enim implicant, ſub nullam cadunt potentiam, ſed ſuâ naturâ ſunt impoſſibilia. Nam contradictionem illa dicuntur implicare, quæ ſi ponantur, neceſſe erit idem ſimul eſſe, & non eſſe. Idem autem ſimul eſſe & non eſſe impoſſibile eſt. Neque verò tum demum id fieri cenſendum eſt, cùm apertè idem affirmatur, & negatur: ſed etiam tum, cùm id tacitè fit, & ex eo, quod ponitur, id
150. neceſſariò conſequitur. Sic contradictionem involvit, Deum mori poſſe, imò & dormire, edere, bibere. Si enim Deus mori poſſet; Deus, nempe ſummus, & à ſeipſo exiſtens, non foret. Quare ſi quis dicat, Deum mori poſſe; Deum ſimul eſſe & non eſſe tacitè dicit. Idem autem & ille tectiùs aſſerit, qui affirmat, Deum dormire, edere, bibere. Hæc enim non niſi corruptibilium ſunt ac mortalium. Quare talia poſſe facere, non potentiæ ſeu roboris, ſed impotentiæ potiùs alicujus & infirmitatis eſt.

‡ *Deum mori*] Hæc quidem de Deo, qua Deus eſt, dici non poſſunt; ſed poſſunt dici de Deo, qui ſimul etiam homo ſit per aſſumptionem noſtræ naturæ; cujus re-

jus re-

Digitized by Google

jus reſpectu illi perſonæ quæ ſummus Deus eſt, ſed non quà Deus eſt, benè tribuuntur: ut cum dicitur Dominus gloriæ crucifixus 1 Cor: 11, 8. & Deus redemiſſe Eccleſiam ſuo ſanguine Act: xx, 28.

Quo loco & illud eſt animadvertendum, quædam contradictionem involvere abſolutè atque in univerſum; quædam reſpectu hujus aut illius ſubjecti tantum; qualia ſunt ea, quæ paulò ante commemoravimus. Nam edere, bibere, dormire, mori, per ſe contradictionem nullam involvunt, ſed tum v. g. cùm ad Deum referuntur. Sic & Deum mentiri ſine contradictione tacita non poteſt aſſeri, etiamſi idem in aliud ſubjectum, ut in homines, cadat. Imperfectionem enim, imò vitium id arguit, quod in Deum cadere non poteſt. Sed abſolutè ac per ſe contradictionem involvit, Factum fieri infectum, ita nimirum, ut res eo ipſo tempore, quo facta eſt, facta non fuerit. Unde non tantùm Philoſophi veteres id Deo dixerunt eſſe impoſſibile, ſed & Theologi Chriſtiani. Nam inter alios ex Auguſtino hæc vulgò à Theologis hoc argumentum tractantibus citantur verba, rationem hujus ſententiæ continentia: (*ex lib: 26. contra Fauſtum cap: 5.*) *Quisquis ita dicit, ſi omnipotens eſt Deus, faciat, ut quæ facta ſunt, facta non fuerint; non videt ſe hoc dicere. Si omnipotens eſt; faciat ut ea, quæ vera ſunt, eo ipſo, quo vera ſunt, falſa ſint.*

Sed erunt nihilominus, qui dicant, injuriam fieri divinæ omnipotentiæ, quæ hoc pacto coarctetur, & velut in anguſtias cogatur. ea, quæ à nobis allata ſint, non ſacrarum literarum auctoritate niti, ſed humani ingenii inventa eſſe. Neque enim deſunt hodie, qui divina virtute etiam contradictoria ſimul conſiſtere poſſe exiſtiment, idque apertè aſſerere non dubitent. nempe quia facilè cernunt, dogmata quædam ſua, quæ ſacrarum literarum teſtimoniis niti exiſtimant, contradictionem involvere. Candoris id quidem eſt: quòd contradictionem ibi cernere ſe dicant, ubi acutiores cernere ſe negant: ſed ſuperſtitioſæ nihilominus credulitatis eſt, quòd ijs, quæ ſeipſa evertunt, 151
fidem, tamquàm ſacrarum literarum auctoritate ſuffultis, habeant. Non cernunt autem illi, dum Dei omnipotentiam tam latè extendunt, id ſe evertere, quo ſe maximè niti putant, ipſa nempe ſacra oracula, & quicquid eſt, quod divinitus factum eſſe unquam novimus. Etenim ſi factum infectum reddere poteſt Deus; efficere poterit, ut, quæ vel ipſe, vel Chriſtus, vel ſervi ejus unquam aut dixerunt, aut fecerunt; nunquam vel ipſe, vel hi dixerint, aut fecerint: & quæ ſcripta in ſacris literis ſunt, nunquam à divinis viris ſcripta fuerint. Itaque nec certò affirmari poterit, Deum creaſſe cœlum & terram, Chriſtum in mundum veniſſe, Euangelium annunciaſſe, miracula edidiſſe, mortuum ac reſuſcitatum fuiſſe, in cœlos aſcendiſſe, atque in ſolio Dei conſediſſe, & quæcunque ſunt alia in ſac. literis ſcripta. Quo, quæſo, pacto tueri poterimus illa nominatim divini ſpiritûs verba, quæ in Epiſt.

ad Hebræos extant: (*Heb: 6. 17. 18. 19.*) ***Abundantiùs volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit jusjurandum: ut per duas res immobiles, quibus*** (Gr. *in quibus*) ***impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut ancboram habemus animæ tutam ac firmam***, & quæ ſequuntur. Quænam enim ſunt illæ res immobiles, ſeu immutabiles, h. e. tales, quæ irritæ fieri non ampliùs poſſint? nónne promiſſio, & jusjurandum promiſſioni additum? quamquam nihil nunc refert ſcire, quęnam illæ ſint. Nam quæcunque tandem illæ ſint, eadem illarum, quæ promiſſionis & juramenti, ratio erit. Hæ autem res duę quomodo irritæ fieri non poſſunt, ſi Deus factum infectum poteſt reddere? Poterit enim efficere, quemadmodum paulò antè vidimus, ut quod promiſit, non promiſerit, quod juravit, non juraverit. Quomodo ergo inde colligere poterimus immutabilitatem conſilii ipſius, & ſpem in his rebus firmam collocare? Si dicas, Deum, etiamſi id facere poſſit, facere tamen nolle; unde id tibi conſtat? Ratione omni deſtitueris, ſi contradictoria ſimul à Deo effici poſſe dicas. Ad ſacrarum literarum auctoritatem, quam hac aſſertione ſubvertiſti, confugere ampliùs non potes. Omnium & divinarum & humanarum rerum certitudinem tollis, dum illud ponis. Dubitari enim non immeritò poterit, utrùm nos etiam ſimus ac vivamus, utrùm ea, quæ videmus, videamus, & ſic in cęteris: vel idem ſimul ſine abſurditate &
152. affirmari & negari poterit: ſiquidem fieri divinâ potentiâ poſſit, ut quod eſt, non ſit tamen revera tum, cùm eſt. Nihil tam abſurdum erit, quod hac ratione aſſerere non liceat. Neque verò dum ad ea, quę ſeipſa evertunt, Dei omnipotentiam non extendimus, eam coarctamus, aut verè limitamus; ſed rectè vim vocis reique naturam explicamus. Neque enim exiſtimandum eſt, vocem *omnis* aut *omnia* ſimpliciter poſitam, hanc omnino vim habere, ut in ſe complectatur, quicquid etiam mente fingi poteſt. Nam in ſac. literis vel ſemper, vel ſaltem plęrumque ad materiam ſubjectam reſtringitur: & jure affirmari poteſt, nuſpiam ita latè extendi, ut quicquid omnino fingi mente poteſt, id ambitu ſuo comprehendat. quin ne in ſermone quidem vulgari ita eam vocem accipere ſolemus: ſed cùm tam latè eam extendi volumus, aliquid adjicere ſolemus, unde id intelligatur. Quare illud immotum manet, Dei potentiam ad ea tantùm protendi, quę contradictionem non involvunt. Immenſa autem atque infinita nihilominus rectè dicitur, quia in rerum poſſibilium genere, quarum numerus infinitus eſt, ea nullum habet terminum.

‡ *Quarum numerus*] Sed & hoc cum grano ſalis ſumi debet: nam cum poſſibilia ſint infinita duntaxat potentiâ non actu, hoc eſt nunquam tam multa à nobis concipi poſſint, quin adhuc plura reſtent, non poteſt tamen eorum *numerus* ſimpli-

Digitized by Google

ſimpliciter dici *infinitus*; cum tantû eorum propriè aſſignetur numerus quæ ſunt actu, unde rerum propriè ſingularium, differentia numerica eſt apud Philoſophos; & certus ſit ac definitus ipſi Deo numerus eorum omnium quę poteſt facere, utpote qui optimè ſeipſum & ſuam potentiam intelligat, licet is numerus ſit nobis imperceptibilis & indefinitus.

Verùm enim verò, ut nonnulli latiùs, quàm convenit, divinam extendunt potentiam: ita contrà etiam non deſunt, qui coarctant. utrique in vitio: illi quòd nimium, hi quòd parum ei tribuant. Statuunt enim quidam, Deum plura non poſſe efficere, quàm efficere reipſa velit. Atqui multa ſunt, atque adeò innumera, quæ Deus reipſa efficere non velit; quæ tamen ſi Deum facere non poſſe dixeris, id dixeris, quod abſurdiſſimum, & in Deum ejuſque potentiam valde injurium cenſendum eſt. Tale v. g. eſt, Deum ne pilum quidem loco movere poſſe, quem non moveat. quia eum movere nolle, ex ipſo effectu appareat. Et quod Chriſtus de nobis dicit, imbecillitatem noſtram oſtenſurus, (*Matth: 5. 36.*) nos ne pilum quidem poſſe album aut nigrum facere; id etiam reſpectu pilorum hujus aut illius hominis dici de Deo poterit: nempe eum albos facere non poſſe, quia nolit: aut nigros, quia itidem nolit. Fruſtra, ſi ita ſe res habet, à nobis deprecamur pœnas ac ſupplicia divina. Nam vel poteſt illa Deus infligere, vel non poteſt. Si non poteſt; quid illa metuimus, quid à nobis averti petimus? Si poteſt, & perpetuò volet: niſi dicere velis, eum hodie quidem poſſe, cras non amplius poſſe ea. Quamdiu enim poterit, tamdiu etiam volet. ſiquidem non poſſit, niſi ſimul etiam velit. Potentia autem Dei immutabilis eſt atque æterna. Rectè adverſus hujus ſententiæ patronos urgeri ſolet illud Chriſti: (*Matth: 26. 53.*) *An putas quia* (vel *quod*) *non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones angelorum?* Significat enim omnino, Patrem eas legiones mittere ſibi poſſe. at noluit tamen. Plura ergo Deus poteſt, quàm vult. Sed in re manifeſta non opus eſt pluribus. Ea tantùm amovenda ſunt, quæ ſcrupulum alicui movere poſſent.

‡ *Plura ergo*] De abſoluta Dei potentia, id verum eſt; de ordinaria ut habet rationem facultatis exſequentis, non item: Hoc enim reſpectu nihil amplius poteſt fieri quam Deus vult: hoc eſt non extenditur executiva Dei potentia quà talis, ultra id quod ipſi decretum & conſtitutum eſt.

Objici enim primùm poteſt, quòd voluntas & potentia in Deo ſint planè idem. Itaque ad quæ voluntas Dei non extendatur, ad ea nec potentiam extendi. Sed ſi concluſio ita accipiatur, ut conſecutionis ratio poſtulat; nihil ea cum ſententia illa, quam hucuſque defendimus, pugnat. Etenim ſi 153.
rectè inſtituatur inter voluntatem & potentiam divinam comparatio, nihil hac in parte aliud ex utriuſque identitate colligi poteſt, quàm facultatem unam

 non

Digitized by Google

non latiùs extendi alterâ: ſimiliter nec unius actum actu alterius. id quod cum ſententia huculque defenſa non pugnat. Illud enim tantùm aſſerimus, eam in Deo facultatem, quæ potentia dicitur, latiùs patere, quàm pateat actus voluntatis. quod & de voluntate aſſerimus. Latiùs enim patet volendi facultas, quàm actus. Quæ enim liberè vult Deus, eorum etiam contraria velle poterat, quæ tamen non vult. Sic cum liberè vellet peccatores ſervare, poterat etiam velle eoſdem perdere. Quòd ſi plura velle poteſt Deus, quàm reipſa vult: cur non & plura poteſt efficere, quàm reipſa vult atque efficit? Taceo, quòd potentia & voluntas non ita ſunt in Deo eadem, quin ratione à ſe invicem diſtinguantur. Itaque licèt fateamur, Dei potentiam ſeſe reipſa non exſerere, ubi ſe non exſerat voluntas: tamen non eſt neceſſe objectum utriuſque idem prorſus eſſe. Illud certè videmus, voluntatem divinam etiam circa ea verſari, circa quæ non verſatur potentia. Verſatur enim voluntas etiam circa ipſam divinam felicitatem. Hanc enim non poteſt non appetere divina voluntas. at potentia circa illam revera non occupatur, licèt ab illa veluti præſupponatur. Deinde videmus, voluntatem operari, non operante & vim ſuam exſerente potentia. Etenim cùm tantùm deſiderat Deus, ut quippiam ab hominibus liberè fiat, aut non fiat; vel cum factum aliquod probat, aut improbat; vel denique cùm in futurum aliquid decernit, voluntas operatur, at non potentia, quæ tum demum ſeſe exſerit, cùm Deus id, quod apud ſe decrevit, reipſa exſequitur. Quare non ita urgenda eſt attributorum divinorum identitas, quin & objectorum, & actuum diverſitati locus relinquatur.

‡ *Quæ enim liberè*] Neque id univerſaliter verum eſt: Nam Deus ſic vult voluntate præceptivâ honeſtatem, & juſtitiam, & ſui cultum, ut non poſſit nobis contrarium præcipere, nempe vitium, & iniquitatem, & ſui abnegationem & contemptum.

Deſiderat] Deſideria, vota, velleitates in Deum propriè non cadunt, ceu minus ſuæ perfectioni convenientia: hic itaque malim reponi pro *deſiderat*, mandat, aut præcipit.

Deinde & illud objici poteſt, quòd Deus contra voluntatis ſuæ decreta nihil poſſit facere. Voluntatis ergo actus potentiam limitare videtur, ita ut ad ea non extendatur, ad quæ voluntatis actus non extenditur. Sed primùm animadvertendum eſt, non omnia decretis divinis definita eſſe, ita ut libertatem ſtatuendi, quod placuerit, ſibi in poſterum omnem Deus eripuerit. Quare plura adhuc velle, ac porrò etiam facere poteſt Deus, quàm actu vult ac facit, etiamſi contra ſua decreta nihil agat, agerève poſſit. Deinde & illud animadvertendum eſt, impoſſibilitatem, quæ in iſta re cernitur, non
15 opponi revera huic, de qua agimus, Dei potentiæ ſeu robori; ſed primò ac per ſe juri ac poteſtati, quam ἐξουσίαν appellari diximus; potentiæ autem non niſi conſequenter, vel potiùs per accidens tantùm. Nam quòd v.g. credentes in

tes in Chriſtum perdere ob decretum de illis factum non poteſt Deus, id non ideò ſit, quia vires ac robur non habeat eos perdendi. Neque enim quiſquam dubitat, niſi decretum ac promiſſum ejus interveniſſet, eum illos perdere potuiſſe. Decreto autem ac promiſſo in contrarium facto, non factus eſt Deus minùs robuſtus: nihil ei virium propterea deceſſit: cum hæ ei prorſus ſint naturales, ac porrò immutabiles. Quare etiamnum vires illas habet. Sed cum antea haberet jus ac poteſtatem liberam illos perdendi, eo ſe jure pro ſua benignitate abdicavit. Itaque uſu poteſtatis ſuæ liberrimo, uſum ejuſdem in poſterum aliquo modo reſtrinxit & limitavit. Hîc ergo primò impoſſibilitas illa reſidet. Hinc etiam in voluntatem manat, quia Deus contra id, quod penitùs jam decrevit, promiſit, ac ſanxit, velle ac decernere nihil ampliùs poteſt: quia ſic conſtantiam, veritatem, fidem, juſtititiam ac rectitudinem ſuam convellere tentaret. Non poteſt, inquam, ex hypotheſi, ſeu mavis, per accidens. Nam per ſe ac ſimpliciter etiam voluntas vim haberet, id quod nunc velle non poteſt, volendi ac ſtatuendi. Hinc porrò eatenus tantùm ad potentiam ſeu robur divinum impoſſibilitas illa dimanat, quatenus non patitur eam ad actum illum progredi, ad quem cæteroqui progredi per naturam ſuam poſſet. Exeri enim potentia reipſa non poteſt, niſi actus voluntatis antecedat. Quòd ſi ille non antecedat, non ſequitur etiam actus potentiæ, licet aliàs tanta ea ſit, ut ad eum actum perficiendum abundè ſufficeret.

‡ *Nihil poſſit*] In ſenſu diviſo poſſet Deus facere contrarium ejus quod decrevit: ſed non in ſenſu compoſito; quod non potentiæ & virium defectui eſt tribuendum, ſed potiùs conſtantiæ, perfectioni & immutabilitati: Sibi enim contrarius eſſe non poteſt, cum id nequidem in virum ſapientem cadat, ut ille ait, *Sperne repugnando tu tibi contrarius eſſe; Conveniet nulli qui ſecum diſſidet ipſe.*

Sed primum] Sanè ita ab omni tempore nota ſunt Deo omnia ſua opera Act. xv, 18. ita æterna ſunt & immutabilia Dei decreta de omnibus rebus in tempore eventuris, adeo ut ne paſſer quidem vel capillus decidere poſſit, citra Providentiæ ſuæ conſilium Matt. x, 29. 30 ut nulli novo conſilio ex poſt facto locus apud eum ſuperſit; & nova quæcunque facit, faciat ad ideam æternorum ſuorum decretorum & citra novitatem voluntatis: quia nihil novi & ex improviſo illi poteſt accidere, ex quo aliam debeat viam inſiſtere, aut quid diverſum de rebus Providentiæ ſuæ ſubjectis ab eo quod antea placuerat velit ſtatuere. Nec tamen cenſendus eſt æternis & immutabilibus ſuis decretis Mal III, 6. Iac. I. 7. eripuiſſe ſibi libertatem in poſterum ſtatuendi quod placuerit; Sed cum liberè & ſapienter illis conſtituerit quod optimum & convenientiſſimum eſt, eo ipſo omni ulteriori deliberationi & conſilio locum ſuſtulit; Abſit à nobis ut Deum ex Prometheo faciamus Epimetheum, aut ſimilem iis qui dedêre locũ proverbio *Serò ſapiunt Phryges*. Nihil autem per illam conſtantiam & immutabilitatem decretorum divinorum delibatur de ſumma Dei in decernendo libertate; Nam liberè ſemper vult quod ſemel voluit, quia ſapientis non eſt dicere Non putabam; & *Quod ſemel placuit*, inquiunt Icti, *poſtea diſplicere non poteſt.*

Quare

Quare plura velle] In ſenſu diviſo, uti jam ante monui, & quamdiu non ſupponitur hoc ſolum & nihil ultra velle; non tamen in ſenſu compoſito, quia ſibi ipſi contrarius eſſe nequit: Et cum concedat adverſarius Deum nihil agere, agereve poſſe contra ſua *decreta*, eo ipſo debet agnoſcere Deum nihil poſſe amplius velle quam actu vult: quia decreto Dei ſtatutum quod de his & illis rebus nihil ultra ſua decreta velit: Si enim amplius poſſet decernere quam decrevit de hoc illo ve ſubjecto, tum poſſet ſua decreta reſcindere & evertere: Et cū in ſequentibus hoc ipſum utcunque dicat adverſarius, illis immorari nihil attinet.

Itaque uſu] Non limitavit aut reſtrinxit jus ſuum hac ratione Deus, ſed cum in ſigno rationis indifferens eſſet ad utrumque oppoſitorum, illud per liberum ſuum decretum, ad alterum eorum determinavit: Et per hanc juris ac poteſtatis Dei determinationem ad alterum oppoſitorum, etiam ipſius potentia, in actu exercito ad idem fuit ex hypotheſi liberrimi decreti determinata: manente tamen Deo tum ſuâ poteſtate tum ſuâ potentiâ ad alterum in actu ſignato, & illâ hypotheſi decreti ſublatâ.

Et hæc quidem dicitur abſoluta Dei potentia, quæ nihil eſt aliud, quam potentia ac robur Dei per ſe conſideratum, non habita ratione cæterorum Dei attributorum, à quibus ejus actus aliquo modo pendet, nempe poteſtatis ac voluntatis divinæ. Huic opponi vulgò ſolet potentia, quam ordinariam vocant: quæ tamen non alia eſt à potentia abſoluta, ſed reipſa eadem; verùm aliter conſiderata. Ordinaria enim eatenus eſt, quatenus ad illorum attributorum, à quibus in operando pendet, normam veluti conformata eſt. Quia autem hoc ipſum liberrimæ voluntatis ac poteſtatis eſt, poſſe ſe jure ſuo, ſaltem ex parte abdicare, & vel agere extra ſe velle, vel nolle: inde fit, ut quia potentia divina non niſi ea reipſa exſequitur, quæ jure & poteſt Deus, & reipſa vult, ideo potentia Dei ratione actus ſui aliquo mo-
155. do etiam reſtringitur ac limitatur, viribus ipſis interim in ſe nihil imminutis, ac prorſus illibatis. Quare ut ad id cujus cauſsâ hæc diſputata ſunt, redeamus; plura Deus facere poteſt, quàm reipſa vult ac facit. Etiamſi autem (ut hoc quoque obiter addamus) totam omnipotentiæ rationem non complectatur, qui dicit, Deum id, quod reipſa vult, facere poſſe: tamen cùm populariùs de ea diſſeritur, nil prohibet, eam ita deſcribere, quòd quicquid vult Deus, facere poſſit. quo pacto ſuprà vidimus Dei omnipotentiam à Davide (*Pſal: 115. 3.*) indicatam eſſe. Sed hujuſmodi loquendi ratione non id tantùm complectendum eſt, quod Deus actu ipſo velit: ſed etiam quicquid unquam fortè voluerit, aut velle poſſit. Id quod omnipotentiæ divinæ rationem, prout cuivis etiam rudiſſimo cognitu neceſſaria eſt, ſatis complectitur, &, ſi quid ea præterea in ſe complectatur, id neceſſariò ſecum trahit; præſertim ſi quis liberrimam Dei voluntatem agnoſcat, quæ ad omnia, à natura ejus non abhorrentia, extendere ſe poſſit.

‡ *Sed*

Digitized by Google

‡ *Sed etiam quicquid*] At Deus poteſt quidem novas ſuæ voluntatis patefactiones nobis indulgere; ſed non debet cenſeri poſſe de novo velle quod antea non voluerit, uti jam ante notavimus.

Accedendum nunc ad illud eſt, quod ſecundo loco propoſuimus. id autem eſt, ut genus potentiæ divinæ aliquantò propiùs ac diſtinctiùs deſignemus, ut appareat, quomodo ea circa objectum ſuum, de quo adhuc dictum eſt, verſetur. Ex quibus & illud intelligi poterit, quo pacto ſpiritus ſanctus Dei virtus ſit, ut in ſacris literis appellatur. Illud quidem ex dictis unicuique liquet, potentiam hanc divinam, de qua loquimur, ex earum eſſe numero, quas activas in ſcholis appellant. Eſt autem potentia activa duplex: altera, quæ ad unum effectum ita determinata eſt, ut ejus oppoſitum agere nunquam poſſit, &, cùm materiam nacta eſt habilem, in qua vim ſuam exſerat, omniaque impedimenta fuerint amota, non poſſit non agere. Talis eſt potentia ignis, quam habet ad calefaciendum & urendum. Altera eſt, quæ aliquo modo indeterminata eſt, & ad oppoſita indifferens: quia etiam materiâ ad patiendum habili poſitâ, & impedimentis remotis, poſſit non agere, aut etiam contraria agere. Talis eſt potentia hominis, qui pro arbitrio nunc agere, & idem corpus ſurſum aut deorſum volvere, benè aut malè facere, ſanare aut perdere poteſt. Illam priorem, generali nomine ad ſpeciem traducto, Naturalem appellant; hanc ſpecialiori nomine ad genus accommodato, Rationalem aut Voluntariam. Nam & hæc naturalis eſt; & aliquantò latiùs, quàm rationale aut voluntarium propriè ſic dictum patet. ſiquidem & brutis aliquo modo communis eſt, quæ poſſunt membra ſua, & porrò etiam alia extra ſe poſita, movere aut non movere; & movere quidem 156.
motibus contrariis, ſurſum, deorſum; antrorſum, retrorſum. Cum autem eodem tempore ac reſpectu, oppoſita aut contraria facere nequeat; neceſſe eſt, ut aliquid ſit, quod facultatem ad oppoſita indifferentem, ad alterum oppoſitorum determinet, atque ita efficiat, ut facultas agendi ſeſe nunc exſerat, nunc non exſerat; & cùm ſeſe exſerit, hoc aut contrario modo agat. Id autem in homine eſt voluntas, cui & appetitus ſubeſt. Voluntas enim in oppoſita per ſe flexibilis, facultates ſibi ſubjectas regit ac determinat. Ad hoc potentiæ genus etiam divina pertinet. Hæc enim ad omnia, ut vidimus, effecta poſſibilia, quorum multa ſibi invicem opponuntur, extenditur; & ſeſe nunc exſerere poteſt, nunc non exſerere; nuuc hoc, nunc contrario modo agere; imò & eodem tempore contraria, ſed in diverſis ſubjectis efficere. Satis id oſtendit creatio rerum, quarum infinitæ contrariis ſunt inter ſe qualitatibus naturâ præditæ. Oſtendit idem & rerum gubernatio. Deus enim, ut Anna Samuelis mater canit (1 *Sam*: 2. 6, 7.) *mortificat, & vivificat; deducit ad inferos, & reducit; pauperem facit, & ditat; humiliat, & ſublevat.*

Cum

Digitized by Google

Cum enim potentia ipſius ſit per ſe ad oppoſita indifferens, à liberrima ipſius voluntate determinatur. Itaque à potentia divina nullus manat effectus, quin voluntatis actus antecedat. Unde & voluntati divinæ opera divina virtute perfecta tribuuntur. Sic viginti quatuor illi ſeniores in Apocalypſi, (*Apoc: 4.11.*) *Dignus es*, inquiunt, *Domine Deus noſter, accipere gloriam, & honorem, & virtutem* (ſeu *potentiam* :) *quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant* (Gr. *ſunt*,) *& creata ſunt.*

‡ *Quo pacto Spiritus*] Nempè eò collimant hæretici ut abrogatâ perſonalitate Spiritus Sancti, eum in qualitatem meram adhuc infra Dei omnipotentiam conſiſtentem commutent; ſed de eo ſuo loco.

Rationalem] Malim eam vocare Animalem vel Spontaneam, quandoquidem ineſt etiam brutis ratione & voluntate deſtitutis; ſed cum dirigatur in illis à ſenſu & appetitu, pendet in homine à ratione & voluntate: quod & tacitè Crellius agnoſcit.

Et quia divina voluntas propter immenſum illud robur ſibi adjunctum adeò efficax eſt, ut ſine labore rem perficiat; ideo dicendo ac jubendo res efficere Deus dicitur. *Dixit Deus, Fiat lux: & facta eſt lux*: & ſic in cæteris. (*Gen: 1.*) Unde Pſaltes, (*Pſal: 33. 9.*) *Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt.* quibus verbis declarat quodammodo id, quod paulò antè dixerat, (*v. 6.*) *Verbo Domini cæli firmati ſunt. & ſpiritu oris ejus omnis virtus* (*ſeu exercitus*) *eorum*: hoc eſt, ut viri doctiſſimi explicuerunt (*Fr. Vatablus.*) ſimul ac juſſit, ſimul ac halitum ex ore ſuo emiſit, (per ἀνθρωποπάθειαν enim de Deo Pſaltes loquitur,) cœli, eorumque apparatus, ſeu ſtellæ, inſtar exercitûs extiterunt. quo pacto ſpiritu oris ſui Chriſtus dicitur interfecturus impium, hoc eſt, juſſu ſuo efficaci, ſimul ac halitum, ut ita dicamus, ex ore emiſerit. (*Eſa: 11. 4. 2 Theſſ: 2. 8.*)

‡ *Unde Pſaltes*] Falleris Crelli: Hic enim non agitur de verbo Dei προφορικῷ, ſed ἐνδιαθέτῳ & perſonali, nempè Dei Filio, uti patet ex Ioh: 1, 3. Nec ἀνθρωποπαθῶς *Spiritus oris* ipſius debet intelligi, ſed ὑποστατικῶς ille ipſe Spiritus qui ferebatur ſuper aquis Gen: 1, 2. & illis quaſi fovendis incubabat; Nec ſi Vatablo *verbum Domini & Spiritus oris ejus* pro eodem ſumuntur, ideo pro eodem ſumi neceſſariò debent: Siquidem ipſe David reſpiciens ad hiſtoriam creationis, ubi verbum Dei & Spiritus Dei diſtinguuntur, illa quoque diſtinctè non tautologicè proponere voluit: Nec faciunt ad rem loca Eſai: XI, 4. & 2. Theſſ: II, 8. ubi Spiritus oris Chriſti juſſum illius efficax videtur denotare; Nam 1. neutrobique diſtinguitur Spiritus oris Chriſti ab ipſius verbo, ut in loco Pſaltis; 2. Spiritus oris Chriſti non ſignificat juſſum aliquod potens quod executioni mandabitur *ſimul ac halitum ex ore emiſerit*, ſed ipſius verbum, efficaciæ & virtutis ſpiritualis, cujus præconio atteri & confici debuit Antichriſtus: Quo reſpectu Apoc: 1, 16. deſcribitur Chriſtus cum gladio ancipiti ex ipſius ore prodeunte; & ex ore duorum teſtium contra beſtiam prophetantium ignis prodit, qui devorat inimicos eorum Apoc: XI, 5.

Digitized by Google

Ipſe enim Deus ait: (*Eſa: 55. 11.*) *Verbum meum, quod egreditur de ore meo,*
non revertetur ad me vacuum, ſed faciet, quæcunque volui, & proſperabitur in his, 157
ad quæ miſi illud. Introducitur nempe Deus inſtar Domini potentis, qui la-
borem ipſe non ſuſcipit, ſed quæ vult, jubendo perficit, utpote ad cujus nu-
tum omnes, qui ei ſubſunt, ſeſe componunt. Ad Dei autem nutum ac vo-
luntatem omnia prorſus ſeſe veluti componunt: nec tantùm ea, quæ ſunt,
ſed & ea, quæ non ſunt vocanti parent. Cùm enim ea veluti advocat & com-
parere jubet, comparent, ſeu exiſtunt. Unde Deus dicitur (*Rom: 4. 17.*)
vocare ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. ſic dicitur *vocare famem*, (*vid:*
4. Reg: 1. 1. Pſal: 105. 16.) quia ut fame homines premantur, efficiat. Neque
verò ita tantùm jubet Deus, ut opera ſua mandet ſervis ſuis perficienda,
quemadmodum homines imperant: ſed rebus etiam ipſis, ut vel exiſtant ſim-
pliciter, vel, ut tales exiſtant, imperat. Id autem imperare, velle eſt, &
velle quidem abſolutè. Voluntaria ergo, ut diximus, Dei potentia eſt: in-
terim tamen & cum potentiis naturalibus, ſtrictiùs ita dictis, ſimilitudinem
habet. Omnium enim earum vim aliquo modo complectitur. Potentia vo-
luntaria, quæ hominum atque animalium eſt propria, per ſe tantùm cerni-
tur in rebus movendis, ac porrò conjungendis, aut ſeparandis. Unde etiam
iſtius facultatis vi aliam formam materiæ imprimere per ſe non poſſunt, quàm
ut ſuperficiem ejus variè figurent, corpora denſent ſtipentque, aut laxent,
& ſi quæ ſunt his ſimilia, quæ motu quodam locali perficiuntur. quòd ſi alia
velint efficere, ut calefacere, aut frigefacere, illuminare, ſanare, colo-
rem hunc & illum non allinere, ſed in ipſa re efficere, atque ex materiæ po-
tentia, ut loquuntur, elicere; neceſſe eſt, ut alia adhibeant media, quæ
vim habeant naturalem illa efficiendi; qualia in ſeipſis pauca atque exigua
habent. ideo aliunde petere habent neceſſe. Sic igne plurimùm ad res calefa-
ciendas, & alias illis qualitates imprimendas utuntur. Ipſi per ſe nil hîc præ-
ſtant aliud, quàm ut res loco moveant, & alia aliis applicent, vel ab aliis
ſeparent. At Deus potentiâ in ſe habitante non tantùm res loco movere po-
teſt, & eas illis qualitates atque affectiones indere, quæ motum localem con-
ſequuntur: ſed & cæteras qualitates per ſe, cùm vult, efficere. Non indi-
get ille mediis, quibus nos ad quaſdam illarum producendas (omnes enim
non poſſumus) uti cogimur: non indiget etiam materiâ ad opera ſua efficienda
ita aptâ, uti nos ad opera noſtra indigemus. ineptiſſimam enim aptam red-
dere, & ex ea pulcherrima poteſt opera producere. quò reſpiciens aut allu-
dens Baptiſta ait, (*Mat: 3. 7.*) Deum vel ex lapidibus poſſe ſuſcitare filios A-
brahæ. qua quidem in re omnes & naturales facultates, & voluntarias longè,
imò infinitùm ſuperat.

Digitized by Google

‡ *Non indiget etiam*] Imò nulla materiâ præexiſtente indiget, uti ſuo loco fuſiùs videbimus: nam omnia fecit ex nihilo: & quæ facta ſunt non facta ſunt ex rebus quæ prius exiſterent vel apparerent Heb: XI, 3. Quare non tantum Deus non requirit materiam aptam ad agendum, ſed nequidem ullam materiam quantumlibet ineptam prærequirit, cum potenti ſuo verbo & materiam producere & quam voluerit formam ei inducere, æquè poſſit.

358. Porrò autem ut docent Philoſophi, ea, quæ in alia agunt, illa contingere vel propriè vel impropriè debent: propriè quidem, ſi extrema rei agentis & patientis inter ſe loco jungantur: impropriè, ſi virtus quædam ab agente in patiens emanet, qua interveniente hoc ab illo veluti tangatur. quem contactum virtualem appellant Scholaſtici. quo pacto aſtra agunt in hæc inferiora, tum virtute quadam manifeſta, tum occulta, quam influentiam vocant: quæ utut non eſt tanta, quanta à nonnullis aſtrologis creditur, eſt tamen non exigua reſpectu corporum, etiam humanorum, à quibus etiam ad animum nonnihil derivatur. Simile ergo quippiam accidit, dum Deus in res cæteras agit. Eas enim virtute quadam à ſe manante movet, afficit ac transmutat. Hæc virtus, præſertim in homines manans, Spiritus Dei appellari in ſacris literis ſolet, qui pro effectuum ratione diſtinguitur. (*vid: Iob: 26. 13. Zach: 4. 6. Luc: 1. 17, 35: & 24. 49. Act: 10. 38. 1 Cor: 2. 4, 5. Epheſ: 3. 7, 20. conf: etiam Mat: 12. 28. cum Luc: 11. 20.*) Et ille quidem, qui bonos, ſeu hominibus ſalutares, utiles ac gratos effectus parit, ſpiritus Dei bonus appellatur, (*Pſal: 143. 10.*) & interdum Spiritus Dei ſimpliciter vocatur; cui opponitur in iiſdem ſacris literis Spiritus Dei malus, hoc eſt, talis, qui homines ita commeritos affligat, ac cruciet. quali ſpiritu Saulum olim, ablato bono Dei ſpiritu, vexatum atque agitatum fuiſſe legimus. (*1 Sam: 16. 14, 15, 16, 23: 18. 10: 19. 9.*) Ille autem, qui bonus Dei ſpiritus dicitur, pro effectuum ratione, varia iterum nomina ſeu epitheta ſortitur. Hinc ſpiritus dicitur ſapientiæ, intelligentiæ, conſilii, timoris Domini, (*Eſa: 11. 2.*) virtutis ſeu roboris, charitatis, ſobrietatis aut prudentiæ, & ſi quæ ſunt his ſimilia. (*2 Tim: 1. 7. vid: etiam Exo: 28. 3: Zach: 12. 10.*) Quòd ſi effectus ejus talis ſit, ut eo homines Deo peculiari quadam ratione conſecrentur, à reliquo hominum vulgo ſegregati, Deo quodammodo jungantur; ſpiritus ille, qui eum effectum parit, ſanctus appellatur. Effectus autem parit ſpiritus divinus, quoſcunque in homine Deus vult efficere. Reſpondet enim fonti ſuo, h. e. ipſi potentiæ in Deo reſidenti, quæ cum ad quoſvis effectus per ſe indeterminata ſit, à voluntate divina ad certos effectus determinatur. Eſt igitur ſpiritus ille qualitas quædam inter potentiam illam, & effectus manifeſtiores, qui vel internis, vel etiam externis hominum ſenſibus percipiuntur, intermedia. Et quia eo primò Deus, &, qui eum à Deo accepit, Chriſtus, (*Act: 2. 33.*) deinde homines eo afflati atque repleti operantur; ideò cùm per proſopopæiam, quæ quidem

Digitized by Google

quidem ex metonymia oriatur, inſtar perſonæ cujuſdam agentis introduci-
tur, nunc Dei ipſius aut Chriſti, (*Luc: 12.12. Iob: 4. 26. Act: 2. 4. 1 Cor: 12.11.
conf: cum v. 6.*) à quo promanat, nunc hominum in quos manat (*Act: 7. 10.
Rom: 8. 26, 27. 1 Cor: 2. 10: 14. 14.*) & quibus communicatur, actiones ei tri-
buuntur, eæ nimirum, quæ illius vi interveniente perficiuntur. Sed de his
nunc non eſt fuſiùs agendi locus. Attingere ea tantùm hîc voluimus, partim 159.
ut intelligeretur diſtinctio inter illam Dei virtutem atque efficaciam, cui ſpi-
ritus ſancti nomen peculiariter tribuitur, & inter eam, de qua hoc loco pro-
priè agimus, Dei potentiam; partim etiam ut intelligeretur modus, ſaltem
præcipuus, quo Dei ſe potentia in res alias exſerit.

‡ *Simile ergo*] Hîc dupliciter erratur; Primò quod contactus tantum virtualis Deo tribuatur ad agendum in Creaturas, cum actualis ſit agnoſcendus ex Paulo dicente Act: XVII, 27.28. Deum non eſſe procul à nobis, ſed nos in ipſo eſſe, vivere & moveri: Eſt enim Deus ubique enter, præſenter & potenter; *Quo irem à Spiritu tuo, aut quo à facie tua fugerem*, Pſal: CXXXIX, 7. Sed hæretici immenſitatem & omnipræſentiam Dei nolunt confiteri; maluntque ejus vim activam, æquè ac cœli & ſtellarum influentiam, certis quibuſdam medijs per quæ exſeri debeat adſtringere; quod propriè eſt numellis omnipotentiam ejus conſtringere, ut nullam Creaturam movere queat immediatè, ſed tantum mediatè per alias. Secundò, quod cum influentia à ſyderibus per interpoſitum medium ad nos manante, confertur Spiritus Dei: Quamvis enim non negem, interdum Spiritum ſumi effectivè, pro extraordinaria & adventitia aliqua qualitate ſive operatione in hominibus; ut cum de Saule dicitur quod Spiritus Iehovæ receſſerat ab ipſo & eum perturbabat Spiritus malus à Iehova 1. Sam: XVI 1, 15. Imò & dona ac chariſmata Spiritus Sancti, ſed metonymicè & plerumque cum appoſitione, eodem nomine inſigniri; quomodo Spiritus fidei, charitatis, ſapientiæ &c. in ſacris literis commemoratur; Attamen illorum bonorum donorum author & cauſa efficiens in hominibus non denotat meram occultam qualitatem a Deo manantem & eorum mentibus impreſſam, qualis eſt in ſublunaribus influentia ſyderum; nec etiam attributum illud Dei abſolutum & eſſentiale quod dicitur omnipotentia, quæ in Deo non eſt qualitas ſecundi ordinis, ut in creaturis, ſed ipſiusmet eſſentia; Sed deſignat tertiam S. Trinitatis perſonam, quæ unicuique ſua dona tribuit diverſa ſicuti vult 1. Cor: XII, 11.

Quod ſi effectus] Fateor Spiritum Sanctum cujus templa ſunt fideles, ſanctum dici maximè à ſanctificatione quam operatur; ſed ut ille Spiritus nihil ſit aliud quam qualitas emanativa omnipotentiæ divinæ, illud eſt falſiſſimum, cum omnia perſonalia huic Spiritui tribuantur, quæ in meram qualitatem cadere non poſſunt.

Effectus autem] Imò teſte Paulo quos ipſe Spiritus voluerit: eſt autem velle attributum perſonale, quod in meram qualitatem cadere non poteſt.

Eſt igitur Spiritus ille] At illud eſt omninò falſum, nempè Spiritum Dei bonorum effectuum & ſanctarum inſpirationum authorem in nobis, meram eſſe qualitatem mediam inter potentiam Dei & illius effectus: Nam 1. Dei potentia nullà eget mediâ qualitate ad ſuos effectus producendos; cùm Deus omnia in omnibus operetur immediatè, immediatione & *virtutis*

 & *ſuppo-*

& *ſuppoſiti*, ut benè loquuntur Scholaſtici. 2. Si quæ intermedia qualitas ponatur inter potentiam activam & ipſam operationem actualem, erit habitus adveniens potentiæ ad promptiùs & faciliùs operandum: at tales habitus in Deo ſuſpicari non licet. 3. Cùm nihil ſit in Deo quod non ſit Deus, ut pote qui non componatur ex ſubjecto & accidente, Spiritus Dei identificatus cum ipſius potentia non erit qualitas externa, ſed ipſemet Deus. 4. Ea Spiritui Dei tribuuntur quæ nulli meræ qualitati conveniant aut convenire poſſint; Nam apparuit formâ columbæ Matth: III, 16. Luc: III, 22. & linguarum ignearum Act: II, 23. Appellatur à Chriſto *alius* Conſolator Ioh: XIV, 16. A Patre & Filio quà talis mittitur ad homines Ioh: XV, 26. XVI, 14. 17. Scrutatur omnia etiam profunda Dei 1. Cor: II, 10. Eſt ibid. Dei reſpectu quod eſt reſpectu hominis ipſius ſpiritus, qui qualitas mera non eſt, ſed ſubſtantia; Diſtribuit ſua dona omnibus uti vult 1. Cor: XII, 11. Corpora noſtra ut ſua templa inhabitat 1 Cor: III, 16. VI, 19. In ejus nomine baptizamur Matth: XXVIII, 19. Teſtis eſt tertius cum Patre & Filio 1. Ioh: V, 7.

Et quia eò] Sed hæc omnia fruſtra ſunt. Act: II, 33. Chriſtus dicitur adeptus à Patre promiſſum Spiritum Sanctum, non quod perſona Spiritus Sancti non procedat à Patre & Filio, ſed quod ſuis meritis & ſua interceſſione quà noſter mediator obtinuerit nobis Spiritus Sancti in ſuis chariſmatis collationem & effuſionem; quæ effuſio ipſimet Chriſto ibid. tribuitur, in divinitatis ſuæ luculentum argumentum. Abſurdè vero inſinuatur eodem modo Deum & Chriſtum illo Spiritu operari, ac homines qui eo afflantur & replentur. Nam homines afflati & repleti Spiritu Sancto, eum habent pro principio *quo* ſuarum bonarum operationum, quæ principaliter & primariò ſunt tribuendæ ipſimet Spiritui Sancto, ſecundariò tantum ipſis hominibus qui aguntur acti: At Pater & Filius agunt per Spiritum ſuum, ſicut Pater agit per Filium, id eſt tanquam per perſonam ſibi coæternam & coeſſentialem à ſe procedentem. Adhæc in locis quæ profert hæreticus nullus eſt in quo non debeat & poſſit ipſa actio perſonaliter & principaliter de Spiritu Sancto intelligi: Luc: XII, 12. Chriſtus promittit ſuis diſcipulis quod Spiritus Sanctus docebit eos in continenti quæ dici debeant apud Magiſtratus; Atqui hoc eſt opus quod tribuitur merito & per ſe ipſi Spiritui Sancto, cujus eſt nos deducere in omnem veritatem & nobis futura annunciare: id meræ qualitati tribui nequit: Eſt quidem Dei opus nos docere, juxta illud Chriſti Ioh: VI, 45. erunt omnes διδακτοὶ τοῦ θεοῦ: ſed eo ipſo quod nos doceat Spiritus Sanctus, (quod utique perſonale eſt) divinitas ejus adſtruitur. Ex Ioh: IV, 26. nihil poteſt colligi huc faciens. Act: II, 4. ipſe Spiritus Sanctus deſcribitur ut primarius & principalis author ſermonum ab Apoſtolis varijs linguis habitorum: nam repleti Spiritu Sancto *cœperunt loqui prout Spiritus dabat effari*: Sunt equidem ita Spiritus Sancti hæ operationes, ut ſint etiam Dei, Spiritum ſuum hominibus mittentis & communicantis; ſed tamen ſimul demonſtrant ipſum Spiritum Sanctum, cui hæc perſonalia tribuuntur, eſſe quoque perſonam divinam: prout opera Filij ſunt etiam opera Patris, ſic tamen ut Filius ſit perſona à Patre diſtincta. 1 Cor: XII, 11. *Omnia*, inquit Paulus, *agit unus & ille idem Spiritus, diſtribuens privatim ſingulis ſicuti vult.* Cui autem competit diſtribuere & velle, illi competit eſſe perſonæ. Sunt enim actiones ſuppoſitorum & perſonales, ut vulgò loquuntur: Nec quicquam vero latebras quærit hæreticus in collatione hujus com. 11 cum com. 6. *Diſtinctiones actionum ſunt, ſed idem eſt Deus agens omnia in omnibus*; Inde vellet quidem ſequi Spiritum Sanctum

nec velle

nec velle nec diſtribuere propriè ſua dona, ſed hoc de illo dici tantum impropriè, cùm propriè hoc faciat Deus, qui operatur omnia in omnibus; Verum 1. ſi propterea diſtinctiones donorũ variè nonniſi impropriè & figuratè tribuuntur Spiritui, neque Spiritus eſt perſona, quod unus idemque Deus ſit qui omnia efficit in omnibus, pari ratione dixero neque Dominum Ieſum perſonam eſſe, nec illi convenire propriè *diſtinctiones miniſteriorum* in Eccleſia; cùm juxta Paulum ibid. æquè ſint diſtinctiones donorum ſed idem Spiritus, ac ſunt diſtinctiones miniſteriorum ſed idem Dominus. 2. Tantum abeſt ut hinc evertatur perſonalitas Spiritus Sancti, ut è contrario maximè conſtabiliatur: nam Paulus ibi proponit tria diſtinctionum genera, *Donorum* ſcilicet ſive chariſmatum, & *Miniſteriorum*, & ἐνεργημάτων id eſt *Operationum*: unicuique vero diſtinctioni ſuam aſſignat ſpecialem perſonam; nam tribuit diſtinctionem Donorum Spiritui, Miniſteriorum Domino ideſt Chriſto, ἐνεργημάτων ſive Operationum, Deo ὑποστατικῶς ſic dicto, videlicet Patri: Nempè ut omnia ἐνεργημάτα in omnibus ſunt Dei Patris, ceu fontis & originis totius Divinitatis, ita omnia Miniſteria ſunt perſonæ Filij, & omnia dona perſonæ Spiritus Sancti, qui ea ſingulis diſtribuit uti vult. Quoad cœtera loca à Crellio citata nihil faciunt ad rem: Act: VII, 10. nulla fit mentio Spiritus: ſed com: 51. dicuntur Iudæi ſemper reſtitiſſe Spiritui Sancto, nempè loquenti per Prophetas: ut reſiſtit Magiſtratui, qui ejus accenſum & apparitorem, mandata illius deferentem, audire non vult. Rom: VIII, 26. 27. Spiritus ſublevat infirmitates noſtras & orat ac intercedit pro nobis; nempè nobis ſuggerendo & dictando preces pias & Deo acceptas, prout *Spiritus precum* appellatur Zach: XII, 10. 1. Cor: II, 10 dicitur Spiritus *ſcrutari omnia, etiam profunda Dei*; non quod homines per Spiritum ſcrutentur omnia profunda Dei, nam è contrario judice Salomone Prov: XXV, 27 *Scrutator majeſtatis opprimetur à gloria*; ſed quod omniſcius ille Spiritus & qui omnia ſcrutatur, ſolus poſſit nobis certò retegere & revelare ea quæ Deus paravit diligentibus ſe, quæ alioquin *nec auris audivit, nec oculus vidit, nec aſcenderunt in cor hominis*, ut ibi com. 9. Paulus loquitur. Igitur τὸ ſcrutari profunda Dei, non eſt actio hominis per Spiritum Sanctum, ſed eſt character & proprietas Spiritus Sancti, unde dignoſcimus illius eſſe nobis ea quæ ad ſalutem noſtram ſpectant, retegere. 1 Cor: XIV, 14. cum dicit Apoſtolus *Spiritus meus orat, ſed intelligentia mea eſt infructuoſa*, non tam loquitur de Spiritu Sancto, quam de ſua mente: juxta quam precatur qui verbis cæteroquin ignotis reliquis, ſed ſibi tamen intellectis, precatur, ſed ſolus precatur ſpiritu & mente; cum nequeant ſecum precari aut *Amen* dicere ſuæ Euchariſtiæ qui ipſum non intelligunt. Denique cum evidenter corruat fundamentum hæreticorum ex ijs quæ dicta ſunt, ſupereſt Spiritum Sanctum nobis deſcribi in Scripturis ceu veram & diſtinctam perſonam à Patre & Filio, cui propriè perſonales actiones tribuantur; non verò per meram fictionem & proſopopoeam illi perſonalia tribui, vel propter perſonam hominis in quo agit, vel propter perſonam Dei à quo datur. Fateor proſopopoearum varia extare exempla in ſacris Scripturis, de quibus fuſè agit Salomon Glaſſius *Philologiæ ſacræ lib. 5. parte 1. cap. 9.* Sed 1. Proſopopoearum omnium ſic verè dictarum, ſubjectum in Scripturis ſemper ſunt ſubſtantiæ corporeæ, vitâ cæteroquin aut ſenſu deſtitutæ, nunquam meræ qualitates, cujuſmodi eſt Spiritus Sanctus Socinianis; ita ſanguis clamare dicitur, fontes & flumina plaudere manibus, cœlum & terra audire, beſtiæ interrogari ut doceant, arbores loqui; ita dixit Virgilius, *Ipſi te fontes, ipſa hæc ar-*

buſta vocabant. Saltem ipſe Glaſſius accuratus in eo genere, proſopopoeam quæ eſt rerum ſubſtantialium diſtinguit à ſomatopoeia, juxta quam Scriptura videtur accidentibus quibuſdam corpus aut corporalia tribuere; quanquam fortè potius ibi ſimplex metaphora veniat conſideranda, quam verè dicta proſopopæa. 2. Proſopopoearum ſubjectis in Scriptura una duntaxat aut altera operatio perſonalis tribuitur, ut fluminibus plaudere manu, jumentis agri nos docere, terræ exultare, &c. Sed ut nulla ſit actio perſonalis quæ non tribuatur alicui ſubjecto quod perſona non erit, nullo Scripturæ exemplo unquam comprobabitur: Addo quod cum ſint rariores ejuſmodi figuræ, debuiſſet tamẽ conſtanter Scriptura ſacra figuratè loqui de Spiritu Sancto, cùm vix ullus ſit locus de ipſo qui talia perſonalia ei non tribuat: Quod ſi pari licentiâ vellet quis in alijs Scripturæ locis agere, facilè diceret ſimiliter figuratè per proſopopoeam intelligenda eſſe quæ de Paulo vel Chriſto leguntur, nec illos perſonis propriè dictis eſſe annumerandos.

Reliquum eſt ut hujus doctrinæ uſum paucis explicemus. Nam ut multa hac de re dicamus, neceſſe non eſt. Quis enim non videt, quàm neceſſarium ſit, ſummam atque infinitam Dei potentiam noſſe? Nam præcipua Dei opera, quæ nobis in ſacris literis proponuntur credenda, ſive præterita, ſive adhuc futura, niſi illâ ſimul agnitâ credere non poſſumus. Quis creationem rerum omnium, quis eorundem conſervationem ac providentiam, quâ ſingulis proſpicitur, quis miracula omnem naturæ vim excedentia credet, niſi ſummam illam, & omnes naturæ limites egredientem Dei potentiam ſimul agnoſcat? Quis Chriſti reſurrectioni atque exaltationi fidem adhibebit, niſi inſuperabile illud Dei robur, quo illam perfectam fuiſſe neceſſe eſt, vel aliunde jam cognoverit, vel unà cum illa ſtatim admittat? Quis porrò etiam credet, nos aliquando à Deo per Chriſtum è mortuis ſuſcitandos eſſe, & omnes, qui unquam vixerunt, pios immmortalitate donandos, niſi infinitam Dei potentiam agnoſcat? Ideò ſanè Sadducæi mortuorum reſurrectionem olim negarunt, quia & Scripturam, & virtutem ſeu potentiam Dei ignorarunt, ut Chriſtus illis objicit. (*Mat: 22.27.*) Atqui illa, quæ recenſuimus, adeo neceſſaria ſunt creditu, ut ſi aliquid eorum in dubium vocetur, vel omnis penitus religio, vel ſaltem Chriſtiana, quæ ſola ſalutem ſempiternam hominibus affert, & ſola hodiè ex Dei conſilio vigere debet, ſit corruitura. Adde, quòd nemo ſe Dei præſidio ab hoſtium ſuorum, præſertim ſpiritualium violentia ſatis tutum, & adverſus pericula undique circumſtantia ſatis munitum credere poteſt, niſi qui Deum potentiorem omnibus firmiter credit, & porrò neminem ex illius ſe manibus extorquere poſſe novit. (*vid: Ioh: 10.29.*) Qui potentiam Dei omnia vincentem novit, is demum audacter dicere poteſt: (*Rom: 8.31.*) *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Dominus mihi adjutor: non timebo, quid faciat mihi homo*, (*Pſal: 1: 8. 6, 7.*) *Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam inimicos meos.* (*Heb: 13.6.*) Quemadmodum autem ſpem ac fiduciam noſtram,

Digitized by Google

noſtram; quam in Deo collocamus, fulcit conſideratio potentiæ ipſius: ita
& reverentiam tanti numinis in animis noſtris excitat, & ut eum timeamus,
atque offendere non audeamus, efficit. Quod de Chriſto ait Paulus, (*1 Cor:*
10.21.) *An æmulamur* (vel potiùs *ad iram provocamus*) *Dominum? Numquid for-* 160.
tiores illo ſumus? id ipſum ad Deum ſummum rectiſſimè refertur. Cogitandum
nobis profectò eſt, *eum eſſe timendum*, *qui & animam & corpus poteſt perdere in Ge-*
henna, quemadmodum Chriſtus monet, (*Mat: 10.28. Luc: 12.4,5.*) & po-
teſt quidem, ſive vires, ſive jus ſpectes. Horrendum eſt incidere in manus
Dei viventis. (*Heb: 10.31.*) ſiquidem & graviſſima ſupplicia infligere poteſt,
& nemo eſt, qui ex ejus manibus, ut ſacræ literæ non ſemel monent, (*Deut:*
32.39. Iob: 10.7. Eſa: 43.13. Oſe: 2.10.) eripere quenquam poſſit. Unde Da-
vid, vel ipſe potiùs Deus, cùm pœnas impiis denunciaſſet: *Intelligite*, in-
quit, *hæc*, *qui obliviſcimini Deum*; *ne quando rapiat* (Hebraicè *rapiam*,) *& non*
ſit, *qui eripiat.* (*1 Pſal: 50.22.*) Itaque ob potentiam ſuam inprimis, cui &
puniendi voluntatem adde, Deus in ſacris literis, (*Exod: 15.11. Deut: 7.21:*
10.7: Neh: 1.5: 9.32. Pſal: 47.3: 76.8.) terribilis ac tremendus perhibetur.
Satis ergo patet, quantus ſit hujus de divina potentia doctrinæ uſus.

‡ *Quæ ſola ſalutem*] Cur non uno verbo dicas, quæ ſola vera eſt? Etenim nullum unquam fuit tempus quo plures religiones ſimul ex Dei conſilio vigere debuerint; & quantumlibet olim viderentur Samaritani ad veram religionem accedere, ut ſimia homini ſimillima eſt, teſtatur tamen Chriſtus ſalutem non niſi Iudæorum fuiſſe Ioh: IV, 22.

Id ipſum] Atqui eſt abſurdum & alienum à recta ratione hic Deum ſummum à Chriſto diſtinguere; cum potius illud Pauli dictum de Chriſto eum pro ſummo & vero Deo habendum eſſe luculenter comprobet.

Interim tamen etiam cavendum eſt, ne omnipotentiâ divinâ ad quævis abſurda adſtruenda abutaris, & illis, qui ea contradictionem implicare docent, ac proinde, ne ſub Dei quidem potentiam cadere demonſtrant, objicias, quòd Dei omnipotentiam negent, ut hodie à multis fit. Cùm enim v.g. impoſſibile eſſe oſtenditur, ut hoſtiæ, quas vocant, conſecratæ, corpus Chriſti ſint: omnipotentia Dei obtenditur, & qui rem impoſſibilem eſſe ajunt, objici vulgò ſolet, quòd omnipotentiam Dei negent. Atqui illud dogma contradictionem involvit multiplicem. Unum enim numero corpus, multa numero foret, hoſtiæ enim multæ ſunt. idem ſimul viſibile & inviſibile foret eidem homini: ei proximum, & ab eo remotiſſimum: intra eum, cùm ab eo comeditur, & extra eum in cælo, & infinitis aliis locis: majus ſimul hominis ore, quo capitur, & minus: quantum, & ſine quantitate: ſub ſpecie, & ſine ea: ſupra & infra ſeipſum: quia ſimul ſuprà in cælo, & infrà in terra totum:

 ante

Digitized by Google

ante ſe & retrò : ad dextram & ſiniſtram, prout loci ſunt, in quibus & hoſtiæ exiſtunt. Hæc verò oppoſita ſunt, quæ de eodem ſimul eodem reſpectu dici ſine contradictione non poſſunt. Eædem autem ex parte, & aliæ quædam contradictiones in illorum continentur ſententia, qui idem Chriſti corpus vel ubique eſſe dicunt, vel ſaltem in Euchariſtia ore comedi affirmant, qui itidem Dei omnipotentiam urgere ſolent. At nos oſtendimus, Dei omnipotentiam ad ea, quæ naturâ ſuâ ſunt impoſſibilia, hoc eſt, quæ contradictionem involvunt, non extendi. Itaque aliud eſt, Dei omnipotentiam impoſſibilem dicere, & ſic negare, eam ſub Dei omnipotentiam cadere. Quin
161. etiamſi quis tandem per errorem arbitraretur, rem aliquam naturâ impoſſibilem eſſe, ac porrò ſub potentiam Dei non cadere, quæ revera poſſibilis eſſet : tamen ſi idem omnia naturâ ſuâ poſſibilia eſſe conſtanter affirmaret, & præterea nihil eorum, quæ in ſacris literis Deo clarè tribuuntur, negaret; non dicendus eſſet Dei omnipotentiam negare, ſed illius rei, quam impoſſibilem eſſe diceret, rationem non ſatis noſſe.

CAP: XXIII.

De Poteſtate Dei.

† *Reſpondente* GUILHELMO BONNIVERTIO, Sedanenſi.

SEquitur, ut de Poteſtate Dei agamus, quam Græcis ἐξουσίαν dici, & in jure conſiſtere, ſuperiùs monuimus. Hæc enim facultas alterum eſt actionum Dei tranſeuntium principium, & priori, h. e. potentiæ ſeu efficaciæ, quam voluntariam eſſe, & arbitrio divino gubernari diximus, quodam neceſſitatis vinculo annexum. Etenim nullum eſt agens voluntarium, ſeu arbitrio præditum, quod non & poteſtatem, ſeu jus aliquod habeat agendi, vel contrà etiam non agendi. Nam & hæc facultas oppoſitorum eſt, in eaque libertas maximè cernitur. Hinc Deo & ἐξουσία ſeu poteſtas in ſac. literis expreſſè non ſemel tribuitur, (*Luc: 12. 5. Act: 1. 7. Iudæ v. 25: Apoc: 5. 13.*) & ſpecialia poteſtatis nomina, qualia ſunt Regis aut Domini, (*Pſal: 24. 7, & ſeqq. 29. 10: 47. 3, 7, 8; 48. 3: 95. 3: Mat: 5. 35. 1 Tim: 1. 17: & c. 6. 15.*) de eo uſurpantur; & poſterius quidem frequentiſſimè, quemadmodum omnes nôrunt, & ex iis, quæ ſuprà (*vid: ſup: cap: 8. & ſeqq.*) de nominibus Hebraicis Adon & Adonai, & Græcis κυρίȣ & δεσπότȣ diſſeruimus, perſpici poteſt. Quin & ipſum *Dei* nomen, aut poteſtatis, aut potentiæ illius, cui poteſtas neceſſariò adhæret, nomen eſſe docuimus. & cùm Deum exiſtere demonſtravimus, eum exiſtere oſtendimus, qui ſupremam in omnia poteſtatem habeat.

† *Hæc*

Digitized by Google

‡ *Hæc enim*] At ipſo Crellio ſupra fatente, pertinet quoque ad Dei decreta, quæ actiones eſſe immanentes, nec ipſe diffitetur.

. *Nam & hæc facultas*] Non quod ſemper ſe habeat indifferenter ad oppoſita, ut qui jus habet agendi, pari ratione poſſit non agere, aut illius agere contrarium; ut cum dicimur habere poteſtatem veſcendi vel non veſcendi illis cibis; Sed quod verſetur ſemper circa oppoſita, hæc quidem uſurpanda, illa vero relinquenda: Limitationem enim admittit à juſtitia, ultra cujus limites non debet extendi: unde definitur ipſi Grotio *lib. 1. de jure belli & pacis cap. 1. §. 4. Qualitas moralis perſonæ competens ad aliquid juſtè habendum vel agendum.* Quamvis fortè accuratè loquendo præſtaret poteſtatem *relationibus* annumerare, cum ſit ἐκ τῶν πρός τι quam per *facultatem* vel *qualitatem* definire; Licet ſuper eo nolimus cum ullo contentionis funem ducere.

Verùm ut hujus attributi ratio meliùs intelligatur, primùm de poteſtatis divinæ natura in genere nonnihil dicendum eſt; deinde ſpeciatim de poteſtatis illius quaſi partibus aut gradibus agendum.

Quod ergo ad prius attinet; jam antè dictum eſt, Poteſtatis nomine jus intelligi, non illud quidem ſolum, quod ad alterum refertur, & ad juſtitiam ſpecialiter ſic dictum propriè pertinet: ſed id, quod ad honeſtatem vniverſam ſpectat. Ejus autem duplex iterum eſt ſignificatio: altera laxior, ſtrictior altera. Laxior eſt, cùm ſignificat facultatem ſine pravitate aliquid agendi aut habendi, aut contrà etiam non agendi. Facultatem hanc aliqui mo- 162.
ralem vocant, ut illam, quæ in efficacia conſiſtit, naturalem. Moralis enim ideo eſt, quia ad morum atque actionum honeſtatem ac rectitudinem pertinet. Sine ea enim prava eſt actio; cùm adeſt, recta, ſeu minimè prava atque inhoneſta. Poſſes hoc jus appellare licentiam, niſi hæc vox in vitio poni ſoleret. Nam jus iſtud ad omnia ſpectat, quæ licita ſunt. Strictior autem juris ſignificatio eſt, cùm denotat obligationem ad aliquid agendum, vel contrà omittendum. Diverſitas hæc ſignificationis etiam in voce concreta *juſti* cernitur. Aliud enim juſtum dicitur, quia id facere licet: aliud, quia id fieri debet, aut contrà debet omitti. Prius illud propemodum negante magis ſenſu juſtum dicitur, ut viri quidam docti hac de re loquuntur, quàm ajente ſeu affirmante. Juſtum enim ideo vocatur, quia injuſtum ſeu illicitum non eſt. At poſterius ajente potiùs ſenſu ita appellatur. Juſtum enim dicitur, quia jus & fas illud poſtulat & requirit. Priori modo juſtum eſt debitum exigere. Poſteriori modo juſtum eſt debitum reddere, atque in univerſum à maleficiis abſtinere, & id, quod facere omnino decet, facere. Ex his duabus juris ſignificationibus prior hujus loci propria eſt: poſterior ad Sanctitatem ac juſtitiam Dei pertinet. Poteſtas enim non in eo revera cernitur, quod omnino fieri debet, præſertim quà tale eſt: ſed in eo, quod liceat. Sanctitas autem ac juſtitia in eo, quod fieri debet. Poteſtas eatenus tantùm ad hoc etiam extenditur,

Digitized by Google

extenditur, quatenus id ſimul facere licet. Nihil enim fieri debet, quod non ſimul etiam facere liceat. Sed magis tamen poteſtas in eo cernitur, quod ita juſtum eſt, ut nec contrarium ejus ſit injuſtum ſive illicitum, quale illud tantùm eſt, quod priori modo juſtum dicitur. Quare hæc juris ac juſti ſignificatio hìc revera attendenda eſt.

‡ *Ex his duabus*] Quam hoc perperam aſſeratur patebit ex ſequentibus: Nam jus Dei circa peccati punitionem, quod Paulo δικαίωμα dicitur Rom: 1, 32. magis ad poſteriorem quam ad priorem ſignificationem pertinet.

Poteſtas enim non] Id falſum eſt: nam Magiſtratus poteſtas in adminiſtranda Rep. & jure dicundo ſubditis potiſſimum cernitur; adeoque in ijs quæ omninò fieri debent; & quæ ſi negligat, poteſtate ſibi concredita non uti ut oportet, ſed abuti cenſebitur.

Sed in eo quod liceat] Atqui ſanè etſi dixerint Iuriſconſulti *l.* 145. *ff. de reg. juris*, *Non omne quod licet honeſtum eſt*, attamen ut nulla legitima poteſtas plus vult ſibi licere quam honeſtum fuerit, ita Dei poteſtas indivulſo nexu cum ipſius ſanctitate & juſtitia cohæret, & etiam in eo faciendo ſanciendoque quod juſtum & ſanctum fuerit elucet.

Sed magis tamen] Neque hoc univerſaliter verum eſt: Nam Legiſlatio v. g. ad Dei poteſtatem pertinet: ſic tamen, ut injuſtum foret vel homines à Deo exleges omninò relinqui, vel eos legibus illis quas jam dedit planè contrarijs ſubjici.

Interim tamen propter hanc & altera, quæ ſtrictior eſt, hoc loco attingenda eſt. Nam primùm ex eo, quod ita juſtum eſt, ut fieri omnino debeat, æſtimare poſſumus, quæ nam ita ſint juſta, ut ea facere liceat. Quæcunque enim cum illo non pugnant, ea facere licet. Deinde & illud inde cognoſcere licet, quàm latè pateat illud jus, quod liberum eſt, & in quo poteſtas illa Dei, qua de agimus, propriè conſiſtit. Id enim ad ea omnia extenditur, quæ cum juſto ſtrictiùs ſumto ita conſentiunt, ut nec eorum contraria ſive oppoſita ab illo abhorreant. Nam quæ ita ſunt comparata, ea vel facere, vel omittere licet. atque in hoc genere libera poteſtas cernitur. Eſt autem juſtum
163. illud ſtrictiùs ſumtum, quicquid dignitas atque excellentia naturæ intelligentis, ſive ſimpliciter, ſive ob circumſtantiam aliquam poſtulat. In eo enim ſervando omnis rectitudo atque honeſtas; in negligendo omnis vera pravitas ac turpitudo conſiſtit. Quicquid ergo tale eſt, ut ſalva naturæ intelligentis dignitate & fieri & omitti poſſit, id liberæ poteſtati ſubjectum eſt. Et in hoc rerum genere Dei poteſtas infinita eſt. nulloſque admittit limites, niſi quatenus ipſemet pro arbitrio liberaque voluntate juri ſuo aliqua in parte renunciat, & de eo cedit: ut cùm peccata remittit. Eo enim tempore uſu poteſtatis ſuæ ex una parte, uſum ejus in alteram partem tollit aut reſtringit. Sed de proprietatibus divinæ poteſtatis paulò poſt dicetur explicatiùs. Illud autem hoc loco non repetimus, quod ſuperiori jam capite monuimus, poteſtatem Dei per ſe referri ad actiones Dei tranſeuntes, ſeu facta externa, & eorum objecta: ad

decreta

Digitized by Google

decreta autem, quæ actiones immanentes ſunt, ſive internæ, propter facta. Ad ea enim primò ac per ſe refertur poteſtas, ad quæ & potentia, cui innititur. Hæc autem ad actiones tranſeuntes, & earum objecta revera pertinet.

‡ *Et in hoc rerum*] Fateor Deum juri ſuo Dominico quandoque renunciare ſecundum quid, per liberam voluntatem; Ita cum jus haberet omnes primogenitos ſibi vindicandi ſub V. T. eorum tamen permiſit redemptionem certo pretio: Sed nec Dominium ſuum abſolutum in Creaturas poteſt totaliter abdicare, quia ſeipſum abnegaret, nec juri ſuo Iudiciali de quo dixit Paulus Rom: I, 32. *Hoc eſt jus Dei ut qui talia patrant ſint digni morte*, unquam renunciare. Quare cum peccata remittit, hoc non tam facit cedendo penitùs de ſuo jure & illi omninò renunciando, quã jus ſuum judiciale ex ſatisfactione Chriſti exercendo & exequendo, uti docemur Rom: III, 24. & I. Ioh: I, 9. Sed de hac remiſſione peccatorum fuſiùs infra agendum erit.

Affectiones ſeu proprietates poteſtatis divinæ aliqua ex parte poſſunt ex iis intelligi, quæ de ea hucuſque diximus. Etſi autem plures conſtitui poſſunt, eas tamen ad duas licet revocare: altera eſt, quòd ſit independens; altera, quòd infinita. Independens autem eſt duplici ratione, nempe ſi vel originem ejus ſpectes, vel uſum. Nam nec aliunde eſt accepta, non magis quàm potentia, cui neceſſitatis vinculo adhæret; nec ſuperioris alicujus ſubjecta eſt arbitrio, à quo ejus uſus aliqua ratione pendeat aut gubernetur, id quod Græcis eſt ἀνυπεύθυνον. Ipſa enim ſuprema eſt, ut ex iis, quæ de Dei exiſtentia ſuprâ diximus, patet. Unde Deus *altiſſimus* non ſemel in ſacris literis appellatur. (*Gen: 14. 18: 32. 8. Pſal: 7. 18: 9. 3. & alibi ſæpè.*) Quanquam enim id Hebraicè ſimpliciter *Excelſum* ſonat: cum Hebræi ſuperlativis, uti & comparativis gradibus careant: facilè tamen intelligitur, eo nomine eminentiam Deo tribui, quæ illi ſit planè propria. Ideo interpretes Græci, ſenſum ſecuti, rectè ὕψιστον h. e. *altiſſimum* reddiderunt: & Lucas, Hebraici illius, ut apparet, nominis vim exprimere volens, itidem Deum ὕψιστον ſeu altiſſimum vocat. (*Luc: 1. 32, 35, 70: 6. 35: 8. 28.*) Sed de hac poteſtatis divinæ ſublimitate inferiùs plura dicentur. Infinita autem eſt eadem poteſtas, tum ratione objecti, circa quod verſatur, tum ratione durationis. Illa, quæ in objecto per ſe ſpectatur, amplitudo appellari ſolet, & à nonnullis ſimpliciter infinitatis nomine intelligitur; quæ in modo, plenitudo aut perfectio; 164
quæ in duratione, æternitas eſt, ſub qua & neceſſitas comprehendenda eſt, quæ æternitatis verum eſt fundamentum. Sed æternitas, & neceſſitas, quæ illius cauſſa eſt, in diverſis poteſtatis gradibus aliquo modo variat, ut in ſequentibus intelligetur, ubi videbimus, quomodo hæ poteſtatis divinæ proprietates gradibus illius accommodentur.

Ut igitur ad poſterius veniamus eorum, quæ de poteſtate divina ſuprà propoſuimus

poſuimus; tribus veluti gradibus poteſtas divina ita attollitur, ut poſterior priori tanquam cauſſæ cuidam innitatur. Primùm enim jus fuit Deo creandi ac pro arbitrio formandi res quaſvis; eſtque etiamnum jus res alias, ſi ita lubeat, producendi ac fingendi. Hinc oritur alter poteſtatis gradus; jus nimirum res omnes tanquam proprias habendi ac poſſidendi. quod quidem eſt dominium ipſius in res omnes abſolutum. Nam ut alibi jam diximus (*ſup: cap: 3.*) opus quodvis, quà tale eſt, naturâ ſuâ opificis eſt, &, ſi ex ſua, non aliena materia id formârit, totum eſt ipſius. Deus autem ex aliena materia nihil formavit. Tertius poteſtatis divinæ gradus eſt, jus rebus omnibus pro arbitrio utendi. Qui enim abſolutus eſt rei dominus, illi pro arbitrio eâ uti ſemper licet.

‡ *Ex aliena*] At cum ſtatuant adverſarij omnia fuiſſe creata ex præjacente materia, (non ex nihilo) debuit illa fuiſſe Deo coæterna, & per conſequens in quam opificij jure nullum jus haberet: vel ſi ipſius fuit creationis jure, utique ex nihilo produci debuit.

Tertius poteſtatis] Supple quamdiu patitur ejus ſanctitas & juſtitia: Nec enim qui abſolutus eſt rei Dominus, eâ poteſt uti ultra quam dignitas atque excellentia naturæ intelligentis, ſive id quod juſtum & æquum eſt, poſtulat; & *intereſt Reip.* (inquiunt ipſa jura) *nequis re ſuâ malè utatur.*

Ex his autem tribus poteſtatis gradibus, primus ſimpliciter eſt ac fuit neceſſarius; duo poſteriores ex hypotheſi. Ut enim reipſa dominium haberet Deus in res creatas, iiſque pro arbitrio uti poſſet, eas creari ſanè oportuit. Itaque actum quendam liberæ voluntatis, ut duo illi gradus reipſa exiſterent, intervenire oportuit, nimirum ut producere res vellet Deus, ac porrò reipſa produceret. Hoc poſito, duo illi poſteriores poteſtatis gradus neceſſariò conſequuntur. Interim in primo gradu, non quidem actu, ſed poteſtate quodammodo continentur, tanquam ejus quædam propagines. Unde & illud obiter notari poteſt, cùm Ens ſupremum ob poteſtatem & imperium Deum appellari contendimus, non ita hoc intelligendum eſſe, quaſi ob imperium tantùm, quod in res omnes actu ipſo habeat, Deus vocetur, eoque ſublato Deus ampliùs dici non mereatur. Nam nihilominus partim propter infinitam potentiam vireſque inſuperabiles, quæ illi planè ſunt naturales, Deus ſummo jure dici meretur, ut ex iis inprimis apparet, quæ de nomine *El* diximus: (*cap: 8.*) partim propter illam poteſtatem, quæ potentiæ iſti neceſſariò adhæret, & in qua imperandi jus ita con-
165. tinetur, ut ſi modò res ulla extra Deum exiſtat, in eam Deus non poſſit non ſummum imperium habere. Ob id igitur, quòd Deus actu ipſo imperium, & quidem ſupremum habeat, jure quidem Dei nomen κατ' ἐξοχὴν ſortitur: præſertim cùm cæteræ, quas diximus, cauſſæ ab imperio illo ſejungi nequeant, imò illius ſint fundamenta: ſed non protinus, ſi id actu ipſo non habeat, creaturis nimirum non extantibus, Deus appellari non merebitur.

Illud

Digitized by Google

Illud autem tum in iis, quæ paulò antè diximus, tum in ſequentibus memoriâ tenendum eſt, cùm aſſerimus, Deum pro arbitrio res & creare, & creatis uti poſſe, ejuſque dominium eſſe abſolutum; arbitrium ac dominium illud latiùs extendi non debere, quàm juſtitia, &, quæ ei veluti prælucet, ſapientia permittit. Docuimus enim antea, poteſtatem naturâ ſuâ intra ea conſiſtere, quæ licita ſint, ſeu minimè prava & ſanctitati atque juſtitiæ adverſa. Siquidem poteſtas jus eſt. † Jus autem cum juſtitia pugnare non poteſt. & etiamſi tandem in creaturis à ſapientiæ lege aliqua ratione diſcedere poſſe videatur, in Deo tamen non poteſt. Nunquam ergo Deus ita pro arbitrio poteſt creare quippiam, vel ad eum modum re creata uti, ut id à ſapientiæ aut juſtitiæ lege diſcrepet ac diſſentiat. Unde porrò intelligitur, fieri non poſſe, quin ea, quæ creat Deus, ita formet, ut ad finem bonum ac naturâ ſuâ honeſtum ſint idonea. Id enim partim ſapientiæ, partim juſtitiæ ſeu ſanctitatis lex requirit. Fieri etiam non poteſt, quin res ita formet, ut & ipſis, ſi ſenſu aliquo ſint præſtitæ, & maximè ſi intellectu, melius ſit exiſtere, quàm non exiſtere, vel ſaltem non deterius; ratione nimirum habita divini conſilii, & eorum, quæ ab eo ſunt profecta, non verò eventûs, ex ipſarum præſertim creaturarum arbitrio pendentis. Nam quod ad hunc attinet, aliter ſæpè res poteſt cadere, ita ut ſatius fuerit, hominem v. g. aliquem non fuiſſe natum, quemadmodum de Juda Chriſtus ait. (*Mat: 26. 24.*) Sed id ſibi ſuæque improbitati acceptum referre debebat, non creationi, aut conſilio divino, quod de eo ſine conditione, in arbitrio ipſius ſita, factum eſſet. qua de re alibi agetur in hoc opere. (*lib: 5. cap: 17.*) Quapropter poteſtas divina non eò uſque eſt extendenda, ut ſtatuatur, eum poſſe quippiam ad æternos cruciatus, ſine ulla conditione, quæ in ipſius creaturæ arbitrio poſita ſit, producere. Id enim ab omni rectitudine atque æquitate, ne de benignitate nunc quicquam dicam, tam abhorret, quàm quod maximè. Sed hac de re dicetur infrà, ubi de Sanctitate ac juſtitia Dei agemus.

† *Jus autem cum*] De Deo verum eſt, non item de hominibus: nam etiam Prætor jus dicere cenſetur cum injuſtè pronunciat; & notum illud, Summum jus ſumma injuria.

Ratione nimirum] Vitioſa eſt oppoſitio inter conſilium Dei & eventum rei, quaſi hic propter Creaturæ libertatem illud fruſtrare queat, aut aliquid eveniat in rebus præter illud, contra quam docet expreſſè Scriptura Eſai: XLVI, 10. Nec etiam præter Dei conſilium aut abſque illo evenit improborum ruina & perditio, quamvis ea non in Dei conſilium permiſſivum & directivum, ſed in ipſorummet improbitatem & nequitiam voluntariam tranſcribi debeat. Ipſe ſanè Judas, cujus exemplum hic adfertur, ita ſubſervijt neſcius Dei conſilio Act: IV, 28. ut tamen ſuæ perditionis ſibi cauſa fuerit.

Non eo uſque eſt] Imò nec eo uſque, contra quam infra defendit Crellius, ut creaturam ſimpliciter & abſolutè innocentem, abſque ullo reſpectu peccati vel proprij vel imputati, perdere vel affligere poſſit.

Poſtquam

166. Poſtquam ergo gradus divinæ poteſtatis conſtituimus; ſequitur, ut ſi quid adhuc in ſingulis conſiderandum reſtat, videamus. Et de primo quidem gradu, hoc eſt, de jure creandi, ac res pro arbitrio formandi, nihil eſt neceſſe ampliùs dicere. Quod ad alterum attinet, quem in abſoluto dominio conſiſtere diximus; in eo utile erit ſpectare proprietates poteſtatis antea enumeratas. Prima autem fuit, quòd ſit independens; idque duplici ratione: tum quod à nullo ſit accepta; tum quòd ſuprema, h. e. ejuſmodi, ut in ejus quoque uſu à ſuperioris arbitrio non pendeat Deus, nec quicquam illi vel præcipi, vel interdici queat. Dominium à nemine accepit Deus, quia ſua ipſius virtute, non aliunde accepta, ſuo planè arbitrio, res omnes produxit, ab alio nec adjutus, nec juſſus. A ſeipſo ergo habet, quòd illarum ſit dominus, & ſi ullum dominium naturale dici meretur, Dei in res omnes dominium ſummo jure ita meretur appellari. Supremum etiam eſt Dei dominium, & ſupremum quidem abſolutè. Cum enim dominium ſuum à nullo acceperit, ſed contrà omnes, qui dominium aliquod habent, ab ipſo; neceſſariò ſupremus eſt omnium dominus. Unde & Dominus dominorum eſt appellatus. (*Deut: 10. 17. 1 Tim: 6. 15.*) Fierine enim poteſt, ut is, cujus potentia, ſapientia, ac poteſtas à nullo pependit alio, ei, qui ab ipſo totus pendeat, ſe ſubjecerit? ut is, cujus potentia ac ſapientia immenſa æternaque eſt, & omnis, quæ uſpiam eſt, potentiæ ac ſapientiæ fons, ei ſe regendum permiſerit, qui non niſi ab ipſo acceptis viribus ac ſapientiâ imperet? Hoc verò eſſet rerum naturam non modò pervertere, ſed & evertere. Itaque divina natura omni ſubjectioni repugnat. Quam ob cauſſam Paulus, cùm dixiſſet, Deum *omnia ſubjeciſſe ſub pedibus* (vel *pedes*) Chriſti, (*1 Cor: 15. 26.*) prout David aliquando prædixerat; (*Pſal: 8. 8.*) ſtatim ſubjungit: *Cùm autem dicat: omnia ſubjecta ſunt ei, ſine dubio* (Gr. *manifeſtum* [*eſt*] *quòd*) *præter eum, qui ſubjecit ei omnia.* licèt D. Auctor Epiſtolæ ad Hebræos eadem Davidis verba citans dicat: (*Heb: 2. 8.*) *In eo quod omnia ei ſubjecit, nihil dimiſit* (vel *omiſit*) *non ſubjectum ei*, h. e. nihil prætermiſit, quod ei non ſubjiceret. Intelligit enim omnia, quorum naturæ non repugnat alteri ſubjici. Talia autem ſunt omnia præter eum, qui Chriſto omnia ſubjecit.

1 *Prima autem fuit*] Quamvis huc indirectè colliment hæretici, ut Chriſto veram & ſummam divinitatem abrogent, tamen nihil proficiunt: Nam 1. Abſolutum Dei Dominium arceſſitur ab ipſomet Crellio à rerum omnium creatione, tanquam illius conſequens neceſſarium: Sed rerû omnium creatio frequenter quoque Chriſto tribuitur ut Ioh: 1, 3. Col: 1. 16. 2. Quod vindicat Dominio Dei ratione infinitatis, competit quoque Dominio Chriſti; & quoad *Amplitudinem*, nam in omnia ſe extendit Matth: XXVIII, 18. unde & ipſum debent adorare omnes Angeli Dei Heb: 1, 6. & quoad *Plenitudinem* poteſtatis, ſiquidem omne genu debet ſe ei flectere Phil: II, 9. & quoad ejuſdem *Æternitatem*, nam regno ipſius

non

Digitized by Google

non erit finis Dan: VII, 14. 30. Supremum Dei Dominium hoc probat argumento Crellius quod *Dominus Dominorum* dicatur Deut: X, 17. 1. Tim: VI, 15. Atqui eodem quoque elogio inſignitur Chriſtus Apoc: XIX, 16. At, inquit, poteſtas Chriſti nec eſt independens, nec abſolutè ſuprema; nam ei data eſt à Patre qui ſubjecit omnia pedibus ejus: Verũ enim vero id etiam datum eſt Chriſto quod accepit à Patre per generationem æternam, quæ datio, non eſt voluntaria alienatio, ſed neceſſaria & naturalis communicatio, juxta quam Pater, ut loquitur Auguſtinus, dedit Filio quicquid habet excepto eſſe Patris. Deinde duplex vulgò tribuitur Chriſto poteſtas in omnia; Oeconomica ſcilicet, quam conſecutus eſt quà θεάνθρωπος & Mediator Dei & hominum, à Deo ſummè exaltatus & coronatus gloriâ & honore, poſtquam Angelis paullò minor factus fuiſſet; & naturalis, quam habet præciſè quà Deus & coæternus Patri: Verum illa prior nihil aliud eſt quam hujus manifeſtatio & declaratio in perſona Mediatoris, & admiſſio naturæ humanæ in illa perſona ad ejus poteſtatis conſortium, exercitium & dignitatem: Quare licet illa poteſtas, quoad naturam humanam, quæ in illius conſortium venit, ſit dependens & ſubordinata, tamen abſolutè & in ſe quoad perſonam Filij, eſt independens & abſoluta: Priori reſpectu data fuit in tempore, & Pater ejus pedibus omnia ſubjecit; ſed poſteriori, jure Chriſtus Ioh: XVII, 5. petebat glorificari eâ gloriâ quam poſſederat apud Patrem priuſquam mundus fieret, ideſt redintegrari in illa plenitudine poteſtatis, quam videbatur ad tempus abdicaſſe aſſumptâ forma ſervi, ut redemptionis noſtræ opus abſolveret; ut cum Codrus Athenienſum Rex ultimus depoſito paludamento & diademate regio, gregarij militis habitum aſſumpſit, occul iturus pro ſuis ſubditis. Nec dubium quin illa Chriſti poteſtas, cum ſit eadem quæ Patris, prout ipſe & Pater unum ſunt Ioh: X, 30. ſit independens & abſolutè ſuprema; quapropter *Dominus Dominantium* appellatur. Et ſi quæ dependentia ac ſubordinatio Filij à Patre ſit concedenda, ea reſpectu ſuæ perſonæ non eſt eſſentiæ, ſed tantum originis; non poteſtatis, ſed ordinis: ut œconomiæ & diſpenſationis reſpectu muneris quod ſuſtinet; Adeoque non ſubordinatur Deo ut vaſallus ſuo Domino, ſed partim œconomicè, ut Mediator Dei & hominum, partim originaliter ut Filius Patri, ejuſdem cæteroquin naturæ & eſſentiæ cum ipſo. Nec obſtat quod Chriſtus habeat eam poteſtatem à Patre, non à ſeipſo: Nam eam habet à Patre per æternam generationem, prout ipſe eſt à Patre reſpectu ſuæ perſonalitatis; ſic tamen ut eſſentia adeoque & poteſtas quæ illi per generationem æternam communicata eſt, ſit planè independens, & illius reſpectu benè αὐτόθεος dicatur. Ipſemet hæreticus paullò poſt non omninò incommodè docet, amplitudinem Divini dominij nec ceſſare nec imminui poteſtate Filij: quia videlicet illam non dedit ei per alienationem, ſed per communicationem. Sed eò mox veniemus.

Altera divinæ poteſtatis proprietas conſtituta fuit Infinitas, ad quam & amplitudinem ratione objecti, & plenitudinem ſeu perfectionem ratione modi, & æternitatem, quæ ad durationem ſpectat, retulimus. Amplitudinem dominij divini jam antè ſatis oſtendimus. Docuimus enim nihil eſſe, quod ſub illud non cadat: ſiquidem omnia Deus creavit. Hanc ſacræ literæ non ſemel commemorant; quamquam nunc apertiùs, nunc minùs apertè. Illuſtria in- 167.

Digitized by Google

ter alia ſunt Moſis verba, quibus Iſraëlitas ita alloquitur. (*Deut: 10. 14.*) *Domini Dei tui cœlum eſt, & cœlum cœli, terra, & omnia quæ in ea ſunt.* Ubi cùm cœlum cœli, h. e. cœlum ſupremum, commemorat, intelligenda videntur & ea, quæ in illis continentur, nempe exercitus illi angelici, quorum dominus toties appellatur Deus: perinde ut poſtea de terra loquens ait, *& omnia quæ in ea ſunt.* de cœleſtibus autem id expreſſè non dixit, vel quia id ex eo, quod de terra dicturus eſſet, intelligi atque æſtimari aliqua ratione poſſet, vel quia ad inſtitutum ejus minùs pertineret. ‡ Ad eos enim, qui & in terris viverent, terrenis Dei beneficiis fruerentur, eaque ab ipſo expectarent, ſermonem habebat. Sic & alibi ſacræ literæ, cùm Deum appellant cœli & terræ dominum, (*Mat: 11. 25. Act: 17.24.*) aut etiam Deum, (*Gen: 14.22.*) omnia illa comprehenſa volunt, quæ vel in cœlo, vel in terra extant, ut per ſe haud difficulter cernere quivis poteſt. Inſignia etiam de amplitudine divini dominii illa ſunt Davidis verba, quibus Deum alloquitur, in dedicatione rerum, quas tum ipſe, tum populus, ac populi primores, ad templum aliquando conſtruendum contulerant: (*1 Paral: 29. 11. 12.*) *Cuncta*, inquit, *quæ in cœlo ſunt & in terra, tua ſunt: tuum, Domine, regnum, & tu es ſuper omnes principes. Tuæ divitiæ, & tua eſt gloria: tu dominaris omnium* (ſeu *omnibus*) *in manu tua virtus & potentia: in manu tua magnitudo & imperium.* & poſt pauca: *Tua ſunt omnia*: (*v.14.*) quod & (*v.16.*) ſecundò repetit. Alibi autem idem Pſaltes: (*Pſal: 89.12.*) *Tui*, inquit, *ſunt cœli & tua eſt terra: orbem terræ & plenitudinem ejus tu fundaſti: aquilonem & mare tu creaſti.* quibus verbis & fundamentum hujus dominii exprimit. Mitto alia apud eundem, quibus aut cœlos cœlorum, (*Pſal: 115. 16.*) aut terram ac plenitudinem ejus, (*Pſal. 24. 1.*) aut etiam mare, (*Pſal: 95. 5.*) aliaque his ſimilia Dei eſſe dicuntur.

‡ *Ad eos enim*] At ſanè etiam cœleſtia & æterna beneficia pii præſtolabantur à Deo ſub V. T. ut amplius ſuo loco videbimus. Abſit ut de Sanctis illis viris, quorum fides tam prolixè celebratur Heb: 11. per totum, tam malè ſentiamus, ac ſi porcorum inſtar, terrenis duntaxat ſordibus & fæcibus inhiaſſent.

Non eſt autem exiſtimandum, amplitudinem divini dominii aut ceſſaſſe, aut imminutam fuiſſe, poſtquam Deus omnia Chriſto ſubjecit, & omnem illi in cœlo ac terra poteſtatem tradidit. Neque enim, quæ Chriſto ſubjecit Deus, à ſe alienavit, & jure quod in illa habuit, ſeſe revera abdicavit. Nam & proprietas, quam vocant, rerum ipſius nihilominus eſt, & uſus. Uſum enim rerum omnium ita Chriſto conceſſit, ut eum per Chriſtum ipſemet pleniſſimè ſemper percipiat. Chriſtus ſanè olim, quæ ex Patris dono ac conceſſione habebat, ea nihilominus Patris eſſe dixit. Ita enim Patrem pro diſcipulis o-

rans,

Digitized by Google

rans, inter cætera inquit: (*Ioh: 17. 9, 10.*) *Pro his* (*oro,*) *quos dediſti mihi: quia tui ſunt: & omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt.*

‡ *Non eſt autem exiſt.*] Hæc in genere benè monentur; Sed tamen 1. Supponunt quod falſum eſt, ſcilicet omnem poteſtatem quæ Chriſto competit in omnia, dominio Patris & tempore & naturâ eſſe poſteriorem; Quamvis enim temporalis ſit dicenda prout ei convenit ut θεανθρώπῳ, & ad illius conſortium in perſona λόγου evecta fuit humana natura per ipſius exaltationem; tamen eadem eſt & naturâ & duratione cum Patris poteſtate & dominio, prout ei convenit præcisè quà λόγῳ, per quem omnia facta ſunt & abſque quo factum eſt nihil. 2. Non reddunt veram rationem cur Pater omnia dando ſuo Filio, ea tamen à ſe non alienarit, nec ſeſe abdicarit jure ſuo in illa: Cùm vera illius rei ratio hæc ſit, quod hæc poteſtas detur Filio per æternam generationem, & ejuſdem numero eſſentiæ communicationem, juxta quam Pater & Filius unum ſunt, ut naturâ & eſſentiâ, ſic imperio & poteſtate. 3. Nihil amplius ponunt in Chriſti dominio & poteſtate, reſpectu eorum quæ illi ſubjecta ſunt, quam in hominum poteſtate & dominio, reſpectu eorum quæ poſſident: Cùm tamen magna ſit diverſitas: Etenim quæcunque noſtra ſunt, potiùs noſtra ſunt uſu quam mancipio; eo quod eorum omnium proprietas ſemper eſt penes Deum, cujus reſpectu magis commodatarij quà proprietarij ſumus; ſuntque *humana Dominia ita comparata*, prout ipſe Crellius poſtea loquitur, *ut quæ poſſidemus non minus ſint Dei quam peculium ſervi in heri eſt poteſtate, imò magis*; Sed quis ſanæ mentis ſibi perſuadebit, non aliam eſſe rationem dominij omnium quod Filius à Patre obtinuit, Paulo Heb: III, 5. 6. tam expreſſè diſtinguente Chriſtum à Moſe, ceu Filium qui domui ſuæ præeſt & cujus domus ſumus, à ſervo fideli in tota domo? Sic & Heb: I, 2. dicitur Filius conſtitutus *hæres* omnium, & per ipſum ſæcula facta eſſe. Dices in eo differre dominium omnium Chriſto collatum ab omni humano dominio, quod multo amplius ſit: Sed hoc non ſufficit cum plus & minus non varient ſpeciem: nam æquè carbonarius & pauperculus ruſticus eſt dominus ſub Deo ſui tugurioli, ac ſplendidarum ſuarum ædium & amplorum ſuorum latifundiorum civis aliquis ditiſſimus. Quapropter, ſi dominium Chriſti ſpecie à dominijs humanis non differat, Filius non erit inde hæres omnium, qualis etiam à malis agricolis agnoſcebatur Matth: XXI, 21. *Iſte eſt hæres, adeſte trucidemus eum, & hæreditatem ejus accipiamus*; Si ſpecie aliud ſit, ergo non ſolum extenſivè differet ab hominum dominio, ſed etiam intenſivè, ut tantum ſit diſcriminis inter dominium hominum ac dominium Chriſti, quantum intereſt inter peculium ſervi & dominium heri.

Vſum enim] Atqui idem poſſet concipi de quolibet Monarcha; Sic enim Nebucadnetzari tale fuerat conceſſum imperium, ut amplitudo ejus pervenerit ad cœlum, & dominium ipſius ad fines terræ Dan. IV, 22. Quin Dan. II, 37. 38. appellatur *rex regum*, cui Deus dederat, regnum, potentiam, firmitatem & gloriam, & quem dominatorem conſtituerat in omnes filios hominum & beſtias agri & aves cœli: Sed tamen longè nobilius & excellentius concipi debet Chriſti dominium in omnia, non ſolum extenſivè quoad amplitudinem, ſed etiam intenſivè, quoad ipſammet poteſtatem & jus imperij.

Chriſtus ſanè olim] Verum tali reciprocationi locus eſſe nequit inter Deum & meram creaturam: Debet quidem cre-

atu a quelibet dicere Deo, *Omnia mea tua ſunt*; Quid enim habet quod non acceperit 1. Co: IV, 7. Ecce me & filij mei quos *dedit* mihi Iehova Eſ: VIII, 18. Sed non poteſt adjicere cum Chriſto, *& omnia tua mea ſunt.* Nec mihi illud tritum adferatur, Omnia amicorum communia eſſe; nam illa communitas ad χρῆσιν & uſum reſtringitur, nec extendi debet ad κτῆσιν, & proprietatem ipſam: Huc facit illud Salomonis Prov: V, 16. 17. *Spargant ſe fontes tui foras, in plateis rivi aquarum; ſint tibi ſeorſim, ac non extraneis tecum.* Cùm ergo Chriſtus ita loquitur, ſuam cum Patre facit indiviſibilem poteſtatem, quæ neceſſariò ſupponit indiviſibilem naturam. Sicut enim per conjugium quo fiunt duo in carne una, indiviſibilis eſt omnium bonorum inter conjuges communicatio, juxta illud veterum in Sponſalijs ſuis celebrandis, *Vbi ego Cajus tu Caja*: quam rationem reddit Plutarchus *in quæſt. Romanis*, cur apud Romanos donationes inter conjuges eſſent illicitæ, quod videlicet propter individuam illam ſocietatem ceſſaret inter eos diſcrimen *Mei & Tui*, quę duo pronomina Plato volebat ex ſua Rep. eliminare; ita per Patris & Filij conſubſtantialitatem, juxta quam duo ſunt in una indiviſibili natura, indiviſibilis eſt communio ut omnis potentiæ, (*Quæcunque enim facit Pater, hæc etiam Filius ſimiliter facit* Ioh: V, 19.) ſic omnis poteſtatis, prout Filius dicit Patri, *omnia mea tua ſunt, & omnia tua mea ſunt*; Adeoque illius poteſtatis reſpectu, poteſt obtinere quod vulgò dicunt ICti, Patrem & filium pro una perſona cenſeri: At, inquies, aliter tamen Patris ſunt quæ ſunt Filij, quam viceverſa; nam Pater omnia dedit Filio, qui ceu accepta & ſibi conceſſa à Patre, illa ideo Patris eſſe profitetur; ſed nihil Patri dedit Filius. Reſp. Eandem quidem eſſe poteſtatem ut eſſentiam utriuſque, ſed modum habendi eſſe diſtinctum; quia eſſentiam & poteſtatem Filius habet à Patre, ceu ab originis ſuæ principio: hinc ſua omnia refundit in donationem Patris; quia ut Pater qui habet vitam in ſeipſo, Filio quoque per generationem æternam dedit habere *vitam in ſeipſo* Ioh: V, 26. ſic eadem ratione dedit illi indiviſibilem ſecum poteſtatem in omnia; quatenus per eandem generationem æternam & eo ipſo quod Filius eſt, conſtitutus eſt hæres omnium.

168. Et quid mirum, omnia illa, quæ Chriſtus habet, Dei eſſe, cùm & ipſe Chriſtus ſit Dei? *Omnia*, inquit Paulus ad Corinthios, (*1 Cor: 3. 22, 23.*) *veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura: omnia enim veſtra ſunt: vos autem Chriſti: Chriſtus autem Dei.* Deo enim in rerum omnium dominio eſt ſubordinatus: quemadmodum infrà meliùs intelligetur, cùm de imperandi jure agemus.

‡ *Et quid mirum*] Sane eo quod Chriſtus Dei eſt, neceſſe eſt omnia quæ Chriſtus habet eſſe Dei Patris; nam in hoc Pauli dicto nomen Dei ſumitur non οὐσιωδῶς, ſed ὑποστατικῶς pro Patre; Verum illa reciprocatio quam ſupra Chriſtus proponebat, ſatis oſtendit, omnia quæ ſunt Chriſti, ideo eſſe Dei Patris quia Chriſtus eſt Dei filius æternus, ejuſdem eſſentiæ & naturæ cum ipſo: Nec eſt quod Crellius quicquam præſidij quærat in hoc Pauli loco; Benè enim à Chryſoſtomo obſervatur, quod *alia ratione nos ſumus Chriſti, alia ratione Chriſtus eſt Dei; alia mundus eſt noſter; Nos enim Chriſti ſumus ut opus, Chriſtus autem eſt Dei ut Filius chariſſimus, noſter vero mundus eſt non ut opus, ſed quia propter nos factus eſt*: Aliud eſt dominium

Digitized by Google

minium Chriſti in nos, ſive jus & poteſtatem ſpectemus, ſive illius fundamentum, quam noſtri in Creaturas, in quas longè minus nobis licet quam Chriſto in nos; & ſumus quaſi in illius peculio duplici titulo, Creationis & Redemptionis; cœtera noſtra ſunt non tam poſſeſſione aut proprietate, quam fine & uſu; nec tam quoad ſingula generum noſtra dici debent, ſublata dominiorum civilium diſtinctione, quam quoad genera ſingulorum: Et certum eſt quoque alia ratione Chriſtum eſſe Dei, quam nos ſumus Chriſti; cùm Chriſtus ſit Dei Patris per generationem, nec factus, nec creatus, ſed genitus, ut loquitur benè Athanaſius *in Symbolo*; nos vero ſumus Chriſti per creationem & redemptionem: Quare non magis poteſt par ſtatui ratio Chriſti ad Deum in dominio omnium, quam noſtri ad Chriſtum in illa poteſtate, quam nobis hìc tribuit Apoſtolus. Nec enim poſſumus propriè & eodem ſenſu dicere Chriſto quod Chriſtus dicit Patri, *Omnia mea tua ſunt, & omnia tua mea ſunt.*

Deo enim] Subordinatur equidem Filius Patri reſpectu ſuæ hypoſtaſeôs, & quatenus Patrem habet pro principio ordinis & originis, ideſt quà Filius; Item œconomicè, & reſpectu ſui muneris Mediatorij, ideſt quà θεάνθρωπος in genere moris & Mediator Dei & hominum; Non tamen ſubordinatur reſpectu ſuæ vel eſſentiæ, vel potentiæ, vel poteſtatis divinę; quia eadem eſt & potentia & poteſtas & eſſentia Patris ac Filij, juxta illud Ioh: x, 30. *Ego & Pater unum ſumus.*

Quòd ſi autem ne Chriſti quidem dominium divini dominii amplitudini quicquam derogat; quid de aliis dominiis multò minoribus ac longè imperfectioribus ſtatuendum erit? Chriſti enim dominium ad res præter Deum omnes extenditur, & abſolutum non immeritò eſſe dicitur; æternumque eſt, prout regnum ac poteſtas ejus dicitur. (*Dan: 7. 14. Luc: 1, 32, 33.*) Cætera autem & terminis longè anguſtioribus continentur, & minùs ſunt perfecta, minuſque durabilia. præſertim cum plæraque non immutabili Dei decreto aut promiſſo nitantur, ut regnum Chriſti, ſed precario tantum jure teneantur. Itaque humana dominia ita ſunt comparata, ut quæ poſſidemus, non minùs ſint Dei, quàm peculium ſervi in heri eſt poteſtate; imò magis. Diſpenſatores enim ad breve tempus conſtituti ſumus quorundam heri noſtri bonorum, ſed ita, ut eorum fructum, quoad neceſſe eſt, percipere nobis liceat. Unde Chriſtus (*Luc: 16. 1. 12.*) bona noſtra terrena, aliena appellat, & nos, dum de illis largimur egenis diſpenſatori comparat, de alieno, hoc eſt, de domini ſui bonis liberali.

‡ *Quod ſi autem*] Triplex diſcrimen hìc videtur conſtitui inter Chriſti dominium & alia quæ obtinent in terris; quod ſit amplius, quod ſit durabilius, quod immutabili Dei decreto nitatur. Sed ſi ex hypotheſi Adverſariorum Chriſti poteſtas omnis ſit ipſi collata in tempore, nec ſuprema ac independens ſtatui poteſt, 1. Revera tollitur omne diſcrimen inter Chriſti dominium, reſpectu eorum quæ ſubjiciuntur ipſi. & dominiũ regis cujuſlibet aut principis terreni quãdiu illo fruitur; Nam dantur Reges ita abſoluti, in ſuos ſubditos, ut jus habeant, quemadmodũ loquitur Plutarchus *in Flaminio*, οὐ κατὰ τοὺς νόμους μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν νόμων ἄρχειν; non tantum

Digitized by Google

non tantum ex legibus, ſed & in leges imperandi, adeo ut *nemo niſi ſolus Deus judex* ipſorum *eſſe poſſit*, ut loquitur M. Antonius Philoſophus apud Xiphilinum *in ejus vita*; unde illud Horatij,

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Iovis.

Et notum eſt quantoperè ſaniores Theologi & Politici ſupremarum poteſtatum ac Regum Independentiam propugnent contra Papas, qui volunt ſibi Regum diademata ſubjicere & omnia ac in omnes licere. Ditionis amplitudo & extenſio, parum facit ad hanc rem; cùm Libertas, Majeſtas ac Independentia, æquè poſſint convenire in gradu intenſivo, parvo alicui regno aut Reip. ac ampliſſimo cæteroquin imperio. 2. Fuerunt quoque Reges, ut David, Ezechias, Nebucadnetzar, qui *immutabili Dei Decreto* in ſuo dominio nitebantur, quorum tamen dominium abſolutum in ſua, cum abſoluto Chriſti dominio in omnia, nemo ſanæ mentis velit comparare, niſi qui omnem diſtinctionem Paulinam inter filium & ſervum Heb. III, 6. everſam velit. Præterea non ſatis accuratè opponuntur ea quæ *immutabili Dei Decreto* obtinentur, ijs quæ *precario tantum jure tenentur*. Nam etiam hæc & ipſum jus precarium quamdiu obtinet, ex immutabili Dei Decreto arceſſenda ſunt: Itaque ut dominium Chriſti verè divinum agnoſcatur, & infinitis paraſangis dominia humana ſuperans, debet planè identificari cum dominio Patris, ut ſit ſimpliciter *abſolutum, univerſale* & *æternum*: Æternum autem eſt non tantum à parte poſt, reſpectu durationis; quamvis neque hanc æternitatem abſolutam admittant Hæretici, quippe qui regnum Chriſti tandem finitum, & abolitum iri ſtatuant *infra lib. 5. cap. 27.* Sed etiam reſpectu ſui fundamenti à parte ante, quatenus nititur æternâ illâ & eſſentiali majeſtate ac gloriâ quam habuit apud Patrem priuſquam mundus conderetur Ioh: XVII, 5. Abſolutum item & univerſale, quod ſimpliciter & abſolutè omnium rerum Dominus ſupremus dici debeat, per quem omnia condita ſunt Ioh: I, 3. Addo quod Chriſtus ſæpiſſimè *Dominus dominorum* appellatur, & quod nomen illud κύριε quo inſignitur in N. T. correſpondeat nomini *Iehovæ*, quod ſolius eſt ſupremi Numinis in Veteri. Videatur inſuper pro verè divino Chriſti dominio & imperio doxologia quæ extat Apoc: V, 12.

Ex quibus (ut hoc obiter addamus) apparet, cùm Iſraelitæ olim res Ægyptiorum, Deo jubente, abſtulerunt, (*Exo: 3. 21, 22. 11. 2, 3: 12. 35, 36.*) eos furtum non commiſiſſe: quia domino earum rerum naturali atque abſoluto, non modò non invito, ſed etiam jubente, id fecerunt. quemadmodum furtum non committit, qui, jubente hero, etiam invito diſpenſatore, rem heri ſibi vindicat.

‡ *Ex quibus*] Hæc ratio mihi non ſufficit ad Iſraëlitas excuſandos: Nec enim Deus hic tantum uſus eſt abſoluto ſuo dominio, ſed etiam æquiſſimâ ſuâ juſtitiâ, hoc modo mulctando Ægyptios, quod tam duriter Iſraëlitas, contra jus gentium & hoſpitalitatis, habuiſſent, eoſque ſibi mancipaſſent; & illorum bona quaſi in præmium & mercedem ſervitutis apud ipſos exantlatæ, ſuis adjudicavit, prout antea ſimile quid fecerat Labano reſpectu Iacobi Gen: XXXI, 9. Iſta enim quotidiè Magiſtratus pignora capi curat apud debitorem mali nominis, quæ tandem vendita cedunt ipſi creditori.

Non

Digitized by Google

Non derogat autem & illud quicquam dominij divini amplitudini, quòd Deus populum ſuum nonnunquam vendidiſſe, (*Deut: 32.30. Iudic: 2.14: 3. 5: 4.2.*) aut contrà redemiſſe dicitur, (*Exo: 6.6: 15.13. Deut: 7 8.9. 26: 13. 5: 21.8. 2 Reg: 7.23. Pſal: 77.16: 78.42: 106.10, & alibi.*) vel ei nos emti eſſe perhibemur. (*Apoc: 5 9: 14.4. conf. 1 Cor: 6.20.*) quæ voces proprie ſignificant, aut quippiam alienatum, aut alieni quippiam comparatum & acquiſitum eſſe. Nimis enim evidens eſt, in vocibus illis ad Deum relatis eſſe metaphoram, quanquam non ubique ab omnibus ſatis agnitam. Vendidiſſe enim populum ſuum dicitur Deus, quia eum hoſtium ſuorum poteſtati permiſerit, & quaſi ad ſe non pertinentem neglexerit ac deſeruerit: licèt interim jus ei dominii ſalvum maneret. cum ipſi quoque hoſtes, quorum poteſtati eum permiſiſſet, quanti quanti eſſent, Dei, ſi jus ſpectes, eſſent.

‡ *Nimis enim*] Hìc multa involuit Hæreticus ut ex indirecto & quaſi aliud agendo evertat Chriſti ſatisfactionem pro nobis; ſed fruſtra eſt: Nam 1. Emptio & redemptio noſtra per Chriſtum, non reſpicit actum deſertionis divinæ præcedentem, quo nos *permiſerit* noſtris hoſtibus *& quaſi ad ſe non pertinentes neglexerit ac deſeruerit*; ſed reſpicit tantum ſtatum miſeriæ & perditionis in quem nos ipſos præcipitaveramus per peccatum, & ſub quo ex Legis ſanctione & ordine Iuſtitiæ divinæ Maledictioni æternæ eramus mancipati: Quare cum venditio illa metaphorica, quâ non interveniente pretio propriè dicto Deus aliquando ſuum populum vendidiſſe dicitur, non ſit correlatum illius emptionis vel redemptionis, quâ nos redemit in Chriſto, fruſtrà ex natura illius venditionis colligas hujus redemptionis naturam, ut in illa neges interventionem pretij propriè dicti. 2. Venditio illa metaphorica quâ Deus viſus eſt pro derelicto habere ſuum populum & illius curam abjicere, expreſſiſſimè dicitur facta ſine pretio Pſal: XLIV, 13. *Vendidiſti populum tuum pro re vili, & non auxiſti rem pretiis eorum*; at redemptio noſtra per Chriſtum facta eſt interveniente pretio propriè dicto: nam empti ſumus *pretio* 1. Cor: VI, 20. non quidem auro vel argento vel ulla re corruptibili, ſed *pretioſo ſanguine* Chriſti 1. Pet: II, 18. 19. 3. Nec debet conferri aut confundi liberatio ex captivitate temporali per Dei potentiam, quæ oppoſita metaphoricæ venditioni, ut cumque metaphorica redemptio dici poſſet, cum liberatione ex captivitate ſpirituali peccati & mortis per Dei miſericordiam in Chriſto, quæ miſeriæ cui per juſtitiam Dei ſuberamus oppoſita, verum pretium, cujus vi illi ſatisfieret, neceſſariò exigit. Eſt enim hoc *jus Dei* quod qui talia patrant digni ſunt morte Rom: 1, 32.

Cùm autem nos Deo emti eſſe dicimur, nequaquam ſignificatur, nos antea jure ipſo Dei non fuiſſe: ſed uſum ſervorum ei non præſtitiſſe. Itaque non jus demum dominii eo pacto in nos acquiſivit Deus; ſed uſum noſtri eum, quem jure ſuo à nobis poſtulare poterat. Naturæ enim jure ipſius eramus mancipia, ſed ab eo, ut Paulus ait (*Col: 1. 21.*) fueramus *alienati & inimici ſenſu* (ſeu *mente*) *in operibus malis*. Ut ergo ipſi nos totos manciparemus, & tum ſpiritu, tum corpore ipſum glorificaremus, & honori ejus ſerviremus, filio ſuo pro nobis 169.

impenſo

impenſo efficit. Atque hæc illa emtio eſt. Quanquam ergo & hoc emtionis, ut ita dicam, jure Dei ſimus mancipia: non tamen interim jus creationis deſierat, ſed illius acceſſione vis hujus quodammodo aucta fuit. Sed de amplitudine dominii divini ſatis.

‡ *Cum autem*] Ius quidem ſupererat Deo in homines ſub peccato, quà eorum Creatori & Iudici & Domino; ſed tamen jure non potuiſſet eos vel in gratiam recipere vel ex ſua miſeria liberare, abſque pretij ſufficientis & prævij perſolutione: Removeri debuit illa romphæa ignea iræ divinæ quæ nos ex Paradiſo ejectos arcebat ab arbore vitæ, nec alibi quam in ſanguine Chriſti fuſo pro nobis extingui potuit.

Itaque non jus] Imò ſanè novum jus ex novo titulo ſibi Deus in nos tanto pretio redemptos acquiſivit, ex quo petit à nobis glorificari corpore & ſpiritu qui ſunt ipſius 1. Cor: VI, 20.

Naturæ enim] Sed ad jus naturæ acceſſit jus gratiæ, per quod non tantum in genere, ut cœteræ creaturæ ejus ſubſumus imperio, ſed in ſpeciale ejus peculium abimus, ut ſimus ei *populus peculiaris præ omnibus populis qui ſunt ſub univerſo cælo*, ut Moſes loquitur Deut: VII, 6. Imò hoc ipſum ſui immemor, mox notat adverſarius.

Vt ergo ipſi] Atqui ſi Deus nos ſibi redemit *Filio ſuo pro nobis impenſo*, ergo hæc ipſa emptio facta eſt interveniente pretio, ſecus quam in illa metaphorica venditione, cujus ante meminerat adverſarius.

De plenitudine autem ejus nihil eſt neceſſe multa dicere: præſertim cum Deum & naturalem rerum omnium dominum, & ſupremum eſſe docuerimus, & de poteſtate rebus omnibus utendi paulo pòſt dicturi ſimus. In eo enim plenitudo dominij divini continetur, quòd & res ipſæ, ſeu rerum, ut loquuntur, proprietas ad Deum penitus ſpectet, & earundem uſus. Juriſconſulti dicerent, Deum habere & directum & utile rerum omnium dominium. Directum enim illis eſt, quod ad rei proprietatem pertinet: utile, ut vox ipſa monet, quod ad uſum. Hæc divini dominii plenitudo, cum ejus amplitudine conjuncta facit, ut Deus ſubjicere omnia, cui velit, poſſit, & res earumque uſum alieno arbitrio ita permittere, ut nihilominus eis per illum perfruatur. Hoc jure uſus eſt, cùm Chriſto præter ſeipſum omnia ſubjecit.

‡ *In eo enim*] Non ſatis accuratè Deo vindicatur Dominium *utile*, & quod per Chriſtum rebus omnibus *perfruatur*. Nam uti frui ve Creaturis Deus propriè non eſt cenſendus, quippe qui nec illis eget, & ſibi pleniſſime ad fœlicitatem ſufficit: Nec creaturæ ordinantur ad Deum perficiendum aut fœliciorem reddendum; vel ſanctiſſimi, ſunt illi ſervi inutiles Luc: XVII, 10. ſed potius ab ipſo perficiendæ & beandæ: *Feciſti enim nos ad te*, ut ipſi dicit Auguſtinus *lib. 1. Conf. cap.* 1.

Hæc divini] Imò cùm nulla Creatura ſit capax pleni & ampli illius dominij in omnia, cujus adminiſtratio infinitam potentiam & ſapientiam exigit, tam repugnat Deum poſſe illud dominium Creaturæ cui velit conferre, quam vel ſeipſum exuere ſuo jure, vel ex mera creatura ſupremum Numen facere, infinitæ potentiæ, ſapientiæ & poteſtatis.

Hoc jure] Non quo jure Deus ſubjecit

Davidis

Davidis imperio regnum Iſraelis, ſubjecit Filio ſuo omnia præter ſeipſum: Nam illa prior ſubjectio fuit merè voluntaria per liberam diſpoſitionem, ut cum Dominus directus vaſallo ſuo hoc vel illud feudum dignatur conferre; ſed hæc altera quâ Filio omnia ſubjecta ſunt, eſt naturalis per æternam generationem per quam eum conſtituit hæredem omnium; ut cum in regno hæreditario, Rex gignit filium ſuum primogenitum eumque in throni conſortium adſciſcit.

De æternitate etiam dominii divini multa dicere non eſt neceſſe; cum vel ex iis, quæ paulò antè dicta ſunt, (*vid. ſup. cap. 18.*) ſatis pateat, tamdiu Dei dominium duraturum, quamdiu res ulla extet. Cum igitur res nonnullæ creatæ in æternum ſint extituræ; non tantùm relatè dominium Dei æternum eſt, ſed & abſolutè, ex parte nimirum poſteriori. Relatè enim æternum dominium dicitur, quod tamdiu durat, quàm diu res ei ſubjecta duret, ita ut illud finem non habeat, antequam hæc finem ſortiatur. quo pacto & dominia quædam humana aut poſſeſſiones æternæ dicuntur. Sic æterna fuit aut eſſe debuit Iſraëlitarum in terra Chananæa poſſeſſio; (*Gen: 48. 4.*) quæ tamen ceſſante conditione illis à Deo impoſita, actu ipſo ceſſavit. Abſolutè autem æternum eſt à parte pòſt, ut loquuntur, quod nullum prorſus habiturum eſt finem. Tale autem eſt Dei dominium.

‡ *Ex parte nimirum*] Imò & æternum poteſt dici abſolutè à parte ante, ſaltem reſpectu ſui proprij fundamenti, quod eſt Majeſtas Dei infinita & potentia creatrix & conſervativa omnium, quæ cum Deo ſit eſſentialis etiam illi convenit ab æterno.

Relatè] Poſſeſſiones æternæ ſecundum quid dicuntur inter homines, vel quæ ab ipſis nullo modo poſſunt alienari, ſed ſuæ familiæ planè incorporantur, vel quę ſaltem ſunt in eorum abſoluto dominio, oppoſitè ad eas quarum ſolum uſumfructum habent. Vtroque modo æterna fuit aut eſſe debuit Iſraëlitis terræ Chanaan poſſeſſio, quia illius erant domini abſoluti ex Dei decreto, neque fas erat ipſis eam alienare aut alienigenis incolendam permittere: Sed æternum non poteſt cenſeri fuiſſe illud dominium eo modo quo fingit Crellius, quod nempe *tamdiu durat, quamdiu res ei ſubjecta duret, ita ut illud finem non habeat antequam hæc finem ſortiatur.* Alias cum terra Chanaan adhuc duret, nec finem ſit ſortitura ante finem mundi, tamdiu deberent Iſraëlitæ in illa poſſeſſione permanſiſſe. Habuit quidem illa poſſeſſio ſuas conditiones annexas ex parte Dei, ut cum vaſallo ſuæ conditiones imponuntur, quibus niſi ſteterit excidit ſuo jure; Sed id nihil facit ad mentem adverſarij.

Jam ut ad tertium juris ac poteſtatis divinæ gradum accedamus; illum in eo poſitum eſſe diximus, quòd Deo rebus creatis pro arbitrio uti liceat. Ut 170.
autem uſus ille rectè percipiatur, primùm conſiderandus eſt finis, in quem rebus univerſis uti Deus pro jure poteſt; deinde modus utendi, & res creatas ad finem illum adhibendi.

Digitized by Google

‡ *Quod Deo rebus*] Non tam Deus illis utitur, quam de illis diſponit pro ſuo arbitratu ad ſui gloriam, prout juxta Chriſti dictum Matth: XX, 15. licet ipſi de ſuo facere quod lubet.

Quod ad prius attinet; veriſſimum quidem eſt, Deum in rebus tum producendis, tum utendis, creaturarum, præſertim intellectu præditarum, bonum quæſiviſſe, atque etiamnum quærere. Veruntamen jus dominicum, quod in res omnes habet, ita eſt comparatum, ut ei liceat rebus creatis ad ſuum aliquod bonum ſive utilitatem, ſi modò aliquam ex iis percipere queat, uti. Juris enim dominici ea eſt ratio, ut per ſe ſpectet ad utilitatem ejus, qui id habet: licèt is poſſit in alienam id potiùs, quàm in ſuam utilitatem convertere, aut in alienam æquè, atque in ſuam. Et ſacræ quidem literæ ſatis apertè docent, docet & ſana ratio, Deum non tantùm eſſe cauſſam efficientem rerum primam, ſed & finem ultimum, finem, inquam, *cui*, quemadmodum alibi docuimus. (*ſup: cap: 4.*) Finis verò *cui* ille eſt, cui bonum aliquod paratur atque ac quiritur.

‡ *Quoad ad prius*] Nec ſatis accuratè Deus dicitur quæſiviſſe aut etiamnum quærere bonum Creaturarum: licet enim voluerit radios ſuæ bonitatis illis communicare, tamen Creatura non eſt finis Dei ultimus in quo ſiſtat; cum è contrario Creaturæ in Deum ordinentur. Nec ſatis propriè dicitur Deus rebus creatis ad ſuum bonum & utilitatem uti: cum per illas nihil propriè accedat Deo. Et licet Deus ſit finis *cui* omnium rerum, non finis *cujus*, non tamen Creaturæ Deo paratæ ſunt quaſi aliquod bonum illi allaturæ quo perficiatur, aut quaſi Deus illas voluerit appetitu carentiæ ſive inhiantis, ut loquuntur Scholaſtici; ſed ad Deum tanquam ad ſuum ultimum finem ſunt ordinatæ, ut ejus gloriæ, potentiæ, bonitati manifeſtandæ inſervientes, eâ ratione ipſæmet perficiantur.

Hinc enim eſt, quod ſac. literæ alicubi (*Rom: 11. Heb: 2. 11. confer etiam 1 Cor: 8. 6. vid: ſup: c. 13.*) non tantùm aſſerunt, *ex Deo*, aut *per Deum eſſe omnia*, ut ſignificent, Deo auctore, & efficaciam ſuam exſerente, omnia perfici: ſed etiam *in Deum*, aut *propter Deum eſſe omnia*, id quod finem denotat. Quamquam autem de rebus ad ſalutem humani generis vel ſolùm, vel præcipuè iis in locis ſit ſermo: idem tamen ob rationis ſimilitudinem, etiam ad cætera Dei opera jurè extènditur. Atque huc rectè à viris doctiſſimis, atque adeo à plæriſque, quantum cernere poſſum, interpretibus refertur illud Salomonis: (*Prov: 16. 4.*) *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, etiam impium ad diem malum*, h. e. etiam id, quòd hominem, non quidem impium facit, (id enim in Deum optimum nequaquam cadit) ſed impium ſponte ſua factum, ad diem ſupplicii atque ultionis ordinat atque aſſervat. Nam & id Dominus facit propter ſemetipſum, quemadmodum paulò pòſt intelligetur. Præteritum autem *operatus eſt*, Salomon Hebraico more, de quo & ſuperiori capite jam monuimus, uſurpat pro præſenti, quodvis tempus indefinitè ſignificante.

‡ *Hinc*

Digitized by Google

‡ *Hinc enim*] Benè eſt quod Crellius conferat inter ſe loca Rom: XI, 36. & 1 Cor: VIII, 6. Nam 1. non ſolum *ex Deo* ſed etiam *per Deum*, idque non per particulam adverſativam, ut eam hic artificioſè inſerit, ſed conjunctivam, omnia eſſe dicuntur: unde liquet quod τὸ *per*, cum per Filium omnia creata eſſe dicuntur, non notat ſemper cauſam inſtrumentalem, ut ex Arianis veteribus, quos ideo Baſilius *aucupes ſyllabarum* vocat, ſtatuunt hodierni Sociniani, ſiquidem hic disertè de cauſa principali ſumatur: ut nihil dicam de ipſorum Græcorum obſervatione, qui ſuum Iovem Δία dictum volunt, quod δι' αὐτοῦ, *per ipſum*, omnia ſint. 2. Cum quæ dicuntur de Deo Rom: XI, 36. de Patre & Filio explicentur 1. Cor: VIII, 6. *Nobis unus eſt Deus Pater à quo omnia & nos in ipſo, & unus Dominus Ieſus Chriſtus per quem omnia & nos per ipſum*, hinc ſequitur non rejiciendam eſſe Auguſtini *lib.* 1. *de Trin. cap.* 6. & aliorum ex ipſo ſententiam, quod illæ tres particulæ in priori Paulo loco, ἐκ, διὰ, εἰς, tacitam habeant appropriationem & relationem ad tres perſonas Trinitatis: ut prior ſit Patris, ceu fontis & principij omnium rerum ac totius divinitatis ut communicatur ad intra; ſecunda Filij, qui agit à Patre ut Pater per ipſum ceu per ſuam ſapientiam; tertia Spiritus Sancti, ut pote cui tribuitur bonitas, amor, unio & perfectio: Id ſanè malim quam ex illis tribus particulis triplicem rerũ omnium cauſalitatem Deo adſcribere, efficientẽ per primam, exemplarem per ſecundam, & finalem per tertiam.

Præteritum autem operatus] Benè quidem interpretatur adverſarius hunc locum: Nec enim Deus facit impium ex non impio: quia ſic author foret mali: ſed impium talem factum ſuâ culpâ, facit & ordinat ad diem ſupplicij & ultionis; Idque ex eo axiomate quod omnia ſua opera ordinet & dirigat ad ſui gloriam: Etenim coactior eſt Chaldæus paraphraſtes qui ſic habet, *Omnia opera Dei ſunt pro his qui obediunt ei, & ſervatur Impius in diem malum.* Sed non neceſſe eſt ut præteritum hîc uſurpetur pro præſenti, cum non magis id pertineat ad actualem Dei providentiam, quam ad æterna illius & immutabilia decreta, juxta quæ ſunt ipſi nota ab ævo omnia ſua opera Act: XV, 18.

Et ſi verò Deus propriè ac ſtrictè ſumtam utilitatem ex rebus à ſe creatis percipere nequeat; percipere tamen id poteſt, quod cum ea ſimilitudinem atque affinitatem aliquam habet. Duo autem hujus generis in ſac. literis occurrunt: alterum, quod Deus ex omnibus ſuis operibus per ſe percipit: alterum quod per ſe ex rebus intelligentiâ præditis; ex cæteris autem, non niſi his intervenientibus. Prius eſt, quod Pſaltes expreſſit; dum inquit: (*Pſal: 104. 31.*) *Latabitur* (vel *Lætetur*) *Dominus in operibus ſuis.* Delectatur 171.
enim Deus tam præclaris ſapientiæ, potentiæ, ac bonitatis ſuæ operibus atque effectis. qua de re infrà ſuo loco. (*cap: 31.*) Poſterius eſt Dei gloria, quâ non tantùm prædicationem nominis ipſius, ac laudes potentiæ, ſapientiæ, juſtitiæ, bonitatis, ac cæterarum, ut Petrus appellat, (*1 Pet: 2. 9.*) virtutum intelligimus; ſed multò magis animi venerationem, cultum, obſequium; cujus aut fructus eſt, eſſeque debet prædicatio, quæ verbis peragitur, aut incentivum.

Digitized by Google

‡ *Etſi verò Deus*] At ſanè illud eſt quod ante meritò monuimus.

Delectatur] Sed nec delectatio tribuenda eſt Deo aliter quam ἀνϑρωποπαθῶς, nec confundi debet Dei gloria ut à nobis glorificatur, cum illa ipſa Dei gloria quam ipſe ſibi procurat in omnibus ſuis operibus: Illam quidem fundat quandoque ex ore lactentium Pſal: VIII, 3. Sed hanc obtinet etiam ex ore blaſphemantium; ideſt non minus gloriam ſuam aſſequitur in puniendis blaſphemis & impijs, eorumq; ſcelera præter eorum mentem ordinando in bonum finem, quam ex laudibus & officio piorum: Nec enim *bonus cum ſit*, ut loquitur Auguſtinus, *ſineret mala fieri, niſi etiam potens eſſet ut ex malis benè faciat*, & ex hominum tenebris educat ſuã lucem; Quapropter gloria Dei quâ celebratur & laudatur ab hominibus & creaturis intelligentibus, non eſt ipſius Dei finis: nec enim Deus habet rem finitam & Creaturæ operationem circa ſe pro ultimo ſuo fine: quia ſic vult, ut acutè loquuntur Scholaſtici, hoc eſſe propter illud, ut tamen non velit illud propter hoc, apud Thomam *1. p.q. 19. art. 5.* Sed gloria Dei quæ illi eſt pro fine eſt ipſemet Deus illaque αὐτάρκεια & contentatio, ſi fas ſit ita loqui, ſive propria ſatisfectio, quam ex ſe & ſuis operationibus habet & conſequitur.

Neque enim gloriâ eâ delectatur Deus, quæ in lingua tantùm natat, & præter vocum ſonum nihil propemodum habet: ſed animum laudantis præcipuè reſpicit, & animi fructus, ex veneratione numinis ipſius proficiſcentes. Unde Pſaltes: (*Pſal. 33. 1.*) *Exultate juſti Domino: rectos* (ſeu innocentes ac juſtos) *decet laudatio*, intellige divini numinis. Nota ſunt Dei verba de populo ſuo conquerentis, quæ ex Propheta (*Eſa: 29. 13.*) repetit Chriſtus apud Matthæum; (*Mat: 15. 8.*) *Appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem longè eſt à me.* Longè autem cor ejus populi à Deo aberat, quia Dei mandata obſervare negligebat. vide non abſimilem Dei querimoniam Pſalmo 50. Hic autem gloriæ fructus, quem ex rebus creatis percipit Deus, ad priorem illum, nempe delectationem numinis, uti paulò antè innuimus, quodammodo redit. Etenim laudibus ex animo grato & veneratione ipſius pleno manantibus, itemque benefactis, delectari Deum, ſacræ literæ teſtantur, & hoſtias eas appellant Deo acceptas, & ſuaveolentes: (*Heb: 13. 15, 16. add: Rom: 12. 1. Phil: 4. 18. 1 Pet: 2. 5.*) non quidem quaſi ipſius honoris & gloriæ adeo avidus eſſet Deus: ſed quia gratum ipſi eſt, opus ſuum tale eſſe, quale eſſe convenit, & ſuæ id intentioni ac conſilio reſpondere. Quivis enim opifex delectatur opere ſuo, cùm id tale eſt, quale eſſe decet, & ipſe eſſe voluerat. Tunc autem opus Dei, quod intelligentiâ præditum eſt, tale eſt, quale eſſe maximè decet, cùm conditorem ſuum optimum, ac Patrem benigniſſimum amat, colit, veneratur, ei obſequitur, & ſe continere non poteſt, quin in laudes ipſius erumpat, eumque gratiarum actione celebret. breviter, cùm id ipſi præſtat, quod ſummo jure debet. Hinc ergo eſt, quòd ſacræ literæ pronunciant, Deum maxima in nos beneficia contuliſſe, *ad laudem gloriæ ſuæ*, aut *gloriæ gratiæ ſuæ*, (*Eph: 1. 6, 12, 14.*) eùmve in finem, *ut annunciemus virtutes*,

Digitized by Google

virtutes ejus, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen ſuum. (*1 Pet: 2. 9*) & Paulus, poſtquam monuiſſet, nos non eſſe noſtros, quia pretio emti ſimus, nempe Deo per Chriſtum, ut ſuperiùs vidimus, ſubjicit: (*1 Cor: 6. 19, 20.*) *Glorificate ergo* (ſic eſt in Græco) *Deum in corpore veſtro, & in ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei.* quaſi dicat, eum, quem unum poteſtis, Deo præſtate uſum, ut & 172. animos & corpora veſtra, atque adeo tum cogitationes animi, tum facta externa, gloriæ & honori ipſius conſecretis atque impendatis. Et hæc complectitur ſacrificium laudis, quod unum Deus à populo poſtulat. (*Pſal: 50. 14, 15, 23. conſ: & intermedia.*) nempe quia cæteris, quas habemus, rebus nec ipſe indiget, & ab ipſo eas nos habemus: ſed cor noſtrum in noſtra quodammodo poteſtate eſſe voluit, quod unà cum fructibus ſuis, qui quidem ad honorem nominis ipſius ſpectant, jure ſuo à nobis exigit. Etiamſi autem interdum gloriæ fructu ob malitiam creaturarum quarundam intellectu præditarum fraudari videatur: tanta tamen eſt ipſius tum ſapientia, tum potentia, ut nihilominus vel invitæ uſum ipſi, quem quærit, præſtent. Nam & ad multa ſua decreta, ad nominis ipſius gloriam ſpectantia, voluntariâ ipſarum malitiâ utitur; & tandem eam conſequitur, cùm eas punit, in iiſque potentiam ſuam patefacit, quemadmodum de Pharaone & aliis legimus. (*Exod: 9. 16. Rom: 9. 17, 22.*) ut rectè dixerit Salomon, Deum propter ſemetipſum, etiam impium ad diem malum facere, ſeu ſupplicio deſtinare. Itaque & ipſe Satan, infenſiſſimus Dei hoſtis, velit nolit, uſum Deo præſtare cogitur, qui nominis ipſius gloriæ inſerviat. Sed de fine ſatis.

‡ *Et hæc complectitur*] Nempè Dei glorificatio ut eſt à nobis & continet id officij ad quod creatura intelligens neceſſariò tenetur; quod officium ut præſtitum approbat Deus, ita etiam neglectum punit. Sed durius eſt quod ſtatuit author *cor noſtrum in noſtra quodammodo eſſe poteſtate* ad Deum laudandum & celebrandum. Niſi enim ipſe cor noſtrum lapideum à nobis abſtulerit & dederit cor novum & carneum, ut Ezechiel loquitur XXXVI, 26. & juxta Davidis petitionem Pſal: LI, 12. animum mundum in nobis creaverit, inepti erimus ad Dei nomen convenienter celebrandum.

Etiam ſi autem] Hinc ergo liquet gloriam Dei quæ ipſi eſt pro ultimo fine, eam eſſe quam univerſaliter ſumit ex ſeipſo & operibus potentiæ, juſtitiæ, miſericordiæ ſuæ, non ſimpliciter eam quà glorificatur & celebratur à Creaturis: cùm plurimi hoc officium negligant, nec tamen Deus fruſtretur ſuo fine: facit enim de illis ſuam voluntatem, etiam cum ſuæ voluntati ſubjici nolunt, & navem remigum inſtar ſubvehunt in portum, cui tamen tergum obverterant.

Quod ad modum attinet rebus creatis in hunc finem utendi; is partim communis eſt rebus omnibus, partim intellectu præditis proprius. Uterque autem varius eſt ac multiplex, ſi eum ſpecialiùs ad diſtinctiùs conſideres. Et in eo maximè liberrima Dei poteſtas cernitur. Etenim & conſervare res creatas poteſt

Digitized by Google

tas poteſt Deus, & deſtruere; in eodem ſtatu relinquere, aut immutare; meliorem, aut deteriorem earum conditionem facere. quamquam in creaturis intellectu præditis poteſtas deſtruendi, & deteriorem earum conditionem faciendi, certos habet à juſtitia decretiſque divinis conſtitutos limites, uti & anteà monuimus, & cap. ſequenti ex tractatione de juſtitia Dei rectiùs intelligetur. In bonis diſtribuendis liberrima per ſe eſt ipſius poteſtas, ſive perſonas ipſas ſpectes, quibus donat, ſive rerum, quas donat, qualitatem aut quantitatem, ſive denique tempus ac durationem. Itaque & res ſubjicere pro arbitrio poteſt, tum cui vult, tum quas vult, tum quouſque vult. Quemadmodum autem donare, quæ vult, poteſt: ita &, niſi promiſſum aliquod obſtet, aut ipſa rei æquitas per ſe diſſuadeat, adimere. Quare cùm divitias, cùm copioſam progeniem alicui largitur Deus, cùm vitam producit, valetudinem reddit, vires indit, libertatem donat, ſapientiam inſpirat, potentiam vel aucto-
173. ritatem cuipiam conciliat; aut contrà hæc cuipiam negat, aut adimit, jure illo utitur Deus, quod habet ad rerum conditionem pro arbitrio vel meliorem vel deteriorem faciendi.

‡ *Meliorem aut deteriorem*] Sanè cum poteſtas Dei, ut agnoſcit ipſemet Crellius, certos habeat per juſtitiam ipſius conſtitutos limites, meliorem quidem poteſt reddere Creaturarum intelligentium conditionem ex gratiâ & favore; ſed tamen citra earum mala merita & peccata illam deteriorem facere nequit, quia ſeipſum exuere ſuæque conſtantiæ & juſtitiæ renunciare non poteſt. Etenim ipſa naturalis ratio dictavit ICtis, Beneficia eſſe amplianda, odia reſtringenda: Item, Quod ſemel placuit poſtea diſplicere non poſſe: Item, Tutorem poſſe pupilli ſui conditionem facere meliorem, non deteriorem. Deus itaque humiles attollit ex puluere ad thronum, per indebitam gratiam, & ſuperbos per debitam juſtitiam ex throno dejicit ad puluerem. Divitiæ, longævitas, valetudo, vires, imperium, libertas, ſapientia, beneficijs ipſius indebitis annumerari debent: *quid enim habes quod non acceperis*, inquit Paulus 1. Cor: IV, 7. At ſi cui hæc auferantur, is occultum in ſe judicium Dei ex peccatis ſuis debet agnoſcere; ut fecit Mauritius Imperator cum à Phoca parricida trucidaretur, dicendo, *Iuſtus es Domine & juſta ſunt judicia tua.* Ita Iob digito compreſſit labellum in ſua calamitate, & per illam excitabatur ad ſua peccata recognoſcenda & confitenda.

Eodem utitur, cùm innocentes etiam, ut nocentes puniat, aut tantò graviùs puniat, afflictionibus ſubjicit, ut infrà pleniùs explicabitur. Hoc jure uſus eſt olim, cùm, ut Eſavus Jacobo, ſeu illius poſteritas hujus poſteritati ſerviret, antequam uterque natus eſſet, & quicquam boni vel mali egiſſet, decrevit. (*Gen: 25. 23, Rom: 9. 10.*) Hanc poteſtatem ſignificat, cùm ait, ſe miſereri cujus velit. (*Exod: 33. 19. Rom: 9. 15.*) Hæc poteſtas in cauſſa eſt, cur nemo illi dicere poſſit, cur ita facis? (*ib: v.*

20, 12.

20, 21. Eſa: 35. 9, 10. Dan: 4. 32.) In illis enim, quæ per ſe ſunt licita, ejus voluntas pro ratione eſt. quamquam ratione nunquam deſtituitur. Sed hac de re paulò pòſt plura, cùm de imperandi jure ac poteſtate agemus.

‡ *Eodem utitur*] At Dei juſtitia nunquam patietur ut innocentes abſolutè puniat, nedum ut eos graviùs puniat nocentibus. *Abſit* à Deo, ut apud ipſum *ita ſit* (aut etiam durius ſit,) *juſto ac injuſto; an judex totius terræ jus non exerceret?* Gen: XVIII, 25, Fateor interdum, communes quaſdam clades involvere cum nocentioribus eos qui innocentes ſunt ſecundum quid & comparatè loquendo; ſed nemo tamen eſt ex illis qui coram oculis Dei ſuo ſenſu nocens non ſit & filius mortis; cum nemo ſit qui non peccet 1. Reg: VIII, 46. Ipſe Chriſtus ſic fuit innocens & juſtiſſimus, ut tamen ſuſtinendo perſonas noſtras meritò pro nocente veniret; nam inter peccatores & maleficos fuit reputatus, & *factus peccatum pro nobis ut efficeremur juſtitia Dei in ipſo* 2. Cor: V, 21.

Hoc jure uſus] Hæc Eſaui ſubjectio, ſive reprobatio, non ex ſola Dei poteſtate prodijt, ſed etiam ex illius juſtitia: Nam ut gratis immerentem Iacobum Deus dilexit, ſic Eſauum odio habuit corruptum & peccatorem: Equidem poteſtatis meræ fuit quod cum ambo in eodem ſtatu eſſet, & reatu nativę corruptionis obſtricti, (jam enim eos mater conceperat in peccato Pſal: LI, 7.) potius ſubjecerit majorem minori, quam minorem majori: Hìc ei liberum fuit facere de ſuo quod vellet; ut Pharaoni ex duobus officiarijs ſuæ domus eodem crimine implicitis, unum reſtituere per gratiam priſtinæ ſuæ dignitati, alterum vero patibulo ſuffigere; item ut figulo fas eſt ex eadem maſſa parare vaſa alia quidem ad decus, alia vero ad dedecus Rom: IX, 21. Sed quamvis reprobatio comparativa in abſolutam Dei poteſtatam ſit refundenda, tamen eadem abſolutè conſiderata involvit juſtitiæ divinæ reſpectum; cùm nemo ſit reprobabilis niſi peccator; ſicut electio ceu indebita eſt opus gratiæ & miſericordiæ.

Hanc poteſtatem] Ita eſt: cur enim hujus potius quam illius miſereatur, cùm æquè ſit peccator ac reprobabilis ac alter, nulla ratio extra illius beneplacitum quærenda eſt; ut nec cur hunc potius induret quam illum, cùm æquè potuiſſet eligi ad ſalutem: Sed tamen ut neminem eligit niſi ex miſericordia indebita, ita neminem indurat niſi ex juſta ira.

Jam enim tempus eſt, ut ad illud Dei jus accedamus, quod ſpectatur in modo, quo rebus intelligentiâ præditis nominatim utitur. Id autem in eo conſiſtit, quòd poteſtatem habet Deus eas regendi ac gubernandi. Etenim propriè loquendo, non niſi res intellectu, ac porrò etiam liberâ voluntate prędità gubernantur. minùs propriè res, quæ ſenſu & appetitu ducuntur: res inanimatæ prorſus impropriè. Ii enim propriè demum reguntur, quibus imperari ac mandari aliquid poteſt. Non poteſt autem, niſi intellectu ac voluntate libera inſtructis.

‡ *Etenim propriè loquendo*] Fateor quod gubernari per mandata, minas & promiſſiones, propriè ſolius ſit Creaturæ intelligentis; ſed hoc non impedit quominus per potentiam & providentiam regantur & gubernentur res aliæ. Cur enim gubernaculum univerſi Dei manibus extorquebimus? An non ea gubernantur

quæ ad

quæ ad finem optatum diriguntur & ordinantur? Nec enim ſolum equi & elephanti aliaque animalia bruta reguntur & gubernantur ab hominibus, ſed etiam ipſi currus ipſæque naves, uti notum eſt: unde Nauclerus *κυβερνήτης* Græcis dicitur. Interea tamen ex hac obſervatione colligo, non ſtatim reluctari naturæ liberi arbitrij in homine omnem dependentiam & ſervitutem: Nam ſervi reguntur & gubernantur à ſuis Dominis; quos eo ipſo debemus, conſtituere liberi arbitrij, etſi eorum libertas accisa ſit & diminuta.

Hujus autem poteſtatis ratio ut pateat, tum proprietates ejus generales conſiderandæ veniunt; tum functiones ejus ſigillatim ſpectandę, ex quibus natura ejus intelligetur. Poteſtatis enim natura, ex propria functione æſtimanda eſt. Proprietates eædem ſunt, quæ dominii; cum quo ita cohæret regendi poteſtas, ut reſpectu rerum intelligentiâ præditarum ab eo divelli nequeat. Dominus enim rei intellectu præditę, eo ipſo, quòd illius dominus eſt, jus habet eam regendi, ſive imperandi. Unde ſacrę literę, cùm *Domini* nomen vel de ipſo Deo, vel de Chriſto uſurpant, imperium ejus ſimul comprehendunt, vel etiam præcipuè deſignant. Itaque ut dominium Dei prorſus independens eſt, & ampliſſimum, & pleniſſimum, & denique æternum: ita ‡ imperium Dei, ſeu regendi ac gubernandi poteſtas. Quòd independens ſit Dei imperium, imò etiam quòd ampliſſimum atque pleniſſimum; ad id referri debet, quòd *ſolus potens* à Paulo dicitur. (*1 Tim: 6. 15. vid: cap: præced.*) Eſt enim in Græco vox *δυνάστης*; quam vocem eos denotare diximus, qui ob poteſtatem in alios multum poſſunt. Deus autem *ſolus* eſſe dicitur *δυνάστης*,
174. quia ſolus à ſeipſo imperium habeat, & quidem in omnia, & quiſquis poteſtatem habet, ab ipſo, h. e. ejus vel dono, vel ſaltem permiſſu, habeat.

‡ *Quod independens*] At etiam Chriſtus *μόνος δεσπότης* dicitur Iudę; & cum in loco Pauli nomen Dei ſumatur *οὐσιωδῶς*, omnis illa *δεσποτεία* æquè Filio ac Patri competit; Licet enim Filius eam ut & eſſentiam divinam habeat à Patre per generationem æternam, tamen per id non deſinit eſt & *αὐτοδύναστης* & *αὐτόθεος*.

Pertinet etiam tum ad ſublimitatem, tum ad amplitudinem ejuſdem imperii, quòd is Rex regum, Dominus dominantium, (*d. l. ad Tim.*) Dominus exercituum, (*Eſa: 1. 24: 2. 12. 3. 1, 15, & alibi paſſim.*) Deus deorum, (*Deut: 10. 17. Pſal: 50. 1.*) & denique Deus (*Pſal: 45. 8. Mich: 5. 4. Ioh: 20. 17. Epheſ: 1. 17. Apoc: 3. 12.*) ac caput ipſius Chriſti, (*1 Cor: 11. 5.*) dicitur, qui & ipſe Rex regum & Dominus dominorum eſt, (*Apoc: 17. 14: 19, 16. add: c. 1. 5.*) caput omnis principatus ac poteſtatis, (*Col: 2. 10.*) Deus ſuper omnia, ſive omnes, in ſecula benedictus, (*Rom: 9. 5.*) utpote ab ipſo Deo ſuper omnia evectus. Ex quo apparet, imperii divini amplitudinem nihil imminutam, cum

omnis

Digitized by Google

omnis in cœlo ac terra poteſtas Chriſto fuit tradita: quemadmodum & de dominio ſuprà diximus.

‡ *Pertinet etiam*] Præpoſterè & perverſè, quæ de Deo dicuntur ὀυσιωδῶς, ita ut etiam ad Chriſtum quà Dei Filium pertineant, hic cumulantur ad excludendum hunc ſublimitate & amplitudine abſolutâ iſtius imperij: In Chriſto enim debemus diſtinguere id quod ei competit φυσικῶς quà eſt Patri coeſſentialis & coæternus, & id quod ei competit οἰκονομικῶς & per diſpenſationem incarnationis, quà eſt θεάνθρωπος. V. g. hoc ei competit φυσικῶς, quod non minus quam Pater, quia ipſe & Pater unum ſunt Ioh: x, 30. ſit Rex regum & Dominus Dominorum Apoc: xix, 16. Caput omnis imperij ac poteſtatis Col: II, 10. Deus ſuper omnia benedictus Rom: IX, 5. Quamvis enim in tempore evecta ſit quoque caro noſtra in perſona λόγου ad participium ſublimis illius & ampliſſimi imperij, prout ejus capax potuit eſſe, tamen ipſum imperium jam ei eſſentialiter ceu Deo competebat: Vnde etiam ante tempora exaltationis ſuæ, perſæpè illo imperio uſus fuerat in ſuſcitandis mortuis, ſedandis maris tempeſtatibus, & ſimilibus operibus quæ divinam omnipotentiam arguunt. Sed hoc ei convenit οἰκονομικῶς & per diſpenſationem, ratione exinanitionis & carnis aſſumptæ, quod Pater illius Deus dicitur. Ita enim eſt illius Deus œconomiæ reſpectu, ut quoad naturam ſit illius Pater; cujus μονογενὴς dicitur Ioh: III, 16. & *proprius* Filius Rom: VIII, 32. adeoque ejuſdem cum ipſo naturæ & eſſentiæ; nam ut benè monet Auguſtinus *lib. 3. contra Maxim. cap. 18. vitioſa & monſtroſa eſſet Dei generatio, ſi ex ejus utero prodiſſet diverſa natura.* Quod itaque Chriſtus eundem quem ſuum Patrem appellat, ſuum quoque dicit Deum, indicio eſt duplicem eſſe illius σχέσιν ad Patrem, alteram naturæ, quà eum Patrem habet, alteram œconomiæ per exinanitionem voluntariam, quà ipſum habet pro Deo ſuo: quod nemo mirabitur qui expenderit etiam filios Regum duplici σχέσει ad ipſos referri, eoſque & Patres & Dominos ſimul ſalutare. Quoad locum 1. Cor: XI, 3. quocunque modo de Chriſto uſurpetur, ſive φυσικῶς, ſive οἰκονομικῶς, ejus Divinitas in ſalvo manebit; Si poſteriori ſenſu & quoad œconomiam Mediationis Patri ſubjicitur quà θεάνθρωπος, per id nihil derogatur ejus coeſſentialitati & iſodynamiæ cum Patre quà λόγος: Imò illa potius coeſſentialitas exindè præſupponitur, prout corpus eſt ejuſdem naturæ cum ſuo capite; niſi illud Horatij monſtrum velimus concipere, quo

Humano capiti cervicem pictor equinam,

ridiculè, & omninò ineptè conjungeret; Si verò priori ſenſu dicatur Pater caput Chriſti, hoc nomine, ut nonnullis veterum placuit, nihil aliud ſignificabitur quam Patrem eſſe Filio ſuo principium ordinis & originis: prout vir mulieris eſt caput, quia mulier eſt ex viro non vir ex muliere, ſic tamen ut mulier ſit ejuſdem naturæ cum viro, imò una caro ſint. Quin prout vir ita eſt mulieris caput, ut tamen Dominium & imperium viro conceſſum etiam indiviſibiliter ad mulierem cum viro pertineat, dictum eſt enim ipſis in communi *Dominamini &c.* Gen: 1, 28. eò ſpectante veteri formulà de qua aliàs dixi, *Vbi ego Cajus tu Caja*; ſic etiam poſſet Pater hactenus ſtatui caput Filij, quoad ordinis & originis principium, ut tamen Filius & Pater propter unitatem eſsentiæ, commune & indiſsolubile obtineant omnium rerum dominium & imperium; prout vir & uxor propter carnis unitatem commune & indiſsolubile habent rei

familiaris

Digitized by Google

familiaris Regimen & Dominium. At inquies, Chriſtus eſt etiam caput Eccleſiæ, nec tamen eſt illi homogeneum; Ergò nec Pater erit homogeneum caput Chriſti. Imò vero ut Chriſtus eſt homogeneum caput omnis viri, per naturam humanam, quatenus *particeps* eſt *carnis & ſanguinis* Heb: II, 14. & *ſumus membra corporis ejus, ex carne ejus & ex oſſibus ejus* Eph: v, 30. ita habet Deum Patrem pro capite homogeneo per naturam divinam. Non tam ergo facit ad amplitudinem & ſublimitatem imperij paterni, quod ſit Deus & caput ipſius Chriſti, quam hoc utrumque facit partim ad œconomiā officij Mediatorij quod Chriſtus ſuſtinet quà θεάνθρωπος, partim etiam ad coeſſentialitatem & ἰσοδύναμιν ipſius cum patre.

Vt pote ab ipſo Deo] At ſanè hoc elogium Chriſti apud Paulum non ſignificat divinitatem dativam quam in tempore gratis acceperit; cum majeſtas & poteſtas divina nulli creaturæ ſit magis communicabilis quam ipſamet eſſentia & natura Numinis; Sed ſignificat divinitatem æternam, ſummam, & independentem; prout Tit. II, 13. *magnus Deus & Servator noſter* dicitur, & I Ioh: v, 20. *verus Deus & vita æterna.* Interea nobis gratulamur quod Crellius hunc locum Rom: IX, 5. de Chriſto intelligit, nec inhæret vel ſuorum ſodalium euremati, eſſe Apoſtolicum epiphonema ad verum Deum, vel criticæ Eraſmi punctum interponentis poſt *ſuper omnia*; & vocem *Deus* aliunde irrepſiſſe ſuſpicantis: Quamvis enim illa vox librariorum culpâ non occurrat apud Cyprianum *adverſus Iud. lib. 2. c. 5.* & Hilariū *in Pſal:* 12. tamen certum eſt eos textum hunc integrum legiſſe, prout habent omnes Codices Græci & Latini & ipſe Syrus interpres, quandoquidem, ut & Athanaſius *contra Arrium*, ejus authoritate utuntur ad probandam divinitatem Chriſti.

Ex quo apparet] At jam ante oſtenſum ideo nulli hîc imminutioni locum eſſe, quia indiviſim hoc imperium convenit Patri & Filio.

Eſt nempe Chriſtus, & in ipſo dominio, & in ejus uſu ita Deo ſubordinatus, ut per eum Deus in rebus ad Eccleſiam quoquo modo pertinentibus regnet. Regium enim Chriſti munus eò ſpectat, ut quæcunque Deus de ſalute noſtra, & rebus ad eam quoquo modo ſpectantibus, uti & contrà de impiorum ſupplicio decrevit, ac, quatenus nobis ſcitu neceſſaria ſunt, per eundem revelavit, ejus imperio interveniente ad exitum perducantur. Hinc Eſajas prædixit fore, (*Eſa: 53: 10.*) ut ſi Chriſtus animam ſuam pro peccato poſuerit, *voluntas Domini in manu ejus dirigatur*, ſeu *feliciter perficiatur.* (*vid: & Ioh: 6. 39, 40.*) Loquitur autem de voluntate Domini ad ſalutem humani generis ſpectante, ut ex ſequentibus apparet. Jeſum enim *principem & ſalvatorem Deus exaltavit dexterâ ſuâ, ad dandam pœnitentiam Iſraëli & remiſſionem peccatorum.* (*Act: 5. 31.*) ſeu ut ipſe Chriſtus Patrem alloquens ait, (*Ioh: 17. 2.*) *Dediſti illi* (Filio) *poteſtatem omnis carnis, ut omne, quod dediſti ei, det eis vitam æternam.*

‡ *Eſt nempe*] De illa ſubordinatione quoque ante ſufficienter dictum ſuo loco: Subordinatio œconomica Mediatoris, nihil derogat Conſubſtantialitati Filij cum Patre; multo minus ſubordinatio, ſi hoc nomine uti licet, ordinis & originis, quà Filius exijt à Patre & ab illo eſt: Ac ſicut uxor ita ſubordinatur viro, ut tamen ejuſdem naturę cum ipſo ſit, conſors item & particeps indiviſim dominij quod Deus

conceſſit

Digitized by Google

conceſſit hominibus in omnia; ſic etiã Filius ita Patri ſubordinatur, (ſubordinatione impropriè ſic dictâ, cũ non ſit eſſentiæ vel durationis, ne dum poteſtatis, ſed originis tantum & ordinis) ut nihilominus communem habeat cum illo ut eſſentiam ſic poteſtatem in omnia. Quo potiſſimũ ſpectant verba Cyrilli Alexandrini *Theſ. lib.* 10. *cap.* 8. *Perſpicuum omnibus eſt non deſtrui æqualitatem ſubjectione: Subjicitur enim æquali æquale plerumque diſpenſationis quodam modo. Nonne conceditis unum eundemque Spiritum in Prophetis eſſe? cur igitur Paulus ſcripſit, Spiritus Prophetarũ Prophetis ſubjici? Quomodo ergo ſubjectio ab æqualitate Patris Filium repellere poterit?*

Ut per eum Deus] Deus regnat per Chriſtum, non ſimpliciter tanquam per ſuum vicarium & locumtenentem; cùm vicarius propriè demum illi ſoli detur qui rebus ſuis ſupereſse non poteſt; multo minus ceu per Deum aliquem ſecundarium & factitium: ſed tanquam per ſuam ſapientiam æternam, & ſuum filium incarnatum, *quem conſtituit hæredem omnium & per quem etiam mundum condidit* Heb: 1, 2.

Regium enim Chriſti] Hæc non incommodè dicuntur de regno Chriſti œconomico & Mediatorio, ſed non tollunt regnum Chriſti naturale & ſimpliter divinum, cujus intuitu Ioh: XVII, 5. repetebat gloriam quam habuerat apud patrem etiam priusquam mundus fieret. Non quod propriè duplex ſit regium Chriſti munus, ſed quod ipſius ceu æterni & inviſibilis regis duplex ſit adminiſtratio; una ſimpliciter divina, quę illi competit cum patre, altera theandrica, per quam in conſortium illius poteſtatis & adminiſtrationis divinæ, aſſumpta fuit natura humana perſonæ λόγου hypoſtaticè conjuncta, & quæ initium habuit in ipſius exaltatione. Fruſtra autem hæretici ex iſta mera œconomia ſuſpendunt quicquid de Chriſto ceu Rege Regum & Deo ſuper omnia benedicto leguntur in Scripturis. Præterea cum etiam ſalus & damnatio ſit reſpectivè omnium eorum qui vixerunt ſub V. T. quorum alij ſalutem ſunt adepti, alij vero Tartarum, ſingulis ad ſuos patres aggregatis poſt ſuam mortem, aut debuit jam exiſtere Chriſtus ſub V. T. ut pro ſibi data poteſtate hæc moderaretur; aut ſtatuendum eſt Chriſto non commiſſa eſse à Patre quæcunque ſpectant vel ſervandorum ſalutem vel impiorũ ſupplicia.

Hinc Eſaias] Etſi V. V. particulam אם *Im*, quæ eſt in textu originali expreſſerit per conditionalem *ſi*, tamen potius cauſaliter erat ſumenda, pro *cùm*, vel *quandoquidem*, vel *ſiquidem*. Neque quod hìc ab Eſaia ponitur, de proſperaturo Dei conſilio in manu Chriſti poſtquam animam ſuam poſuerit hoſtiam pro peccato, probat quod jam antea Dei conſilium non fœliciter ſucceſſerit in Filij manu, aut quod ad ſpecialem illam executionem voluntatis divinæ circa res ſalutis noſtrę reſtringi debeat omnis regia poteſtas illius, ut ita fiat longè anguſtior poteſtate Patris & ad tam multa non extendatur: Poſitio enim unius non eſt remotio alterius. Ita etiam Ioh: XVII 1, 2. ſic commemoratur poteſtas quam Chriſtus accepit à Patre quà Mediator & prout ſpecialiter ordinatur ad redemptionem electorum, ut non negetur ea quam accepit à Patre præciſè quà Filius per generationem æternam, & prout univerſaliter involuit imperium abſolutum in omnes Creaturas; cùm non tam ſint duæ poteſtates, quam ejus habendæ & exercendæ duo modi diſtincti.

Omnia ergo nihilominus ſub imperio Dei manent, etiamſi Chriſtus tanta cum poteſtate illis ex Dei voluntate præſit, ut in rebus omnibus, quæ decretis Dei non ſunt definitæ, quæ quidem ſunt innumeræ, ſtatuere, quicquid velit, poſſit. Ea enim, quæ ad ſalutem hamani generis, aut etiam contrà ad impio-

Digitized by Google

rum ſupplicia ſpectant, ferè generalibus tantùm Dei decretis fuerunt definita: cum interim particularia ſeu ſingularia occurrant infinita, in quibus aliter atque aliter agere, ſalvis Dei decretis, liceat. & licèt nonnulla peculiaribus Dei decretis definita ſint, non tamen omnes rerum circumſtantiæ definitæ ſunt. In his ergo libertas illa imperii Chriſto dati conſpicitur, ad quæ reſpiciens Apoſtolus ait, *Cùm autem ſubjecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi* (vel ipſi) *omnia*: (*1 Cor: 15. 28.*) quaſi nimirum Filius nunc, cùm ad dextram Dei ſedens omnia regit, ei non ſit ſubjectus. nempe quia in perfectiore quadam ſignificatione *ſubjiciendi* verbum accipit, ita ut
175. is demum ſubjectus alteri dicatur, qui illius imperio, utut cæteroqui leniſſimum ſit, ac pluſquam paternum, etiam in ſingulis, majoris præſertim momenti rebus, ſit adſtrictus.

Omnia ergo] Manent omnia ſub imperio Patris, etſi omnibus præſit Filius, quia eadem eſt utriuſque ut eſſentia ſic poteſtas: Et ſicut adminiſtratio φυσικὴ illius poteſtatis per Filium, non in voluntatem Patris debet refundi, ſed in generationem Filij, quæ naturalis eſt, ita ejuſdem adminiſtratio œconomica, ſic pendet ex Dei voluntate, ut ipſa tamen poteſtas quæ hoc modo à θεανθρώπῳ adminiſtratur, ſit ſemper ex parte rei eadem in Patre & in Filio, ſed tantum varietur ex parte modi.

Vt in rebus omnibus] Hæc ſunt mira iſtorum hominum dogmata, quibus revera omnis poteſtas Chriſto abrogatur. Nam non contenti eam reſtrinxiſſe ad meram executionem voluntatis divinæ ſpectantis ſalutem generis humani, etiam nolunt eam extendi ultra ea quæ decretis Dei non ſunt definita: At cum nihil planè ſit futurum vel eventurum unquam, quod non ſit definitum Dei decreto & conſilio æterno, hinc revera ſequitur nihil ſupereſſe ad quod Chriſti poteſtas extendi vel poſſit vel debeat: Primò itaque pertendo, nihil in genere eorum quæ eveniunt & unquam eventura ſunt indefinitum eſſe; quia ut ſingula quæ eveniunt & dum fiunt ſubſunt actuali Dei Providentiæ, quæ omnia operatur in omnibus, ita neceſſe eſt ſingula evenire & fieri juxta decreta Providentiæ æternæ; aliàs multa acciderent Deo ex inopinato, & deberet circa illa conſilium ſumere, ut ajunt, in arena; quod ab illius & ſapientia & potentia eſt longè remotiſſimum: Nec fruſtra eſt quod dicit Iacobus *Act: xv, 18.* nota eſſe Deo ab ævo omnia opera ſua; quibus verbis ſignificat de facto nihil evenire quod à Deo non fuerit ab æterno præſcitum & ordinatum. Quid quod eorum omnium quæ eveniunt, vel præſcientia Deo eſt abroganda, contra quam docet univerſa Scriptura, vel agnoſcenda eſt prædefinitio divina, quia præſcientia futurorum in Dei decretis & prædefinitione fundatur. Deinde ſpeciatim quicquid ſpectat ſalutem & damnationem æternam ſingulorum, à Deo decretum & prædefinitum eſt ab æterno: uti liquet ex ijs omnibus quæ Scriptura docet de æterna ſingulorum prædeſtinatione & præſcriptione, aliorum ad vitam, aliorum ad mortem: Attendatur modo ad judiciariam ſententiam quam Chriſtus eſt pronunciaturus in die judicij Matt: xxv, 32. 34. 41. Nam boni & oves invitabuntur ad poſſidendum regnum cœlorum ipſis præparatum à jactis mundi fundamentis, & maledicti amandabuntur ad ignem æternum,

qui ſi-

qui ſimiliter præparatus eſt ab ævo diabolo & Angelis ejus. Et Act: IV, 14. dicuntur Herodes & Pilatus & Iudæi & gentiles circa Chriſtum feciſſe quæcunque *manus* Dei & ejus *conſilium* definierant ut fierent. Et quæ hic garrit Crellius de generalibus tantum decretis circa ſalutem humani generis & impiorum ſupplicia, debent referri ad impia commenta eorum, qui cum Ariſtotele ſubtrahunt ſingularia regimini & providentiæ Dei, ac illam in univerſalibus tantum hærere fabulantur: Etenim generalia & univerſalia, nonniſi ex ſingularibus & per illa enaſcuntur & conſtituuntur. Nec aliter generalia Dei decreta ſunt concipienda, quam quatenus nihil fit aut evenit in mundo de quo non præextiterit ſingulare Dei decretum ab æterno: ſtatuente Chriſto Matth: X, 29. quod ex duobus paſſerculis ne unus quidem cadat in terram ſine Dei beneplacito, & quod omnes capillos capitis noſtri habeat in numerato; Et qui vel maximè contingenter videtur perimi ab alio qui juerat lignatum in ſylvam, & excuſſâ ſecuri de manubrio viatorem quem nec videbat occiderit, is tamen non perit citra ſpeciale Dei conſilium, quo eum ita voluit alterius manui objicere, ut diſertè legimus Exod: XXI, 13. Neque res tantum ſingulæ ſunt definitæ, ſed etiam earum circumſtantiæ omnes, & modus quo ſunt futuræ: ut nihil ſit in tabernaculo rerum quæ fiunt, quod exactè non reſpondeat exemplari decretorum divinorum: Nam juxta Dei decretum de Paulo evocando ad Chriſti non modò notitiam ſed etiam Apoſtolatum, ea ſingula evenerunt quæ leguntur de ipſo in hiſtoria ſacra, ut ex illa hypotheſi verum ſit quod habet author *ſerm.* I. *de ſanctis apud Aug. tomo* 10. *Si Sanctus Stephanus ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* Qui præfixit numerum dierum noſtrorum Iob XIV, 6. is proculdubio omnes natalium & mortis cujuſcunque circumſtantias prædefinivit, ut tali loco, tali tempore, tali modo, ex talibus parentibus, vel tali morbo, ſinguli naſcerentur & & denaſcerentur. Qui hos & illos nominatim ex Providentiæ ſuæ æterno conſilio, decrevit ad gratiam & gloriam efficaciter evocare, etiam modum & ordinem quo eorum vocatio & converſio ſit proceſſura certò definivit, ut ſuo fine nequeat excidere. Addo ſuo ſe gladio hic Crellium jugulare: nam ſi Chriſto in rebus innumeris, ceu decreto Dei non definitis, fas eſt ſtatuere quicquid voluerit, hinc ſequitur independentem à Deo, ſaltem circa res illas, poteſtatem ipſi competere. Denique mira eſt reſtrictio poteſtatis Chriſti, ſi de ſolis circumſtantijs definire & conſtituere ipſi liceat, nullâ conceſſâ facultate in ipſum principale.

Ad quæ reſpiciens] Mira eſt hujus dicti depravatio; Nec enim Chriſtus hoc loco negatur eſſe ſubjectus Patri & ſubordinatione eſſentiali, quâ homo, & ſubordinatione œconomicâ quà θεάνθρωπος, imò & ſubordinatione modali, ſive perſonali, originis nempè & ordinis, præciſè quà λόγος; Eo enim ipſo quod dicitur ſedere ad dextram Patris, ſecundus à Patre evidenter conſtituitur: Illa vero ſubjectio vel ſubordinatio æqualitatē nequaquam tollit: Æquales ſunt poteſtate omnes Miniſtri Eccleſiæ, etſi alicubi detur aliqua dependentia ordinis inter eos; Et Spiritus qui eſt in Prophetis ſibi ipſi eſt æqualis; tamen debet Spiritus Prophetarum ſubjici Prophetis I. Cor: XIV, 32. Nec exiſtimandum quod poſt conſummationem ſæculi adſtrictior futura ſit Chriſti quoad ſuam perſonam ſubjectio; cum è contrario ſuis hoſtibus edomitis, eos ſit habiturus in ſcabellum pedum ſuorum, adeoque pleniùs, &, ſi fas ſit ita dicere, magis abſolutè imperaturus, jam domatâ omni rebellione. Sed hoc ſibi vult Apoſtolus, Chriſtum tunc traditurum Regnum Deo Patri, id eſt Regnum illud œcono-

Digitized by Google

œconomicum Eccleſiæ exhibiturum ipſi completum, perfectum & undique pacatum, adeoque ipſummet, non in ſua perſona, ſed in ſuo corpore myſtico, perfectè ſubjectum iri Deo Patri, quia in illo corpore myſtico nihil amplius ſupererit vel rebellionis, vel peccati, vel illius φρονήματος carnis quod eſt immicitia contra Deum, quodque Dei legi ſubjici nec vult nec poteſt Rom: VIII, 7. Hæc enim ſubjectio per quam Deus erit omnia in omnibus, non depreſſionem notat, ſed exaltationem & perfectionem: adeoque per eam nihil poteſt perire dignitati & plenariæ poteſtati Filij: atque etiam ita è veteribus interpretatur Cyrillus Alexand. *Theſauri lib.* 10. *cap.* 8. *Hoc ſignificare*, inquit, *voluit; Subjectus nunc quoque Chriſtus Patri eſt, non tamen pro omnibus, ſed pro ſolis credentibus in eum, pro quibus ſeipſum tanquam immaculatum agnum Patri obtulit ut ab omni peccato liberatos Patri offerret. Quando igitur omni undique exterminato errore univerſus terrarum orbis ad verum Deum converſus, Dominum Deum Ieſum Chriſtum confitebitur, ſalutariaque ipſius mandata ſequetur, tunc inquam quia omnes ibi erunt ſubjecti, ipſe quoque pro omnibus Patri ſubjicietur, & pontifex omnium ſimpliciter factus omnibus per ſeipſum participationem Patris largietur; ſic enim Deus omnia erit in omnibus, per Filium in omnibus habitans.* Iis non diſſona ſcribit Auguſtinus *de Trinit. l.* 1. *c.* 8. cum ait, *Chriſtus in quantum Deus eſt cum illo nos ſubjectos habet, in quantum Sacerdos nobiſcum illi ſubjectus eſt.*

Poteſt autem nihilominus is, qui ita alteri ſubjectus eſt, proximum ab eo dignitatis locum tenere, reliquis omnibus, qui eidem ſubjecti ſunt, longiſſimè antecellere, ac res longè maximas ex ejus voluntate gerere: ut Regis filius unigenitus, qui illud imperij, quod pater habet, nomen non gerat. qua de re nunc non eſt neceſſe plura dicere.

‡ *Poteſt autem*] Primò ſibi contradicit Crellius; nam ſi poteſtas Chriſti ad ea ſolum extenditur quæ decretis Dei non ſunt definita, definit hoc reſpectu eſſe adſtrictus paternæ voluntati. Secundò hoc ſimile oſtendit duplicem σχέσιν poſſe convenire Chriſto ad Patrem, alteram ſubjectionis œconomicæ quà Mediator eſt, alteram coeſſentialitatis & naturæ, quà Filius. Tertiò Chriſtus & illud nomen imperij gerit quod Pater habet, nam & *Rex Regum* & *Dominus dominantium* dicitur, eſtque *Deus ſuper omnia benedictus.*

Quòd autem tanta Chriſti ad Dei dextram collocati ſit in gubernando libertas, id non magis amplitudini aut etiam plenitudini imperij divini derogat, quàm libertas regum terrenorum, qui ſalvis legibus divinis, quas migrare illis non licet, infinita de rebus particularibus ſtatuere pro arbitrio poſſunt. Vide modò, quod jus regis Iſraelitici fuerit, ipſius Dei iuſſu populo annunciatum, 1 Sam: 8. 9, 11, & d. nec tamen omnia illic ſunt enumerata, in quibus libera regis poteſtas cernitur.

‡ *Quod autem*] Imò juxta hypotheſes adverſariorum nulla Chriſto convenit in gubernando libertas, ut pote qui *in ſingulis*, ut modò dicebat author, Patris imperio ſit *adſtrictus.* Nec ei convenire poteſt ſi hæc libertas ſolum ſpectet ea quæ decretis Dei definita non ſunt, ut ante pertendebat; cùm omnia jam decretis Dei definita

Digitized by Google

definita ſint ab æterno; ea maximè quæ ſalutem piorum ſpectant. Quin etiam cum alterius plane ordinis ſit regia Chriſti poteſtas, ut pote Filij, quam Regum & Principum terræ qui nonniſi Miniſtri ſunt, iniqua eſt Crelliana comparatio & nullius momenti: Et quamvis multa de rebus particularibus Reges terræ conſtituant *ſaluis legibus divinis*, nihil tamen conſtituunt niſi ſubordinatè Dei Decretis, quæ Deus & de illis & per illos ſolet exſequi: Neque hæc dico quod ſtatuam gubernationem Chriſti derogare *amplitudini & plenitudini* imperii Patris; ſed quod velim aliam eſſe rationem Regiæ Chriſti poteſtatis quam Regum terræ; & illam ideo paternæ poteſtati non derogare, quia Pater & Filius unum ſunt & naturâ, & voluntate, & poteſtate.

Vide modo] Ad hanc rem nihil facit hic locus: Qui enim attenderit ad cap. XVII. Deut. videbit alias leges Regibus eſſe poſitas à Deo. Nec conciliantur hæc duo loca frigidâ illâ diſtinctione juris ordinarij & abſoluti quâ nonnulli Regum adulatores utuntur; ſed Moſes monet quid debeat Rex facere de jure, Samuel vero quomodo de facto ſit acturus: vox enim משפט *Miſcphat*, ut 1 Sam: 11, 13. & alibi ſæpiùs, non hic ſonat quod juſtum & æquum eſt, ſed morem & rationem ordinariam agendi quo jure qua iniuriâ: aliàs ſi in foro conſcientiæ & ex plenitude poteſtatis legitimæ quę ibi enumerantur Regibus competiiſſent, extra omnem reatum & culpam fuiſſet Achab cum Nabotho vineam ſuam eripere voluit 1 Reg. XXI, 4. 7. Itaque Samuel prædicit Iſraelitis idem illis eventurum quod ranis Apologi apud Phædrum, quæ cum clamore magno regem petiiſſent à *Iove*, nec contentæ eſſent priori ſuo regimine, *hydrum* ſunt conſequutæ, qui *dente aſpero corripere cepit ſingulas* & illas ſigillatim devoravit: ut cogerentur malum ſuum perferre, quia bonum ſuum ferre noluerant. Addo quod iis verbis ſic deſcribitur quid ſit Rex facturus pro imperio, ut illam vim quantumlibet iniquam, illud jugum quantumvis durum, teneantur ſubditi patienter ferre, non verò per rebellionem illud excutere, nedum Regum cędibus & parricidiis vindicare: Illi enim ſolum Deum judicem & vindicem debent expectare; quo illud Davidis ſpectare videtur, *Tibi ſoli peccavi* Pſal. LI, 6.

Ita nimirum Deus res ſibi voluit eſſe ſubjectas, ut cui placeret, ejus imperio vel omnes, ut Chriſto, vel aliquas, ut regibus ac principibus terrenis, ſubjiceret, & ejus arbitrio ita permitteret, ut ſi quid ab aliquo ſtatueretur ſuis decretis ac conſiliis non conſentaneum, impediendi, aut ad ſua conſilia flectendi poteſtatem ſibi reſervaret. At quæcunque Chriſtus ſtatuit, ea divinis decretis ac conſiliis nunquam adverſantur, ſed iis maximè ſunt conſentanea. quandoquidem eum Deus non minùs ſapientiâ, ſanctitate ac bonitate, quibus rebus ipſius conſilia nituntur, quàm poteſtate ſibi effecit ſimilem. Quare Chriſti decreta non modò à Deo nunquam impediuntur, ſed cum illis ita ſuam ſententiam conjungit Deus, ut verè Chriſtus ac Pater unum ſint, quemadmodum ipſe Chriſtus aliquando aſſeruit, (*Ioh: 10.30.*) ac porrò Deus in Chriſto ac per Chriſtum, Chriſtus autem cum Deo regnare dicendus ſit.

‡ *Ita nimirum*] Eo igitur quod res omnes ſubjectæ ſunt Chriſto, nonniſi aliquæ Regibus ac Principibus terrenis, liquet aliam eſſe rationem Chriſti quam Regum terræ: Nam ſi regia utrorumque poteſtas eſſet ejuſdem ordinis, id ex-

emptum

emptum eſſet ſubjectioni Chriſti quod alijs Regibus ſubjiceretur, prout id quod uni Regum ſubjicitur, alterius cujuſvis imperio exemptum eſt, excepto ſolius Dei dominio; Quare eo ipſo quod Chriſtus omnia habet ſuo ſubjecta imperio, etiam ipſamet dominia Regum & Principum terræ, qui tamen nullum ſuperiorem præter Deum agnoſcunt, pro Deo ſummo Patri coæterno & coæquali eſt agnoſcendus.

At quæcunque] Sed non video quî hæc conveniant cum eo quod ante dicebat liberam eſſe Chriſto poteſtatem duntaxat circa ea quæ decretis divinis definita non ſunt: nam in ijs de quibus nullum eſt Dei decretum, nec juxta Dei decreta nec ſecùs agi poteſt.

Quandoquidem] At Chriſtus non tantum eſt *ſimilis* & ὁμοίωσ© Patri, ſed *æqualis*, teſte Paulo Phil: II, 6. & planè ὁμοούσιος. *Philippe qui me vidit vidit Patrem, annon credis me in Patre eſſe & Patrem in me?* Ioh: XIV, 9. 10. Nec talis factus eſt, aut creatus, ut benè monet Athanaſius *in Symbolo*, ſed natus & genitus, quia eſt Patris μονογένης Ioh: III, 16. cujus *exitus ſunt ab æterno* Mich: V, 2. Adhæc *ſimilitudo* iſta vel eſt tantum proportionis, analogiæ & convenientiæ ordinis, quo ſenſu Adam fuit factus ſimilis Deo, eo quod ad Dei imaginem & ſimilitudinem conditus fuit, vel eſt convenientiæ omnimodæ, univocationis & æqualitatis; quomodo ſimiles ſunt poteſtate vel duo Reges in ſuis regnis reſpectivis, vel duo Conſules in eadem Republica, communi & indiviſâ authoritate ac arbitrio adminiſtranda: Si prius dixerint hæretici, nihil plus tribuent Chriſto quam primo Adamo, cui datum fuerat imperium in cœteras creaturas: Si poſterius, concedent quod volumus: nempè Patris & Filij poteſtatem eſſe independentem & indiviſam. Præterea, nequit Chriſto competere ſanctitas, ſapientia, bonitas, poteſtas divina, quin eſſentia & natura divina ipſi quoque ex aſſe competat: quia proprietatum divinarum poſitio, naturam divinam cum qua reciprocantur, neceſſariò præſupponit.

Quare Chriſti] Nec decreta ulla de rebus futuris ſeorſim à Patre Chriſto ſunt tribuenda; nam cum unam eandemque habeant & naturam & voluntatem, decreta Patris ſunt etiam Filij & viceverſâ; Nec in ſola ſententiarum conjunctione conſiſtit unitas illa de qua Ioh: X, 30. *Ego & Pater unum ſumus*; ſed primò & per ſe in unitate eſſentiæ, potentiæ & virtutis: Ideo enim monet Chriſtus, neminem poſſe ſuas oves è ſua manu rapere, quia nemo poteſt rapere eas è manu Patris ſui; quæ ratio ideo procedit, quia una eſt manus invicta, una eſſentia & potentia Patris & Filij: Et benè monet Hieronymus de hoc loco *in 6. Eſ.* τὸ Vnum *ad naturam*, Sumus *ad diverſitatem perſonarum referri*. Porrò regnat Deus Pater *per* Chriſtum, non tanquam per ſervum, ſed tanquam per Filium, quem conſtituit hæredem omnium Heb: I, 2. & regnat Chriſtus *cum* Deo, non ſub Deo, quod omnium cæteroquin Regum & Principum eſt: nemini enim eorum dixit Deus, *Sede à dextris meis* Pſal: CX, I.

Quod ad plenitudinem imperii divini attinet: ea inde facilè poteſt æſtimari, quòd quam poteſtatem habet figulus in lutum ſuum, eam in rebus omnibus naturâ ſuâ non illicitis habet Deus, ut in res cæteras, ita & in eas, quæ mente ſunt præditæ; poteſtque ex eadem maſſa aliud vas decreto ſuo fingere in honorem, aliud in ignominiam atque interitum; licèt illud alioqui non minùs, quàm hoc, ad ignominiam atque interitum formare poſſet. (*Eſa: 45. 9, 10.*

45. 9, 10. Ier: 18. 6, & d. Rom. 9. 20, 21.) Fingere autem vas in utrumque uſum Deus poteſt, partim in genere, partim in ſpecie. In genere quidem, dum, qui ipſi placet, modum hominibus præſcribere poteſt, quem qui ſequatur, præmium ſit conſecuturus; qui non ſequatur, pœnam ſit incurſurus; licèt & alium eligere modum poſſet, æquitati non minùs, quàm ille ſit, conſenta- 176.
neum. Ejus enim rei rationem habere non tenetur Deus; & poteſt hominem illum jure damnare, qui modum ab ipſo præſcriptum ſequi nolit; etiamſi is tandem aliam ſequatur rationem ipſi ſerviendi, & naturâ ſuâ honeſtam, & aliquando ab ipſo Deo approbatam. Unde eundem hominem etiam indurare poteſt, & pœnæ effugiendæ occaſionem illi quodammodo præcidere, quod ipſius voluntati ſeſe opponere, quàm ſubjicere maluerit. *(vid: Rom: 9. 31, 32. & 10. 3, 4.)*

† *Quod ad plenitudinem*] Hæc quidem in genere non malè dicuntur; ſunt enim homines inſtar calculorum in manu Dei, quos pro arbitrio reponit in ordine vel centuriarum, vel decuriarum, vel unitatum. Fiunt ex eodē ligno in luſu latrunculorum & Reges & Pedites: In muſica mundi ſummus Choragus imponit alij Superius, alij Tenorem, alij Baſſum: Ille debet ruſtici, hic imperatoris, in ſcena perſonam agere pro ipſius arbitrio: Interea nequit ex eadem maſſa fieri vas aliud ad decus, aliud ad interitum, niſi ſit jam peccato inquinata; Nam nonniſi peccatrix Creatura poteſt ad interitum ordinari; nec poteſt fieri vas miſericordiæ, niſi ſit miſera: Locus vero Rom: IX, 20. 21. non debet confundi cum locis Eſ: XLV, 9. 10. & Ier. XVIII, 6. & ſeq. Nam duo poſteriores magis ſpectant Providentiam ordinariam, quâ Deus alterum deprimit, alterum attollit in hac vita; prior vero reſpicit Prædeſtinationem æternam & ordinationem ad finem ſupernaturalem, pro mero Dei arbitrio: imò illi duo potiùs agunt de Dei potentiâ quàm de illius poteſtate, de qua potiſſimum agit Apoſtolus. Et neutrum ex illis citat Paulus, ſed eadem libertate quâ Ieremias eo ſimili uſus eſt poſt Eſajam, quamvis in diſpari paullùm materia, ipſe Apoſtolus poſt utrumque illud applicat ſuo ſpeciali ſcopo, explicaturus myſterium Prædeſtinationis.

Fingere autem] Scriptura non agnoſcit illam figulinam generalem, & Paulus nonniſi de ſpeciali loquitur, quâ ex eodem luto hic fit vas ad decus, ille ad dedecus. Nec cenſendus eſt Deus fingere pro libitu vaſa in uſum utrumque, dum præſcribit hominibus eum ſui colendi modum quem voluerit, ſub pœnis & præmijs: illa enim fictio ad ejus decreta propriè, hæc præſcriptio ad illius demū mandata pertinet. Nec univerſaliter verū eſt, poſſe Deum alium eligere modum ſui cultus, quam qui preſcribitur in ſuo Verbo: Licet enim id concedatur de Legibus poſitivis, quas figere & refigere poteſt uti vult, non tamen concedendum eſt de Lege morali, quæ immutabilis eſt & indiſpenſabilis: Quis vero ſibi perſuadebit Deum facere pro arbitrio vaſa in utrumque uſum, hominibus ea mandando quæ ſunt juris naturalis, moralis ac perpetui, ſub præmijs & pœnis?

Et poteſt] Iure damnat & punit Deus eos qui fiunt rebelles ſuo verbo; vult enim obedientiam non ſacrificium, atque ſervatâ ſibi authoritate imperij, nobis ſolam obſequij gloriam reliquit: ſed fingere hominem detrectantem ſequi Deum quâ viâ monſtrat, poſſe nihilominus aliam ſequi rationem Deo ſerviendi, *naturâ ſuâ honeſtam*, nec Deo improbatam,

perabſurdum : Nam nulla poteſt concipi ratio ſerviendi Deo, quæ naturâ ſuâ honeſta ſit, & nihilominus diſcordet à Dei verbo; Naturalis enim honeſtatis prima lex eſt voluntas divina, à qua quicquid deflectit eo ipſo turpe eſt & vitioſum. Nec favet huic paradoxo exemplum Iſraelis, qui ut habet Apoſtolus Rom: IX, 31. 32. *ſectando legem juſtitiæ, ad legem juſtitiæ non pervenit*, quia *non ex fide ſed velut ex operibus, offendendo ad lapidem ſcandali* : Nam Deus nunquam propoſuit Legem Iſraëlitis, ut ex illa quod impoſſibile ipſi erat Rom: VIII, 3. juſtificarentur : Adeoque non ſectabantur Iſraelitę, ſectando juſtitiam ex lege, idque per conſequens rejecto Chriſto & ejus Euangelio, *rationem* Deo *ſerviendi naturâ ſuâ honeſtam & aliquando ab ipſo Deo approbatam.* Quin diſertè teſtatur Paulus Rom: X, 3. 4. quod Iudæi *ignorantes* Dei *juſtitiam & propriam juſtitiam ſtudentes conſtituere, juſtitiæ Dei non fuerint ſubjecti, quia finis legis ſit Chriſtus ad juſtitiam cuivis credenti.* Quare tantum abeſt ut hoc propriæ juſtitiæ ſtudium, relicto Chriſto, fuerit in Iudæis ratio ſerviendi Deo naturâ ſuâ honeſta & ab ipſo approbata; ut è contrario nihil ſtolidius nihilque turpius excogitari poſſit illo propoſito, quo miſeris illis idem evenit quod cani Æſopico, umbram pro corpore ſectanti, aut Poetarum Narciſſo ſuam imaginem ſtultè depereunti.

Unde eandē] Id juris convenit Deo in hominem peccatorem, quo ſpeciatim ſe uſū profitetur erga Pharaonem Rom. IX, 17. *Dicit enim Scriptura Pharaoni, Ad hoc ipſum excitavi te ut oſtendam in te potentiam meam & ut annuncietur nomen meum in tota terra:* Et ſanè ut ſummo Magiſtratui licet ex varijs reis & mortem commeritis unum ſeligere, in quo vel alicujus veneni naturam exploretur, vel demonſtrationes Anatomicæ peragantur, ita multo magis licuit Deo ex omnibus Ægyptijs peccatoribus & reis, Pharaonem ſeligere, in quo ſpecialia ederet exempla ſuæ juſtitiæ & potentiæ, eique imponeret quadantenus idipſum quod Phlegyæ tribuit Virgilius *Æn. 6.*

----Phlegyaſque miſerrimus omnes
Admonet, & magna teſtatur voce per umbras,
Diſcite juſtitiam moniti & non temnere Divos.

In ſpecie autem idem facere poteſt Deus, quatenus ex pluribus ſupplicium æquè commeritis, hujus quidem miſereri pro arbitrio poteſt, illum autem indurare ac punire. Similiter autem & refingere vaſa poteſt. Cui enim impio fuerat mortem comminatus, quemque adeò decreto ſuo ad ignominiam & interitum veluti formaverat; eum refingere, ſi reſipiſcat, poteſt, & ad vitam decreto ſuo formare : uti & contrà juſtum, cui vitam pollicitus fuerat, & quem hoc pacto ad honorem ſalutemque formaverat, ſi à juſtitia ſua diſcedat, ad interitum poteſt refingere; quemadmodum ſacræ literæ apertè teſtantur. (*Ier: 18. 6, & d.*)

‡ *In ſpecie*] Imò non aliam rationem fingendi vaſa ad utrumque uſum, propriè agnoſcit Scriptura.

Similiter autem] Hoc nuſquam docet Scriptura : Quinimò *ſtat firmum Dei fundamentum* 2 Tim. II, 19. & dona atque vocatio Dei ſunt ἀμεταμέλητα Rom. XI, 29. Sunt etiam decreta Dei, ut æterna ſic planè immutabilia, & quod ſemel placuit ei ut ſapientiſſimo poſtea diſplicere non poteſt : Nec debent comminationes divinę ad peccatores, cum illius decretis confundi : Imò multi ſunt peccatores & impij, ad quos illæ divinę comminationes ideo diriguntur, quia ex Dei Decreto ſunt vaſa miſericordiæ, quos Deus ad reſipiſ-

Digitized by Google

reſipiſcentiam & fidem per illas vult deducere, & ſic ad decus & honorem ſummum juxta ſuum decretum adducere. Ab alia parte nemo verè & Euangelicè juſtus, ſuâ juſtitiâ poteſt excidere atque tranſire in vas ad dedecus: *Qui cecidit ſtabili non erat ille gradu*, inquit Boethius; & *ſtella cadens ſtella non fuit, cometa fuit*: Vt verus amor nunquam perit, ſic vera fides, fons veræ & ſalutaris juſtitiæ, ceu lapis ἄσβεστος, nunquam extinguitur.

Quemadmodum] Neutrum teſtantur ſacræ literæ, nempè vaſa ad dedecus Dei decreto formata refingi in vaſa ad decus & viceverſa, ideſt hominem ex electo reprobum aut ex reprobo electum fieri: Inter utrumque hunc ordinem major eſt diſtantia & profundior abyſſus interpoſita, quam inter Lazarum & Epulonem Luc: XVI, 26. ut nequeat tranſitus dari ab uno ad alterum. Locus Ier: XVIII, 6. & ſeqq. nihil eò facit; cum tantum exemplo figuli oſtendat, quod ſicut figulus, vaſe eo quod formabat ex argilla confracto, ex eadem argilla facit vas aliud quale vult, ita Deus poſſit Iudæos quaſi fractos doloribus, ex captivitate reducere & renovare eorum rempublicam, ſi nempe ſeriò ad Deum convertantur; Ita Hugo & multi alij. Nec aliud hic è veteribus vidit Theodoretus, cujus hæc ſunt verba; *Quemadmodum figulus poteſt pinſere lutum & illud pro arbitrio formare, ita facilè poſſum tradere ſupplicio & largiri ſalutem: & proſperè agentibus calamitates immittere, & contra viventibus in moleſtia proſperitatem gratuitam præbere.* Sed apud Ieremiam nihil de vaſis in ſpecie ordinati ad decus Dei decreto, refictione in vas ad dedecus, & viceverſâ: Nihilque aliud ſibi vult totus textus quam eadem facilitate poſſe Deum gentes integras eripere graviſſimis calamitatibus, in quas ob propria peccata juſto ſuo judicio inciderint, quâ poteſt figulus argillam currente rota collapſam recolligere, & vas novum ex illa reficere: Vnde etiam Hilarius *in Pſal. 2.* hoc ipſum transfert ad reſurrectionem mortuorum, in qua Deus refinget vaſculum noſtri corporis quod morte confractum fuerat. Cum ergo agat Ieremias de potentia Dei potius quam de illius poteſtate, fruſtra trahitur ad hanc materiam.

Vaſis enim ipſis arbitrii libertatem, quam naturaliter dedit, non eripit. Itaque cùm media ſeſe ad Deum convertendi ſunt ab ipſomet propoſita, nec ob inſignem hominum ingratitudinem ac pervicaciam iterum erepta; vas impurum repurgare ſe poteſt, ut ſit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum, ut Paulus ea de re loquitur. *(2 Tim: 2. 21.)* contrà etiam id quod purum eſt, polluere ſe poteſt; idque tantò faciliùs, quantò faciliùs eſt peccare, quàm piè vivere. Ex ejuſmodi autem vaſis mutatione ratione morum, ſequitur & mutatio conditionis, & ſic mutatio quædam decreti divini ſpecialis, quo vel præmium vel pœna homini fuerat ob priſtinos mores, ſed cum tacita conditione in futurum ſpectante, conſtituta, uti apertiſſimè ſacræ literæ teſtantur. *(d. l. Ierem: 18. add. Ezech. 18. 21, & d. &c. 33. 13. & d.)*

‡ *Vaſis enim*] Nempè hic error præcedentem ſequitur ut vara vibiam: nec poteſt defendi mutabilitas & incertitudo Prædeſtinationis æternæ, niſi ex Pelagiana liberi arbitrij doctrinâ. Ex qua tamen potius ſequeretur poteſtas hominis ſeſe

nis ſeſe pro libitu in vas ad decus vel dedecus fingentis & refingentis, quam poteſtas Dei ex hominibus pro ſuo arbitrio facientis alia vaſa ad decus alia ad dedecus. Vaſis quidem ad dedecus coagmentatis, Deus non eripit arbitrij libertatem, ideſt facultatem agendi quod lubet ſpontè & ἑκουσίως; Sed tamen non competit illis facultas ſeſe ad Deum convertendi aut benè agendi, quam amiſerunt communi illo peccato ſub quo conſiderantur cum coagmentantur ad interitum: Et verè dictum ab Auguſtino *Enchir. cap. 30. Libero arbitrio malè utens homo & ſe perdidit & ipſum.* Vaſis vero ad decus & vitam coagmentatis, non deeſt quidem adhuc ſua fragilitas & proclivitas ad peccandum, ex primæva & nativa ſua corruptione nondum penitùs ſublata; ſed tamen virtute Dei conſervantur per fidem, ut loquitur Scriptura 1. Pet: 1, 5. atque ut habet Auguſtinus *de corr. & gr. cap.* 12. per Dei gratiam tantam *libertatem* accipiunt, *ut quamvis quamdiu hic vivunt, pugnent contra concupiſcentias peccatorum, eiſque nonnulla ſurrepant propter quæ dicant quotidie, Remitte nobis debita noſtra, non tamen ultro ſerviant peccato quod eſt ad mortem*; Itaque nec vas ad dedecus ordinatum, ſibique adeo relictum, poteſt per liberum ſuum arbitrium ſeipſum reſtituere in integrum; cùm nulla arbor mala, teſte Chriſto, poſſit bonos fructus edere; nihilque ſit omne figmentum cordis ejus præter malum omni tempore Gen: VI, 5. & VIII, 21. neque velit aut poſſit φρόνημα σαρκὸς ſe Legi Divinę ſubjicere Rom: VIII, 6. Nec vas ad decus ordinatum, utpote jugi Dei gratiâ cuſtoditum, poteſt frangi & penitùs interire, cum Deus ſupponat manum Pſal: XXXVII, 24. nec peccet aut peccare poſſit qui natus eſt ex Deo, eo quod habeat ſemen Dei manens in ſeipſo, 1. Ioh: III, 9, V, 18.

Itaque cum] At hic multa veniunt obſervanda: Nam 1. agnoſcit Author quod Deus poſſit media converſionis quibuſdam eripere ob inſignem eorum ingratitudinem & pervicaciam: unde ſequitur non ergo ſemper omnibus & ſingulis præſtò eſſe media ſufficientia ad converſionem & ſalutem. 2. Quamvis quibuſdam reprobis nonnulla interdum proponantur externa media ex rei natura deſtinata converſioni peccatorum, tamen neque omnibus vaſis ad dedecus, externa illa media quæ in verbi divini præconio externo potiſſimum ſita ſunt, proponuntur, uti liquet ex Pſal. CXLVII, 19. 20. cum Deus per multa ſæcula gentes ipſas in vijs ſuis ambulare ſiverit Act. XIV, 16. neque externa illa media per ſe ſufficiunt hominum converſioni; requiritur enim inſuper Gratia Dei intus operans in nobis & velle & perficere Phil II, 14. quæ, ut pote ſimpliciter indebita, nulli vaſi ad dedecus unquam conceditur. 3. Falſum eſt quod ex medijs illis externis, vas impurum repurgare ſe poſſit, ut ſit vas in honorem: Fruſtrà enim Paulus plantat & Apollos rigat niſi Deus dederit incrementum 1 Cor. III. 6. 7. Fruſtrà pulſantur aures ſono verbi divini, niſi ipſe Deus Spiritu ſuo aperiat cor auditorum, ut factum in Lydia Act XVI, 14. quò reſipiſcant & credant Euangelio; Fruſtrà ſonat extrinſecè vox Dei imperativa, niſi intus fiat operativa, juxta votum Eccleſiæ Cant. 1, 4. *Trahe me & curremus poſt te*: Hinc illa formula in veterum precibus, *Fac quod jubes & jube quod vis.* 4. Locus Pauli 2 Tim. II, 24. non favet huic errori: Nec enim illi mens eſt docere quod qui ſe emundaverit à ſordibus peccati, ex vaſe ad dedecus faciet ſeipſum vas ad decus & honorem; ſed tantum quod qui ſe emundaverit ab his, ideſt ſibi caverit ab hæreticorum ſordibus & puritati ac pietati ſtuduerit, eo ipſo demonſtrabit ſe eſſe vas ad honorem, non ad dedecus. Ita Chriſtus dicebat Ioh. XV, 8. *In hac re glorificatus fuerit Pater meus, ut fructum multum adferatis & eritis mei diſcipuli*, ideſt revera

meos

Digitized by Google

meos diſcipulos vos eſſe demonſtrabitis & oſtenderetis: Aliàs enim ante Paulus dixerat firmum & inconcuſſum ſtare Dei fundamentum & noſſe illum qui ſui ſint.
5. Quamvis vaſa ad decus non ſint immunia ab omni labilitate & peccato, uti ſuprà dixi, tamen fidelis eſt Deus qui illa conſervat ſuâ gratia. nec deſiſtit ab operibus manuum ſuarum Pſ: CXXXVIII,8.

Ex ejuſmodi] At ſupponit multifariam quod eſt falſum; Nempè 1. dari talem mutationem vaſorum jam Dei decreto coagmentatorum ad vitam aut interitum: 2. Dari mutationem aliquam ſpecialis decreti Divini, cùm Deus nulli mutationi hac parte ſit obnoxius, Num: XXIII,19. Mal: III,6. Iac: I,17. 3. Dari decreta Dei conditionata, quæ ex incerta conditione voluntatis humanæ veniant ſuſpendenda; cùm omne Dei decretum importet rei decretæ futuritionem infallibilem; juxta dictum Eſ: XLVI,10. & LV, 10 11. Fateor quidem per reſipiſcentiam ſalutarem, fieri aliquam mutationem ſubjectivam in peccatore, per quam à ſtatu mortis tranſit ad immortalitatem & vitam: Sed tantum abeſt ut hac mutatione fiat objectivè in mente divina ex vaſe prius ad dedecus coagmentato per Dei decretum, vas ad honorem & decus, ut è contrario hæc illius reſipiſcentia per quam tranſit à ſtatu peccati & mortis ad ſtatum gratiæ, ſit indicium & conſequens certum decreti illius firmi & immutabilis quo factus eſt vas ad decus & honorem. Similiter contingit quoque juſtis & electis quandoque peccare & dormitare, quod Matth: XXV, 5. commune ſit virginibus ſapientibus & fatuis: atque peccando aliquam in ſe mutationem ſubjectivam eoipſo experiri: Sed quamvis per peccatum & juxta Legis rigorem, ſint in ſtatu mortis, tamen per Dei decretum & juxta promiſſiones Euangelicas, ſunt in ordine vaſorum ad decus; & *fidelis eſt Deus, ut cœptum in illis bonum opus perficiat uſque in diem Chriſti* Phil: I, 6. Non excidit prodigus ſuâ conditione & dignitate filiali, etſi multimodam mutationem in ſe expertus fuerit: Nihil vero minus teſtantur Scripturæ apud Ieremiam XVIII, 6. de quo ante dictum & Ezechielem XVIII, 21. XXXIII, 33. quam quod hic fingit adverſarius: cùm utrobique tantum ſignificetur peccatores ſi reſipiſcant victuros, perituros vero juſtos ſi deficiant à juſtitia ſua: Nam 1. ſunt propoſitiones conditionales, quæ nihil ponunt in eſſe: 2. Nec verum eſt omnes peccatores eſſe vaſa ad iram & interitum; cum è contrario ex eorum reſipiſcentia quibus illa conceditur, à poſteriori conſtet quod ſint vaſa ad decus & honorem; nec verum eſt omnes qui externæ juſtitiæ ſtudent eſſe vaſa ad decus, cùm ſua defectione comprobent nunquam ſe in eo ordine fuiſſe; nam exierunt ex nobis ſed non erant ex nobis I. Ioh: II, 19. *Avolent quantum volent paleæ levis fidei quocunque afflatu tentationum, eo purior maſſa frumenti in horrea Domini reponetur,* inquit Tertullianus *de præſcript. hæret. cap.* 3.

Denique quod ad æternitatem divini regni attinet; de ea ſacræ literæ apertè non ſemel teſtantur. Inter alia David ita ait: *Dominus regnabit in æternum, & in ſeculum ſeculi.* & alibi Deum alloquens, *Regnum tuum,* inquit, *regnum omnium ſeculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione.* (*Pſal: 10. 16: 145. 13. vid: & 164. 10. & Dan: 3. 100. 4. 31.*) Hinc & *Rex ſeculorum,* hoc eſt, ſempiternus à Paulo dicitur. (*1 Tim: 1. 17.*) Quòd enim Deus interdum dicitur certi temporis habita ratione regnaſſe, (*Pſal: 93. 1: 97. 1. 99. 1.*)

Digitized by Google

aut regnaturus eſſe, (*Eſa: 52. 7. conſ: etiam c. 24. 23: & Mich: 4. 7.*) & regna mundi, ipſius & Chriſti facta eſſe; (*Apoc: 11. 15: & 12. 10:*) facilè patet, id non de ipſo regnandi jure ac poteſtate intelligendum eſſe, ſed de certo ejus poteſtatis uſu, & apertiori declaratione, deque divinæ potentiæ exſertione;
177. vel de ſubjectione hominum, in re religionis ad imperium Dei ſeſe accommodantium, eique ſeſe ſubmittentium.

Sequitur nunc, ut imperii divini partes ac functiones breviter explicemus. Eæ ſunt, ſancire leges, aut contrà tollere; & deinde eaſdem adminiſtrare ac tueri; cui parti etiam parentium ſeu ſubditorum defenſionem adjungimus. Utrumque autem cum vel per ſe poſſit facere Deus, vel per alios; ‡ ſimul etiam ad ipſius poteſtatem pertinet, eos eligere ac conſtituere, per quos iſta faciat; aut eos, qui conſtituti ſunt, ſi ita uſus ferat, mutare, ac penitus amovere. Jam quod ad leges attinet; earum nomine hoc loco non tantùm præcepta intelligimus, ſed & pœnarum ſanctiones; ſiquidem & decreta de pœnis promulgata, leges pœnales Jure conſulti appellant. Pœnarum autem ſanctioni adjungi poſſunt & decreta de præmiis, quæ legum obſervantibus proponuntur.

‡ *Simul etiam ad*] Fateor jus eſſe Deo Reges & Principes vel inſtituere, vel deſtituere ad libitum; interea tamen, nec ſolet Deus Legiſlatores humanos in foro ſoli, immediatè conſtituere; nec Legiſlatoriam ſuam poteſtatem in foro poli magis poteſt alteri qui ſit mera Creatura committere, quam ſuo dominio renunciare, & abdicare ſe ſummo imperio. Ita enim poteſtas Legiſlatoria eſt innexa Majeſtati, ut ſemper inter Regalia, quæ delegari non poſſunt, annumerata fuerit. Quare Deus ſolus Legiſlator dicitur Iac: IV. 12. Nec ipſe Dei Filius potuiſſet id authoritatis quà Mediator obtinere, niſi jam fundamentum illius in ſua eſſentiali Majeſtate & ὑπεροχῇ Divina habuiſſet.

De hac poteſtate loquitur Jacobus, (*cap: 4. 12.*) cùm ait, *unum eſſe legislatorem, qui poſſit ſervare & perdere.* Deum autem intelligi, nemo non intelligit. Quanta verò ſit hæc Dei poteſtas, ex ſuperiùs dictis æſtimari poteſt. Nam quod ad præcepta attinet; jus habet Deus non tantùm factis noſtris externis, aut dictis, leges ponendi, ſed & animi cogitatis ac conſilijs, licet ad actum nullo modo progreſſis. qua in re omnem humanam poteſtatem divinum imperium ſupergreditur. Deinde non tantùm ea, quæ vi naturalis honeſtatis omnino facienda ſunt, imperare nobis poteſt Deus; ſed quicquid omnino non eſt inhoneſtum. Jus enim nobis facit volendo. Quare leges non modò naturales, quas vocant, ferre poteſt, ſed & poſitivas, quas libeat. Tales olim fuerunt ceremoniales, imò & judiciariæ, quatenus à moralibus diſtinctæ ſunt, quæ proinde δόγματα ſeu placita aut decreta appellantur: (*Epheſ: 2. 15. Col: 2. 14.*) quia arbitrio legislatoris ſupremi, non ipſa

honeſtatis

Digitized by Google

honeſtatis vi nitebantur. Nulla quidem earum, ratione caruit: ſine ratione enim Deus ſapientiſſimus nihil conſtituit: ſed ratio nullius ea fuit, ut legem neceſſariò ferendam eſſe doceret. Itaque eâdem ratione manente, poterat lex non ferri; & lata poteſt abrogari.

‡ *Qua in re*] Iam autem eadem poteſtas convenit Chriſto; unde liquet ejus poteſtatem eſſe ſimpliciter divinam, eo quod omni creatâ & humanâ poteſtate ſit ſublimior: Inde enim conſtat eum eſſe καρδιογνώστην, quod etiam ipſi tribuitur Apoc: 11, 23. Iam autem hoc eſt proprium ſoli Numini 1. Reg. VIII, 39. Act. 1, 24.

Quare leges] Imò quâ eſt juſtitiâ & ſanctitate eas leges naturales non ferre non poteſt; quia nec homo exlex poſſet remanere ſuppoſito Dei Dominio, nec poſſet ullis alijs legibus, hiſce contrarijs, teneri vel obligari.

Adde, quòd etiam in ipſis moralibus præcipiendis delectum habere poteſt Deus, & nunc pauciora, nunc plura aut perfectiora præcipere. quod diſcrimen in veteri & novo Fœdere manifeſtum eſt. Apertè enim Chriſtus Matthæi cap: 5. quædam nobis præcipit, in antiquo Fœdere non præcepta; aut interdicit, in illo non interdicta. Præterea nunc perfectiorem legis exſequendi modum ſub comminatione ſupplicij, etiam extremi, poſtulare poteſt 178.
Deus; nunc minùs perfecto contentus eſſe. quod diſcrimen itidem inter antiquum & novum fœdus, ſed contrario modo, apparet. Ibi enim perfecta ad juſtificationem obtinendam opera requiſivit: hîc non exigit. Verùm hæc rès ad poteſtatem præmia & pœnas conſtituendi non immeritò poteſt referri.

‡ *Adde quod*] Neceſſariam ſuſcipimus diſtinctionem inter leges poſitivas & morales; Sed cum demum morale ſit, ut ipſe agnoſcit Crellius, quicquid *vi naturalis honeſtatis* omninò vel faciendum vel omittendum eſt, tam impoſſibile eſt non ſemper præcipi homini quicquid morale eſt, quam non ſemper vigere vim naturalis honeſtatis: Ipſa Lex Moralis ita perfecta eſt, vel Davide teſte Pſal: XIX, 8. ut nec augeri poſſit nec minui: nec plura Deus exigit officia in genere morum ſub N. F. quam ſub Veteri: Etenim cum moralia ſint juris naturalis, ſemper eodem modo ſe habere debent; Et ſunt ad jura poſitiva quod ſtella polaris eſt ad planetas: Nam illa ſemper eodem loco manet & viſitur; hi vero ſtatum & aſpectum mutant in dies.

Aperte enim] Atqui id eſt falſiſſimum: Ibi enim Chriſtus nec detrahit nec addit Legi, quam unicam inculcat iterum Matth: XIX, 17. *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata*; ſed eam duntaxat explicat atque à varijs corruptelis Scribarum & Phariſæorum, antiquorum nomen prætexentium ſuis deuteroſibus, meritò vindicat.

Præterea nunc] Hîc duo falſa ſunt: Nam 1. licet Deus ſub fœdere Gratiæ Legis ἀκριβοδίκαιον non urgeat, quia nempe non debemus juſtificari Legis operibus, nec ſumus amplius ſub Lege ſed ſub Gratia, tamen Lex ipſa in ſe conſiderata perfectiſſimam ſui obedientiam exigit, à qua qui vel tantillum deflectit, reus fit peccati coram Deo: 2. Neque ſub Veteri fœdere perfectio operum magis ad juſtificationem requirebatur, quam ſub Novo, ſi hæc ſit oppoſitio non Legis & Euangelij,

Digitized by Google

Euangelij, ſed Veteris & Novi Teſtamenti: Nec enim magis fideles V. T. ex operibus fuerunt juſtificati quam nos; & ex Apoſtoli dicto Act: xv, 11 conſtat utrobique eandē fuiſſe rationem ſalutis obtinendę per fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti: Et qui præceſſerunt & qui ſequuti ſunt, unâ vocē ei clamarunt *Hoſanna*, ut Gregorio obſervatur. Sed & inſigniter ſibi hac in parte contradicunt adverſarij; Volunt enim præcepta moralia nunc latiùs patere & perfectiora eſſe quam ſub V. F. & tamen pertendunt Deum nunc contentum eſſe minus perfecta obedientiâ quam requirebatur olim: Cur enim quæſo voluiſſet Legi addere nova & perfectiora præcepta ſub N. F. ſi ſub illo minus exactam & perfectam obedientiam erat exacturus? Hæc planè ſunt ἀσύςατα.

Denique non tantùm generales leges figere poteſt Deus, quæ vel omnes omnino homines obſtringant, vel totum aliquem populum, aut certam populi partem, genere aut qualitate à reliquis diſtinctam; ſed & mandata ſingulis dare peculiaria, & quidem ejuſmodi, quæ generalibus aliquo modo adverſentur, vel ſaltem adverſari videantur. ut cùm Abrahamo præcepit, ut filium ſuum unigenitum occideret atque offerret: (*Gen*: *22. 1, & d.*) licèt jam lex eſſet lata, de ſanguine humano non fundendo; (*Gen*: *9. 5, & d.*) & natura ipſa cæteroquin à nece liberorum abhorreat. Sed quia Deus, ut Dominus omnium abſolutus, jus habebat vitæ & necis in Iſaacum; de eo ſtatuere jurè poterat, ut in experimentum virtutis ac pietatis paternæ occideretur; poterat & patri pro abſoluta ſua poteſtate præcipere, ut ipſemet filii necem manu ſua patraret. Jurè ergo utrumque ſtatuere poterat; de illo, ut inſons necem pateretur; de hoc, ut inferret. Nec tamen jura naturæ violari voluit, & affectum parenti inditum exſcindi; ſed ſuæ voluntati ſubjici, & ad moderationem quandam revocari. quia ſpem nihilominus voluit eſſe Abrahamo reliquam, fore, ut ea res filio dolorem quidem ad breve tempus afferret, at non interitum; & non modò non obeſſet revera, ſed & prodeſſet: cum jam promiſiſſet, per eum Abrahamo copioſam fore ſobolem. (*Gen*: *17. 16, 19*: *21. 12.*) Ideò credidit Abrahamus, Deum etiam è mortuis eum excitare poſſe, atque adeò, ut promiſſa ſua impleret, excitaturum eſſe. (*Heb*: *11. 18, 19.*) Quemadmodum ergo dum quis ſeipſum morti, rei honeſtæ cauſſâ objicit, aut filium ut id faciat, hortatur, amorem naturalem erga ſe, aut filium non exuit, ſed moderatur, & ad honeſti leges attemperat, maximè ſi ſpes ſit futuræ vitæ: ita nec Abrahamus, occidere filium juſſus, amorem illum exuere juſſus eſt, ſed divino illum amori poſtponere, & ad ſupremi numinis voluntatem attemperare. Neque interim Deus legem ſuam de homicidio revera evertit. Nam hic caſus ex mente Dei, qui legem illam tulerat, non fuerat comprehenſus. unde nec homicidii pœnæ ex lege illa divina obſtrictus fuiſſet Abrahamus, etiamſi id, quod animo jam peregerat, manu quoque fuiſſet exſecutus. Æquitas enim non permiſiſſet, ut quem

Digitized by Google

caſum legiſlator ipſe exceptum voluiſſet, ad eum legis ſeveritas extenderetur.

‡ *Vt cum Abrahamo*] Lex de homicidio non faciendo ſemper obtinuit, & Iudæi eam ideo ſeptem Noachidarum præceptis ſolent accenſere; Nec tamen derogatum illi legi per mandatum factum Abrahamo, quia 1. Probatorium erat, non ſimpliciter practicũ; qualẽ etiam illud quod Chriſtus dedit juveni Phariſæo Matt: xix, 21. adeoque præcepti aut legis ſic dictæ, ſimpliciter vim non obtinebat. 2. Cùm Iſaac eſſet peccator & eo ipſo בן מות *Ben Maveth, filius mortis*, Deus jus habebat vitam ejus repetendi eumque morti ſubjiciendi, eo modo & per quem ipſi luberet: Ac ſicut poteſt Magiſtratus deficiente carnifice, cùm pater & filius vel duo fratres ſunt in eodem reatu, uno ex illis uti ad ſupplicium ſumendum de altero, cujus exempla multa proferri poſſent, ita potuit Deus Abrahamo ceu Miniſtro juſtitiæ ſuæ uti in plectendo Iſaaco eâ morte quam ceu peccator omninò merebatur: Nam ſtipendium peccati mors eſt Rom: vi, 23.

Sed quia Deus] Non hic tantum venit conſideranda poteſtas Dominica, ſive herilis, ſed etiam juridica; quoniam Iſaac peccator erat, de cujus morte & ſupplicio diſponere potuit Deus pro ſuo arbitrio.

Iure ergo] Neutrum verum eſt; Debuit enim Iſaacus ſe ſubjicere morti ad ſententiam ſummi judicis, non ut *inſons* ſed ut peccator: cum *per peccatum mors introiverit in mundum*, & ita regnarit in omnes, *etiam in eos qui non peccarunt ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami* Rom: v, 12. 14. Debuit quoque parens ſe parare ad ipſum occidendum, non ut inſontem, ſed ut ſontem & peccatorem, ex decreto ejus qui jus habet vitæ & necis in omnes.

Nec tamen] Sed voluit docere naturam ſubjiciendam eſſe legi divinæ, & omnem voluntatem humanam ſuæ.

At non interitum] Abſurdè: Nec enim crediidiſſet potius ipſum excitatum iri à mortuis, quam Deum ſuæ promiſſioni defuturum, niſi ſub cultro victimali ipſum caſurum & interiturum expectaſſet.

Neque interim] Id quidem verum; ſed non ex mentali retentione Dei, hunc caſum in mente ſua à lege de homicidio excipientis: Cùm ſufficiat ratio generalis quod homicidium lege prohibitum, ſit hominis cædes privatâ authoritate facta vindictæ aut alio nocendi injuſto ſtudio; ac ſicut in homidicij legem non impingunt carnifices, cum ex judicis ſententia capitaliter plectunt ſontes, ita nec in eandem peccaturum fuiſſe Abrahamum, ex ſupremi judicis ſententia, plectendo Iſaacum mortis reum, licet patris reſpectu inſontem & innocentem.

Quod verò ad ſanctiones pœnarum, & præmiorum conſtitutionem attinet; licet Deo pœnas qualeſcunque, modò delicti magnitudinem non excedant, ſontibus conſtituere. Ut enim graviores ſint delictis pœnæ, juſtitiæ ratio non permittit: quò minus leniores ſint, per ſe non prohibet, clementia autem ſæpè poſtulat. Quare Deus vel æquales delicto pœnas decernere, vel delicto minores poteſt; quæcunque cæteroquin illarum ſit qualitas, atque infligendi modus. 179.

‡ *Licet Deo pœnas*] Non tantum licet Deo per poteſtatem liberam, ſed ipſi convenit per juſtitiam naturalem & neceſſariam pœnas conſtituere peccatis, nec

Digitized by Google

tis,nec ut ea impunè graſſentur permittere: Vt enim non poteſt abdicare ſuum imperium in Creaturas, ſic eas non poteſt non regere certis legibus, quæ fruſtrà forent niſi pœnæ additæ eſſent in earum tranſgreſſores. Quare etiam à Deo æquiſſimo rectore, cui juſtitia vindicativa non minus naturalis eſt quam cœtera attributa, debet proportio quædam ſervari inter pœnam & culpam, ut quemadmodum omnis culpa in ipſum eſt ſuo ſenſu infinitæ gravitatis, ita etiam pœna ſuo ſenſu infinita ſtatuatur: Nam ut Deus non poteſt efficere quin peccatum conſequatur reatus,ſive obligatio ad pœnam, aliàs peccatum non eſſet peccatum, ſic reatu illo manente, nec ſublato per peccati remiſſionem, non poteſt non infligere eam pœnam cui peccator ſuâ culpâ ſe obſtrinxerit. Scio diſputari in Scholis Deum ſemper punire infra condignum, quod utcumque concedi poteſt reſpectu pœnæ ſenſus; Sed tamen pœna damni, vel nulla debet infligi peccatori, vel ea debet ſuo modo adæquari peccato: unde Iacobus II,13. ſtatuit Iudicium ſine miſericordia futurum illi qui miſericordiam non exercuerit; quamvis illa adæquatio ſuam quandam habeat latitudinem, & poſſit quoddam lenitatis temperamentum admittere: Probat quod dico illud Pauli Rom: VI.23. *Stipendiū peccati mors*: eoque potiſſimùm ſpectat ſanctio legis,in æquitate & juſtitia Dei fundata, *Maledictus qui non præſliterit verba Legis hujus faciendo ea* Deut: XXVII, 26. & *Quo die comederis morte morieris* Gen: II,17. Clementiæ officium huic juſtæ ſeveritati non derogat: Nam primum & principale officium Clementiæ eſt poenam omnem remittere, juxta illud Pittaci συγγνώμη τιμωρίας κρείττων: *Melius eſt veniam dare quam punire.* Atqui hoc ipſum Deus præſtat erga ſuos, longè meliùs, perfectiùs & certiùs quam Rectores & Principes hujus mundi: Nec enim illi condonant, citra aliquod juſtitiæ & legum detrimentum, ac ut loquitur Lipſius lib. 2. *polit. cap.* 13. *Secedit paullum ab acri illo juſtitiæ ſole hæc luna*, atque tamdiu leges dormire jubentur, quamdiu clementia in reos exercetur; At Deus ſic condonat ſuis, ut id fiat citra læſionem vel imminutionem ſuæ juſtitiæ, cui plenè per Chriſtum ſatisfactum eſt: Clementia & Iuſtitia ſimul ſunt in Deo ut primæ qualitates in corporibus ſimplicibus Elementorum, puræ ſcilicet & in ſummo gradu; At in hominibus, ut primæ qualitates in corporibus mixtis, in quibus altera alteri prædominatur eamque refringit. Hinc Caſſiodorus benè ſtatuit Principem *ad Clementiæ commodum tranſilire interdum terminos æquitatis.* Secundò Clementia quoque ſuum quendam obtinet locum in ipſo pœnitionis actu, dum nempe aliquam ἐπιείκειαν & moderationem adhibet,& ſollicitè cavet ne illud obtineat *Summum jus ſumma injuria.* Interea tamen clemens juſtitia ita lenit quadantenus pœnam, ut ſemper proportionem aliquam ſervet inter pœnam & culpam, abſque qua nec pœna foret. Non pertinuit enim ad juſtitiæ exercitium quod obtinebat in Perſarum dicaſterijs, ut vapularet toga ſontis, & ipſi reo impune eſſet. Et *laudari nequit*, juxta Archidamum in *Laconicis* Plutarchi, *qui erga ſceleratos ſe mitem præſtat.* Auferenda erit Virgini ſua libra, ſua lanx juſtitiæ, niſi ſemper ſua remaneat quædam proportio inter culpam & pœnam: Cùm tamen hæc proportio ſit moralis, nec conſiſtat in puncto indiviſibili & Mathematico, non omnem locum tollit Clementiæ & Lenitati. Interea *juſtitiæ ratio* nunquam permittet, pœnas decerni minores delicto, ſi pœnæ fuerint,non emendatoriæ,medicinales ac caſtigatoriæ & ad παιδείαν atque νουθεσίαν ſpectantes, ſed ſatisfactoriæ ac vindicativæ, quæ Græcis τιμωρίαι appellantur: Hic enim Lictor ſecures expedire tenetur, non faſces duntaxat adhibere. *Immedicabile vulnus, Enſe*

recidendum

Digitized by Google

recidendum eſt ne pars ſincera trahatur. Imò tam repugnat juſtitiæ in ſceleribus vindicandis minorem delicto pœnam ſtatui, quam majorem & ſeveriorem: *Medio tutiſſimus ibis.*

Quæcunque] Hæc adduntur à Crellio quod de pœna ſenſus æterna nihil credat: hanc enim doctrinam naſo ſuſpendit adunco.

Quod ad præmia attinet; in iſtis major eſt Dei libertas, & ratione magnitudinis in infinitum quodammodo exit. Quia enim actus eſt beneficus, aliiſque utilis, ei juſtitia per ſe nullum præſcribit modum. In hominibus quidem prudentia libertati illi modum ponit; quia & promittentis copiæ ac facultates modum habent, & nimia largitione exhauriuntur. At bonorum divinorum immenſa atque inexhauſta eſt copia; & cùm ab eo creaturæ bona accipiunt, illis quidem multùm accedit, danti nihil decedit. Neque verò eſt, quod quis dicat, Dei poteſtatem eatenus hîc non eſſe infinitam, quatenus ei, qui præmium aliquod verè mereatur, non poſſit id negare, aut ita minuere, ut infra meriti dignitatem ſubſiſtat. Quid enim creaturæ apud Deum merentur? Ut enim quiſpiam apud alterum proprie loquendo mereatur aliquid, neceſſe eſt, ut ei rem præſtet cæteroquin indebitam, & talem quidem, quâ ille verè indigeat. At nos quid Deo non debemus? Cum enim toti, quanti ſumus, Dei ſimus; omnem operam, quæ à nobis proficiſci poſſit, Deo debemus. Itaque nihil à nobis exigit, quod à nobis ſuo jure, etiam abſque mercede, exigere non poſſet. quemadmodum apertè docet Chriſtus apud Lucam. (*Luc:* 17. 10.) Taceo, quòd operâ noſtrâ Deus non indigeat, ſine nobis ab æterno felix, & in æternum futurus. Inpunitatem quidem, ſi prorſus innocentes eſſemus, mereremur, ſed hanc præmii nomine hîc non intelligimus. Bonum enim poſitivum, ut loquuntur, non privativum eo nomine ſignificamus; certè non tale, quod in immunitate tantùm conſiſtat ab eo malo, quod ipſa naturalis noſtra conditio ac ſtatus, in quo nos Deus poſuit, ſecum non ferat. Bonum nempe intelligimus, ultra id, quod naturalis noſtra conditio ſecum fert, in nos conferendum. Quòd ſi ne innocentes quidem verè mereremur præmium; quodnam meremur homines multis modis nocentes, & innumeris peccatis contaminati? Neque enim eſt, quod putes, ea ſupervenientibus meritis compenſari poſſe. dum enim in poſterum Deo ſervimus, officium præſtamus, Deo, nulla præcedentis delicti habita ratione, debitum; defectum, qui præceſſerat non ſarcimus: qui ne illud quidem ſatis implemus. Quare illimitata hîc per ſe eſt Dei poteſtas; &, 180. ut infinitum ei licet nobis decernere præmium, ita & nullum: & ſi aliquod, qualecunque ipſe velit aut quantumcunque.

‡ *Quod ad præmia*] Quæ hic contra hominum merita in genere diſputantur, vera ſunt; & juſtitia illa remunerativa quâ Deus rependet nobis *juſtitiæ coronam*, uti dicitur

dicitur 2. Tim: IV, 8. eſt alterius ordinis à juſtitia vindicativa quæ pœnas decernit peccatoribus: Hæc enim pertinet ad juſtitiam particularem quæ vulgo *diſtributiva* dicitur; illa ad juſtitiam univerſalem, quæ Beneficentiam, Fidem & Conſtantiam in promiſſis ac Veracitatem ſpectat. Sed tamen 1. poſito verè & propriè dicto merito, quale eſt Chriſti meritum pro nobis, infiniti valoris & dignitatis, præmium ei debetur infinitæ perfectionis; non tantum per juſtitiam univerſalem & ex pacto, ſed etiam per juſtitiam particularem & ex condigno. Quare ſalus omnium electorum verè & propriè dicta merces eſt laborum quos Chriſtus exantlavit, ut ſibi Eccleſiam in peculium acquireret. 2. Falſum eſt ex meriti natura requiri ut opere meritorio *verè indigeat* is apud quem quis meretur: Nam multi ad operas voluptuarias quibus verè non indigent, conductis mercenarijs utuntur, in quibus tamen ipſi mercenarij propriè & verè ſuam mercedem merentur: Ad meritum itaque ſufficit I. Opus eſſe indebitum; quo ſenſu nonnulli ſumunt illud apud Mæmonidem *More Nevoch. l. 3. c. 17. Ei datur præmium qui quid injuſſus facit*; II. Ejus qui meretur, non illius apud quem mereri vult; III. Omnibus numeris perfectum & abſolutũ; ac IV. Proportionatum mercedi & pręmio. Nec debet neceſſariò utilitatẽ aliquam adferri per illud ei apud quem quis meretur, modo ſit opus quod ipſe ceu bonum & legitimum admittere & approbare ceu à ſe mandatum teneatur: Nihil utilitatis redibat ad Saulem ex centum præputijs Philiſtæorum: David tamen illa adferendo merebatur fieri gener Regis 1. Sam: XVIII, 24. 3. Etiam hac datâ meriti proprietate, non tamen ſequeretur Chriſtum verè & propriè non eſſe meritum nobis vitam æternam; quia non poteſt dici fuiſſe Patri ſervus inutilis, ſicuti nos: Siquidem Patri ſuo utiliſſimam præſtitit operam, abſque qua miſericordiam ſuam in electos exercere nequiviſſet. Igitur quod à Chriſto præſtitum fuit, habuit duas conditiones meriti juxta adverſarios, nempe indebitum, & utile. 4. Suppoſitâ Dei Lege optimis ſancitâ promiſſionibus, *Hoc fac & vives*, *Si vis ingredi ad vitam ſerva mandata*, æquè legis perfecta præſtatione præmium mereremur ac impunitatem: verbo *merendi* ſumpto paullò generaliùs pro neceſſariò & infallibiliter conſequi, ceu debitum ex promiſſo & pacto. Sanè ibi demum locus eſt merendæ impunitati ubi lex fuerit: Iam autem omnis Dei lex præmijs & pœnis ſancitur; Hinc dicitur juſtificandus & victurus per legem qui ſervaverit eam, ideſt conſecuturus præmium vitæ æternæ quod verè juſtis promiſit Deus: Si Adam perſtitiſſet in officio, non tantùm pœnam mortis vitaſſet, ſed beatitatem æternam, ad quam factus erat, fuiſſet conſequutus, in cujus rei pignus & Sacramentũ arbor vitæ ei data fuerat: Et cum omnis vera ac perfecta obedientia in Deum ceu finem ultimum ordinetur, tam neceſſe eſt verè obedientem Deum conſequi & illo frui, quam neceſſe eſt veram obedientiam ſuo fine non excidere. Nec obſtat Chriſti dictum Luc: XVII, 10. Nam ut cœtera mittam quæ viri docti obſervarunt de hoc loco, ex eo quidem ſequitur nullum accuratè & propriè dictum meritum in eo opere fore quod ſit debitum vi conditionis & ſubjectionis noſtræ; adeoque benè hoc teſtimonium urgeri contra Pontificios, eoque meliùs quod nemo ſit qui id omne præſtet quod juſſum fuerit; ſed inde tamen non ſequitur, ergo pactam & promiſſam mercedẽ non eſſe ſervo frugi certò expectandam: Etſi enim tali ſervo hæc præſtanti gratia non debeţur ab hero, tamen merces pacta & alimentum ei debetur; prout Seneca *gratiam* à *mercede* diſtinguit reſpectu medici qui nos curaverit, & illam cum hac deberi putat, ſi id præſtiterit animo amico, non perfunctoriè tantum, & ſeriò noſtris malis con-

lis condoluerit. Itaque cum Deus quà Rector univerſi ſanciat Leges ſuas ſub pœnis & præmiis, nec obedientiam exigat tantum ex conſideratione ſuæ in nos ὑπεροχῆς, ſaltem ex hypotheſi talis Legiſlationis, non poteſt præmium promiſſum non decernere & conferre operanti: juxta dictum Pauli Rom: IV, 4. quod *ei qui operatur merces non imputatur ex gratia, ſed redditur ex debito.* Sed etiam non convenit ſecum Crellius ſtatuendo, quod *impunitatem ſi prorſus innocentes eſſemus, mereremur* apud Deum. Qui enim id conciliabit cum eo quod docet hoc capite, poſſe Deum abſolutè innocentes & citra ullum reſpectum peccati affligere & punire?

Diximus autem, non ſancire tantùm, quæ placeat, Deo licere; ſed & ſancita, quatenus nimirum ipſa honeſtatis ratio permittit, tollere. Poteſt ergo & leges, quas poſitivas vocant, abrogare, h.e. penitus tollere; ac multò magis iiſdem derogare, earúmve partem tollere: ac denique eaſdem relaxare, h.e. earum vim circa res aut perſonas ſingulares tollere, quam in cæteris velit eſſe ſalvam atque illibatam. Ubi enim abrogatio locum habet, ibi multò magis locum habet derogatio, & relaxatio, quam diſpenſationem vulgò appellant. Hac poteſtate uſus eſt Deus, cùm leges ceremoniales per Moſen latas, itemque judiciarias, quatenus à naturalibus diſtinctæ ſunt, ſub N. Fœdere ſuſtulit. Habet autem ea res non tantùm locum in præceptis, quibus Deus aliquid vel fieri jubet, vel prohibet; ſed etiam in ſanctionibus pœnalibus ac comminationibus legi additis. Sic ſub Euangelio ſuſtulit ſeveriſſimam illam Legis Moſaicæ ſanctionem: *Maledictus omnis, qui non perſeverarit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis;* (*Gal:* 3. 10. *ex Deut:* 27. 26.) loco ejus hanc reponens: *Qui non credit*, nempe in Dei filium, *condemnabitur:* (*Marc:* 16. 16. *Ioh:* 3. 18, 36.) Credendi autem verbo etiam effectus fidei, nempe pietas ei conſentanea, includenda eſt. Nam & hoc ſancitum eſt, ut qui ſecundùm carnem vivunt, moriantur, & regni cæleſtis hæreditate excludantur. ſic paſſim ſacræ literæ docent. (*vid: inter alia cap:* 5. *Mat: totum, & cap:* 7. *& cap:* 25. 34, *& d. Ioh:* 5. 29. *Rom:* 6. 10: 8. 13. *conf: & vers:* 1, 4. *& d.* 1 *Cor:* 6. 9, 10. *Gal:* 5. 19, 20, 21 *Epheſ:* 5. 5. *Apoc:* 21. 8, 27: 22. 15.) Poteſt autem Deus & lege pœnali cæteroqui durante, vim ejus circa certas perſonas aut facta tollere. quemadmodum olim (2 *Sam:* 12. 13. *conf: praced: à vers* 5) mortis pœnam Davidi remiſit, lege generali de adulteris & homicidis capitali ſupplicio afficiendis non abrogata, ſed durante ejus in cæteris perſonis ac factis obligatione: qua de re viri docti jam ante nos monuerunt. Quanquam ejuſmodi relaxatio, quæ facta hominum ſequitur, etiam ad libertatem judiciariæ poteſtatis pertinet, & forte magis, quàm ad eam, quæ in ipſis legibus ferendis aut mutandis cernitur, licet cum hac conjunctionem habeat.

Digitized by Google

‡ *Habet autem ea res*] Sanè ſublatâ Lege Dei poſitivâ, per abrogationem univerſalem, aut diſpenſationem, particularem & perſonalem, tolluntur ſanctiones pœnales ac comminationes illi additæ; imò poteſt manere lex abſque determinata ſanctione pœnali in foro fori; ideſt abſque hujus vel illius pœnæ ſpecifica definitione, ut cum in legibus humanis pœna infligenda relinquitur judicis arbitrio; Sed quamdiu lex ulla Dei manet in ſuo vigore & vim habet legis, tamdiu ejus tranſgreſſio reatum inducit & meritum poenæ, ejuſque mortis & æternæ in foro poli; etſi poſſit Deus ſanctionem poenalem in foro fori, vel abrogare vel non addere: V.G. manebat Lex ſub V. T. de polygamia vitanda: quam qui contrahebant, reatum mortis æternæ qui omne peccatum conſequitur in foro poli, incurrebant; tamen nulla ſanctio hic erat poenalis in foro fori per leges judiciarias. Apis quæ caret aculeo nunquam mel poteſt colligere aut ceram facere; ſimiliter inutilis eſt lex quæ caret omni ſanctione poenali, vel genericâ vel ſpecificâ; adeoque hac omni ſanctione ſublatâ, lex ipſa remanere non poteſt.

Sic ſub Euangelio] Alia quidem eſt Euangelij ſanctio, alia Legis. Interea tamen manet ſemper illa ſanctio Legis, *Maledictus* &c. Nam qui ſub lege ſunt, teſte Paulo Gal: III, 10. ſunt *ſub maledictione*: Nec aliter ex maledictione peccatis noſtris debita liberamur quam morte Chriſti, qui illam in ſe tranſtulit, *factus maledictio pro nobis* Gal: III, 13. Et cum Lex Moralis adhuc obliget, manet adhuc ejus ſanctio poenalis, licet non in illis quos Chriſtus redemit ab exſecratione Legis. Imò cum hoc adhuc ſancitum ſit *ut qui ſecundum carnem vivunt moriantur*, ut fatetur author, eoipſo Maledictioni Lege denunciatæ ſubſunt; juxta id quod habet Iacobus II, 10. Qui *impegerit in uno, damnas factus eſt omnium.* Nec per omnia debet conferri ſanctio Euangelica, *Qui non credit condemnabitur*, cum ſanctione Legali, *Maledictus* &c. Nam tranſgreſſio Legis quoquomodo eſt ſemper cauſa meritoria Maledictionis æternæ: Sed cum τὸ non credere ſumatur vel *privativè*, de ijs quibus annunciatum eſt Euangelium, vel *negativè* de ijs quibus nihil de Euangelio fuerit prædicatum, non eodem modo utrumque ſe habet ad condemnationem æternam: Nam non credere privativum, ſe ad illam habet partim meritoriè & efficienter, quatenus cœteris ſuis tranſgreſſionibus increduli adjiciunt rejectionem Euangelij, & ſic auctis peccatis augent ſuam condemnationem; partim etiam deficienter, quatenus reſpuentes gratiam Dei in Chriſto oblatam, rejiciunt tabulam per quam fuiſſent Cyaneas Maledictionis legalis enataturi, ſi eam admiſiſſent; Sed non credere negativum, ſe habet tantum deficienter ad condemnationem eorum æternam de quibus dicitur; quatenus ſi adfuiſſet fides eam non incurriſſent. Sic enim dicebat Martha Chriſto Ioh: XI, 21. *Domine ſi hic fuiſſes, frater meus non eſſet mortuus.*

Poteſt autem] Hoc verum eſt de utraque poena tam in foro fori quam in foro poli: Manet enim ſanctio poenalis *addita* legi, quamvis interea gratuita peccatorum noſtrorum remiſſione tollatur circa noſtras perſonas & noſtra facta, intuitu ſatisfactionis Chriſti, adeo ut nulla amplius ſit condemnatio ijs qui ſunt in Ieſu Chriſto Rom VIII, 1. cùm juſtitiæ Dei repugnet bis idem peccatum ulciſci: Ita Davidi remiſſa fuit poena mortis & condemnationis æternæ quam ſuo peccato erat commeritus, ex futura Chriſti ſatisfactione pro ipſo; cùm Davidica remiſſio peccatorum ſit Paulo juſtificatio fidei per Chriſtum Rom: IV, 6. Sed non debuit illi remitti poena mortis corporeæ lege judiciariâ ſancita in adulteros & homicidas; quia hæc poena à ſolo Magiſtratu infligenda, non poterat de-

rat de-

Digitized by Google

rat decerni in Regem qui nullum Magiſtratum ſupra ſe agnoſcebat; adeoque hac lege erat ſolutus, non quidem quoad directionem, ſed ſaltem quoad coercitionem & punitionem; quo ſenſu Principem ſolutum eſſe legibus vulgus Ictorum ſtatuere ſolet.

Quod ad decreta de præmiis attinet, quæ legiſlator non ab alijs perſolvi vult, ſed ſe redditurum pollicetur; ea ſub promiſſorum legem penitus cadunt: & abrogari non poſſunt, niſi fortè certo aliquo tempore, aut conditione, ſive apertâ, ſive tacitâ ſint definita. Elapſo enim tempore, aut conditione ceſſante, eorum vis ceſſat. Sed alioquin revocari non poſſunt 181. ſine concenſu ejus, cui promiſſum eſt. Huic enim jus promiſſione acquiritur, quod eripi invito non poteſt. Commutatio præmiorum fieri ſalvâ juſtitiâ poteſt, præſertim minorum in longè majora, & accipienti longè utiliora ac gratiora. Sed ſanctionibus pœnalibus, non delinquentibus jus acquiritur: verùm jus ſuum aſſeritur ei, ad quem pœnæ utilitas ſpectare meritò debet. Hic ſi ſit ipſe legiſlator, pro arbitrio eas leges relaxare poteſt. nec relaxare tantùm, ſed & abrogare, aut iis derogare. quanquam ſine ratione probabili id fieri, prudentiæ inprimis aut ſapientiæ lex non permittit. & quò major vis legi fit, licèt alioqui poſitivæ, tantò major ac validior ratio id ſuadere debet. Major autem legi vis fit derogatione, quàm relaxatione ſeu diſpenſatione: major adhuc abrogatione, quæ totam legem tollit.

‡ *Sed ſanctionibus*] Non delinquentibus jus acquiritur non ſolum impunitatis, ſed etiam remunerationis, quæ legum obſervationi a Legiſlatore promiſſa fuerit. Interea tamen ſanctiones pœnales legibus additæ non tantum aſſerunt jus privatorum, quorum incolumitati per leges ſub his aut illis poenis ſancitas proſpicitur, ſed etiam ipſius Legiſlatoris Poteſtatem ac Majeſtatem legum tuentur: Leges enim eſſe deſinent, niſi ſub poenis ac præmijs ſancitæ fuerint: debent quippe binis armari manibus, quarum altera ſit aurea ad remunerationem, altera ferrea ad poenitionem. Itaque poenæ utilitas, redit primùm quadantenus ad privatos, qui injuriâ vel damno affecti fuerant, ſi non præciſè quà poena eſt, quo ſenſu nec ad illam poſſunt agere, ſaltem quatenus poenâ delinquentium damni vel injuriæ compenſationem, reparationem, vel ſatisfactionem aliquam conſequuntur: 2. Ad Univerſitatem, quatenus Reip. intereſt delicta impunita non manere, & leges jure ſancitas in ſuo vigore permanere. 3. Ad ipſum Legiſlatorem ſive ſupremum Magiſtratum, cujus Majeſtas legibus armata violatorum ſupplicijs vindicatur & aſſeritur. Quo ſenſu poena propriè ſatisfactoria τιμωρία vocatur, ἀπὸ τῆς τιμῆς, quod ſupremæ Majeſtatis, quæ Honoris & Reverentiæ filia dicitur Poetis, dignitati aſſerendæ & vindicandæ deſtinetur.

Hic ſi ſit ipſe] Non diffiteor Leges poſitivas poſſe relaxari & abrogari, ab ijs qui eas ferre potuerunt: Per quod enim unumquodque ligatur per idem & ſoluitur: Sed nec relaxationi, nec abrogationi iſti locus eſſe poteſt in legibus quæ ſunt juris naturalis & perpetui;

Digitized by Google

petui; Nam ut illæ ſemper obligant ſubditos ad officium, ita eos ſi peccent faciunt reos & debitores illius pœnæ ſub qua ſancitæ ſunt: adeoque hæc pœna ſimpliciter & abſolutè relaxari nequit, quin luxetur legum compages, & ipſæ leges alias indiſpenſabiles non tam relaxentur quam refigantur: Id ſenſit Zaleucus Locrenſium Legiſlator, qui cũ ſuus filius poenam excœcationis contra adulteros ſancitam ſua ipſius lege meritus fuiſſet, maluit unum ſibi alterum filio oculum erui, quod ſæpè pater & filius pro una perſona in jure cenſeantur, quam legem ſuam relaxare, aut ab illius ſanctione diſcedere. Atque hinc liquet non potuiſſe ſimpliciter remitti poenam peccatis noſtris ex Legis inviolabili ſanctione debitam, abſque ſufficienti ſatisfactione, eo quod Lex ipſa ſit æterni & indiſpenſabilis vigoris; eſtque, teſte Paulo Rom: 1, 32. hoc jus Dei, ut qui talia patrant digni ſint morte.

Porrò autem ut ad eam poteſtatis divinæ partem veniamus, quæ conſiſtit in rerum ſancitarum adminiſtratione; ad eam pertinet, tum cura, quæ adhibetur, ut, quæ alijs ſunt mandata, ſerventur; tum de factis præteritis judicium, hoc eſt, pœnarum ac præmiorum perſolutio. ad quam propemodum revocare poſſis defenſionem eorum, qui parent, & ab injurijs vindicationem. quòd ſi tamen extra judiciorum lineam cadat, eam cæteris imperii functionibus tanquam diverſam adjungere licet. Sunt autem quæ illæ, quas conſtituimus, partes adminiſtrationis rerum ſancitarum ita inter ſe conjunctæ, ut prior etiam de poſteriori aliquid trahat. Nam & tunc, cùm Deus delinquentes punit, aut pios præmiis in hac vita afficit, ut mandata ſua obſerventur curat. Sive enim ipſosmet delinquentes caſtigando emendare conatur, ſive eos alieno ſupplicio exemploque terret, id agit, ut legibus ſuis pareatur. Præmiis autem tum eos, quibus perſolvit, ad virtutis conſtantiam hortatur, tum cæteros ad eorum imitationem excitat. Quin & præmiorum, quæ legibus fortè additur, *promiſſio*, promiſſorum confirmatio, pœnarum denique comminatio huc pertinet. Pertinent & alia multa, ſive beneficia, ſive nocumenta, quæ pietatem languentem excitant, aut materiem ei præbent uberiorem. Pertinet huc & electio & conſtitutio eorum, per quos leges ſancitæ inculcentur, urgeantur, in earumque obſeruatione alii juventur. Magna eſt hæc Dei poteſtas, & latiſſimè patens: ſed auguſtiſſima eſt poteſtas judicandi, & præmia pœnasque perſolvendi. Et de præmiorum quidem perſolutione quid ſtatuendum ſit, ex ſuperioribus ſatis conſtat. Quod ad pœnarum perſolutio-
182. nem attinet, primùm poteſt Deus non tantùm pœnas expreſſè ſancitas exigere, ſed etiam nunquam expreſſas, modò naturâ ſuâ non ſint iniquæ, hoc eſt, delicto non graviores, & promiſſio de impunitate nulla extet. Itaque etiam olim lege nondum lata punire homines potuit Deus: modò adverſus leges honeſti conſcientiæ uniuscujuſque à natura inſcriptas aliquid, præſertim grave atque enorme, deliquiſſent. Eo ipſo enim ſtatim pœnam fuerunt commeriti,

Digitized by Google

meriti, etiamſi eam Deus expreſſis verbis non eſſet comminatus. Conſcientia ſanè ipſa unumquemque reum facit, &, ſimul ac peccatum agnoſcit, præſertim grave, eum ad ſuum tribunal ſiſtit, & pœnam commeritum eſſe judicat.

‡ *Quod ad pœnarum*] Primò non ſolum poteſt ſed etiam debet Deus tum ex juſtitia ſua, niſi aliundè ipſi ſatisfiat, tum ex ſua veracitate, poenas lege denuntiatas & ſancitas exigere; Secundò abſurdè fingitur poſſe poenas nunquam expreſſas exigere: cùm non ſit locus exactioni poenarum, ubi lex non fuerit, & lex nulla feratur à Deo abſque poenali ſanctione.

Itaque etiam] At ſanè nunquam homines exleges fuerunt: & ipſa lex honeſti omnium mentibus inſculpta, poenæ habet ſanctionem additam; unde illæ excuſationes vel accuſationes mutuæ, de quibus Rom: II, 15. Huc pertinet illud *Occultum quatiente animo tortore flagellum*, de quo Iuvenalis *Sat.* 13. & *quod ſe, Iudice nemo nocens abſolvatur, improba quamvis, Gratia fallacis prætoris vicerit urnam*: Nihil enim eſſe miſerius animo ſibi malè conſcio, vel ipſi Ethnici agnoverunt. Addo quod Deus ſanctionem eam addidit Legi poſitivæ latæ primis parentibus circa fructum prohibitum, *Quo die comederis morte morieris* Gen: II, 17. quam ipſa ratio dictat extendi debuiſſe ad omnem aliam tranſgreſſionem.

Præſertim grave] Hac limitatione non eſt opus; nam conſcientia tenera & benè edocta, nullum peccatum in Dei Legem leve eſſe judicat, aut naturâ ſua veniale:

Conſcia mens ut cuique ſua, ita concipit intra
Pectora, pro facto ſpemque metumque ſuo.

inquit Ovidius; Quamvis non negem graviorum ſcelerum pondere gravatam conſcientiam, ideſt eorum quæ in foro humano vel extremum ſupplicium vel infamiam merentur, cum in coeteris homines nimium in ſe miſericordes, ſibi facilè ignoſcere ſoleant, acerbiores pati aculeos, quam eam cui nihil poteſt objici præter peccata quotidianæ ſubreptionis: Tunc enim pro muro aheneo habetur, Horatio judice, *Nil conſcire ſibi nullâ palleſcere culpâ.*

Nam quòd Apoſtolus dicit, *Legem iram operari: quia ubi non ſit Lex, nec prævaricatio*, ſeu *tranſgreſſio* ſit: & *peccatum non imputari, cùm Lex non eſt*; (*Rom: 4.15: 5.21.*) id non eſt de Lege expreſſis verbis à Deo lata eatenus intelligendum, quatenus ea prohibet, quæ ipſa naturalis ratio adeo turpia eſſe cernit, ut, niſi fortè depravetur, vehementer ab illis abhorreat, eaque committi indignè ferat: ſed eatenus revera, quatenus ea vetat, quæ naturalis ratio vix ac ne vix quidem vitioſa judicat, vel etiamſi vitioſa eſſe judicet, non tamen adeo ab illis abhorret, quin illis veniam dandam eſſe putet. cujuſmodi eſt concupiſcentia, & alia peccata, in quæ valde proclivis eſt lapſus. Cæteroquin in enormibus ſceleribus naturæ lex ſat validè homines obligat ad pœnam, ut ex non uno ſcripturæ loco apparet, ubi ſupplicia divina, eaque graviſſima commemorantur, ante Legem Moſaicam, de qua illa Pauli verba loquuntur, hominibus impiis inflicta. (*vid: Gen: 6. 5. & d. & cap: 7, & 8. & cap: 15. 13, 14, 15. conſ:* Exo: *cap: 7, & ſeqq. Gen: 18. 20, & d. & cap: 19.*

Digitized by Google

cap: 19. Lev: 18. 24. & c. 20. 23.) Hic ergo primùm poteſtas divina circa pœnas cernitur.

‡ *Nam quod Apoſtolus*] Hæc multa carpenda jure veniunt: Nam Primò Apoſtoli mens eſt perſpicua, & univerſaliter intelligenda, quod ubi non eſt lex ibi non ſit peccatum: nam peccatum eſt *ἀνομία* 1 Ioh III: 4 ſive declinatio à Lege. Secundò fruſtrà id reſtringitur ad Legem ceu per Moſem promulgatam; cùm hæc à Lege honeſtatis naturalis realiter non differat. Tertiò Lex Moralis nihil vetat quod naturalis ratio vitioſum eſſe non judicet, aut à quo, ſi ſana ſit & ſanè judicet, vehementer abhorrere non debeat; Fateor equidem rationem naturalem corruptam & depravatam non ita noſſe quonam ſpectet mandatum Dei de non concupiſcendo quod in Lege Moſaica extat, quatenus nempe ad ipſam quoque concupiſcentiam originalem & in actu primo, ejuſque motus primò primos extendendam eſſe verè pii intelligunt; quo ſenſu Paulus Rom VII, 7 profitebatur ſe neſciturum Concupiſcentiam eſſe peccatum, nempe ſubtiliorem illam quæ Theologis originalis dicitur, niſi Lex dixiſſet, *Non concupiſces*, & eo ipſo ipſius mali penitiſſimas & pertinaciſſimas fibras revellendas & damnandas eſſe docuiſſet; Interea ipſe Ethniciſmus novit actualem concupiſcentiam & formatam, turpem eſſe & vitioſam; Vnde Iuvenalis, *Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat ullum, Facti crimen habet*; Et Seneca, *Inceſta eſt etiam ſine ſtupro quæ cupit ſtuprum.*

Vt jam ſervaris benè corpus, adultera mens eſt,
Omnibus excluſis intus adulter erit.

Exercetur enim atque aperitur opere nequitia, non incipit, & *Latro eſt antequam inquinet manus*, inquit iterum Seneca; item *fecit quiſque quantum voluit.* Quartò denique quamvis homines ſibi ipſis facillimè ignoſcant, nullius tamen conſcientia, niſi errans, ipſi dictat, eſſe peccata quædam natura ſua venialia; aut ſi quæ venialitatis adſit perſuaſio, illa totum fori potius ſpectat quam forum poli; cujus Leges, multo magis quam Draconis, ſcriptæ ſunt ſanguine humano, eoipſo quod ſtipendium peccati ſit mors Rom: VI. 23.

Cæteroquin] At eo ipſo quod homines per hanc Legem *ſat validè* obligantur *ad pœnam*, docemur irremiſſibilem & indiſpenſabilem eſſe ſanctionem poenalem additam Legi, quamdiu nullus intervenit ſponſor qui illi ſatisfaciat.

Deinde, ut poteſtatem habet Deus infligendi pœnam, ita & non infligendi: niſi fortè extrema peccatoris contumacia, aut irrevocabile ipſius Dei decretum, diverſum poſtulet, ut inferiùs explicabitur. Cæteroquin juſtitiæ Dei nequaquam repugnat, peccatori, quem punire jure poſſet, ignoſcere.

‡ *Deinde ut poteſtatem*] Hoc falſum eſt: Nam Primò quam neceſſe eſt Rectorem & Principem inter homines, ſi cuſtodem ſe legum profiteatur & agnoſcat, imò ſi velit ſecuram & tranquillam eſſe Remp. & boni Rectoris partes implere, ſceleribus fræna non laxare per impunitatem, tam neceſſe eſt Deum ſupremum mundi Rectorem & Iudicem in genere ſcelera hominum ulciſci nec impunita dimittere. Nec planè negligendum quod refert de Democrito Plinius *lib.* [illegible]. *Hiſt. nat. cap.* 2. ipſum Pœnam & Præmium pro Numinibus coluiſſe; quia his duobus tota reſp. continetur. II. Non *contumacis* modò peccatoris, aut *irrevocabile quod Dei*

Digitized by Google

Dei decretum, quamvis & huic ſuus locus hic eſſe poſſit, verum ipſa Dei natura & eſſentialis juſtitia exigit peccatum impunitum non manere. Sanè ad ὑπεροχὴν Dei pertinet Legiſlatoria poteſtas; ſed leges jam latas tueri & vindicare, ipſius eſt quà Iudicis totius terræ; quo elogio inſignitur Gen: XVIII, 25. Nec malè Marcianus *l.* 11. *ff. de pœnis* ſtatuit *perſpiciendum judicanti ne quid aut durius aut remiſſius conſtituatur quam cauſa depoſcit. Nec enim aut Severitatis aut Clementiæ gloria affectanda eſt, ſed perpenſo judicio, prout quæque res expoſtulat, ſtatuendum eſt.*

Cæteroquin juſtitiæ] Atqui id nequidem adverſarius auſit univerſaliter affirmare: Agnoſcit enim juſtitiæ Dei repugnaturum ſi ignoſceret peccatoribus contumacibus & impoenitentibus: Imò cum delicta puniri publicè interſit, tam repugnat juſtitiæ divinæ impunitas ſcelerum, quam repugnat Deum ſummi Rectoris in orbe munus abdicare, & ſuo Dominio renunciare. Vt autem non poteſt Deus non eſſe ſummus univerſi Rector, ita non poteſt non præſtare ea quæ ſunt boni Rectoris, Leges ſcilicet ſanciendo, & earum tranſgreſſiones debitis poenis ulciſcendo. Vt enim Dei juſtitia per ſe amat virtutem & odit peccatum, ita per ſe in poenam peccati fertur; cum odium Dei, nihil ſit aliud quam conſtans voluntas puniendi id quod injuſtum eſt: Imò ſicut conſcientia quæ Dei eſt quædam idea ſive imago in nobis, non ſinit peccatum impunitum;

Exemplo quodcunque malo committitur ipſi
Diſplicet authori, prima hæc eſt ultio quod ſe
Iudice, nemo nocens abſolvitur;

ita convenit Deum non relinquere peccatum abſque poena, quam Heſiodus culpæ coætaneam ideo fecit; adeo innatum & agnatum eſt omni peccato debitum ſupplicium: & hoc eſt jus Dei ut qui talia patrant digni ſint morte Rom: I, 32. Vna de gravia ab alijs paſſi, ſolent ſe ſolari in Divina Nemeſi, quæ utut habeat pedes laneos, manus tamen ferreas adhibet ſuo tempore. Ideo Paulus non vult ut privatæ vindictæ indulgeamus Rom: XII, 19. ſed eam committamus omnem ei qui dixit, *Mihi eſt vindicta & ego reddam.* Hòc ſenſu dictum à Lactantio *de ira Dei cap.* 17. *Neceſſe eſt bono ac juſto diſplicere quæ prava ſunt, & cui malum diſplicet moveri cum id fieri videat; Ergo ſurgimus ad vindictam non quia læſi ſumus, ſed ut diſciplina ſervetur, mores corrigantur, licentia comprimatur; hæc eſt ira juſta quæ ſicut in homine neceſſaria eſt, ſic utique in Deo, à quo ad hominem pervenit exemplum. Nam ſicuti nos poteſtati noſtræ ſubjectos coercere debemus, ita etiam peccatum univerſorum Deus coercere debet.*

Nemini enim, ſive puniat, ſive non puniat, facit injuriam. ſiquidem de jure ipſius tantùm agitur. Neque enim nocenti, ut ſuprà monuimus, debetur pœna, ſed is eam debet: & debet quidem illi, in quem injuria omnis ultimò redundat: qui in noſtro negotio eſt Deus.

‡ *Nemini enim*] Non poſſunt hæretici inficias ire Magiſtratus & Rectores in mundo ex muneris officio teneri ad poenas ſontibus infligendas, etſi ſontium impunitas in nullius cedat injuriam: Nec enim debetur poena propriè nocenti, qui potius eam debet, uti benè ſtatuit Crellius: nec ei etiam debetur cui alter nocuit; qui videlicet non poteſt agere ad poenam, uti notum eſt, ſed tantum ad id quod intereſt, & reparationem damni quod paſſus eſt. Sed illa poena debetur bono Vniverſitatis & Majeſtati ac Authoritati Rectorum, unde & τιμωρία Græcis dicitur, uti ſupra monui. Quare & Romanis more fuit & opinione

Digitized by Google

receptum, *Magiſtratum qui poteſtatem ſuam in adminiſtrando non defenderet, imminuti magiſtratus veluti majeſtatis læſæ reum eſſe*, ut eſt apud Aſconium *in Verrinas*. Fiat itaque tale argumentum: Id poteſt Deus juſtè per quod ſive faciat ſive omittat nemini facit injuriam: Sed ſive puniat ſcelera ſive non puniat, nemini faciet injuriam; Ergo. Quis non videt primò majorem eſſe falſam: Quam multa enim ſunt quæ fieri repugnat juſtitiæ & ſanctitati & perfectioni Divinæ, quæ tamen cum nullius injuria conjuncta eſſent ſi fierent: Ita Deus non poteſt ſeipſum abnegare, aut ſe exuere naturali Dominio quod habet in Creaturas, aut leges honeſtatis naturalis hominibus non ponere; quod tamen ſi faceret nulli eſſet injurius. 2. Ex hoc argumento perinde ſequi, poſſe Deum etiam impoenitentes & extremè contumaces peccatores impunitos dimittere, quod tamen non audent hæretici ſtatuere. 3. Etiam hinc colligi ſupremos in Rep. Rectores poſſe omnia ſcelera impunita relinquere; cùm ſive puniant ſive non puniant nemini faciant injuriam, ex argutijs iſtorum: non læſis, quia nec ipſis debetur poena, ſed tantum id quod intereſt; neque nocentibus, uti hìc argutatur adverſarius; & de ipſorum jure tantum agitur: Quanquam nec tam de Rectorum *jure* hìc agitur, ut ſupponunt adverſarij, quam potius de eorum nobili *officio*, ex quo tenentur poenas à ſontibus repoſcere.

Neque enim nocenti] In hac obſervatione nihil eſt ſoliditatis: Non equidem illi debetur poena, prout *deberi* propriè id tantum intelligitur quod peti & ab invito exigi poteſt *l.* 108. *ff. de Verborum ſignif.* & quatenus debitum ad res creditoris auctiores faciendas ſpectat; ſed cum debeat poenam, ideſt ſit eam commeritus, & illam debeat vi legis naturæ, quæ, uti modò dicebatur ab ipſomet Crellio, ſatis validè homines ad illam obligat, utique eâdem lege quâ debet poenam, ei quoque debetur ab eo cujus eſt legem illam tueri & conſervare: ideſt, tenetur Rector ex nobili officio eam poenam illi infligere.

Et debet quidem] Non ſanè poenam debet reus ei qui læſus eſt, quà læſus eſt, nec Rectori quatenus in ipſum ultimò omnis injuria redundat, ſed quatenus diſciplinæ & legum cuſtos eſt atque vindex; uti ſupra ex Lactantio notabamus. Deum quidem non negamus eſſe partem offenſam: Sed tamen non punit vel remittit peccata quà pars offenſa, ſed quà ſupremus Orbis Rector, cujus ὑπεροχὴν illa poteſtas puniendi vel remittendi illæſâ ſuâ juſtitiâ, comitatur. Sanè ſi Principes quà læſi punirent, tū alijs etiam læſis idem jus foret, qui tamen nec punire poſſunt nec impunitatem concedere; nec poſſent Principes ea crimina punire quibus ipſi non læderentur, ſive quæ læſæ majeſtatis crimina non forent; quod utique falſum eſſe nemo negabit.

Jus autem ſuum, ſi rem per ſe ſpectes, ut perſequi cuique licet: ita & non perſequi, ac de eo, quantum libet, remittere. Hæc enim juris proprii ac dominici natura eſt. Jus autem, quod Deus ad pœnam habet, ipſius proprium eſſe, ex iis, quæ ſuprà dicta ſunt, patet. Quia enim omnia, quæ nobis præcipit ſervis ac mancipiis ſuis, debemus Deo, naturali noſtro domino atque hero; eidem etiam debemus neglecti obſequii ac miniſterii pœ-
283. nas. Nam hæ in omiſſi officii veluti locum ſuccedunt, & id compenſare, ſi modò poſſint, debent. Cum ergo herili jure à nobis exigat Deus obſequium; eodem etiam neglecti officii pœnas exigere poteſt.

‡ Ius autem

Digitized by Google

‡ *Ius autem ſuum*] At Rectores & Magiſtratus, non *juris* ſui perſecutione, accuratè loquendo, poenas exigunt à ſontibus, ſed præſtatione ſui officij: Nec par eſt ratio perſonæ publicæ, circa poteſtatis ſuæ vindicias, quæ privatorum in juris ſui exactione vel relaxatione: Eſt enim Magiſtratus *Dei miniſter, ultor ad iram ei qui quod malum eſt fecerit* Rom: XIII, 4. Quare non eſt in ejus arbitrio uti vel non uti gladio. Nec ſemper & in omnibus licet etiam privatis jus ſuum non perſequi aut de illo remittere. Imò aliquando coguntur privati vel jure naturali vel ex legum & Magiſtratus authoritate jus ſuum perſequi, & actionem vel damni vel injuriarum inſtituere adverſus eos à quibus læſi fuerint. Vnde illud Ciceronis, *Negligere quid quiſque de ſe ſentiat, non ſolum arrogantis eſt, ſed etiam diſſoluti.* Nec denique jus puniendi in Magiſtratu eſt jus abſoluti dominij aut jus crediti, in quo cuique licet facere de ſuo quod voluerit. Nam jus abſoluti dominij ut & jus crediti comparatum eſt ejus gratiâ qui illud habet: At jus puniendi non punientis cauſâ exiſtit, ſed cauſâ totius communitatis, & quoniam delicta puniri publicè interſit. Quare cum jus dominij & crediti per ſe ſint expetibilia, ſontium punitio non eſt per ſe expetibilis, ſed tantum propter bonum publicum; unde ipſe Deus proteſtatur ſe pœnâ & morte ſontium non delectari Ezech: XVIII, 23. Adhæc nunquam cum juſtitia pugnat de jure dominij aut crediti cedere: quia hæc eſt natura proprietatis ut eâ tam uti quam non uti liceat. Sed quædam peccata, puta impœnitentium & extremè contumacium, impunita dimittere injuſtum eſſet, ut ſupra fatebatur adverſarius. Nec denique poteſt Deus, cum ſe ipſum abnegare nequeat 2. Tim: II, 13. ſuo juri & dominio in totum renunciare; aut illam ſuam Legiſlatoriam ὑπεροχὴν, cujus vi pœnas exigit à ſontibus, exuere.

Ius autem quod] Iam de hoc diximus: Præterea quod Deus non poteſt illud in nos dominium naturale abdicare, poteſtas ejus punitiva, quà talis, non tam Dominica & herilis dici debet, quam Principalis, Legiſlatoria & Regia. Poteſtas ſiquidem coercitionis quæ Magiſtratibus convenit in Cives & ſubditos, nec Dominica nec Herilis ſtatui poteſt. Antea fatebatur adverſarius, ſaltem peccatorem debere pœnam: At juxta leges ut ſervo nihil debetur, ita ſervus nihil debere poteſt *l. 41. ff. de peculio.* Et quam vix heri ac domini habuerint primitùs jus vitæ & necis in ſuos ſervos, tamen poſtea ſi quid in ſuos heros vel alios capitaliter deliquiſſent, à ſolo Magiſtatu debebat vindicari. Quæ à me diſputantur non quod derogatum velim alto & ſupremo Dei in nos Dominio, ſed tantum quo veram σχέσιν indicem ſub qua pœnas exigit à ſontibus. Sunto itaque peccata noſtra debita, quatenus nos obligant ex lege Dei ad pœnam; Eſto Deus ſupremus noſter Dominus, qui habet authoritatem imperij, relictâ nobis ſolâ obſequij gloriâ; Non minoris nobis ſunto leges illius, quam ſervis & mancipijs herilia mandata: tamen poteſtas coercitiva & punitiva illius eſt non quà Domini propriè, ſed quà Magiſtratus & Rectoris.

Quia enim omnia] At, ô bonè, ut hoc debitũ obſequij noſtri erga Deum eſt naturale & indiſpenſabile, nec poteſt à nobis non exigere obedientiã, ideſt nos non habere pro ſervis & mancipijs, ita debitum pœnæ in tranſgreſſoribus, eſt naturale & immutabile, nec Deus poteſt illud non exigere.

Nam hæ] Itaque alterutrum debet præſtari Deo, vel obediẽtia, vel ſi ea defecerit, pœna: non quod Lex propriè obliget ad obedientiam & ad pœnam, ſed quia obligat ad obedientiam, ſub comminatione & denunciatione poenæ. Ac ſicut Deus non poteſt non exigere obſequium, ita non poteſt non exigere pœnam obſequio deficiente, quæ in ejus locum quadantenus

Digitized by Google

ſuccedat. Aut ſi debitum pœnæ Deus poteſt non exigere, pari ratione poterit non exigere debitum obedientiæ, nec ejus juſtitia poſtulabit ut ullæ leges morales & perpetuæ hominibus præſcribantur; quod quam ſit abſurdum nemo non videt.

Neque verò refert, quòd noſtris delictis non tantùm Deus, ſed ſæpè etiam homines alii lædantur atque injuriâ afficiantur. Nihilominus enim jus illud totum in Deum redundat. ſiquidem omnes illi, qui à nobis præter Deum læduntur, naturâ ſuâ Dei ſunt ſervi. Servis autem, ut jura docent, (*lib. 4. Inſtitut: juris, tit: 4.*) nulla fieri injuria intelligitur, ſed dom ino per ipſos. Itaque invitis etiam ſervis ejuſmodi injurias condonare dominus poteſt; & Deus noſtras.

‡ *Neque vero refert*] Imò id maximè refert: Nam boni patrisfamilias eſt jus dicere inter conſervos, quod & docet parabola Chriſti Matth: XVIII, 28. 29. 30. 31. 32. & ſeq. Et quamvis civiliter nec juris nec injuriæ capax ſit ſervus, tamen comparatè loquendo, & maximè ad conſervos, utriuſque capax eſt *naturaliter*. Et cum Deus inter hos ſedeat ut Iudex, debet eoipſo imponere pœnam ordinariam delicti, quod judicis eſt; ſive, ut jura loquuntur *lib. 4. ff. ad legem Iuliam Peculatus, prout quiſque deliquerit* animadvertere. Et quamvis quicquid homines in ſuos conſervos committunt habeat rationem peccati in ipſum Deum, tamen ſæpiſſimè Deus in Sacris Scripturis introducitur non ſuas ſed noſtras vindicans injurias, nec de ſuo jure agens ſed de alieno. Sic David dicebat Pſal: IX, 5. *Exercuiſti jus meum & cauſam meam, ſediſti in ſolio vindex juſtitiæ*: Et Pſal: CXLVI, 7. dicitur exercere judicium erga oppreſſos; Et opem ſummi illius judicis debemus certò expectare Rom: XII, 19. eamque videmus implorari ab animabus ſanctorum quæ ſunt ſub altari Apoc: VI, 10. *Vſque quo Domine non judicas et vindicas ſanguinem noſtrum ab iis qui habitant in terra?*

Hoc autem Dei jus, quod in remittendis peccatis, eorúmve pœnis condonandis cernitur, vel ex eo jure diſcere poſſumus, quod homines habent. Quiſque enim offenſas ſuas liberè condonare alteri poteſt. quidni ergo multò magis Deus?

‡ *Hoc autem Dei*] Non debemus Deum ex pede noſtro metiri, aut exigere ad decempedam noſtram ea quæ ſunt æternæ ſuæ juſtitiæ. Nec enim *oculi carnei ſunt illi, nec videt ut homo mortalis* Iob X, 4.

Quiſque enim] Iam dictum quomodo id quod fit vel fieri poteſt ab hominibus, non habeat neceſſariam conſequentiam reſpectu Dei. Deinde non valet argumentum, à condonatione offenſarum per homines ad juſtitiam Dei punitivam; Etenim pars offenſa quà talis nullum jus habet naturaliter in pœna, ſive non eſt creditor in pœna reſpectu lædentis; Quod enim offenſo inter homines debetur, non eſt pœna offendentis, ſed damni illati vel in bonis vel in fama reſtitutio. Adhæc non poteſt quiſque ſalvâ juſtitiâ & muneris quod ſibi incumbit ratione quaslibet offenſas condonare. Nam Primò qui ſunt in publica authoritate conſtituti, juſtè nequeunt injurias ſibi aut ſuis illatas muſſare, & citra omnem reparationem aut pœnam prætermittere: V. G. læditur Princeps in ſubditorum ſuorum populatione; Hanc injuriam

Digitized by Google

injuriam ſi diſſimulet, ſi arma non expediat & gladium ad vindictam, eo ipſo boni Magiſtratus negligit officium: & ante ex Aſconio oſtendebam eum Magiſtratum olim, reum habitum imminuti Magiſtratus & quadantenus læſæ Majeſtatis, qui poteſtatem ſuam in adminiſtrando non defenderet. Tutor ſimiliter in ſuo pupillo injuriâ affectus, eam condonare non poteſt, quin peccet in tutelæ munus & erga ſuum pupillum iniquus habeatur. Deus autem hîc venit conſiderandus ut perſona publica, & Rector Univerſi. Deinde homo notabiliter læſus in ſuis bonis, vel in ſuo honore, non poteſt legitimè omnem talem læſionem condonare abſque omni ſatisfactione & reſtitutione damni quod paſſus eſt, adeoque ex officio tenetur jus ſuum proſequi: Si enim V. G. Pater qui debet *θησαυρίζειν* pro ſuis liberis 2. Cor: XII, 14. pateretur impune ſubſtantiam ſuam univerſam à furibus auferri, & hoc ipſis liberè condonaret, vel diſſimularet graviorem injuriam per quam nota infamiæ ipſi & ſuis liberis poſt ſe inureretur, is ſanè & ſibi & ſuis injurius eſſet, & judice Paulo 1. Tim: V, 8. abnegator fidei ac quolibet *infideli* deterior. Quid quod occurrunt caſus in quibus pars offenſa, legum & Magiſtratus authoritate cogitur ad agendum & jus ſuum perſequendum; & ſæpè è contrario evenit ut læſo condonante omnem offenſam ac omni actioni ſuæ renunciante, nihilominus qui offenderat juſto & neceſſario Magiſtratus officio rapiatur ad ſupplicium: Hinc privatus cum condonat, nihil aliud propriè facit quam deponere ſenſum ac memoriam injuriæ acceptæ, ut vel odiſſe, vel conqueri, vel ulciſci amplius nolit; ſed tamen non poteſt lædenti impunitatem præſtare à parte Dei, cujus eſt *ἐκδίκησις*, vel à parte Magiſtratus, qui ex officio & muneris ſibi demandati conſcientia tenetur nocentes coercere.

Quòd ſi principes ſummi non tantùm ſuas, ſed interdum etiam privatorum, aut totius reipub. injurias condonare jure, cum ſingulari clementiæ laude poſſunt: quid ni & Deus, rex regûm, & dominantium? Illi enim reipublicæ tutores quidam ſunt, & boni publici adminiſtri potiùs, quàm domini. At Deus publici boni dominus eſt, non miniſter; & totius univerſi commodum ad ipſius gloriam, tanquam ad ultimum finem, referri debet. Itaque ne boni quidem publici cauſa omnino tenetur Deus punire. Quanquam & publico bono ſine pœna nocentium, ſi præſertim reſipiſcant, conſuli poteſt. imò hoc ipſum bono publico maximè conſentaneum eſt, patere reſipiſcentibus ſpem veniæ. Quare ne ſummi quidem rerumpubl. principes in hoc jure cum Deo ſunt comparandi. Quòd ſi ne illi quidem hac in parte cum Deo conferendi ſunt, quorum poteſtas certa ratione ſumma eſt ac liberrima; multò minùs Deus erit conferendus cum judicibus ſub aliena poteſtate, ac lege certa conſtitutis. Hi enim ideo, quia ab ea lege diſcedere non poſſunt, & de alieno, non ſuo jure agunt, pœnas remittendi poteſtatem liberam non habent.

2 *Quod ſi Principes*] Hoc argumentum à principibus deſumptum, multa conſideratione dignum eſt: Nam primò ſi valet affirmativè pro Hæreticis, ut inde ſequatur Deũ poſſe impunita peccata relinquere, quia Principes poenam ſontibus debitam

bitam poſſunt remittere, valebit ſimiliter negativè contra illos, non poſſe Deum impunita relinquere omnia ſaltem peccata, quia plurima ſunt quæ Principes ex officio quod ſibi incumbit neceſſariò plectere tenentur. Secundò Principes quandoque amplius hic ſibi tribuunt de facto, quam de jure licet. Nec enim ſunt à Deo conſtituti, judice Paulo, niſi ut ſint vindices ad iram eorum qui malè fecerint. Legum cuſtodes ſunt & vindices, non ut de illis diſpenſent & diſponant pro lubitu, ſed ut eas curent obſervari. Dicatur licet Princeps *ſolutus legibus l.* 31. *Princeps ff. de Legibus*, tamen id debet intelligi quoad coercitionem, ſive, ut Cujacius interpretatur, de legibus poenarijs; quod Princeps nullum præter Deum agnoſcat ſuperiorem, à quo coerceri poſſit, juxta illud Davidis ante citatum, *Tibi ſoli peccavi*; non vero quoad directionem; hoc enim ſenſu legibus ſubeſt Princeps; juxta illud Theodoſij *l.* 4. *Cod. de Leg. & Conſt. Digna vox eſt majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri: adeo de autoritate juris noſtra pendet autoritas.* Aliàs ſi ex Dei verbo de illorum officio judicemus, ſunt conſtituti ut exerceant judicium & juſtitiam: Huc ſpectat maximè Davidis votum Pſal: CI, 8. *Singulis matutinis exſcindam omnes improbos terræ, ad reſcindendum ex civitate Iehovæ omnes qui operam dant iniquitati.* Hinc quamvis Iſraelitæ quondam Reges haberent optimo jure, nihilominus Leges Dei retinebant ſuum vigorem, quibus præcipiebatur ſontium poena, adeo ut nequidem in altaris cornibus aſylum poſſent reperire. Ex ſeptem præceptis Noachidarum hoc unum erat, Iudices & Magiſtratus conſtituendos, qui in coeterorum violatores animadverterent, & poenas debitas exigerent. Tertiò, etſi Principes gratiam poſſint facere quorundam delictorum, tamen juſtitia non permittit, 1. Vt ea extendatur ultra legum poſitivarum violationem, & eos caſus aut analogos quibus Vrbes refugij ſub V. T. conceſſæ fuerant; nam ex officij conſcientia tenentur ulciſci crimina quæ impingunt in leges naturales & Divinas: 2. Vt poenam remittant ſontibus citra ſatisfactionem & reparationem damni illati tertio, ideſt ut clementiam exerceant cum injuria alterius; unde liquet ſemper juſtitiam ipſam neceſſariò exigere ut ſaltem plurima crimina puniantur. Quin tam ſcrupuloſè Principes Chriſtiani in hoc negotio verſantur, ut quoties gratiam faciunt alicui ſonti, diſertis verbis caveant, 1. Vt ſatisfiat parti Civili. 2. Vt diploma ſuum excutiatur in Dicaſterijs publicis, quo niſi juſta ſubfuerit cauſa eam gratiam indulgendi, pro nulla habeatur: nec ſemel factum, ut ex judicum authoritate, Rei cum ejuſmodi diplomate de collo pendente ad ſupplicium commeritum rapti fuerint. Quartò diſparem eſſe Dei & Principum terrenorum hac in parte rationem: Nam hi tenentur interdum clementiam exercere: ne dum ſupra modum juſti videri volunt, crudeles cenſeantur, *addatque ſævitia*, ut Salluſtius *in Iugurth.* monet, *plus timoris quam potentiæ*; At clementiam nequeunt exercere quin aliquid remittant de juſtitia; *Secedit* enim *paullum*, ut ſupra loquebatur Lipſius *pol. lib.* 2. *c.* 13. *ab acri illo juſtitiæ ſole hæc luna*; Itaque videntur debere alternis in cœlo & ſolio Principis dominari. Sed aliter ſe res habet in foro divino, in quo ſic Miſericordia poteſt exerceri ut à Iuſtitia tamen non diſcedatur. Nec ſanè clementiæ laus eſt affectanda Principi in ſingulorum criminibus, ut leges abeant in telas aranearum ſolis culicibus ſiſtendis aptas & quas facilè perrumpant grandiores muſcæ; ſed illi virtuti locus propriè demum eſt apud Principem in multitudinis peccatis, circa quæ conniventiâ quadam opus eſt, aut ſaltem *ἐπιεικείᾳ* & moderatione, ut poena ad paucos terror & exemplum ad omnes perveniat.

Illi enim] At hæc omnis diverſitas oſtendit quam parum ſit ponderis in hoc argumento;

Digitized by Google

argumento; imò quam parum id poſſint jure Principes quod hic illis tribuitur.

Itaque ne boni] At cum bonum publicum & univerſi immediatè connexum ſit cum Dei gloria, hæc neceſſariò exigit id omne quod conſtiterit illi deberi ex juſtitia.

Quanquam &c] Id falſum eſt & reſpectu Magiſtratuum in Societate humana, & reſpectu Dei in hoc mundo: Illo, quod Reip. interſit ut exemplum ſtatuatur: Hinc tenentur Magiſtratus publicè nocentes ſive reſipiſcant, ſive non, punire juxta leges; Et ſi reſipiſcentibus pœnæ gratia deberetur, nemo unquam puniretur: nam quilibet ſceleratiſſimus reſipiſcentiam ſimularet ut ſe pœnæ commeritæ ſubduceret. Hoc, quod interſit publicè innoteſcere Dei juſtitiam, & quanto odio peccatum averſetur, ut pote cujus oculi ſunt puri ne malum intueantur Hab: 1, 13. & planè ſimiles illis *luminibus oculorum acribus* juſtitiæ, in Chryſippi deſcriptione quam refert Gellius *Noct. Att. lib. 14. cap. 4.* Præterea cum hìc agnoſcant adverſarij ſaltem obfuturum bono publico ſi etiam impœnitentes maneant impuniti, ſaltem horum reſpectu concedere debent illos ex ordine immutabili juſtitiæ ad pœnam rapi debere.

Quare ne ſummi] At ſi hæc comparatio non valet, cur eâ uteris? Deinde plus Deum hìc poſſe ſalvâ juſtitiâ ſuâ, quam Principes qui ejus adminiſtrandæ gratiâ ſunt inſtituti, nunquam probabitur.

Quod ſi nulli] Fateor hoc vulgo ſtatui diſcriminis inter Principem & Magiſtratus ſubalternos, quod hi legibus adſtricti ſecundum eas teneantur judicare, nec vel latum unguem ab illis diſcedere; unde illud Icti *l. 131. ff. de V. S. Multa venit ex arbitrio ejus qui multam dicit, ſed pœna non irrogatur niſi quæ quaque lege, vel quo alio jure ſpecialiter delicto impoſita eſt*: Princeps vero gratiam faciat pœnæ, delicti veniam dando & nocentes utcunque reſtituendo; unde illud *l. 15. Cod. Theod. de Indulg. Crim. Indulgentia noſtra quos liberat notat, nec infamiam criminis tollit, ſed pœnæ gratiam facit*: Interea tamen Deus deſcribitur paſſim in Scripturis ut Iudex, qui judicat orbem in juſtitia, & cui dicebat Abraham Gen: XVIII, 25. *An judex totius terræ non exerceret jus?* Quare ut Iudicis eſt ſtateram tenere rectam & pœnas legibus conſtitutas decernere ſontibus, ita convenit Deum, ne ab illa Helice deflectat, juxta leges quas ipſe poſuit judicium & juſtitiam exercere: Nec enim hac in parte quoad Iudicis officium & munus judicandi, ratio debet haberi ſubalternationis. Cum ipſi Reges jus dicebant inter ſuos ſubditos, tenebantur citra προσωποληψίαν legibus inſiſtere; quod vel Zeleuci exemplo, antea nobis commemorato, luculenter conſtat: imò ante petitum Regem ab Iſraelitis, qui ſummæ rerum præerant, Iudices dicebantur, quo etiam nomine obſervant Docti ſupremos Chartaginenſium Rectores appellatos fuiſſe: Parum autem intereſt ad judicium legitimè exercendum, num judex ipſe leges poſuerit, vel ab alio acceperit: ſatis eſt quod judicium juxta leges poſitas debeat procedere. Et quamvis Deus non agnoſcat ullum ſuperiorem, qui ipſo indulgentiùs agente cum ſontibus, *à minima*, ut vulgo loquuntur, poſſit appellari, tamen cum ipſe ſit lex ſibi ipſi, ut per naturalem ſuam juſtitiam non poteſt non leges ponere creaturæ intelligenti, juxta quas mores & vitam inſtituat, ſic per eandem non poteſt in ſuis judicijs à ſuis legibus abire; aut quod ad illa inſidet juſtitiæ tribunal, de quo Pſal: IX, 8. 9. unquam deſerre.

Neque verò eſt, quòd putes, poſtquam Deus lege lata pœnam eſt comminatus, jam ei non eſſe integrum pœnas remittere; quia aliàs conſtantia ipſius ac

 ſius ac

Digitized by Google

ſius ac veritas convelleretur: illa, quia decreta ſua mutaret; hæc, quia id
non faceret, quod ſe facturum dixerat. Etenim, ut ab alijs jam obſerva-
tum eſt, decreta divina de pœnis irrogandis, ac porrò etiam pœnarum com-
minationes, non prorſus abſolutæ ſunt cenſendæ; niſi vel earum contrarium
naturâ ſuâ pravitatem quandam in ſe contineat: aut ſignum comminationi-
bus ſit additum immutabilis planè voluntatis. ut ſi comminationi juramen-
184. tum ſit additum. qualis extat de Iſraëlitis incredulis ac contumacibus in ter-
ram promiſſam non introducendis. (*Num: 14. 28. & d. Deut: 1. 34, 35. Eſal:
95. 12: 106. 26. Heb: 3. 11: 4. 3. & d.*) Si neutrum horum appareat; commina-
tiones cenſendæ ſunt relaxabiles, & tatitam quandam ſive exceptionem, ſi-
ve conditionem, etiam ex parte comminantis in ſe continere, etiamſi ea ex-
preſſè non ſit appoſita. Nonnunquam enim ideo conditio non apponitur,
ut jus punientis tantò evidentiùs declaretur, & is, qui pœnam eſt commeri-
tus, tantò magis ſit ſollicitus, ut eam effugiat. Itaque ne comminationis
vis veluti enervetur, conditio vel exceptio cogitanda potiùs relinquitur, quàm
exprimitur.

‡ *Neque vero eſt*] Imò ad pœnas repetendas à ſontibus, Deus infallibiliter fertur. Partim ex ſua juſtitia, quæ non patitur ſcelera impunita manere; ut vel ſolo naturæ lumine conſtabat Barbaris Melitenſibus Act: XXVIII, 4. qui viſâ viperâ quæ ex ſarmentis manui Pauli adhæſerat, dicebant eum eſſe homicidam, quem è mari elapſum ipſa Δίκη ſive ultio divina vivere non pateretur; *Quo fugis Encelade, quaſcumque acceſſeris oras, Sub Iove ſemper eris*: nec aliunde quam ex communi illo ſenſu ac inſtinctu homines inevitabili quodam periculo derepentè per latrones oppreſſi, attollunt oculos in cœlum, Deum vindicem implorantes: Partim ex ſua veracitate & conſtantia; nam quia ſemel dixit *Morte morieris* Gen: II, 17. *omnibus ſtatutum eſt ut ſemel moriantur, poſtea vero judicium* Heb: IX, 27. Et *anima quæ peccaverit morietur* Ezech: XVIII, 4. Huc facit maximè ſanctio legis Deut: XXVII, 26. *Maledictus qui non permanſerit* &c. quæ ſanctio tam firma eſt, ut debuerit Chriſtus ipſe fieri *Maledictio* pro nobis Gal: III, 13. quo illi Legis maledictioni nos eriperet.

Etenim ut ab alijs] Hæc obſervatio nulla eſt: Nam 1. Decreta Dei conditionata non agnoſcimus, ut ſuo loco diſtinctiùs videbitur: 2. Sanctio legalis non poteſt comminationibus conditionatis annumerari, dicente Chriſto Matth: V, 18. quod ex Lege Dei non tranſibit vel apex vel jota, uſque dum omnia facta fuerint; Cœlum & terra tranſibunt, ſed Verbum Domini manet in æternum: 3. Si quæ conditio ſub illa ſanctione Legis intelligeretur, hæc eſſet, Pœnam hanc ſubeundam peccatori niſi vadem & ſponſorem reperiat qui fiat peccatum pro ſe, hanc maledictionem in ſe derivet, & ita diſpungat omnia ſua mala nomina ad ultimum uſque quadrantem.

Vt ſi comminationi] Sed 1. quod juratum legitur de Iſraelitis incredulis ac rebellibus ſpectat in genere omnes impios & Chriſto credere detrectantes, uti liquet ex Heb: III, 15. IV, 2. 3. Vnde ſequetur ſaltem incredulitatis & rebellionis peccatum, ex ordine juſtitiæ & veritatis Divinę, neceſſariò, infallibiliter atque indiſpenſabiliter eſſe puniendū. 2. Fallitur adverſarius ſi putet ad verbi divini ſive promiſſo-

Digitized by Google

promiſſorij ſive comminatorij conſtantiam ac firmitatem ſemper neceſſariò requiri additionem juramenti: cùm Apoſtolus tam expreſſè Heb: VI, 17. 18. immutabilitatem vindicet non ſolum juramento divino, ſed etiam cuilibet Dei promiſſioni & verbo; adeo ut utrobique cum mentiri impoſſibile ſit.

Si neutrum horum] Nec juramentum ad id requiritur, nec careret criminum abſoluta impunitas & ſanctionis legalis relaxatio vel abrogatio, *aliquâ turpitudine*, ut amat loqui adverſarius, qualis eſt in Rectore & judice, officij quod exercere debet deſertio & contemptus: Non nego tacitas quaſdam interdum ſubeſſe conditiones in comminationibus divinis, cujus exempla proſtant in dicto Eſaiæ ad Regem Ezechiam, XXXVIII, 1. *Da præcepta familiæ tuæ, nam brevi moriturus es*, & Ionæ ad Ninivitas Ion: III, 4. *Adhuc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur*; ſed particulares comminationes, quales hæ fuerunt, & quibus Deus utebatur ad operandam eam reſipiſcentiam quæ illas ſequuta eſt, non debent confundi cum Legis æternæ immota ſanctione, cui & hominum conſcientia, & gentium conſenſus ultrò adſtipulantur; unde Rom: 1, 18. dicitur ira Dei cœlitùs revelari ſuper omnem impietatem hominum, & verſu 32. quod conſtet ipſis peccatoribus hoc eſſe jus Dei, ut qui talia patrant ſint digni morte. Non aliunde autem ille reatus ſive obligatio ad pœnam naſcitur, quam ex Legis ſanctione, cujus apographum quilibet mortalium geſtat in ſuo pectore: Et cum hactenus omnes Chriſtiani Theologi probarint neceſſariò pœnas aliquas ſupereſſe poſt hanc vitam, eo quod Deus in hac vita & quædam peccata puniat, quo juſtitiam ſuam propalet, & quædam impunita relinquat, quo inſinuet tranſactâ hac vitâ ſupereſſe tempus pœnę eorum exigendæ, debent Sociniani ex ſuis placitis huic argumento renunciare; quia impius cogitabit crimina illa quæ non puniuntur in hac vita, eo ipſo impunitatem abſolutam & omnimodam relaxationem eſſe conſequuta. Atqui ſic Deus, quod repugnat juſtitiæ, æqualiter peccatoribus inæqualia rependeret; & ejuſdem criminis reſpectu alter crimen referret, alter præmium.

Quòd ſi comminationes quædam, licet abſolutè prolatæ, non tamen prorſus abſolutè ſunt accipiendæ; ſatis apparet, ipſa decreta in Dei voluntate exiſtentia, quorum indicia ſunt comminationes, non eſſe prorſus abſoluta. Ideò enim comminationes, licet abſolutè prolatas, tacitam conditionem in ſe continere dicimus, quia decretum ea de re à Deo factum conditionem appoſitam habeat, eamque ſubintelligi Deus velit.

‡ *Quodſi*] Primùm non valet argumentum à quibuſdam comminationibus conditionatis ad omnes; ſive à particulari ad univerſale. Deinde quæcunque conditiones adjiciantur, ſemper debent intelligi ſalvâ Dei juſtitiâ; Nec quicquam obtinuerint adverſarij ſi hoc ſenſu conceſſero conditionatam eſſe illam ipſam ſanctionem Legis *Maledictus &c.* niſi videlicet ſponſor accedat qui hanc Maledictionem in ſe derivet, & peccatores ab ea liberet. Tertiò vitioſè ex comminationibus conditionatis, colligitur decretum conditionatum; cum Deus decreto abſoluto & irrevocabili, has comminationes conditionatas proponat, ceu media per quę vult aliquid aut ipſe efficere, aut permittere fieri, quod certò & abſolutè futurum & eventurum decrevit. Decreta enim Dei propriè nec promiſſoria, nec comminatoria, nec præceptiva ſunt; licet præcepta fulta & promiſſionibus & minis ſub Dei decreta

 cadant,

Digitized by Google

cadant, quatenus Deus abſolutè voluit, hæc præcepta proponere hominibus ceu normam officij ſui, idque ſub ejuſmodi comminationibus & promiſſis, pœnis, & præmijs: Sed decreta Dei ſunt certa & æterna illius conſilia per quæ conſtituit de omnibus futuris & eventuris in tempore, uti legimus Act: xv, 18. Deo ab ævo omnia ſua opera nota eſſe.

Conditio autem non ubique eadem, aut omni ex parte æqualis eſt, ſed; pro ratione ipſius remiſſionis ac relaxationis, diverſa. Nam ad veram ac plenam omnium pœnarum condonationem reſipiſcentiâ omnino eſt opus. (*Ierem*: 18. *Ezech*: 18, & 33. *Mat*: 3. 8, & *d*. *Luc*: 13.3.5, & *alibi*.) Ad dilationem verò aut mitigationem ſupplicii, aut ad certæ tantùm pœnæ averſionem, nonnunquam ſuffecit, ſeſe coram Deo humiliaſſe, factum doluiſſe, Deum fuiſſe deprecatum. (3 *Reg*: 21.29. *Ion*: 3, & 4. *capp*.) nonnunquam & alienæ preces, (*Exo*: 32.14, & *d*. & *cap*. 33.17. *Num*: 14. 19, 20.) aut facta, (*Num*: 16. 46, 47. & *cap*: 25.11, 13. *Iob*: 42. 7, 8, 9.) multùm valuerunt: & gloriæ divinæ reſpectus, (*d. l. Exod*: 32.11, & *d*. *Num*: 14.13, & *d*. *Deut*: 32. 27. *conf*: *cum praeced*: *à verſu* 15. *Pſal*: 79. 9, 10. *Eſai*: 52.5, 6. *Ezech*: 36.21, & *d*.) quæ minui ſupplicio populi divini graviore poterat. quarum rerum omnium exempla ſacræ literæ ſuppeditant.

‡ *Conditio autem*] Quod ſi ſanctio legalis non abſolutè ſed conditionatè debet ſumi, nulla ſuberit ratio cur abſolutè debeant ſumi ipſæ legis præceptiones, aut impius quilibet non arguetur, Deum dixiſſe, Non occides, ſupple niſi læſus fueris; Non furaberis, ſupple niſi egeas, aut tutò id queas facere; Non committes adulterium, ſupple niſi cum formoſa: Quare cum præcepta Dei ſint abſolutè ſumenda non conditionatè, ceu continentia juſtitiæ legalis normam certam, fixam & per omnia indeclinabilem, ita ſanctio pœnalis illis appoſita ejuſdem ordinis & naturæ debet eſſe, ut poena per illam denunciata omninò luenda veniat, vel ab ipſiſmet tranſgreſſoribus, vel à vicario ſponſore qui eam in ſe derivet & ſuſcipiat. Quare illa ſanctio non aufert Deo jus & facultatem omnis *remiſſionis & relaxationis*, ſed illius tantum quæ abſque omni ſatisfactione procederet: Legis quidam ἀκριβοδίκαιον exigit ut omnis homo qui peccarit pœnam ferat mortis æternæ; Sed Deus per ἐπιείκειαν aliquid remittit & relaxat de rigore Legis, reſpectu ſuorum electorum, admiſſo pro ipſis ſponſore in quem illa pœna derivetur: ἐπιείκεια autem nihil aliud eſt quam ſummi juris moderatio, (quo ſenſu *Icti* obſervant æquitatem opponi ſummo juri) non ipſiuſmet juris inductio & abrogatio.

Nam ad veram] Agnoſco reſipiſcentiam & fidem eſſe conditiones ex parte noſtri ſub quibus Deus nobis promittit remiſſionem peccatorum: Sed 1. hic Crellius ſe ſuo jugulat gladio: Si enim eſt *omninò opus* reſipiſcentiâ ad plenam condonationem pœnæ conſequendam, ergo ſaltem repugnat juſtitiæ & naturæ divinæ impoenitentes impunitos remanere. 2. Quod peccatum irremiſſibile impoenitenti, juxta ſanctionem Legis, evadat veniale & remiſſibile reſipiſcenti, non pendet ex tacita conditione Legis: nam reſipiſcentia eſt officium ſimpliciter Euangelicum quod Lex non novit: Hæc

vit: Hæc enim perfectam & omnimodam exigit obedientiam, à qua qui deflectit vel tantillũ, mortis poenam indubitatò ex illius ſanctione incurrat: Hinc nullum præceptũ Decalogi poteſt aſſignari, quo mandetur reſipiſcentia. 3. Ipſa reſipiſcentia per ſe nequit eum effectum operari; cùm non auſint Sociniani ſtatuere eam cauſativè & efficienter ad remiſſionem peccatorum concurrere, aut ad ſummum aliter quam diſpoſitivè & conditionaliter: Quare aliquid amplius requiritur cujus vi ceſſet reſipiſcentis reſpectu ſanctio poenalis addita Legi, quæ manet adhuc reſpectu impoenitentium: Id vero quidnam erit, niſi interveniens ſatisfactio, cujus reſpectu credens & reſipiſcens cenſeatur defunctus poenâ quæ Lege ſanciebatur? Eſt enim ille actus divinus quo reſipiſcenti peccata remittuntur, actus juriſdictionis, uti notum eſt; unde illa remiſſio peccatorum in Scripturis Iuſtificatio appellatur Rom: IV, 5. 6. Cùm autem ille actus juriſdictionis ſpectet reſipiſcentem peccatorem ab una parte & ſanctionem Legis ab altera, debet continere vel exſecutionem, vel abrogationem, vel interpretationem ipſius Legis & Legi additæ ſanctionis: Sed nec abrogatio dici poteſt, nec interpretatio. Non prior, uti liquet; cum lex abrogata non amplius obliget; hac vero obligentur adhuc impoenitentes, imò ipſi reſipiſcentes, ex adverſariorum doctrina, ſi in nova crimina reciderint: Non etiam poſterior; nam interpretatio legis oſtendit factum aliquod particulare quod venit in controverſiã lege non contineri; ut Chriſtus Matt: XII, 7. 10. 11. 12. oſtendebat opera miſericordiæ & charitatis non prohiberi lege Sabbathi: Ergo debet in iſto actu lex illa ejuſque ſanctio adhuc ſubſiſtere, adeoque aliqua ejus exſecutio ſupponi; quæ cum non ſit perſonalis in primo debitore, qui ab illa liberatur, debet fuiſſe ſubſtitutiva in expromiſſore, qui reſipiſcentes & ſibi applicantes verâ fide ſuum beneficium exſolvat & liberet ab illa; quod diſertis verbis docet Paulus Rom: VIII, 3. 4. ubi dicit peccatum *in carne* Chriſti damnatum, quo *jus legis* in nobis impleretur. Nec eſt quod dicant Sociniani ipſum reſipiſcendi actum hìc per acceptilationem admitti à Deo pro ipſa legis præſtatione; Nam Acceptilatio non eſt actus juriſdictionis, uti notum eſt; verſatur enim non inter eum qui præeſt & eum qui ſubeſt Iuriſdictioni, ſed inter creditorem & debitorem: eſt enim *ſolutio imaginaria*, ut dicitur §. 1. *Inſt. Quot modis tollatur obligatio:* At, inquies, erit explicatio ſive interpretatio Legis, ſub cujus ſanctione reſipiſcentes non includantur. Verùm id falſum eſſe, jam indicatum: Lex enim reſipiſcentiam nec novit nec exigit, ſed perfectam obedientiam: Præterea ſimpliciter injuſtum eſſet poenam legis extendi ad caſum lege non comprehenſum: ſed injuſtum non foret apud Deum punire peccatorem, etiam ſummopere dolentem de ſua culpa: cum de jure non debeat illam remiſſionem reſipiſcentiæ actui. At, inquies, remiſſio peccatorum procedit per modũ indulti ſive diſpenſationis à lege: eſt enim Diſpenſatio, actus Superioris quo legis cæteroquin manentis, obligatio circa quaſdam perſonas aut res tollitur: Sed diſpenſatio propriè licentiam confert alicui id faciendi, quod alijs vetitum eſt; quod nequit tribui remiſſioni peccatorum; nec enim ea dat reſipiſcenti licentiam peccandi, aut id faciendi quod ſub graviſſima pœna Lex interdicit omnibus. Imò ſtatuunt Scholaſtici ipſimet Deo legem naturalem indiſpenſabilem eſſe, ut videre eſt apud Becanum *tom. 1. p. 2. Theol. Schol. tract. 3. cap. 3. q. 4.* Quid quod diſpenſatio ſit actus potius ſupremæ Majeſtatis & Poteſtatis Legiſlatoriæ, quam ordinariæ juriſdictionis, quæ prout definitur Accurſio *ad l. 1. ff. de Iuriſd. poteſtas de publico introducta cum neceſſitate juris dicendi & æquitatis*

Pp 3 *ſtatuenda*

Digitized by Google

Similiter] Eſt quidem intelligentis vitium, ſi quod dicitur conditionaliter ſumat abſolutè: ſed tacitas reſtrictiones vel exceptiones, in propoſitionibus ſimpliciter & abſolutè affirmantibus aut negantibus, non excuſare à mendacio, & à pluribus contra Ieſuitas eorumque retentiones mentales, hactenus fuit demonſtratum, & conſtat ex Chriſto dicente Matth: V, 31. *Eſto ſermo veſter etiam etiam, non non, quod autem ſupra hæc redundat à malo eſt.*

Res etiam ex iis, quæ in communi hominum vita occurrunt, exemplis clara eſt. Quoties enim parentes liberis, domini ſervis, præceptores diſcipulis, imò & principes ſubditis pœnas comminantur, quas tamen, intervenientibus precibus, ſive ipſorum delinquentium, ſive aliorum, aut alia aliqua probabili cauſſa ſuadente, remittunt? nec tamen quiſquam eis vel inconſtantiæ, vel mendacii notam propterea inurit. nempe quia comminationes generatim omnes per ſe naturâque ſuâ relaxabiles ſunt, & ita intelligendæ, ut comminanti, ſub alienaque lege non poſito, eas liceat revocare. nunquam quidem ſine ratione aliqua, ſed tamen ſine ratione neceſſaria.
Lenitas enim ac clementia non cogitur, ſed exoratur, & blandè flecti- 185.
tur. quod ſi neceſſaria planè eſt, clementia eſſe deſinit; niſi forte neceſſitas tantùm pendeat ex promiſſo liberrimè facto.

‡ *Res etiam*] Fateor ſæpè locum eſſe inter homines pœnis comminatorijs; nec propriè eum decernere aut conſtituere quid abſolutè, multo minus categoricè affirmare aut negare, qui hoc aut illud comminatur, quo obſequentiores ſuis mandatis ſubditos & inferiores habeat; & ſolâ culpæ agnitione & pœnæ deprecatione tales ſępè comminationes eſſe relaxabiles; Sed 1. à poenis comminatorijs hominum ad ſanctionem Legis æternæ & immutabilis, non procedit argumentum. 2. Quamvis inconſtantia moraliter vitioſa non ſit in eo homine qui tum ſe patitur exorari, tamen mutatio eſt inſignis in ipſius voluntate, cum poenam prius decretam & conſtitutam non repoſcit, ſed remittit; Talis vero mutatio in Deum non cadit; *Ego Iehova & non mutor* Mal: III, 6. Hinc figura cubica Deo ſacra apud Veteres, propter firmitatem & conſtantiam. 3. Falſum eſt omnes comminationes relaxabiles eſſe in foro humano; Vbi enim lex poenalis addit poenam pecuniariam ſive mulctam in uſum tertij, non poteſt cum damno ejus illa comminatio relaxari à Principe qui ſtudebit juſtitiæ & æquitati; naſcitur enim jus illi tertio ex delicto alterius, quod citra ipſius injuriam reſolvi nequit. 4. Nec aliter comminationes legibus additæ diſpenſabiles ſunt & relaxabiles, quam ipſæ leges: At ſolæ leges poſitivæ diſpenſationem & relaxationem poſſunt admittere; non vero Lex Dei moralis & naturalis; illæ enim, ut ante monui, ſydera errantia imitantur, quæ ſæpè in cœlo ſitum mutant & aſpectum; hæc vero polo ſimilis, ſemper eodem loco & ſitu conſpicitur. Vt ergo non magis poteſt Deus revocare Legem ſuam quam ſeipſum abnegare, aut regimen mundi & dominium in homines abdicare; ita ei indiſpenſabilis & irrevocabilis eſt ſanctio legalis, *Maledictus* &c. Licet enim Deus non ſit *ſub aliena lege* poſitus, tamen ſibiipſi lex eſt, nec poteſt à juſtitiæ ſuæ helice deflectere. 5. Hæc omnia exempla nihil faciunt ad hanc rem; agitur enim hic non de

Digitized by Google

non de quavis poenę & comminationis relaxatione, ſed de ea remiſſione quę fit *actus juriſdictionis*, qualis eſt peccatorum noſtrorum remiſſio in Chriſto. At nullum exemplorum hic prolatorum eſt actus juriſdictionis: ſed duntaxat vel Prudentiæ oeconomicæ, ut Patrum, Præceptorum, Dominorũ; vel partim Prudentiæ, partim Majeſtatis ſupremorum in Rep. Rectorum, qui uti ſupra viſum de legum diſpenſatione, non juriſdictionis ſed ſuperioris poteſtatis actum in eo exercent.

Nunquam quidem] Primùm diſtinguunt practici & curiales inter caſus remiſſibiles & irremiſſibiles: adeoque agnoſcunt ſaltem ipſam remiſſibilitatem habere cauſam neceſſariam in æquitate & juſtitia fundatam, licet fortè non debeat neceſſariò actualem ipſam remiſſionem inferre. 2. Patres, Præceptores, Domini, cum poenam ſuis filijs, diſcipulis, famulis, intentatam & denunciatam remittunt, *intervenientibus precibus ſive ipſorum delinquentium ſive aliorum*, illas ipſas preces & ſtipulationes officij in poſterum meliùs præſtandi admittunt in ſatisfactionem & compenſationem æquipollentem ipſimet poenæ aliàs denunciatæ & infligendæ: adeoque neque hæc relaxatio deſtituitur quadam neceſſariâ ratione cum ἐπιεικείᾳ conjunctâ; qualem in remiſſione peccatorum noſtrorum per Chriſtum agnoſcimus. 3. Abſurdè ſtatuitur *Clementiæ* exercendæ non debere neceſſariam eſſe rationem: Omnes enim virtutes neceſſarias habent & leges & rationes, à quibus ſi abeant tales virtutes eſſe deſinunt, & quæ ubi adſunt virum bonum & virtuti addictum, ad earum virtutum exercitium impellunt: Clementia definitur ipſi Lipſio *polit. lib. 2. cap. 12. Virtus animi à pœna aut vindicta ad lenitatem cum judicio inclinantis.* Illud ergo judicium practicum, quo hîc & nunc determinatur clementiâ ac lenitate magis opus eſſe quam ſummo rigore & ſeveritate, illi eſt pro neceſſaria ratione, à qua diſcedi non poteſt abſque nota crudelitatis & ſævitiæ. 4. Neque ideo definit eſſe lenitas & clementia neceſſaria, etſi non cogatur: debet enim omne bonum opus fieri ἑκουσίως, non coactè, etſi neceſſaria ſubſit ratio illius præſtandi. 5. Nec verum eſt omnem clementiam *exorari* debere. Non quærit illa, ut nec ulla alia virtus, ſua motiva & fundamenta in aliorum actionibus, ſed in ſuimet generoſitate & magnanimitate: Imò interdum Clementia *lapſos erigit & ſervatum it eos ipſos qui ſe perdunt*, ut loquitur Lipſius; tantum abeſt ut ſemper expectet eorum ſupplicationes & deprecationes. Denique non valet, uti aliàs notatum, argumentum à clementia Rectorum humanorum ad Clementiam & Miſericordiam Divinam: Illorum enim clementia ſecedit paullulum à ſole juſtitiæ; adeoque ut ſol & luna per vices dominantur in orbe, ita nonniſi per vices hæ duæ virtutes exerceri poſſunt ab hominibus: Sed Deus pro infinita ſua Sapientia, reperijt rationem qua Clementiam ſummam, Iuſtitiâ tamen egregiè temperatam in nos exerceret: Iuſtitiæ enim fuit quod peccata noſtra impunita noluerit manere, & eorum poenam exegerit à *Chriſto*, qui *peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum* 1. Pet: II, 24. At Clementiæ quod dignatus eſt admittere ſponſorem Chriſtum ad illam poenam luendam loco noſtro, adeoque illam omnem poenam, ad quam aliàs perſonaliter tenebamur, nobis remittere: Satisfactio itaque Chriſti tanquam neceſſaria ex ordine Iuſtitiæ præcurrit remiſſioni peccatorum noſtrorum; nec quicquam ideo decedit Clementiæ illi per quam plenam indulgentiam conſequimur. Sic enim nihil deteritur clementiæ Principum, etſi illius exercendæ juſtiſſimum ac ſummopere neceſſarium fundamentum habeant, nempe Salutem & Tranquillitatem Reipublicæ, quæ illis pro ſumma lege eſſe debet.

Digitized by Google

Neque verò eſt, quòd quis putet, etiam extremè contumacibus hoc pacto ſpem veniæ fore reliquam. Nulla enim ratio eſt, quæ impunitatem, præſertim plenam, hominibus extremè contumacibus à Deo dandam, & comminationis vim reſpectu ipſorum tollendam eſſe ſuadeat. Siquidem Dei majeſtatem impiè contemnere pergunt, legum auctoritatem planè proculcant, ordinem bonum, quantum in ſe eſt, penitus convellunt, & peſtes quædam ſunt minimè ferendæ, omniq́ue beneficio divino prorſus indignæ. nec ullo modo credibile eſt, ejuſmodi conditionem in comminatione tacitè fuiſſe comprehenſam, quæ etiam in extremè contumaces cadat, & eos à pœna omni liberare queat. cum etiam nulla comminatione extante prorſus ſint indigni; vel potiùs indignum Deo ſit, eorum ſcelera impunè dimittere.

‡ *Neque vero*] At id neceſſariò ſequitur. Si enim Dei juſtitia non neceſſariò exigit ut peccata puniantur, non minùs contumacibus quam alijs, peccata abſque ſatisfactione poterunt remitti. Quod ſi extremè contumaces extra ſpem veniæ ſunt, ergo hos ſaltem puniri oportet ex ordine juſtitiæ divinæ; nec Dei poteſtas eouſque extendi debet, ut ipſis impune eſſe poſſit. Præterea cùm lex non contumacibus duntaxat, ſed ſimpliciter tranſgreſſoribus poenam æternam denunciet, nulla ratione ejus ſanctio ad ſolos contumaces venit reſtringenda. Et cùm nequeant alij eſſe quam contumaces, omnes omninò peccatores quibus in Chriſto & per Chriſtum non conceditur ut reſipiſcant & credant, ſaltem neceſſariò & infallibiliter ex ordine juſtitiæ Divinæ illi veniunt æternùm puniendi. Et cùm qui credunt & reſipiſcunt non ſubducantur illi poenæ merito & reſpectu ſuæ fidei & reſipiſcentiæ, debet ſanè ipſis obtingere ſalus & remiſſio peccatorum intuitu Chriſti & ex illius merito & ſatisfactione. Et ſi *indignum ſit Deo* ſcelera contumacium impunè dimittere, ergo debet agnoſci ejus juſtitia naturalis, quæ peccatores ſaltem contumaces impunitos eſſe non ſinat.

Antequam autem à liberrima hac pœnas infligendi poteſtate, quâ Deum pollere docuimus, diſcedamus; illud adhuc adjiciendum eſt, quòd, utut innocentes punire revera non liceat, jus tamen ſit Deo infantes v.g. pœnæ alienæ veluti impendere, hoc eſt, eos affligere, ac tandem neci dedere, ut ipſos nocentes in iis puniat. quam ob cauſſam non quosvis ad eam rem deligit, ſed eos tantùm, qui nocentibus arctiori vinculo ſunt conjuncti, & quos ſalvos eſſe, ſontium plurimùm intereſt. Tales ſunt liberi, nepotes, ac pronepotes reſpectu parentum ac majorum. Sunt enim liberi quædam veluti partes parentum, & in poſteris progenitorum ſanguis ac nomen eſt. Itaque ut hi puniantur, illi affliguntur; idq́ue vel unà cum parentibus, ut tantò gravior ſit eorum pœna; vel cæteroqui ſine illis, ſed eum tamen in finem; ut dolor aut ignominia ad parentes redundet, vel ſaltem hæc ipſa chariſſimorum pignorum, ac poſteritatis jactura, illis in pœnam cedat. (*vid: 2 Sam: 12, 14, & d.*)

Digitized by Google

‡ *Antequam autem*] Duo quidem hîc intendunt adverſarij æquè falſa: 1. Chriſti innocentiſſimi in ſe, acerbiſſimas afflictiones non fuiſſe pœnas noſtrorum peccatorum; 2. Non dari peccatum originale, nec mortem eſſe illius ſtipendium: Sed utrumque errorem quem volebant conſtabilitum evertunt. Nam 1. cum *innocentes punire* ipſi Deo nefas ſit, debuit Chriſtus omnes illos dolores ſuſtinuiſſe, ut *ipſi nocentes in eo* punirentur. Si enim *liberi, nepotes ac pronepotes*, innocentes cum ſint, tamen affliguntur ut parentes & majores *puniantur*, eo quod *nocentibus arctiori vinculo ſunt conjuncti*, quis potiori ratione non dicat, Chriſtum μέτοχον & participem factum *carnis & ſanguinis* Heb: II, 14. adeoque nobis proximum, cùm *ſimus ex carne ejus & ex oſſibus ejus* Eph: V, 30. *plagâ affectum ſuiſſe & percuſſum à Deo & afflictum* Eſa: LIII, 4. non utique propter ſua peccata, ſed ut nos ipſius fratres & membra, in ipſo puniremur; prout dicit Paulus 2. Cor: V, 20. *factum* eum *peccatum pro nobis, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo*? Nec dicas eos demum puniri in innocentibus, quorum *plurimum intereſt hos* innocentes *ſalvos eſſe*. Sufficit enim dari nexum aliquem neceſſarium inter eos qui patiuntur & puniuntur, ut hi in illis pœnas dare jure meritò cenſeantur: Ita quandoque populi in ſuis Principibus puniuntur, quandoque Principes in populo, prout aliquando capite dolente vena in brachio pertunditur, & nonnunquam ad pectoris levamen ſecatur Cephalica: Hinc illud, *Quicquid delirant Reges plectuntur Achivi*; nam ſolent catharri à capite in reliquas corporis partes diffluere. Hic autem nexus eſt ſatis arctus inter Chriſtum caput noſtrum & nos, ut in illius paſſione peccata noſtra puniri potuerint. Hinc præterea ſequitur, ſaltem ex hypotheſi adverſariorum nihil abſurdi ineſſe doctrinæ Orthodoxorum ſtatuentium jure imputari poſteris Adami primum illius peccatum. Si enim poſteri innocentes poſſunt pœnæ alienæ impendi, illis utique aliena culpa poteſt imputari. Revera tamen primò non ſunt innocentes ſimpliciter cenſendi infantes & poſteri illi, in quibus Deus viſitat patrum iniquitatem, cum ſint concepti in peccato Pſal: LI, 7. & caro ſit quod ex carne natum eſt Ioh: III, 6. Hinc morti & morbis, quæ pœnæ ſunt in natura corrupta, illi ſunt obnoxij, etiam citra reſpectum ſpecialem ad parentum aliquam perſonalem culpam. Secundò nec juſtè apud Deum optimum maximum involverentur pœnæ parentum ſuorum, qui nullam affinitatem cum eorum culpa haberent, vel naturalem vel voluntariam. Filium enim non portaturum iniquitatem patris, disertè monitum à Propheta Ezech: XVIII, 20. Quare quoties Deus minatur ſe viſitaturum iniquitatem patrum in filios, ut Exod: XXI, 5. hoc intelligitur de filijs contumacibus ac in peccato parentum perſeverantibus: Et ipſe Deus prohibuerat ne punirentur filij pro patribus, vel patres pro filijs Deut: XXIV, 16. quam legem ſervaſſe laudatur Amaſias, cum vindicavit Patris ſui cædem 2. Chr: XXV, 4. 2. Reg: XIV, 6. Hinc crudelitatis notatur lex Macedonum, quæ in crimine læſæ Majeſtatis, omnes propinquos & conſanguineos rei, licet innocentiſſimos, pœnæ & mactationi devovebat: Hoc & jura Civilia volunt, *Caput noxa ſequitur*; &, *Ne filium pro patre*. Davidem Deus punivit morte infantis illius adulterini, cujus fit mentio 2. Sam: XII, 14. ſic tamen ut mors illa fuerit quoque ipſimet infanti propriè pœnalis; ut cœteris omnibus infantibus ſolet eſſe, qui priuſquam peccent actualiter & ad ſimilitudinem peccati Adami, præmaturâ morte extinguuntur. Imputatur poſteris Adæ peccatum ipſius, quia naturale fuit non merè perſonale, & revera omnes in illo peccavimus Rom: V, 12. Tertiò cùm Chriſtus perſonaliter innocens, ſubjectus fuit pœ-

næ pro

næ pro nobis, id non factum fuit ut in poenæ noſtræ conſortium veniret, ut cum in filijs ſuis parentes puniuntur, ſed ut nos à poena & condemnatione liberaret, reatu noſtro voluntariè in ſe translato, prout docet Paulus 2.Cor:v, 19.21.

Hoc autem jus innocentes certi generis alienæ pœnæ impendendi, non oritur propriè ex delicto aliquo, nec ad jus puniendi per ſe pertinet; ſed manat ex dominio abſoluto, quod Deus in innocentes etiam citra reſpectum ad delicta aliena habuit. Itaque & in alium quoque finem bonum, ac gloriæ ſuæ ſervientem, æquè poſſet innocentes impendere, atque in pœnam alienam. Eos revera non puniri, tum apparebit, cùm de juſtitia Dei agemus.

‡ *Hoc autem*] Imò illa parentum in filijs ſuis poenitio, qualis hic deſcribitur, oritur ex delicto originali & in illo propriè fundatur. Cùm enim ſint propterea rei mortis, nam mors eſt ſtipendium peccati Rom: vi, 23. Deus juſtè poteſt hanc mortem, ipſis propter peccatum originale debitam & quæ eſt ipſorum poena perſonalis, inſuper ordinare in poenam & dolorem parentum, cujus quædam quaſi partes ſunt. Ita cum ſubditi Davidis eſſent in ſe peccatores, & ideo jus haberet Deus illos quà peccatores peſte viſitandi, potuit inſuper illam eorum juſtam calamitatem ordinare in poenam & caſtigationem Davidis, cujus quaſi membra erant; ut ſæpè tergum luere debet quod lingua peccavit; Ita cum ille coecus, cujus ſit mentio Ioh:ix, 2.3. originaliter eſſet peccator, potuit ei infligi à Deo poena excitatis, ſic tamen ut hæc poena ad potentiæ Chriſti patefactionem in ejus ſanatione ordinaretur. Agnoſcimus quidam Dei Dominium in innocentes, ſed quod nonniſi cum juſtitia venit exercendum.

Itaque & in alium] Imò cum repugnet juſtitiæ divinæ quenquam affligi, citra reſpectum aliquem ad culpam, vel propriam vel imputatam, eo ipſo quod Chriſtum innocentiſſimum Deus impendiſſe legitur pro peccatis noſtris, neceſſe eſt illa fuiſſe ei imputata ut in ipſo punirentur: Et cum omne malum ſit vel culpæ vel poenæ, & hoc ex illa naſcatur, unde Horatio dicitur poena *pede claudo* culpam ſequi, neceſſe eſt omnem afflictionem naturæ intelligentis divinitùs immiſſam, habere rationem poenæ, vel medicinalis & emendatoriæ, ut ſunt caſtigationes & calamitates piorum, quæ inſerviunt ipſorum correctioni & ad promovendam ſanctificationem deſtinantur, vel judicialis & ſatisfactoriæ.

Nunc illud tantùm explicandum eſt, quod jam innuimus, non quoſvis innocentes Deum nocentium pœnæ ſolere impendere, ita præſertim, ut eos necandos curet, & iis, utut per naturam diutiùs aliàs victuri fuiſſent, vitam abrumpat. Sunt enim innocentes duplicis generis. alii ideò inſontes 186.
ſunt, quia per ætatem ſontes eſſe nondum poſſunt; alii, quia ſontes eſſe, nolunt, utut per ætatem eſſe poſſent. Illorum innocentia naturæ eſt; horum voluntatis: illa mera eſt vitii negatio; hæc virtutem habet conjunctam. Itaque dubium non eſt, hanc Deo longè acceptiorem eſſe illâ, & in majori homines apud ipſum gratiâ ponere; præſertim cum tot tamque ampla ipſius

Digitized by Google

extent promiſſa, innocentiæ huic, quæ in mandatorum ipſius obſervatione conſiſtit, propoſita. Deus igitur non hoc, ſed illud innocentium genus pœnæ alienæ impendere ſolet. Similiter autem & de illis judicandum eſt, qui ad hoc aut illud innocentium genus proximè accedunt. Ut igitur nocentes in innocentibus puniat, deligere illos ſolet, qui nec mala ſua uſquequaque, nec bona poſſunt agnoſcere: quòd intellectu nondum uti, aut nondum ſatis uti queant: parentibus autem ob tenerrimum in hanc ætatem affectum, pœna ferè eſt acerbior. Quanquam non dubium eſt, vel æquè acerbam, vel etiam acerbiorem eſſe, cùm liberorum mores, eruditio, fortuna ipſorum votis reſpondet. Sed in his tum demum punit parentes ac majores Deus, ſi & ipſi liberi ſint nocentes; utut tandem non eorundem cum parentibus delictorum ſint participes, aut eodem peccati genere ſe contaminarint. Satis enim eſt, eos eſſe pœnam quacunque ratione commeritos, quam poſtea in parentum ſimul aut majorum ſupplicium convertat. quo pacto etiam regis peccata in populo puniuntur, utut ejus peccati, cujus occaſione punitur, experti, modò aliàs nocente. (*vid: 2 Sam: 24. 13, & ſeqq.*)

‡ *Nunc illud*] Imò quo ſenſu vult hæreticus impendi infantes in poenam parentum, non ut parentes poenæ ſubducantur, ſed potius ut illa aggravetur, nemo abſolutè innocens poenæ nocentium impenditur: cum illi infantes ſint naturâ filij iræ & peccatores coram Deo; & cæteroquin morti propter peccatum obnoxij. Vt quis autem *Ben Maveth* filius mortis, vel paullò citiùs vel paullò ſeriùs poenam illam quam debet ſuſtineat, ac inſuper poena ei juſtè debita & infligenda cedat in alicujus alterius etiam nocentis poenam, id in arbitrio ſummi Iudicis ſitum eſt.

Sunt enim] Agnoſco quidem duo genera innocentium, quorum alij comparatè & ſecundum quid tales ſunt, alij abſolutè & ſimpliciter: Prioris generis ſunt infantes, qui nondum actu peccarunt: Et ita comparatè ad Davidis culpam, quâ populum numeraverat, reliqui ſubditi erat *oves* innocentes 2. Sam: XXIV, 17. Poſterioris in ſe ſolus fuit Chriſtus, qui non novit peccatum, & in cujus ore nullus dolus repertus eſt; ac in Chriſto, omnes pij & fideles, quibus Deus peccata ſua remittere ac condonare dignatur. Sed quos hic facit innocentes adverſarius *naturæ & voluntatis*, Scriptura non agnoſcit: Infantes, utut vitio actuali careant adhuc per ætatem, ſunt tamen originaliter & habitualiter coram Deo nocentes & peccatores: Vnde *naturâ* filij iræ dicuntur Eph: II, 3. Inter adultiores nemo in ſe ſimpliciter eſt innocens, cum *nemo ſit qui benè faciat, ne unus quidem* Pſal: XIV, 1. Rom: III, 12. & *ſi dixerimus nos non habere peccatum, mentimur nec veritas in nobis eſt* 1 Ioh: 1, 8. Quare ſi comparatio veniat inſtituenda inter infantes & adultos omnes, exceptis Chriſto & pijs quibus in Chriſto remiſſa ſunt peccata ſua, dubium non eſt quin longè major ſit illorum quam horum innocentia, imò & pluris fiat apud Deum; uti liquet ex Ion: IV, 11. ubi Deus teſtatur jus ſibi fuiſſe parcendi Ninivæ in qua eſſent pluſquam duodecim myriades hominum qui *nullum diſcrimen noverant inter dextram & ſiniſtram*. Si tamen procedat eadem comparatio inter infantes in ſtatu naturæ corruptæ jacentes & adultos fide juſtificatos ac ſtudio ſanctitatis & pietatis ex illo ſtatu corrupto

Digitized by Google

rupto ſe proripientes, certum eſt hos pluris longè fieri apud Deum quam illos.

Deus igitur] Cùm nemo ſine crimine vivat, fruſtrà diſputatur, de innocente aliquo, qui ſimpliciter talis ſit, impendendo pœnæ alterius augendæ & aggravandæ. Sed cum eſſet Chriſtus ſimpliciter & abſolutè innocens, voluit tamen impendi pro peccatis noſtris & pœnam eorum ſuſtinere, non ut ſic intenderetur noſtra pœna, ut cum parens punitur infamiâ, dolore & morte ſuorum liberorum, ſed ut illi pœnæ, nobis cæteroquin infligendæ, ſubduceremur.

Similiter autem] At cum hi ſaltem ſint peccatores & quà tales pœnam pro ſe debeant, non ita pœnæ alienæ impenduntur, quin ſimul luant quod unà debent: Quare quod de his non poſſunt inficiari adverſarij, cogitent ſimiliter de infantibus necdum ullo peccato actuali inquinatis, eos ſic impendi pœnæ alienæ ut primò propriam luant quam debent ex nativa ſua corruptione; ut cum unus ſcorpius venenatus & noxius conteritur ſuper vulnere quod alter fecit, etſi ipſe neminem adhuc læſerit.

Vt igitur] Non eſt hæc vera cauſa; ſed quam debebat pœnam pro ſe, Deus juſtè ordinat inſuper in pœnam alterius: Aliàs in foro humano, crudele planè foret innocentium & lactentium infantium tormentis & doloribus parentes nocentes punire: Nec poteſt reddi ratio cur id hactenus liceat juſtè Deo, quod iniquiſſimum & crudeliſſimum foret inter homines, niſi quod illi infantes qui in foro humano ſimpliciter innocentes ſunt, revera tales non ſint in foro Divino.

Sed in his] At ſanè quod hic benè docet de filijs actualiter nocentibus, & ſic pœnam commeritis, quam ſimul Deus ordinet in pœnam parentum, æquè debet extendi ad filios originaliter nocentes, ut ipſis debita poena ſimul vergat in pœnam aliorum.

At ſi qui ſint innocentes, cùm nocentes eſſe poſſent, vel ſaltem innocentibus proximi, & non niſi levi aliqua culpa obſtricti, eos nocentium pœnæ non impendit Deus. imò propter paucos ejuſmodi innocentes, maximæ nocentium multitudini parcere paratus eſt. ut ex iis patet, quæ de Sodomæ & finitimarum urbium excidio locutus eſt cum Abrahamo Deus. (*Gen: 18. 23. & d.*) & ad hoc reſpiciens Abrahamus dixit: *Numquid perdes juſtum cum impio? Si fuerint quinquaginta juſti in civitate, peribunt ſimul? & non parces loco propter quinquaginta juſtos, qui fuerint in eo? Abſit à te, ut rem hanc facias, & occidas juſtum cum impio, fiatque juſtus ſicut impius. non eſt hoc tuum, qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium hoc*, vel, ut eſt in Hebræo, *an judex univerſæ terræ non faciet judicium?* Cæteroqui quod ad infantes innocentes attinet, non ignorabat Abrahamus, neceſſe eſſe, ut ingens in illis urbibus eorum extaret multitudo: nec id tamen in hac ratione ſua uſpiam urſit; nec ejus rationem 187.
habuit Deus, quominus eodem igne abſumerentur; uti nec in diluvio, nec in urbium ſubverſionibus, aliiſque publicis calamitatibus, ob impietatem populo aut loco alicui immiſſis. quin etiam interdum unà cum parentibus & liberos occidi, ut apparet, voluit. (*vid: Thren: 1. 5. 2. 11, 12, 19, 20: 4. 10. Ieſ: 7. 24, & d.*) Unde apparet, aliam eorum innocentium eſſe rationem, qui nocentes eſſe non poſſunt, aliam eorum, qui nolunt.

Digitized by Google

‡ *At ſi qui ſint*] Fatemur dari diſtinctionem culparum inter homines: Sed nulla tamen tam levis eſt ut ex rei natura impunitatem vel ejus authori vel alijs apud Deum conſequi debeat: Et ſi qui ſunt cenſendi innocentibus proximi, erunt pij & fideles, qui fide juſtificati coram Deo, ita ſtudent ſanctificationi & bonis operibus, ut tamen agnoſcant omnem ſuam innocentiam & juſtitiam potius in *peccatorum ſuorum remiſſione*, ut loquar cum Auguſtino, *quam in virtutum perfectione* ſitam eſſe. Propter tales paucos innocentes & juſtos, non tam ex dignitate propria & perſonali,. quam ex dignatione divina, paratus Deus fuiſſet parcere Sodomæ & finitimis urbibus. Cùm talibus comparati infantes Sodomæorum in foro divino, nullo modo erant innocentes, ſed jacentes in natura corrupta & depravata, & ex ſe odio divino digniſſimi, ac malorum coruorum mala ova, quæ unà cum parentibus ſuis conteri debuerunt. Proponebatur quidem Ionæ à Deo innocentia comparativa infantium Ninivitarum, quò homo & humanitùs judicans, minus ægrè ferret ipſis divinitùs parcitum fuiſſe; Sed Abraham non potuit eo argumento ab infantibus deſumpto uti apud Deum, cum eos non neſciret eſſe naturâ filios iræ, nec juſtos intelligeret duntaxat eos qui comparatè ad alios minus mali eſſent, ſed qui eadem fide quâ ipſe coram Deo juſtificati, ipſi ideo grati eſſent & accepti: Itaque ex hac obſervatione non poteſt elici illa quæ fingitur innocentium diſtinctio in eos qui nocentes eſſe non poſſunt per ætatem, & eos qui nocentes eſſe nolunt per virtutem: Sed tantum inter eos qui innocentes ſunt duntaxat in foro humano, licet in divino rei ſint mortis, ut infantes, & eos qui innocentes habentur in foro divino per remiſſionem gratuitam peccatorum ſuorum, quam ſtudium pietatis conſequitur. Nam & hi ſoli *beati* pronunciantur à Davide Pſal: XXXII, 1. 2. Porrò etſi Deus per *ἐπιείκειαν* parciturus fuiſſet Sodomæ propter paucos juſtos, quoad poenam illam temporalem, cui juſti potuiſſent implicari, non debet inde colligi Sodomitas abſolutam impunitatem ſuorum ſcelerum fuiſſe ideo conſequuturos: Nam ut eorum nequitia pauculis illis juſtis fraudi non potuiſſet eſſe, ut eidem ſubjacerent condemnationi, ita horum pauculorum virtus & juſtitia non potuiſset eos ab omni poena & maledictione eximere.

Poteſt autem Deus etiam hos afflictionibus pro abſoluti dominii jure objicere, aut ut eas ſponte ſubeant, præcipere. quæ quia illis in virtutis ac pietatis materiem cedunt; ſimul etiam cedunt in præmium virtuti propoſitum, & felicitatem tantò majorem, quantò major fuerat calamitas, & quantò major, quam in iis exercuerant, pietatis conſtantia.

‡ *Poteſt autem*] Id vero eſt falſiſſimum: Cum enim omnis afflictio creaturæ rationalis ſit malum pœnæ, & poena & culpa, ſint ex genere relatorum quæ ſeſe mutuo ponunt & tollunt, illi locus eſſe nequit apud Deum juſtiſſimum ubi nullus reſpectus fuerit ad hanc vel emendandam & corrigendam, vel vindicandam; ut poena ſtrictè ſumpta & *delictorum coercitio* & potiſſimum *noxæ vindicta* dicitur Vlpiano *l. 131. ff. de verb. ſig.* Quin diſtributio mali in culpam & poenam ita eſt adæquata, ut diviſum exhauriat; modo retineatur diſtinctio triplicis poenæ apud Scholaſticos, quam explicat Becanus *tract. 1. p. 2. Schol. Th. cap. 8. q. 2.* in Medicinalem, Satisfactoriam & Poenam propriè dictam. Poena propriè dicta ſive

Digitized by Google

cta ſive perſonalis, eſt ipſorummet impiorum, à quibus Deus ex ordine juſtitiæ ſuæ vindicativæ repoſcit poenam ſcelerum quæ commiſerunt. Satisfactoria ea eſt quam Chriſtus ſubijt pro peccatis noſtris; Medicinalis, cui ſubſunt pij, ſic aliò ordinatur ſpeciali Dei conſilio quam ad vindictam culpæ, ut tamen quatenus poena eſt ſemper ſupponat culpam: quo ſenſu dictum Auguſtino *ſerm. 131. de temp. Malorum omnium noſtrorum cauſa peccatum eſt.* Fateor afflictiones & calamitates piorum ipſis cedere in *virtutis & pietatis materiem*, quatenus pertinent ad παιδείαν, uti dicitur Heb: XII, 6. 7. At παιδεία omnis & diſciplina, eo ipſo quod ſpectet emendationem, unde illud παθήματα μαθήματα, ſemper aliquem reſpectũ culpæ, & jam præteritæ & porrò præcavendæ, involuit. Nequidem hîc exceperim ipſas martyrum poenas; quæ licet ex parte objecti & quoad cauſam ob quam infligebantur ab hominibus, fuerint valdè glorioſæ, tamen ex parte ſubjecti, ut qui illis ſuberant, peccatores in ſe erant, ſic eorum ſanctificationi promovendæ & tandem conſummandæ per maculæ peccati deterſionem divinitùs inſerviebant.

Inter hos autem maximè eminet Chriſtus, qui & innocentiſſimus fuit, & peccatorum noſtrorum cauſsâ diriſſimum ſimul & ignominioſiſſimum mortis genus adire à Deo juſſus eſt; non in ipſorum nocentium pœnam, ſed impunitatem. tantò autem minùs, ut ipſemet puniretur. Nam nec juſtæ pœnæ ob innocentiam capax fuit; & cum ipſis nocentibus impunitatem dare vellet Deus, innocentiſſimum ſanè ac ſibi conjunctiſſimum punire noluit.

‡ *Inter hos autem*] Cùm ergo Chriſtus innocentiſſimus *diriſſimum ſimul & ignominioſiſſimum mortis genus* adijt, ut fatetur adverſarius, *peccatorum noſtrorum cauſâ*, debuit utique illa mors & calamitas, quæ nequivit eſſe poena & vindicta perſonalis noxæ in Chriſto, eſſe poena peccatorum noſtrorum ei imputatorum, ut eâ ratione impunitatem conſequeremur: Etenim omnis afflictio quæ *peccatorum cauſâ* ſuſtinetur, debet habere rationem poenæ. Siquidem pati & mori pro peccatis & propter peccata, ut ſæpe utrumque Chriſto tribuitur in Scripturis, Rom: IV, 5. 1. Cor: XV, 3. Gal: I, 4. Heb: X, 12. 1. Pet: III, 18. eſt ex peccatorum merito corripi & puniri; & cum Hebræis idem ſit *ferre peccatum*, ac Latinis *luere delicta*, ideſt eorum poenam ſuſtinere, non poteſt prius tribui Chriſto 1. Pet: II, 24. quin poſterius diſertè adſtruatur. Non ordinabatur quidem afflictio Chriſti in augmentum poenæ nocentium, ut cum in filijs Deus punit peccata parentum, in ſubditis vitia Rectorum, ſed ſui ſubrogatione in eorum locum ad ipſorum impunitatem: Verum cum illa impunitas ſit peccatorum remiſſio, uti tota docet Scriptura, maximè Matth: XXVI, 28. hic ipſe finis oſtendit noſtra peccata fuiſſe propter quæ luenda affligebatur & patiebatur; eò maximè quod ipſius ſanguine veniebamus ſervandi *ab ira*, id eſt à juſtitia Dei vindicativa Rom: V, 10. & ordinabantur ejus paſſiones ad juſtitiæ divinæ demonſtrationem Rom: III, 25. 26. quæ in poenarum exactione ſita eſt.

Nam nec] Imò cum nulli poenæ propter ſe obnoxius eſſe potuerit, nequivit Deus per ipſum deſtinare *impunitatem* nocentibus, quin in illo, licet innocentiſſimo in ſe, puniret ea delicta quæ iſtis remittere per illius ſanguinem intendebat;

Digitized by Google

debat; Aliàs Deo illud competere poſſet,

Dat veniam corvis vexat cenſura columbas, ut factum à Pilato qui Barrabam dimiſit & Chriſtum ſuffixit cruci. Fuit autem Chriſti poena, ſi accuratè loquamur, non tam nocentium vel innocentium, quam noxarum ipſarum, ut qui aliàs nocentes erant, poſſent legitimè pro innocentibus haberi.

Ideo & infinito præmio eum ad mortem ſubeundam incitavit, & eo perſoluto, omnem ejus acerbitatem abundè conpenſavit, mortemque æternâ vitâ, dolorem infinitis gaudiis, contumeliam immenſâ gloriâ obruit ac ſuſtulit. (*vid: Eſa: 53. 10, 11. Phil: 2. 9, & d. Hebr: 12. 2.*) quæ omnia à pœnæ propriè dictæ ratione, quæ vindicta eſt, maximè abhorrent.

‡ *Ideo & infinito*] Nec Chriſtus hoc fine ſuſtinuit mortem, ſed ut daret animam ſuam ἀντίλυτρον pro nobis; Nec debuit illius gloriæ obtinendæ cauſâ illas ſubire calamitates, cum è contrario eam gloriam quaſi depoſuerit ad tempus, ut illas ſubiret; pauper factus cùm eſſet dives ut nos ditaret 2. Cor: VIII, 9. & formâ ſervi aſsumptâ cum eſset *in forma Dei*, neque *rapinam duceret parem eſſe cum Deo* Phil: II, 6. 7. 8. Et quamvis exaltatio & gloria ſequuta ſit ejus paſsiones 1. Pet: 1, 11. non tamen cenſendus eſt, vel ipſe Chriſtus meritus fuiſse ſibi hanc exaltationem ſuis paſſionibus, ut pote quę ejus perſonæ propria eſset & deberetur, unde Ioh: XVII, 5. repetit eam gloriam quam habuit apud Patrem *priuſquam mundus eſſet*; vel Pater eum ſub hoc præmio incitaſse ad mortem ſubeundam, ad quam ultrò ſe obtulit Ioh: X, 18. aut eâ exaltatione ipſius labores quos exantlaverat voluiſſe propriè compenſare, cùm eos non ſui, ſed noſtri demum gratiâ ſuſtinuerit: Eſ: LIII, 10. cum dicitur, *Si*, vel *quandoquidem, poſuerit animam ſuam ſacrificium pro delicto, videbit ſemen, prolongabit dies*, &c. primò illa particula אם Im, poſſet notare tantum cauſam conſequentiæ non conſequentis; Secundò hic proponitur quis futurus eſſet fructus laborum Chriſti, non tam reſpectu perſonæ ſuæ quam ſuorum, quibus peperit ſalutem ſuâ morte: Hoc ſenſu dicitur viſurus ſibi ſemen diuturnum & quod delectatio Iehovæ per eum proſperabitur. Nec plus ineſt ponderis in com: 11. ubi Pagninus ita habet, *Propter laborem animæ ſuæ videbit & ſaturabitur.* Cùm illud מעמל *Megnamal*, tantum denotet ſucceſſionem, non compenſationem; prout dicitur Luc: XXIV, 26. *Nonne hæc oportuit pati ipſum Chriſtum & ſic introire in ſuam gloriam?* Igitur Eſaias non tam proponit ſub quibus præmijs Pater Filium ſuum excitaverit ad mortem ſubeundam, quam partim quæ gloria quoad ipſum ſucceſſura eſſet ejus humiliationi, & partim quis fructus ex illius paſſionibus pro nobis ad nos eſset redundaturus. *Phil:* II, 9. illa particula *Quapropter* notat ſimiliter cauſam conſequentiæ, non vero compenſationem ex merito; Sexcenta autem loca ſunt in quibus illa particula διὸ magis illativa eſt quâ cauſativa, ut nihil inde ſuperſit præſidij pro hac cauſa. At Heb: XII, 2. non intelligendum eſt Chriſtum ſpe propoſiti gaudij crucem ſubijſſe, ſed potius ipſius ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς, vice & loco gaudij quod præſto erat, maluiſse crucem ſuſtinere ut nos redimeret. Ita ſanè intellexerunt omnes Græci interpretes, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus & Oecumenius; ad quos etiam acceſserunt plurimi Pontificij. Sed demus adverſario, Chriſtum quoque ſuâ obedientiâ ſibi meruiſse gloriam & exaltationem; demus

demus ipſum eo præmio ad mortem ſubeundam à patre illectum & excitatum fuiſſe; demus ipſum alacriter ſpe illius præmij hos ſibi impoſitos labores exantlaſſe; an inde ſequetur ergo illam Chriſti mortem non habuiſſe rationem pœnæ peccatorum noſtrorum? Quaſi vero ea mors non poſſit pœna propriè dicta cenſeri, ad quam ſubeundam Chriſtus fuerit excitatus infinito præmio, quo etiam perſoluto, omnis ejus acerbitas abundè fuerit compenſata: Licet enim inde ſequatur pœnam perſonalem ipſiuſmet Chriſti nullo modo fuiſſe, non tamen ideo deſinet fuiſſe pœna ſatisfactoria pro nobis: Imò eo ipſo debuit illa mors Chriſti fuiſſe ſatisfactoria juſtitiæ divinæ &, ſi fas ita loqui, jus Deo acquiſiviſſe nobis benefaciendi & remittendi noſtra peccata, ad quam ſubeundam Pater Filium excitavit propoſito tam magno præmio & cujus acerbitatem tam liberaliter compenſavit; præſertim cum pars illius præmij maxima apud Eſaiam, ſit juſtificatio & ſalus eorum pro quibus animam ſuam poſuerit in ſacrificium pro reatu, & quorum iniquitates illâ ipſa ſuâ morte bajulaverit: Debuit ea mors infiniti valoris & meriti fuiſſe, cui infinitum præmium & propoſitum & perſolutum fuit.

Quod verò ad electionem ac conſtitutionem eorum attinet, per quos Deus leges promulget ac ſanciat, & porrò adminiſtret; præmia & pœnas tum proponat, tum confirmet, tum denique reipſa diſtribuat; bonos defendat, malos coërceat, ſuaque decreta hoc pacto ad exitum perducat; in eo iterum latiſſimè divina patet poteſtas. Ejus tot ſunt documenta, quot ſive in cœlis, ſive in terris habet regni ſui atque imperii adminiſtros, eos inprimis, qui in alios vel poteſtatem, vel auctoritatem ſaltem habent, & iis aliquo modo regendis ſunt præfecti. quorum quidem innumera eſt multitudo. Et in terris quidem alii ſpiritualis, alii terreni ac civilis regiminis ſunt adminiſtri. cui utrique regimini inſerviunt & angeli, inter quos ipſos poteſtatis non unus eſt gradus, ut alibi in hoc opere docebitur. (*lib: 2. c. 3.*) quibus omnibus ſumma cum poteſtate præeſt Chriſtus, eorum caput à Deo conſtitutus. (*Col: 2. 10. 1 Pet: 3. 22.*) conſtitutus princeps ac rex regum terræ, (*Apoc: 1. 5: 17. 14: 19. 16.*) caput Eccleſiæ, (*Epheſ: 1. 22. Col: 1. 18.*) judex vivorum & mortuorum. (*Act: 10. 42: 17. 31. Rom: 14. 9, 10, 11.*) Cujus
imperium ex Dei decreto ac promiſſione æternum eſt: cùm cæterarum crea- 188.
turarum, & inprimis hominum poteſtas precaria ſit cenſenda, ut de dominio ſuprà diximus. Ideo Deus transfert imperia ac regna pro arbitrio ab uno in alium, de familia in familiam, de gente in gentem, pro voluntatis ſuæ arbitrio. Nam ut eſt apud Danielem, ***Dominatur excelſus in regno hominum; & cuicunque voluerit, dabit illud, humillimum hominem conſtituit ſuper eum:*** (*Dan: 4. 14.*) quæ ſententia apud eundem denuò repetitur. (*ib: verſu 22.*) Quanquam aliàs, niſi delictum ipſorum hominum accedat, ſive eorum qui regunt, ſive eorum etiam qui reguntur, non facilè Deus imperia mutat. Similiter autem & imperii ac poteſtatis gradus, fines, munerum fun-

 ctiones,

Digitized by Google

ctiones, in Dei ſunt poſitæ arbitrio. cum omnium abſolutorum regnorum maximè abſolutum ſit Dei regnum. Imò hoc ſolum verè abſolutum eſt: cætera omnia divinis legibus naturâ ſuâ adſtricta. Ut rectè Nabuchodonoſor à Deo caſtigatus pronunciarit, *(ib: verſu 31, 32.)* non tantùm ſempiternam eſſe Dei poteſtatem, ſed etiam *omnes habitatores terræ apud eum in nihilum* (ſeu *tanquam nihilum*) *reputatos eſſe: juxta voluntatem enim*, inquit, *ſuam facit tam in virtutibus* (ſeu *exercitu cœli*,) *quàm in habitatoribus terræ: & non eſt, qui reſiſtat manui ejus, & dicat ei: Quare feciſti?* ubi quidem & potentiam ejus & poteſtatem ſimul prædicat.

t *Angeli, inter quos*] Abſurdè varios gradus poteſtatis inter Angelos comminiſcuntur hæretici; Nominum diſtinctio quæ extat Eph: 1, 21. Col: 1, 16. hanc varietatem non adſtruit magis quam ſpecificam inter eos differentiam: Et credibile eſt hæc nomina recenſeri à Paulo potiùs ex Pythagoricorum, Angelicorum & Gnoſticorum hypotheſi, quod ſuperbis hiſce nominibus Angelos vellent commendare & eorum cultum fortiùs adſtruere, quam ut realem aliquam diſtinctionem inter eos innuat. Cæterùm enim ipſomet teſte Heb: 1, 14. ſunt omnes λειτουργικὰ πνεύματα, *Spiritus miniſtratorij, qui miniſterij causâ emittuntur propter eos qui hæredes erunt ſalutis.*

Quibus omnibus] Iterum hoc loco Crellius captat occaſionem evertendæ divinitatis Chriſti, dum illum ejuſdem ordinis facit quoad Deum cum Angelis & Principibus terræ: Quanquam ſi illis omnibus Chriſtus præeſt *ſumma cum poteſtate*, vel eoipſo ſummus Deus haberi debet. Etenim, cum Reges & Principes terræ nullum ſuperiorem agnoſcant præter ſummum Deum, nec quenquam præter eum Angeli adorent, is ſummus debet eſſe Deus qui ſummam in Reges & Angelos habet poteſtatem. Nec eſt quod urgeatur Chriſtum in illa dignitate à Patre *conſtitutum* dici in Scripturis; quamvis eò non faciant omnia loca quæ citantur adverſario; Nam primò eo ipſo *hæres* eſt conſtitutus omnium, quod ſit naturâ filius, *effulgentia gloriæ & character perſonæ Patris* Heb: 1, 2. 3. Deinde is eſt ſtylus frequens Scripturæ ut ea dicantur conſtitui, vel fieri, quæ talia eſſe declarantur & manifeſtantur. Tertiò illa conſtitutio non tollit Filij conſubſtantialitatem cum Patre, ſed potiùs ſupponit: ut cum Rex aliquis filium ſuum adſciſcit in regni conſortium, & omnes ſubditos adigit in illius fidem. Quartò quamvis in tempore κατ' οἰκονομίαν, Chriſtus quà θεάνθρωπος in illa poteſtate ſit conſtitutus, tamen quà λόγος eam habuit ſemper κατὰ φύσιν; adeo ut ei per exaltationem in tempore nihil acceſſerit præter illius juris ſui declarationem & extenſionem ad naturam humanam in ſua perſona.

Cujus imperium] Atqui eo ipſo quod eſt æternum nec precarium, ut cœterarum Creaturarum, alterius ordinis eſſe debet: ut etiam ſuo loco à nobis probatum eſt.

Imo hoc ſolum] At cum tale ſit regnum Chriſti, Regis Regum & Domini Dominorum, in cujus arbitrio ſunt omnium aliorum imperiorum & poteſtatum gradus, fines, munerum functiones, eoipſo pro ſummo Deo haberi neceſſariò debet, Patri coeſſentiali & coæterno.

Reliquum jam eſt, ut de uſu hujus doctrinæ agamus. Is autem tantus eſt, ut ne

Digitized by Google

ut ne Deum quidem eſſe, ſine ea ſatis intelligi poſſit: cum is ob eam ipſam poteſtatem, &, ex qua fluit, potentiam, Deus, ut ſuprà vidimus, dicatur. Itaque facile etiam videre eſt, quantum hæc doctrina in univerſa religionis ac pietatis ratione momentum habeat. Primùm enim eò facit, ut Deum ſumma animi demiſſione veneremur, & adoremus. Cuilibet enim poteſtati honor debetur, maximè ab iis, qui ei ſunt obnoxii ac ſubjecti: & quanto ea major eſt, tantò & honor ei debetur major: terrenæ ac civili poteſtati, terrenus ac civilis debetur; divinæ divinus ac religioſus; ſupremæ ac maximæ, ſummus ac maximus.

‡ *Cuilibet enim*] Iam autem cum hæc diſtinctio honoris in *Civilem* & *Religioſum*, ita ſit admittenda, ut hic, Divinus nempe, ſummus & maximus, ſoli Deo ſummo & maximo debeatur, aut is abrogandus erit Chriſto, aut ipſe divinæ, ſummæ & maximæ poteſtatis erit cenſendus. Nec dicat Adverſarius, divinam illi competere poteſtatem, ſed non ſummam, adeoque colendum divino & religioſo honore, ſed non ſummo: Sic enim erit contradictio in adjecto; cum omnis honos religioſus ſit ſummus & maximus, adeoque ſummæ & maximæ poteſtati debitus. Nec video cur dativa & limitata poteſtas Chriſto mero homini conceſſa a Deo, juxta hæreticos, potius divina dici deberet, aut cultu divino & religioſo agnoſcenda, quam reliquorum Regum & Imperatorum terræ, qui itidem ſunt à Deo conſtituti, ut docet Paulus Rom: XIII, 1. 2.

Deinde hinc patet, nos in omnibus Deo obtemperare, &, quicquid nobis præcipiat, id ſine tergiverſatione exſequi debere. Si enim is dominus noſter eſt abſolutus, nos ſervi ejus ac mancipia; illi quidem, quicquid præſtare poſſimus, præcipere licet; nobis autem, quicquid is præcipit, facere neceſſe eſt. Secùs qui facit, is, utut eum Dominum linguâ vocet, reipſa tamen pro domino ſuo non agnoſcit. *Quid vocatis me Domine, Domine,* inquit Chriſtus, *& non facitis, quæ dico?* (*Luc*: 6. 46.) & ipſe Deus apud Prophetam: (*Malach*: 1. 6.) *Filius honorat Patrem ſuum, & ſervus dominum ſuum: ſi ergo Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* 169
dicit Dominus exercituum. In timore autem illo obſequium ipſi debitum vel inprimis comprehenditur. Tantò autem magis eum timere, & mandatis ipſius obſequi debemus, quòd ſciamus, eum poteſtatem habere non tantùm corpus noſtrum perdendi, ſed & animam in gehenna. (*Mat*: 10. 28.)

‡ *Illi quidem*] Imò etiam nunc ei licet exigere quod cæteroquin præſtare non poſſimus per voluntariam naturæ corruptionem: quia hæc impotentia benè agendi eſt malum ἐπισπαστὸν quod noſtro jumento nobis adduximus; ut cum aliquis in ganeis & popinis decoxit æs alienum, nec amplius eſt ſolvendo; non tamen ideo creditor excidit jure ſuo: Et mandata Dei ſunt norma officij noſtri, non virium noſtrarum menſura: Oſtendunt quid debeamus, non quid poſſimus ex nobis: Sumus enim naturâ deſtituti omnibus *viribus*, teſte Paulo Rom: v, 6. nec *ido-*

nei ad quicquam cogitandum boni 2. Cor: III. 5.

Neceſſe eſt] Ergo non omnis neceſſitas pugnat cum arbitrij libertate, ut perpetuò crepant iſti homines.

Secus qui facit] At non poſſet Chriſtus jure apud Lucam eadem ſibi tribuere quæ Iehova apud Prophetam, niſi DOMINUS noſter *abſolutus* eſſet, qui habeat omnem authoritatem imperij cum Patre, nobis ſolâ obſequij gloriâ relictâ.

Sed & animam] At cum homines non poſſint animam occidere ſed tantum corpus, hinc patet perditionem animæ in gehenna, non ejus extinctionem meram ſonare, ut volunt Sociniani, ſed continuatum ejus ſupplicium & dolorem ſummum in æternum; eo quod ſit ſubſtantiæ incorruptibilis & immortalis.

Tertiò ex agnitione dominii abſoluti, quod in nos habet Deus, illud quoque fluit, ut reliquæ pietati noſtræ, & divinorum mandatorum obtemperaoni, ſingularem addamus modeſtiam, & *cùm fecerimus omnia, quæ præcepta ſunt nobis, dicamus, ſerui inutiles ſumus: quia quod debuimus facere, fecimus;* quemadmodum Chriſtus nos monet. (*Luc: 17. 10.*)

Fluit hinc quartò & illud, ut Deo magis, quam hominibus, utut potentiſſimis, obtemperemus, & proinde nec à veritate, nec à pietate nobis ab eo præſcripta unquam diſcedamus, etiamſi tandem ii, ſub quorum poteſtate alioqui ſumus, id urgeant, & graviſſima nobis, ni id fecerimus, ſupplicia minentur. Potiùs hæc patienter ſunt ferenda, quàm ut vel latum unguem à Dei mandatis diſcedamus. Neque enim ſupremus dominus offendendus eſt, ne ſervos ejus offendas; atque ut horum iram ac ſupplicia effugias, in illius iram ac ſupplicia, quæ longè ſunt graviora, incurrendum. Obſequendum eſt dominis & magiſtratibus propter Deum, non adverſùs Deum. (*Act: 5. 29.*)

Quintò, & magiſtratus principeſque hac ratione monentur, ut cùm omnem poteſtatem à Deo acceperint, (*Rom: 13. 1, 4, 6.*) ne propter eam ſuperbiant, ſed ſe coram Deo quàm humillimè demittant, miniſtros ſe ipſius eſſe cogitantes; & tales quidem, à quibus is non imperium tantùm ac poteſtatem auferre poſſit, quando libuerit, ſed in quos etiam vitæ ac necis habeat poteſtatem. Deinde ut eum in finem poteſtate ſua utantur, in quam illis data eſt, h.e. ad bonorum atque innocentium defenſionem, malorum autem & ſocietatis humanæ jura violantium coërcitionem & pœnam: (*ibid: 13. 3, & d conf: 1 Pet: 2. 14.*) ad oppreſſionem autem veritatis ac pietatis ne ea unquam abutantur, ſed id agant, ut ſub ipſorum imperio homines vitam tranquillam & quietam poſſint agere, cum omni pietate & honeſtate. (*2 Tim: 2.*) Cogitandum illis eſt id, quod dominos ſeu heros nominatim monet Apoſtolus, (*Ephes: 6. 6. Col: 4. 1.*) ut æquitatis ſint obſervantes, etiam tum, cùm illis res eſt cum inferioribus, quia & ipſorum dominus ſit in cœlis, apud quem acceptio perſonarum non eſt.

† *Quam humillimè*] At cum non auſint hæretici id officij exigere à Chriſto, debent tacitè agnoſcere ejus poteſtatem eſſe ſimpliciter divinam, non vero dativam, ut Principum & Magiſtratuum terræ.

Sextò eò facit conſideratio abſolutæ, quam Deus in nos habet, poteſtatis, ut æquo animo feramus ea, quæ ipſius voluntate nobis incumbunt, mala, nec decretis ejus obloqui ac refragari unquam audeamus. ſiquidem ſcimus, id ipſi ut domino abſoluto licere; poteſtate autem ſua eum nunquam abuti. Audiendus eſt hîc Propheta: (*Eſa: 45. 9, 10.*) *Væ qui contradicit fictori ſuo, teſta de ſamiis terræ: numquid dicet lutum figulo ſuo, quid facis? & opus tuum abſque manibus eſt. Væ qui dicit patri, quid generas? & mulieri, quid parturis?* potiùs cum Jobo dicendum, cùm ea, quæ à Deo acceperamus, bona nobis eripiuntur: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.* (*Iob: 1. 21.*) & cùm aliàs etiam affligimur: *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus?* (*c. 2. 10.*) aut cum Davide Semeji maledictis laceſſito: *Dominus præcepit ei ut malediceret David: & quis eſt qui audeat dicere, quare ſic fecerit?* (*2 Sam: 16. 10.*) qua de re ita in Pſalmis loquitur: *Opprobrium inſipientibus dediſti me. Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti.* (*Pſal. 39. 9, 10.*) Utitur nimirum Deus paratâ hominum malitiâ ad nos affligendos caſtigandoſque: nec nos tam reſpicere debemus, quis ſit is, per quem punimur, quam quis ille, à quo punimur, & à cujus veluti manu ictus venit; & æquo animo paternam caſtigationem admittere, ut à divino ſpiritu monemur. 190.

‡ *Vtitur nimirum*] Non potuit autem decreviſſe Deus ſic uti hominum *malitiâ* ad pios affligendos, quin illam malitiam & præſciverit & permittere decreverit. Vt nempe nec ea eveniant præter illius voluntatem quę tamen fiunt contra illius voluntatem; nec enim, ut benè Auguſtinus docet *Enchir. cap.* 100. evenirent mala, *niſi ſineret; nec ſineret bonus fieri malè, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet benè.*

Addendum eſt ſeptimo loco & illud, quòd ſpem ac fiduciam noſtram alat ſuprema atque abſoluta Dei poteſtas, & ut tantò audaciùs omnia, quibus indigemus, à Deo poſtulemus, efficiat, ſiquidem omnia bona in ipſius poteſtate ac manu ſunt poſita, ita ut ea pro arbitrio diſpenſare poſſit ac ſoleat. Ideo ſub precationis Dominicæ finem hæc ſubjicitur clauſula: *Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria, in ſecula.* quaſi dicamus, ideò hæc à te fidenter petimus, quia tu ſolus revera regnas, omniaque pro voluntatis tuæ arbitrio moderaris ac diſpenſas, adeò ut, modò tibi ita placeat, omnia nobis dare liceat. ſimul autem & robur tibi ſuppetit omnia præſtandi: indeque ad te omnis redibit, & redire meritò debet gloria.

Digitized by Google

‡ *Addendum eſt*] At cum Chriſtum ipſum licitè invocemus, ut fatentur adverſarij, illique poſſimus dicere pariter, *Quia tuum eſt regnum & potentia & gloria*, ut Apoc: v, 12. eo ipſo ſupremam & abſolutam ejus poteſtatem agnoſcere debemus.

Octavò, eò facit conſideratio liberrimæ Dei poteſtatis, ut tantò majoris ipſius beneficia æſtimemus, & quantum illi debeamus, tantò rectiùs agnoſcamus. Nemo ſatis æſtimare poteſt divina beneficia, niſi qui ea jurè ſibi à Deo negari poſſe agnoverit: nec rectè agnoſcere poteſt, quantum Deo debeat, niſi qui agnoverit, nihil ſibi debuiſſe eum, qui omnia dedit. Et ut cætera nunc taceamus; beneficium remiſſionis peccatorum, nemo juſtis ponderibus examinabit, nec magnitudinem divinæ benignitatis, unde manavit,
191. expendet, niſi qui conſideraverit, quas pœnas, quàm graves atque acerbas à nobis Deus exigere jure ſuo potuerit. qui tamen jure ſuo ceſſit, & penitus, ſi reſipiſcamus, cedere paratus eſt, ipſa etiam immortalitate nos donaturus, quam ne tum quidem verè mereremur, ſi ſanctiſſimi & ab omni labe puriſſimi eſſemus.

‡ *Qui tamen jure*] Remiſſio peccatorum, uti antea oſtenſum, non eſt actus meræ poteſtatis, ſed eſt actus juriſdictionis divinæ, quem ipſa Scriptura in Dei juſtitiam refundit Rom: III. 25. & qui ideo juſtificatio appellatur Rom: IV. 5. 7. Quare hoc beneficium conſequimur, non quod Deus penitùs ceſſerit jure ſuo reſipiſcentiæ noſtræ reſpectu, ſed quod tranſtulerit in Filium ſuum, mortuum propter peccata noſtra, pœnam illam omnem nobis cæteroquin debitam, & quam jure ſuo à nobiſmet ipſis perſonaliter, juxta ἀκριβοδίκαιον Legis, exigere potuiſſet.

Quam ne tum quidem] Fateor neque tum fore rationem veri meriti, quia ſemper eſſet opus debitum; interea tamen ex ſanctione Legis, & promiſſione divina, *Hoc fac & vives*, *Si vis ingredi in vitam ſerva mandata*, ea nobis obtingere immortalitas infallibiliter deberet, *ſi ſanctiſſimi & ab omni labe puriſſimi eſſemus*: Quod cum nullatenus ſimus in nobis, ſupereſt ut ex ſatisfactione & merito Chriſti nobis imputato pro talibus habeamur; & juſtitiam Chriſti in nobis coronet Deus, prout in ipſo noſtra peccata punire voluit 2. Cor: v. 21. Sed hìc libenter velim nobis dicant adverſarij, an Chriſtus ipſe ſibi ſit meritus perfectiſſimâ ſua ſanctitate & innocentiâ immortalitatem, nec ne? Si negent, deſerent ſua principia; ſi concedant, agnoſcent opus illud ſuum fuiſse indebitum, quod de nulla mera Creatura dici poteſt.

Nonò, eò quoque facit dominii divini, quod in omnia habet, conſideratio, ut cum nos diſpenſatores ſimus alienorum bonorum, ea, jubente Domino, (*Luc: 16. 9, & d.*) libenter in alios erogemus; præſertim cùm hoc pacto noſtræ ipſorum utilitati in futurum maximè poſſimus conſulere. Juſti enim tum demùm diſpenſatores revera erimus, injuſto tamen, ſed prudenti diſpenſatori eatenus ſimiles, quatenus meriti, ut heri noſtri bonis exuti, ejus

etiam

Digitized by Google

etiam domo expellamur, amicos nobis de alieno parabimus, ut cùm egueri-mus, recipiamur in æterna tabernacula.

Denique & eò facit, ne conſcientiæ noſtræ hæreant in uſu iſtarum rerum, quas nobis utendas permiſit Deus. ſiquidem Domini eſt terra, & plenitudo ejus. qua ratione utitur Apoſtolus de libertate loquens, quâ Chriſtiani in cibis uti ſalvâ conſcientiâ queant. (*1 Cor: 10 25, & d.*) Quamquam eandem ob cauſſam, earundem rerum uſu etiam abſtinere debemus, ſi is cum ſcandalo ſeu offenſione aliorum conjunctus ſit futurus. quia idem Dominus, qui earum uſum aliàs nobis conceſſit, eodem nobis, ſi ſcandalum inde ſit exiturum, interdixit.

Cavendum autem eſt, ne poteſtatem Dei vel ſententiâ noſtrâ nimis coarctemus, vel contrà etiam ad res naturâ injuſtas extendamus. quorum illud faciunt ii, qui Deo negant poteſtatem peccata nobis ſine ſatisfactione, ſeu compenſatione debiti noſtri, & quidem pleniſſimâ, condonandi. hoc illi, qui poteſtatem ei tribuunt, innocentibus peccata aliena imputandi, eoſque verè puniendi, quin etiam homines, antequam quicquam mali faciant, immutabiliter, ſeu abſque ulla conditione in eorum arbitrio poſita, æternis ſuppliciis deſtinandi, & eos in hunc ipſum finem creandi, peccandi neceſſitatem iis imponendi, &, licèt credere ob ipſius decretum non potuerint, eos tamen hoc nomine æternis cruciatibus plectendi. qua de re infrà plura dicentur. (*cap: 23.*)

‡ *Cavendum autem*] In utroque hoc extremo ſunt iſti homines; & nimis amplificant poteſtatem Dei abſolutam dum jus ei faciunt plectendi ſive affligendi innocentes citra ullum reſpectum ad peccatum; item peccata remittendi abſque ulla ſatisfactione: & nimis eam reſtringunt, dum negant jus fuiſse Deo peccata noſtra Chriſto imputandi earumque pœnas ab ipſo repoſcendi, contra quam teſtatur univerſa Scriptura.

Quorum illud faciunt] Atqui res foret naturâ ſuâ injuſta in Rectore & Iudice univerſi, legi illi æternæ non ſtare, *Maledictus qui non permanſerit* &c. Quare condonaturus nobis noſtra peccata, ea tamen impunita relinquere non debuit, nec per juſtitiam & veritatem ſuam legitimè potuit.

Hoc illi] At ſuprà agnoſcebat author etiam peccatum parentum puniri in filijs innocentibus, quod non poteſt fieri quin illis imputentur: Et cum Chriſtus voluerit ſuſcipere in ſe noſtra peccata, & potuerit omnem illam pœnam ſuſtinere & auferre, & fuerit dominus ſuorum membrorum ut ea pœnæ pro nobis ſubjicere potuerit, & ſe ultrò obſidem & vadem obtulerit in foro Divino pro nobis, nihil in iſta imputatione, & noxarum noſtrarum pœnitione ac vindicta in ipſo, reperire erit quod juſtitiæ repugnet: Volenti non fieri injuriam, notiſſimum eſt in jure; Chriſtus autem *oblatus eſt quia ipſe voluit*, ut habet V. V. Eſai: LIII, 7.

Quin etiam homines] Vetus hic eſt coccyſmus Pelagianiſmi, qui facilè retundetur, ſi cogitetur homines ceu lapſos omnes in Adamo, obverſatos fuiſse menti divinæ cum ex illis quoſdam elegit, alijs præteritis & relictis in ultronea

illa cor-

illa corruptione: Reprobi enim non deſtinantur ſupplicijs æternis niſi ex merito peccatorum ſuorum præſcitorum & prævisorum à Deo; Nec in eum finem erant creati homines ut damnarentur, ſed potius ut manerent in juſtitia, ſanctitate & vita; ſed cum homo conditus fuiſſet *rectus, ſibi quæſivit ratiocinia multa* Eccl: VII, 29. Nec decretum Dei permiſſivum peccati, intrinſecam neceſſitatem, quæ dicitur neceſſitas conſequentis, imponit hominibus peccandi, aut quicquam delibat de eorum libertate; Nec credendi impotentia datur in illis ex Dei decreto fidei indebitæ negativo, ſed ex eorum nativa corruptione & malitia, quam Deus emendare in nemine tenetur; Nec punientur tandem eò quod ob Dei decretum credere non potuerint, ſed quod credere & noluerint, cum ad fidem inuitabantur, & non potuerint ex innata corruptione & pervicacia.

CAP. XXIV.

De Sapientia Dei.

† *Reſpondente* PETRO BECUDIO Caletenſi.

192. VIdimus hucuſque facultates, quæ Deo inſunt. Sequitur, ut illa etiam Dei attributa videamus, quæ facultatibus illis vel omnibus, vel aliquibus innituntur. Inter ea rurſus ordo quidam eſt. Alia enim aliorum aut principia quædam ſunt, aut normæ; alia verò ex illis tanquam principiis pendent, aut ad ea tanquam ad normam quandam ſeſe accommodant. Principia aut normæ cæterorum ſunt Sapientia & Sanctitas: quarum illa Intellectûs, hæc Voluntatis potiſſimùm perfectio eſt. Ex his principiis, quamquam non ſolis, pendet Beatitudo, ac Magnitudo, Deo in ſac. literis attributa, cui poſteriori & Omnipræſentia poteſt adjungi. Utraque enim non modò ſapientiâ & ſanctitate, ſed & facultatibus, quas explicuimus, omnibus nititur: quamquam diverſo modo. Beatitudo enim eorum, quæ Deo ſunt naturalia, verum ac proprium eſt conſequens: Magnitudo etiam eorum, quæ à libera Dei voluntate pendent; qualia ſunt potentiæ divinæ opera. Ad ſapientiam autem & ſanctitatem, tanquam ad normam quandam ſeſe accommodant ea, quæ ita Deo inſunt, ut à voluntate ipſius pendeant, plæraque liberè, nonnulla etiam neceſſariò. Eorum alia cum habitibus, qui nobis inſunt, ſimilitudinem quandam habent, quorum etiam nominibus appellanlantur, ut Benignitas, & Severitas. alia, ut actus revera ſunt, ita & eorum nomina ſortiuntur; ut ea, quæ affectuum ſunt inſtar, & decreta. de quorum diſcrimine ſuo loco dicetur. Nunc ad ea, quæ enumeravimus, explicanda nos accingemus, ſervato eodem, quo illa propoſuimus, ordine.

† *Vidimus*] Hæc omnis diſtributio inter *Facultates* Dei & alia ejus attributa eſt tantum rationis, cum nihil ſit in Deo quod non ſit Deus.

Digitized by Google

Magnitudo] Neque hæc neque Omnipræſentia Dei in ejus Sapientiam & Sanctitatem aut etiam Poteſtatem ac Potentiam debet refundi, ſed potius in ejus infinitam perfectionem.

A voluntate] Hic iterum Crellius quædam ſtatuit pendere à Dei voluntate *neceſſariò*, unde ſequatur non omnem neceſſitatem cum omni voluntario pugnare.

Ut igitur à Sapientia incipiamus, à qua cætera omnia vel pendent, vel diriguntur; ejus nomine hoc loco omnem rerum cognitionem complectimur, ſive illa ſimplex ſit, ſive practica, & in agendo occupata. Deum autem ſapientem eſſe ſacræ literæ innumeris locis teſtantur, quæ etiam *ſolum ſapientem* eſſe, (*Rom: 16. 26. 1 Tim: 1. 17. Jud: verſu ult.*) & eodem ſenſu *ejus eſſe ſapientiam* aſſerunt, (*Dan: 2. 20, 21, 22.*) quòd & ſolus à ſeipſo, & perfectiſſima ratione ſit ſapiens: cum cæteri omnes, qui ſapientes ſunt, ab ipſo, diverſo perfectionis gradu, ſapientiam hauſerint. Probant eandem manifeſtè admirabilia Dei opera; rerum omnium ab eo productarum pulcherrimus ordo, multiplex uſus; earundem conſervatio ac providentia, quæ in minimis etiam Dei operibus elucet. Sanè hanc Dei ſapientiam prædicat Pſaltes, (*Pſal: 104. 24: 136. 5.*) aliique Prophetæ, (*Ier: 10. 12: 51. 15.*) & mortalium aliquando ſapientiſſimus Salomon. (*Prov: 3. 19, 20: 8. 22, & d.*) nec immeritò viri docti ſtatuunt, Paulum (*1 Cor: 1. 21.*) nomine *ſapientiæ Dei*, in qua mundus, ſapientiæ ſuæ ope, Deum non cognoverit, per Metonymiam effecti intelligere rerum omnium ſtructuram ſapientiſſimè conſtitutam, unà cum perpetua illa providentia, quâ res alioqui facilè perituræ conſervantur. Probant hanc & ea, quæ in religione Chriſtiana continentur, aut ejus confirmandæ cauſsâ 193.
per Chriſtum facta ſunt; qui propterea rectè à Paulo, (*1 Cor: 1. 24.*) ut *potentia*, ita & *ſapientia Dei* vocatur. Quin, ut idem Apoſtolus docet, (*Eph: 3. 10.*) à tempore publicati inter omnes gentes Evangelii, *innotuit principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam*, hoc eſt, per ea, quæ in Eccleſia Chriſti, aut circa eam fiunt, *multiformis ſapientia Dei.* Unde non immeritò Deum, tanquam auctorem Evangelicæ prædicationis, & myſterii in eo patefacti celebrans, eum *ſolum ſapientem* vocat; (*Rom: 16. 26, 27.*) quia nimirum ſumma ejus ſapientia in eo myſterio appareat. qua de re nunc non eſt fuſiùs agendi locus. Satis ea res ex his libris patebit, ea præſertim parte, quâ de Chriſtiana religione agetur.

‡ *Ejus nomine*] Sed & agnoſci debuiſſet *Sapientiam* Dei aliquando ſumi perſonaliter pro ſecunda perſona Sanctæ Trinitatis, uti patet ex Prov: VIII, 1, 24. & Luc: VII, 35.

Sapientiſſimus Salomon] At Salomonem loqui de Dei Filio ejuſque generatione æterna Prov: VIII, 22. 23. 24. ſuo loco fuſiùs erit demonſtrandum. Nec alio fine dicitur nobis factus à Patre *Sapientia* & *Iuſtitia* 1. Cor: 1, 30. item eſſe *Sapientia* & *Potentia Dei* 1. Cor: 1, 24.

Qui propterea] Imò Christus Dei Filius est Potentia Dei, quatenus per e-lius um Pater omnia fecit; & ejus Sa-pientia pariliter, quatenus omnia per ipſum ordinavit: Vnde dicitur Deus Gen: 1, 1. in Thargum condidiſſe cœlum & terram בבחכה *Bacbachma*, *in Sapientia*, pro eo quod Moſes dixerat illa condita fuiſſe ברשית *Bereſchit, in principio*; quò videtur reſpexiſſe Iohannes τῷ λόγῳ omnium creationem vindicans Ioh: 1, 2. 3. Non itaque Christus eſt Sapientia Dei tantum reſpectu ſuæ doctrinæ, ſed etiam & potiſſimum reſpectu ſuæ perſonæ.

Eum ſolum] Sed & illud elogium convenit quoque Chriſto, in quo *omnes theſauri ſapientiæ & cognitionis ſunt abſconditi* Col: 11, 3.

Non eſt autem facilè univerſam divinæ ſapientiæ rationem una definitione co-comprehendere. Etſi enim dicere poſſes, eam eſſe exactiſſimam rerum co-gnitionem; ea tamen definitio uni tantùm illius parti, quæ quidem naturâ prior eſt, *propriè competere videbitur. Nam duplex Sapientiæ divinæ eſt ratio, ſeu duæ ſunt illius veluti partes. Altera magis theoretica ſeu contem-plativa eſt, & in nuda rerum cognitione conſiſtit; altera practiva atque affectiva, quæ tum in conſiliis ac decretis, tum in ipſa operum divinorum effectione, & univerſa rerum gubernatione cernitur. Hæc autem poſterior illius pars non eſt ſimplex rerum cognitio; ſed potiùs ex ſimplici rerum co-gnitione effloreſcit, eique innititur. Prior illa reſpondet tum cognitioni ſenſuum noſtrorum, tum cognitioni illi intellectus, quæ ad comtemplati-vas ſcientias potiſſimùm pertinet. Poſterior autem reſpondet prudentiæ no-ſtræ, & artibus: quarum illa in delectu rerum, in conſiliis, ac porrò in gubernandis tum noſtris, tum alienis actionibus verſatur: hæc in operibus varijs aptè efformandis ac perficiendis. Hæc autem poſterior Sapientiæ pars potiſſimùm, omniumque frequentiſſimè diſignari videtur, cùm ſapientiæ divinæ expreſſa fit mentio; quia populariori, præſertim apud Judæos, ora-tionis genere utuntur ſacræ literæ. Illi autem ſapientiæ nomine crebrò viros prudentes ac ſolertes intelligunt, etiam illos, qui in aliquo artis mechani-cæ genere excellunt. (*vide inter alia Exod: 28. 3: 31. 6: 36. 1, 2, 8. Deut: 1. 13, 15: 34. 9. 1 Reg: 2. 6, 9: 3, 11.*) Cùm autem de priori ſapientiæ divinæ parte, ſeu actionibus ad eam, pertinentibus ſermo eſt, ſciendi, cognoſcendi, intelligendi, nonnunquam & ſcrutandi, aut probandi ſeu explorandi ver-bo utuntur ſacræ literæ. Et propter hanc inprimis Deus videtur *Deus ſcientiarum*, hoc eſt, ſcientiſſimus fuiſſe in ſacris literis appellatus. (*1 Sam: 2. 3.*)

* *Poſterior autem*] Et hoc demum ſenſu Scientia Dei, practica & rerum cauſa ſtatuitur. Sed prior quæ *theoretica* magis eſt, debuiſſet hic à limine diſtingui in *naturalem* & *liberam*, illam poſſibilium omnium, hanc omnium futurorum; ne vel *mediæ* Ieſuitarum detur locus, quam tamen Crellius infrà adoptat, vel futura contingentia, uti poſtea ſtudet facere, Dei cognitioni ſubducantur.

Digitized by Google

Ut igitur de Scientia divina agamus; in eo potiſſimùm noſter occupabitur 194.
labor, ut oſtendamus, quàm latè ea ſeſe extendat, ſeu quàm latè objectum illius pateat. id enim & ſacræ literæ nobis de ſcientia divina maximè inculcant; cum id unum etiam de ſcientia divina tenere ad religionem ac pietatem ſufficiat. De eo autem ita agemus, ut primò videamus, quid ſacræ literæ hac de re aſſerant: deinde id aliquantò diligentiùs explicabimus, ut erroribus, qui circa hanc rem occurrunt, obviàm eamus. Objectum ſcientiæ divinæ, ejuſque amplitudinem breviter ſignificat Johannes, dum ait, Deum *omnia* ſcire. (*1 Ioh: 3.20.*) Comparat autem Deum ea in re cum corde noſtro, & ſignificat, eum noſtrorum etiam factorum majorem ac certiorem notitiam habere, quàm cor ſeu conſcientia uniuſcujuſque noſtrûm propria. Etſi autem omnium creberrimè in ſacris literis ea Dei ſcientia commemoratur, quâ res humanas omnes, etiam cogitationes in intimis mentium receſſibus latentes complectitur: quia hæc ſcientiæ divinæ pars creditu eſt, ut difficillima, ita nobis maximè neceſſaria: ſcientia tamen divina ad cæteras etiam res extenditur. Et ſeipſum quidem quin penitus nôrit Deus, quis dubitet? Certè ſi ſeipſum ignoraret, nec ſapientis nomen mereretur, nec rerum creandarum conſilium ſuſcipere unquam potuiſſet. Neceſſe enim eſt, ut vires ſuas immenſas, quibus res omnes & condere, & diſponere ac gubernare poſſet, probè cognitas haberet. At ſi has probè cognitas & habuit, & habet: cur non & cætera, quæ ipſi inſunt? Verùm hanc ſui notitiam, quam Deus habeat, aut tanquam nimis manifeſtam, aut tanquam ad nos ſalutemque noſtram per ſe non pertinentem, nominatim commemorare non ſolent ſacræ literæ: ſed ad eam divinæ ſcientiæ partem nos revocant, quæ ad providentiam, atque inprimis ad rerum humanarum gubernationem ac procurationem ſpectat, & ad cogitationes etiam noſtras extenditur. Has autem ſi novit Deus, quis negare audebit, eum noſſe cætera, quæ vel apertiora ſunt, vel non magis cognitu difficilia, quàm ſunt occulta hominum conſilia? Certè ſacræ lit: cùm Deum res humanas exactè cognitas habere docent, ea ſæpè dicunt, quæ ad res etiam cæteras extendi & jure poſſunt, & debent. Cùm enim inter alia Pſaltes (*Pſal: 33.15.*) ita de Deo ait: *Qui finxit ſigillatim* (Hebr. *ſimul*) *corda eorum* (nempe *omnium filiorum hominum*) *qui intelligit omnia opera eorum*; ſignificat, non mirandum eſſe, Deum opera humana, etiam quatenus ex animi conſilio æſtimanda ſunt, noſſe; quia Deus hominum omnium corda finxerit. Quis enim dubitet, eum, qui tantâ polluit ſapientiâ, ut corda omnium finxerit, etiam intelligere hominum opera; & potentiæ immenſæ, quâ iſta effecerit, parem in illo ſapientiam eſſe? quis 195.
dubitet, eum ita corda hominum finxiſſe, ut intelligere ſemper poſſet, quidnam iſtic foveant, quæ agitent conſilia, quid moliantur? Finxit enim

Digitized by Google

ideo, ut etiam regeret, iiſque pro arbitrio ſemper uteretur; quam ad rem cognitio operum, atque adeo animorum, vel inprimis pertinet. Hæc autem ratio an non & ad cæteras res à Deo creatas extendi jurè poteſt, ac debet? Similia ſunt apud Eſaiam. (*Eſa: 29. 15, 16.*) Poſtquam enim dixiſſet: *Væ qui profundi eſtis corde, ut à Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt, Quis videt nos, & quis novit nos?* eos ſtatim refutans ait: *Perverſa eſt hæc veſtra cogitatio: quaſi ſi lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori ſuo: Non feciſti me: & figmentum dicat fictori ſuo: Non intelligis.* Jeremias autem oſtenſurus, Deum omnes homines, eorumque opera, utut aliàs occulta, cernere, ait: (*Ier: 23. 23, 24.*) *Putáſne Deus è vicino ego ſum, dicit Dominus? & non Deus de longè? Si occultabitur vir in abſconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus? numquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus?* quaſi dicat, num putas me Deum eſſe, qui hominis inſtar propinqua tantùm videre ac cernere, aut curâ meâ complecti, & efficaci virtute attingere poſſim? Haudquaquam talis ego ſum: ſed etiam longiſſimè ſemota aſpicio ac percipio, & in ea potentiam meam exſero. Quare non eſt, quòd quis putet, ſe meam ſcientiam effugere poſſe, utut ſe maximè occultet. Omnia ego loca ſpiritu ac providentia mea impleo; nullo ſapientia ac potentia mea loco excluditur, nullo includitur. Non abſimilia his leguntur apud Davidem Pſal: 139. ubi ſat fuſè admirabilem Dei ſcientiam, quâ res humanas comprehendat, in ſua perſona explicat; dignaque ſunt illius verba, quæ hîc adſcribantur. multorum enim teſtimoniorum ſunt loco. Ait ergo: (*verſu 1, & d.*) *Domine probaſti* (ſeu *exploraſti*) *me, & cognoviſti*: (præteritis utitur pro præſentibus:) *tu cognoviſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam: intellexiſti cogitationes meas de longè: ſemitam meam & funiculum* (Hebr. *accubitum*) *meum inveſtigaſti; & omnes vias meas prævidiſti: quia non* (vel *nondum*) *eſt ſermo in lingua mea, ecce tu, Domine, cognoviſti omnia, noviſſima & antiqua* (Heb. *retrò & antè*) *tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam: mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt* (Heb. *excelſa* vel *exaltata eſt*) *& non potero ad eam* (ſeu *non poſſum eam aſſequi.*) *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades: ſi ſumſero pennas meas diluculo,* (Hebr. *alas auroræ*) *& habitavero in extremis maris; etiam illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua: Et dixi, Forſitan tenebræ occultabunt me:*
196. *& lux illuminatio mea in deliciis meis:* (Heb. *lux eſt propter me*, vel *circum me:*) *Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ, ita & lumen*: (ſic eſt in Hebræo:) *Quia tu poſſediſti renes meos*; & quæ ſequuntur. Quibus verbis docemur, omnia cernere Dei oculum, & ubique ejus ſpiritum potentemque virtutem adeſſe præſentem. Adde his, quòd cum Deus naturas rerum condiderit, & ut tales eſſent, quales ſunt, conſilio ac

voluntate

Digitized by Google

voluntate ſua effecerit, eas ignorare non poſſit; niſi eum oblivioſum eſſe
velis, qui, quales finxerit, non ampliùs meminerit. Itaque quæ conſtan-
tis naturæ ſunt, in numerato eum ſemper habere certum eſt. quod exemplo
ſtellarum, quas nominatim recenſeat, nobis oſtendunt ſacræ literæ. (*Pſal:*
147. 4. Eſa: 40. 26.) Quod ad ea attinet, quæ oriuntur & occidunt, va-
riiſque mutationibus ſunt obnoxia; nec ea Deum, etiam quatenus mutan-
tur, & nunc hoc, nunc illo modo ſe habent, ignorare, illud docet, quod
de paſſerculis, viliſſimo avicularum genere, aſſerit Chriſtus, (*Mat: 10. 29,*
30.) ne unum quidem eorum cadere ſuper terram ſine Patre noſtro, hoc eſt,
ſine ipſius ſcitu ac permiſſu. Unde porrò vult colligi, multò minùs nobis
quicquam ſine ipſius ſcitu ac voluntate accidere poſſe, qui multis paſſeribus
præſtantiores ſimus, & quorum etiam omnes capitis pili ſint numerati, h. e.
quorum res non tantùm maximæ, ſed & minimæ Deo ſint curæ. Quòd ſi
plures deſideras locos, in quibus de cognitione agatur rerum, operum, co-
gitationum ac conſiliorum humanorum, ſive bonorum, ſive malorum, quam
Deus habeat; vide inter alios Deut. 31. 12: 1. Sam. 16. 7: 3. Reg. 8. 39.
Pſal. 7. 10: 38. 10: 94: 11: Prov. 15. 11: 16. 2: 24. 12: Ierem. 17. 9, 10. Ezech.
11. 5. Sirac. 23. 28. Act. 1. 24: 15. 8: Rom. 8, 27: 1. Theſſal. 2. 4. in qui-
bus locis de cordium inſpectione, & cogitationum humanarum notitia ſer-
mo eſt. De alijs autem actionibus hominum, rebúſque, quæ in terra ge-
runtur, licet aliàs occultis, loquuntur iſta: 2. Paral. 16. 9. Job. 28. 23: 31. 4.
Pſal. 94. 7, & d. Prov. 5. 21: 15. 3. Sirac. 17. 13, & d. 23. 29: 39. 24. Jer. 32.
19. Matt. 6. 4, 6, 8. quibus addi poſſunt & loca de Chriſto loquentia, (*Rom:*
2. 16.) per quem Deus occulta hominum eſt judicaturus; cui proinde cogni-
tio factorum & conſiliorum humanorum, cordiumque notitia data eſt, Marc.
2. 8. Joh. 1. 48, 49. 2. 24, 25: 6. 64: 16. 30: 21. 17. 1. Cor. 4. 4, 5. Apoc. 2.
& 3. capp. ubi in ſingulis epiſtolis ad Angelos Eccleſiarum Aſiaticarum ſcrip-
tis teſtatur Chriſtus, ſe ipſorum opera noſſe, eaque ex parte recenſet; &
inter alia expreſſè teſtatur, ſe ſcrutari corda & renes cap. 2. 23. Quæ tam
admirabilis ſapientia, ex inexhauſto divinæ ſapientiæ fonte, vel Oceano po- 197
tiùs fluxit.

‡ *Quia hæc ſcientia*] At eo ipſo cum in ſolū Deum cadat, non poteſt negari divinitas Chriſti, cui illa ipſa ſcientiæ divinæ pars, creditu difficillima, etiam tribuitur Apoc: 11, 23. quod & agnoſcit diſertè ipſe Crellius.

Omnia ego loca] Deus eſt ubique repletivè, enter, præſenter & potenter, deit non ſolum per ſuam potentiam & ſapientiam, ſed etiam per ſuam eſſentiam, à qua illud utrumque attributum nonniſi ratione diſtinguitur.

Quibus verbis docemur] Nempè eximium hic habemus Immenſitatis Divinæ argumentum, quocunque modo *Spiritus* Dei ſumatur, vel οὐσιωδῶς, vel ὑποστατικῶς, cum realiter & eſſentialiter ab ipſo Deo diſtingui non poſſit.

Vult porrò vult] Sed & inde colligitur nihil nobis contingere vel evenire poſſe quod Deum antecedenter lateat, contra quam poſtea pertendet adverſarius.

Cui proinde] Atqui hæc καρδιογνωσία argumentum nobis infallibile præbet Divinitatis æternæ Chriſti: qui ſi finitæ eſſet naturæ, infinitæ iſtius ſcientiæ, quæ ſolius eſt Dei, capax eſſe non poſſet. Nec id in Chriſto rivum ex fonte indicat, ſed ipſum potiùs teſtatur in ſe habere fontem & Oceanum omnis Sapientiæ & notitiæ.

Quòd ſi per temporum etiam differentias ire libet, & ex iis rerum genera diſtinguere; itidem videbis, nullum rerum genus à Deo ignorari. De præſentibus, quæ per ſe maximè ſub cognitionem cadunt, nihil eſt opus dicere. His præterita ſunt proxima. Ea ſub cognitionem Dei cadere, nemo poteſt ignorare, qui nôrit, præterita Deum hinc inde in ſacris literis recenſere. Poſtulat id præmiorum ac pœnarum perſolutio, atque inprimis univerſale illud judicium, quod per Chriſtum eſt habiturus; in quo cuique pro præteritis ipſius factis, ſive bonis, ſive malis, redditurus eſt. Adde, quòd memoria Deo expreſſè in ſacris literis tribuatur. ut cùm dicitur meminiſſe Teſtamenti aut juramenti ſui. (*Pſal: 105. 8, 42: 106. 45. Luc: 1. 72.*) Etſi enim ideo potiſſimùm dicatur meminiſſe rerum, quia earum habeat rationem, eas curet, aut propter eas aliquid faciat: hoc tamen ipſum facere non poſſet, niſi res illas teneret ac noſſet. Quòd verò Deus factorum quorundam dicitur oblivisci, aut, ut peccatorum oblivisci velit, rogatur; metonymiam in obliviſcendi verbo eſſe conſtat: qualem etiam in verbo contrario uſurpari jam indicavimus. (*vide inter multa alia Pſal: 13. 2: 42. 13. Ier: 31. 34. Ezech: 18. 22, 24: 33. 13. Oſ: 1. 6: 4. 6.*) Quemadmodum enim meminiſſe eorum dicitur, quorum rationem habet, quæque curat: ita contrà eorum obliviſci, quorum rationem habere non vult, & quæ extra curam ſuam quodammodo ponit. Homines enim eorum rationem habere non poſſunt, quorum obliviſcuntur; contrà, quorum ſunt memores, eorum, ſi cæteroqui curam aliquam requirere videantur, rationem habere ſolent; aut viceverſa ob id ipſum, quia eorum rationem habent, eorum diligenter meminerunt. Inde ergo factum eſt, ut meminiſſe ſumatur pro curare, obliviſci pro negligere, ac extra curam ſuam ponere. Ex eodem fonte & illi manârunt loquendi modi, ut Deus dicatur rerum quarundam recordari, aut res aliquæ aſcendere vel venire in memoriam ante Deum: (*Pſal: 109. 14, 15. Act: 10. 4. Apoc: 16. 19.*) nempe quia Deus, qui eas aliquando non curare viſus eſſet, earum rationem habere, & ipſo id opere teſtari velit. Non infrequens enim eſt Hebræis, ut vocibus ad ſenſum aut intellectum pertinentibus, pro verbis actionem voluntatis aut affectum ſignificantibus utantur. Et ne longè abeamus, tum id fit, cùm Deus aut Chriſtus dicitur noſſe eas ſive res, ſive, quod frequentius eſt, perſonas, quas amet, probet, ac pro ſuis agnoſcat; (*Pſal: 1. 6,*

Digitized by Google

(*Pſal: 1.6. Amos 3.2. Nah: 1.7. 1 Cor: 8.3. 2 Tim:2.19.*) aut prænoſſe eos, quos antea elegerit. (*Rom: 11.2. 1 Pet:1.20.*) Itaque cæteros à Deo aut Chriſto non cognoſci vel expreſsè dicitur, vel apertè ſignificatur; cum tamen eoſdem alioquin optimè nôrit. Nam cum v. g. Deus dicit ad Iſraelitas, (*Am:* 198.
3.2.) *Tantummodò vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ*; an non ſignificat, ſe nullam cæterarum cognationum terræ cognoviſſe? Chriſtus autem expreſſè ait, (*Mat: 7.23. & 25.12.*) ſe aliquando dicturum impiis, *Nunquam novi vos*, aut ſimpliciter, *Neſcio vos*, non quia eos propriè loquendo non nôrit, ſed potiùs quia eos optimè nôrit, ac ſciat, qui ſint, & quibus ſint præditi moribus. Dicet enim: *Diſcedite à me qui operamini iniquitatem.* Quare quia eos noverit eſſe homines impios, ideo nunquam eos ſe dicet noviſſe; ut *non nôſſe* ſcientiæ propriè dictæ effectus ſit & indicium, non ignorantiæ.

‡ *Memoria Deo*] Non propriè ſed ἀνθρωποπαθῶς, eodem nempe modo quo oblivio. Nam omnia ſemper actu ob verſantur menti illius; *Quæ ſint, quæ fuerint, veniantque. Quem quia reſpicit omnia ſolus, Verum poſſis dicere Solem*, inquit Boethius *de Conſ: Phil. lib. 5. met. 2.*

Quod denique attinet ad res futuras; illas etiam Deum noſſe, apertiſſima ſunt in ſacris literis documenta. Rectè quidam ex veteribus (*Tertull: l. 2. cont Marcionem*) ſcriptum reliquit, *Præſcientiam Dei tot habere teſtes, quot fecit Prophetas.* Etſi enim Prophetæ loquuntur etiam de præſentibus & præteritis, dum hominum facta, verbi gratiâ, reprehendunt; magis tamen eorum proprium eſt futura, & alia incognita atque occulta divino ſpiritu patefacere; nec quiſquam eorum extitit, quorum monumenta ſunt reliqua, qui futuri quippiam non annunciârit. Similiter & in N. T. vaticinia non pauca legimus, quibus etiam maxima Apocalypſeôs pars dicata eſt. Hac futurorum prænotione Deus inter alia ſeſe à fictitiis Diis vult diſcerni, & ſe ſolum pro vero Deo agnoſci, quia ſolus futura annunciare poſſit, ac reipſa annunciet, Gentium dii non poſſint. Patet id ex Eſaiæ non uno loco. (*Eſ: 41. 22, 23, 26: 44. 7, 8: 48. 3, 5, 6, 7, 14, & c.*) Et inter cætera quidem ita alloquitur commentitia illa Gentium numina: *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quòd dii eſtis vos.* Nullum ergo rerum genus excipitur, quod Deus cognitum non habeat. Illud autem vix monere neceſſe eſt, Deum non univerſalia tantùm, ſeu rerum genera, ſed & ſingularia habere cognita: cum cura, providentia ac gubernatio diuina, ad quam judicium de uniuſcujuſque factis, & præmiorum diſtributio, pœnarumque inflictio pertinet, circa ſingularia maximè verſetur: & nimis apertum ſit, Deum de rebus ſingularibus, præſentibus, præteritis, ac futuris, in ſac. literis loquutum.

‡ Nullum

† *Nullum ergo rerum*] Atqui hoc ipſo argumento à Prophetijs deſumpto, futurorum contingentium, de quibus multa extant vaticinia in Scripturis, notitia & præſcientia Deo neceſſariò adſcribi debet.

Poſtquam ergo vidimus, quid de amplitudine objecti divinæ ſcientiæ ſacræ literæ aſſerant, aut ex iis colligi queat; ſequitur, ut aliquantò accuratiùs rem declaremus. Dictum autem eſt, Deum *omnia* ſcire, etiam alioquin abſtruſiſſima. Quemadmodum verò, cùm dicitur, Deum omnia poſſe, ea intelliguntur omnia, quæ ſub potentiam ullam cadunt, ſeu quæ naturâ ſuâ ſunt poſſibilia: ita etiam cùm dicitur, Deum omnia ſcire, intelli-
299. genda ſunt omnia ſcibilia, ſeu omnia, quæ ſub ſcientiam ullam cadunt. Scibilia autem ſunt, quæ entitatem, ut loquuntur, habent, ſive reſpectu præteriti temporis, ſive reſpectu præſentis, ſive denique reſpectu futuri. Etſi enim etiam de non ente loqui ſoleamus, & porrò etiam illud aliquo modo intelligere: id tamen per ſe ac quà tale eſt, non magis intelligi poteſt, quàm tenebræ videri. Cùm enim non ens, præſertim ſimpliciter ita dictum, nihil prorſus ſit; omnem mentis obtutum, quà tale eſt, effugit, & ſub cognitionem non cadit. Cognoſcitur tamen & æſtimatur quodammodo ex ſuo oppoſito, hoc eſt, ex eo, quod eſt: quemadmodum tenebræ ex lumine. Sic & impoſſibilia quodammodo cognoſcuntur ex poſſibilibus aut neceſſariis. Nam termini inter ſe aliqua ratione oppoſiti, ex quibus impoſſibilia veluti conſtitui finguntur, ſunt, aut eſſe poſſunt. niſi fortè eorum alter ſit planè negativus, qui itidem non niſi ex ſuo oppoſito intelligitur. Similiter & repugnantia terminorum revera eſt, in qua impoſſibilitatis ratio ſita eſt. ſiquidem ea prohibet, quominus termini illi componantur, & ſic res impoſſibilis revera exiſtat. Sic duos eſſe Deos ſummos impoſſibile eſt. cognoſci autem id ipſum poteſt, quia & quid Deus ſupremus ſit, quatenus hìc neceſſe eſt, intelligitur, & quid duo ſint; ſimiliter etiam pugna inter iſtos terminos tacita intelligitur. & ſic in cæteris. Jam verò entia alia ſunt potentiâ tantùm, ut res qualicunque modo futuræ; vel actu; in quorum poſteriorum numero non præſentia tantùm, ſed & præterita hìc ponimus. Horum quodlibet, prout entitatem habet, à Deo cognoſcitur. Deus enim ita rem concipit, ut revera eſt. ſiquidem is nunquam fallitur. At cùm quis aliter rem concipit, quàm ea ſeſe revera habet, errat ac fallitur. Quod ergo præteriit, ut præteritum concipit & novit Deus; ſimiliter præſens, ut præſens; poſſibile aut futurum, ut poſſibile aut futurum; idque vel ſimpliciter, vel ſub quadam conditione.

‡ *Intelligenda ſunt omnia ſcibilia*] Deo ſcilicet non hominibus: Vt enim multa ſunt impoſſibilia hominibus quæ poſſibilia ſunt Deo, ita multa ſunt illis neſcibilia, ut futura, maximè contingentia, quæ tamen Deo perſpecta ſunt.

Quæ entitatem

Quæ entitatem habent] Neque hæc debet abrogari futuris contingentibus; Illis enim rebus ſua entitas competit, quibus & convenit aliqua futuritio.

Vt res qualicunque modo] Ergo etiam & futuræ contingenter; quæ cum ſint *potentiâ*, adeoque in ſuis cauſis, eo ipſo entitatem habent, & ſcibilibus poſſunt annumerari.

Deus ita] Deus ſanè novit res omnes uti ſunt in & cum omnibus temporis differentijs quibus ſunt obnoxiæ, licet ipſe tempori ejuſque differentijs non ſubjiciatur: Itaque quod præterijt nobis, novit ut nobis præteritum; ſed etiam priuſquam præterijſſet, noverat ut nobis præſens; & priuſquam præſens nobis eſſet, noverat ut ſuo tempore futurum. Concipiatur homo ex ſummo monte conſiderans alicujus fluvij ortum, decurſum & in mare influxum, comparatè ad eum qui ſedet ad fluvij ejuſdem ripam, nihilque ex eo fluvio videt niſi præterlabentem aquam; & habebitur quædam imago Omniſcientiæ Divinæ comparatè ad nos: Nihil enim rerum quæ eveniunt videmus præter id quod præſens eſt, ut qui ſedet in ripa nihil aquæ videt niſi quod præterlabitur ante ſuos oculos; Et pars illius aquæ ſui reſpectu jam præterijt, & pars adhuc ventura eſt. At Deus novit & uno oculi obtutu videt, & quod nobis futurum eſt & quod nobis præſens eſt & quod nobis præterijt; Nam omnia juxta omnes modos & mutationes eorum, cujuſmodi ſunt prȩteritio præſentia & futuritio, ejus oculis jugiter obverſantur Heb: IV, 13.

Poſſibile aut] Sed non eadem ſcientia Dei circa *poſſibile* & circa *futurum* verſatur: Quod eſt tantum poſſibile obverſatur ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, quæ naturalis aliàs dicitur: Cùm enim Deus ſeipſum intelligat & cognoſcat perfectiſſimè, ut ſuprà inſinuabat ipſe Crellius, etiam novit quouſque ſe extendat ſua potentia ad extra, & conſequenter quid ſit poſſibile, quid non; ſed quod eſt futurum novit Deus ſcientiâ liberâ ſive viſionis, quæ ſola *præſcientia* propriè dici debet. Hinc eſt quod poſſibilia quà talia, duntaxat intelligat, ut quibus non repugnet exiſtere & fieri, ſed futura præſcit eventura ex antecedenti aliquo ſuo decreto de eorum futuritione. Futurum vero in ſimpliciter futurum & conditionatè futurum diſtingui non debet; Nam etiam abſolutam habent futuritionem quæ ex aliqua antecedenti conditione futura ſunt, ſi modo futura ſint.

Porrò cùm poſſibilia, ſi latè hoc nomen ſumatur, in duplici ſint differentia: alia enim ita ſunt poſſibilia, ut neceſſariò etiam ſint futura; alia non neceſſariò, ſed contingenter tantùm; quæ poſteriora plærumque ſimplici poſſibilium nomine intelligi ſolent: quodlibet iſtorum, prout ſeſe reipſa habet, cognoſcit Deus, ob rationem jam dictam. Neceſſariò ergo futura concipit, ut neceſſariò futura; contingenter futura, ut contingenter futura. Contingentium autem futurorum hæc eſt ratio, ut poſſint etiam non fieri. Ob hoc ipſum enim contingenter futura dicuntur, & neceſſariis opponuntur. Quare cum in ſe adhuc ſint indeterminata: & in utramque partem aliquo modo indifferentia ac veluti flexibilia; Deus etiam illa novit, ut indeterminata, 200.
& in utramque adhuc partem flexibilia. Diximus autem, illa *aliquo modo* eſſe indifferentia, non prorſus abſolutè ac ſimpliciter. Quia etſi omnia ejus generis ita ſint comparata, ut & fieri poſſint, & non fieri; ferè tamen fit, ut in alte-

rutram partem magis inclinent; hoc eſt, ut vel veriſimilius ſit illa futura eſſe, quàm non futura; vel contrà.

‡ *Porrò cum poſſibilia*] Hic primùm Crellius incipit cęſpitare. Nam cum poſſibilia longè latiùs pateant futuris, inepta eſt diſtributio poſſibilium in futura neceſſaria & contingentia. Sed agnoſcimus quod ex futuris omnibus, quædam quidem ſint futura *neceſſariò*, ideſt per cauſas neceſſariò agentes, quædam *contingenter*, ideſt per cauſas non agentes neceſſariò, ſed contingenter aut liberè, & quarum reſpectu poſſet res fieri vel non fieri; Sic tamen ut quoquo modo res ſit futura, ſive per cauſam neceſſariam, ſive per cauſam contingentem aut liberam, eo ipſo quod futura eſt, ſemper neceſſariam habeat futuritionem, etſi non ſit neceſſarius modus quo evenire & fieri debet: Cognoſcit itaque Deus ut omnia, ſic omnia futura, & quoad rem & quoad modum rei, ita ut cognoſcat quis ſit futurus modus agendi cauſarum ſecundarum in illorum futurorum productione, neceſſarius ne an contingens: Quare cognoſcit in neceſsariò futuris & quod ſint certò futura, & quod ſint futura à cauſis neceſsariò & naturaliter agentibus; in futuris contingenter cognoſcit certò, & quod ſint futura, & quod ſint futura per cauſas agentes contingenter & liberè, & quarum reſpectu poſſent etiam non fieri. Quare illa quoque novit ut indeterminata ex parte cauſæ ſecundæ ſe indifferenter habentis ad oppoſita, ſic tamen ut ſimul certò & infallibiliter cognoſcat quonam illa cauſa ſit ſeſe determinatura: *Sors conjicitur in gremium, à Iehova autem eſt tota ratio ejus* Prov: XVI, 33. Imò prædixit Ezechiel XXI, 21. 22. quis futurus eſſet ſucceſſus ſortium Nebucadnetzaris, dirigendarum & determinandarum in Iudæorum perniciem.

Contingenter futura] Novit ergo certò quod ſint futura, ſed ſimul certò novit quod ſint futura contingenter, ideſt per cauſas contingenter non neceſſariò agentes; quo demum reſpectu potuiſſent etiam non fieri: Itaque illa novit Deus & ut indeterminata, reſpectu cauſarum ſecundarum, & ut certò & determinatè futura, reſpectu æterni & immutabilis ſui decreti.

Diximus autem illa] Imò quod eſt merè contingens, ut ſors, verbi gratia, & alea, ſimpliciter & abſolutè indifferens eſt ad utrumque, ſui reſpectu: Et ſi quæ talium agentium inclinant magis in alteram partem, eam ipſam inclinationem à Dei providentia conſequuntur; ut vel inde liqueat Deo non veroſimiliter & conjecturaliter tantum, ſed certò & infallibiliter conſtare, quis ſit eventus eorum futurus.

Ejus autem rei ratio omnis latet in cauſſis. Futura enim entitatis ſuæ rationem totam à cauſſis ſuſpenſam habent; & ideò poſſibilia ſunt, quia cauſſæ extent, quæ eas producere, utut fortè longa effectuum ſerie interveniente, poſſint. & alia rurſus certò ac neceſſariò futura ſunt, quia cauſſæ tales extant, quæ neceſſariò ea ſint producturæ; alia non neceſſariò, quia cauſſæ non extent neceſſariò ea producturæ. Quòd ſi ergo cauſæ ſint, quæ magis in id inclinent, ut agant, & effectum producant, quàm ut non producant; effectus etiam ipſe magis futurus cenſetur, quàm non futurus. verbi gratiâ, ſi nubes cogantur denſæ, quæ jamjam videantur pluviam emiſſuræ; contingenter quidem futura eſt pluvia; ſed magis tamen cenſetur futura, quàm non futura;

Digitized by Google

futura; niſi evidens appareat impedimentum cauſſis illis pluviæ validius. Similiter etiam in contrarium ſe res habet. ut, hominem aliquem validum ac vegetum ad veſperam uſque non moriturum, quàm moriturum, veriſimilius eſt; licèt mori interea poſſit.

‡ *Futura enim entitatis*] Fateor quod modus effectionis futurorum, pendet à cauſis ſecundis, a quibus eſt actus denominatio & ſpecificatio: Sed ipſa futuritionis certitudo, maximè pendet ex Dei præſcientia & decreto vel effectivo vel permiſſivo.

Quod ſi ergo] Eo caſu non infallibiliùs vel minùs infallibiliter effectus eſt futurus, ſed certiùs vel minùs certò eum futurum poſſumus præſcire vel conjicere: à nobis vero ad Deum omniſcium argumentari non licet. Imò ſæpè poteſt fieri, ut contrarium ejus quod nobis veroſimilius videtur, ſit certò & infallibiliter ex immutabili Dei decreto futurum. Ita vero ſimilius erat crura Chriſto frangenda, quam non: tamen certò & infallibiliter frangi non debuerunt.

Et Græci quidem, ut ea, quæ certò futura ſunt, ab iis diſtinguant, quæ ſint veriſimiliter futura; illa quidem ἐσόμενα vocant, aut vocare linguæ ſuæ convenienter poſſunt; hæc verò μέλλοντα. quam diſtinctionem tradit ipſe Ariſtoteles in libello de Divinatione per ſomnum. Cauſſam enim reddens, cur quædam ſomnia, res futuras portendentia, reipſa non eveniant; ait, ſomnia ejuſmodi eſſe ſimilia ſignis illis, ex quibus futuras tempeſtates, pluvias, aut ventos, conjectare ſolemus, quæ tamen non ſemper eveniunt. ſi enim contingat, ut potentior aliquis motus vim cauſſarum tempeſtatem minantium impediat, non reſpondet eventus ſigno illi. quo pacto & multa rectè ab hominibus decreta effectu ſuo carent, valentiori cauſſa impediente. ὅλως γὰρ (inquit) οὐ πᾶν γίνεται τὸ μελλῆσαν, οὔτε τὸ αὐτὸ τὸ ἐσόμενον, καὶ τὸ μέλλον. quæ ita reddidit interpres: *Omnino enim non omne fit, quod futurum erat. neque idem Quod erit, & Quod futurum eſt.* Quorum duorum, nempe τοῦ ἐσομένου, ejus *Quod erit*, & τοῦ μέλλοντος, ejus *Quod futurum eſt*, hæc eſt differentia, ut illud certò, ac porrò neceſſariò ſit futurum; hoc veriſimiliter tantùm.

‡ *Et Græci*] At primò Sacra Scriptura non agnoſcit hoc diſcrimen: Nam τὰ μέλλοντα in N. T. ſcriptoribus, ſunt ea quæ certò & indubitanter ſunt futura. Secundò prædictiones Prophetarum de rebus aliàs in ſe merè contingentibus, ſatis arguunt illas reſpectu Dei ad τὰ ἐσόμενα pertinere. Tertiò hoc ſibi tantum vult Ariſtoteles, quædam hominis reſpectu futuritionem certam & neceſſariam habere ex cauſis naturaliter & neceſſariò agentibus, quædam incertam & dubiam ex ſignis incertis: Id enim adhibet, ut reddat rationem cur quædam ſomnia res futuras portendentia, reipſa eventum ſuum non conſequantur; dicens illa ſimilia eſſe ſignis illis ex quibus futuras tempeſtates, pluvias aut ventos, ſolemus conjectare, quæ tamen non ſemper eveniunt. At vero licet noſtri reſpectu quædam ſint tantum probabiliter & veroſimiliter, quædam vero neceſſariò & infallibiliter eventura, quis inde colliget ergo talia eſſe Deo, cujus

ſcientia ut infinitæ eſt perſpicacitatis, ita conjecturalis & dubia nullo modo dici poteſt? Itaque quæ nobis μέλλοντα ſive futura videbantur, nec tamen fiunt ac eveniunt, eo ipſo futura non fuerunt, & meram habuêre poſſibilitatem ſive non repugnantiam ad exiſtendum, futuritionem nullam.

201. Itaque illius planè determinata eſt veritas; hujus non item. Hinc illud etiam determinatè cognoſci poteſt; hoc non item: & ſi quis hoc poſterius determinatè mente concipiat, & futurum credat, fallitur. Aliter enim rem concipit atque eſt. Eadem autem ratio eſt etiam oppoſiti, hoc eſt, ejus, quod non eſt μέλλον aut ἐσόμενον.

† *Itaque illius*] Quoad nos concedo; Nam quod nonniſi veroſimiliter eſt futurum, ut nos quidem conjicimus & judicamus, θεῶ ἐν γουνάσι κεῖται, ut Græci loquuntur; & ſolo eventu docemur num Dei reſpectu futurum erat nec-ne; At quoad Deum, certò & determinatè ipſi conſtat, quid ex ejuſmodi ſignis, vel cauſis ſecundis, quæ hoc vel illud eventurum nobis veroſimiliter portendere videntur, ſit ſequuturum.

Et ſi quis] Ita ſanè ſi quis hominum ſuas conjecturas habeat pro vaticinijs, & quod prudentiorum judicio duntaxat veroſimile eſt, admittat pro indubitanter futuro, valdè errabit: Nam multa cadunt inter calicem & ſuprema labra, ut eſt in Adagio; & ſæpè contrarium evenit ejus quod veroſimiliter futurum ſuſpicabamur; quia nempe Deus præſcientiam certam futurorum ſibi ſoli reſervavit, relicto Creaturis intelligentibus earumque ſolertiæ & ſagacitati ſolo jure palpandi in tenebris & ex ſimilibus ſimilia conjectandi: unde natum illud cujus Cicero meminit *l. 2. de Divin. Benè qui conjiciet vatem hunc perhibeto optimum.* At ſummæ foret inſaniæ Deum ex noſtro pede metiri, ſtatuendo ipſi non conſtare certò & determinatè quis ſit futurus ſucceſſus rerum, qui nobis incertus & indeterminatus eſt. Quin ſi quis mortalium, id ipſum quod nonniſi veroſimile eſt hominibus, *determinatè mente concipiat & futurum credat* ex revelatione divina, neutiquam falletur.

Aliter enim rem] Nempè fallitur neque concipit rem uti eſt, qui ſibi citra ſpecialem Dei revelationem perſuadet id certiſſimè eventurum, quod fortè tamen non eveniet, vel aliter eveniet. Sed Deus hîc planè concipit rem uti eſt: Nam novit perfectè & quid ipſæ cauſæ ſecundæ, quæ menti noſtræ obverſantur, habeant vel contingentiæ vel neceſſitatis in ſe, & quid ſit firmitatis vel infirmitatis in noſtris conjecturis, & num illud quod conjicimus ſit eventurum nec ne.

Quia verò ea, quæ propriè ſunt μέλλοντα, ſeu veriſimiliter eventura, nonnunquam ad ἐσόμενα, ſeu certò ac neceſſariò futura, proximè accedunt; ideo quod ad verba attinet, ſæpè ea confunduntur. & ne Græci quidem, in vulgari præſertim ſermone, ea ſemper diſcernunt. Fit autem id propterea, quia vis cauſſarum quarundam impediri difficulter, ſi à Deo non inhibeatur, poſſit. Quantò autem difficiliùs vis cauſſarum impediri poteſt, tantò effectus accedit ad τὰ ἐσόμενα propiùs. Sunt enim τὰ ἐσόμενα, ut diximus, quæ certò ac neceſſariò eventura ſunt, ac porrò non poſſunt non fieri. At quantò difficiliùs

Digitized by Google

difficiliùs vis cauſſarum impeditur, tantò effectus ad ea, quæ non poſſunt non fieri, accedit propiùs. Difficultas enim impoſſibilitati vicina eſt, & quidam ad eam veluti gradus. Unde de rebus, quæ difficulter admodum impediri ſolent, dicere vulgò ſolemus, impoſſibile eſſe quin eveniant: & de eorum contrarijs, hoc eſt, factu admodum difficilibus, impoſſibile eſſe ut eveniant. Quidni ergo illa ſimpliciter futura aut eventura dici queant, quæ difficulter impediri poſſunt; aut contrà non futura vel eventura, quæ vix fieri queunt? Idem de cæteris etiam eſt judicandum, quæ valdè probabile eſt vel eventura, vel non eventura.

‡ *Ideo quod*] Fruſtrà ergo nititur author illâ Ariſtotelis diſtinctione, cui repugnat uſus communis linguæ Græcæ.

Fit autem id propterea] Agnoſcimus cauſarum ſecundarum alias alijs magis neceſſariò & determinatè agere; ſed Deus novit etiam eas cauſas quæ difficiliùs vel faciliùs poſſint ab alijs impediri quominus ſuum effectum ſortiantur; item novit certò quænam de facto ab alijs ſint impediendæ nec-ne; adeoque certò novit, quænam ſuum eventum ſint conſequuturæ & quænam eventu & effectu ſuo ſint carituræ. Quid quod juxta has λεπτολογίας Crellianas, futurorum diſtributio in μέλλοντα & ἐσόμενα erit inſufficiens, cum detur medium multiplex participationis extremorum inter illa, eorum ſcilicet quorum cauſæ vel faciliùs vel difficiliùs impediri poſſunt.

Cum ergo Deus omnia, prout reipſa ſe habent, cognoſcat; ἐσόμενα, ſeu certò futura, cognoſcit ut talia; ſimiliter & μέλλοντα, ut μέλλοντα, ſeu veriſimiliter eventura, pro ratione cauſſarum, unde pendent. Eodem modo & ea, quæ in medio ſunt conſtituta, & velut in æquilibrio pendent, ut talia novit. Quòd ſi dicas, illum ut ἐσόμενα concipere ea, quæ tantùm ſunt μέλλοντα, aut etiam prorſus media ſeu indifferentia; eum dices falli ac errare.

‡ *Cum ergo Deus*] At eo ipſo quod Deus cognoſcit res prout reipſa ſe habent, non cognoſcit tantum eas in ſuis cauſis, ſed etiam in ſe ipſis: Quare ut cognoſcit cauſas agentes neceſſariò, & cauſas agentes liberè aut contingenter, ita etiam cognoſcit quid ſit eventurum vel non ex utriſque. Adeoque certò & determinatè cognoſcit etiam ea quæ contingenter ſunt futura, quia licet habeant modum eſſendi ſive fiendi contingentem, tamen futuritionem habent certam & infallibilem: Novit equidem ea omnia quæ nobis ſunt ἐσόμενα & μέλλοντα, ut Author amat loqui, ſed inſuper novit, ex ijs quæ quoad nos, & cauſarum ſecundarum indifferentiam & diſpoſitionem, nonniſi μέλλοντα ſunt, utra ſint ἐσόμενα nec-ne. Novit ea quæ nobis veroſimilia ſunt, & quam ſolidum ſit illius veriſimilitudinis noſtræ fundamentum; ſed novit inſuper, ut nobis eſt longè perſpicacior, quidnam ſit ex noſtris veroſimilibus futurum, & in quibus nos fallat noſtra conjectatio: Nec enim, ut benè monet Iob x. 6. *oculi carnei ſunt illi, nec videt ut homo mortalis videt:*

Illa futurorum contingentium & neceſſariorum diſtinctio ſeſe habet tantum à parte tum cauſarum ſecundarum, tum prænotionis noſtræ; ſed ceſſat reſpectu Dei, qui omnium eventuum, ſive contingentium, ſive neceſſariorum, futuritionem perſpectiſſimam habet. Omnia quæ eveniunt, eo ipſo quod eveniunt, erant ἐσόμενα ac futura reſpectu Dei; Et quæ non eveniunt, licet nobis veroſimiliter eventura ac μέλλοντα viderentur, eo ipſo quod non eveniunt, reſpectu Dei nec μέλλοντα, nec ἐσόμενα, nec ullo modo futura erant. Quid quod multa nobis contingentia videntur, quæ tamen fatalem habent neceſſitatem ex Providentia Dei, uti ſuprà *cap. 6.* illi fatali neceſſitati, *cui res actioneſque humanæ ſint ſubjectæ*, ipſe author non obſcurè videbatur patrocinari.

Quod ſi dicas] Novit Deus & quid poſſit fieri, & quid ſit futurum; Novit & circa ea quæ futura ſunt, quomodo quodque ex illis futurum eſt: Sic tamen ut omnia quæ eventura ſunt, actu ſint illi ἐσόμενα; & circa nullum eorum verſetur στοχαστικῶς & conjecturaliter; Quia docente Paulo Heb: IV, 13. *Omnia ſunt nuda & patentia oculis ejus*, etiam ab æterno & priuſquam eveniant Act: XV, 11.

Aut etiam prorſus] Nihil concipi poteſt quod plus habeat indifferentiæ quam ipſa ſors: novit tamen certiſſimè Deus quomodo ſit caſura, imò per illam quid antea decreverit patefacit hominibus, ut liquet vel ex electione unius Matthiæ Act: I, 24. 25. 26. Ut vero Deo, inſtar noſtri, ex omnibus quæ eveniunt, priuſquam fiant, quædam ſint certò futura, quædam tantum veroſimiliter, quædam vero ſint planè *media* ac *indifferentia*, ideſt quæ nec futura ſint nec non futura, multiplicem implicat abſurditatem: Nam ut præterita omnia certò novit, quomodocunque evenerint, quia facta & præterita ſunt, ita etiam futura omnia certò noſſe debet, quomodocunque ſint eventura, quia fieri debent & futura ſunt; & hæc non minus quam illa uno cernit mentis ictu, nec minus ſemper ſunt illi præſentia quæ ſunt adhuc futura, quam quæ jam præterierunt & facta ſunt: Atque ut neceſſe eſt ſubjici Providentiæ actuali quæcunque fiunt & eveniunt in tempore, ſive caſu, ſive conſilio, ſive contingenter, ſive neceſſariò, ita etiam illa omnia priuſquam eveniant præſciri oportet à Deo, quo per æterna ipſius conſilia rerum & eventuum ordini innexa & ad ſuum finem præordinata cenſeantur. Quod vero author ſuſpicatur præter ſua ἐσόμενα & μέλλοντα, dari tertium rerum ordinem, quæ ſint mediæ & indifferentes, ideſt neque futuræ neque non futuræ, non ſolum pugnat cum illius diſtributione futurorum in μέλλοντα & ἐσόμενα, quæ ſi valeat immediata eſſe debet, ſed etiam evidentem involuit contradictionem; cum contradictoriè opponantur futurum & non futurum; & ſemper ex duobus ejuſmodi alterum debeat eſſe verum, quamvis nobis neutrum determinatè verum ſit.

Itaque inconſideratè illi faciunt, qui futura contingentia Deum determinatè ſcire ajunt, quia aliàs non eſſet omniſcius: cùm potiùs ideo illa determinatè futura non concipiat, quia eſt omniſcius, & in rebus cognoſcendis nunquam errat, nunquam non verum intellectu concipit. Veritas enim conformitas eſt ſeu convenientia intellectûs cum re ipſa. Qui ergo ea, quæ reipſa ſunt indeterminata, aut non ſimpliciter futura, concipit ut determinatè ac ſimpliciter futura; ejus intellectus

Digitized by Google

tellectus cum re non convenit, ſed ei potiùs adverſatur, ac porrò fallitur. 202.

‡ *Itaque inconſideratè*] Imò inconſideratè faciunt adverſarij, qui illa Dei Omniſcientię ſubducere annituntur. Cùm Deus optimè norit etiam priuſquam eveniat, quicquid eſt futurum, quocunque modo futurum ſit. Et quamvis plurima debeant evenire contingenter, nihilominus determinatè futura ſunt; licet per cauſas contingentes, ideſt non determinatas naturâ ſuâ ac neceſſariò ad talem effectum. Aliud eſt enim aliquid eſſe determinatè ac neceſſariò futurum, quale eſt quicquid adhuc futurum eſt & actu eventurum; aliud aliquid eſſe futurũ contingenter & ex cauſa aliqua non neceſſariò ad unũ determinata; ut determinatio ac neceſſitas futuritionis, cũ modo quo res futura & efficienda eſt non debeat tam perperã confundi.

Qui ergo ea] In hac argutia ſi ſyllogiſticè expendatur quatuor erunt termini; Nam ea quæ *indeterminata* reipſâ dicuntur, talia dicuntur tantũ in ordine ad cauſas ſecundas; ſed quæ ſic indeterminata ſunt, nihilominus ſi futura ſint, & quà futura, determinatè & ſimpliciter futura ſunt; ideſt certam, determinatam & ſimpliciter veram, adeoque neceſſariam habent futuritionẽ, licet per modũ agendi in cauſis ſecundis contingentem aut liberum. Talia itaque novit Deus qualia ſunt, & determinatè futura, quia revera ſunt futura & evenient ſuo tẽpore, & futura nihilominus per cauſas liberas aut contingentes, neque ex natura ſua determinatas ad unũ oppoſitorũ.

Itaque qui ad eum modum omniſcientiam Dei urgent, perinde faciunt, ac ſi quis diceret, quia Deus omnipotens eſt, ideò eum etiam ægrotare poſſe. Nam ob id ipſum omnipotens non eſſet, ſi ægrotare poſſet. Diximus antem jam antea, omniſcientiam Dei ad omnia ſcibilia extendi, quemadmodum omnipotentia ad omnia poſſibilia. & quemadmodum huic nihil detrahitur, cùm ad impoſſibilia extendi negatur: ita nec omniſcientię, cùm negatur ad ea extendi, quæ ſcibilia naturâ ſuâ non ſunt, ſeu ſub nullam ſcientiam cadunt. Talia autem ſunt futura contingentia determinatè ſumta.

‡ *Itaque qui ad eum*] Fateor pręſcientiam eſſe ſcibilium non neſcibilium; ſed nego abſolutè neſcibilia eſſe futura contingentia: Nã primò licet diſtinctè non poſſimus præſcire alterutrum oppoſitorum; quo ſenſu obtinet illud tritum in Scholis, *Futurorum contingentium non eſt determinata veritas*; tamen confuſè ſcimus alterutrum neceſſariò eventurum; quia ſcimus quod ex duabus contradictorijs propoſitionibus ſemper alterutra vera ſit. V. G. eſt mihi hæc propoſitio de futuro contingenti: *Cras pluet, vel non pluet:* Licet autem hodie neſciam, utrum eveniet, alterutrum tamen neceſſariò debet evenire, ut videlicet pluat aut non pluat. Secundò perperam id ſtatuitur abſolutè neſcibile etiam reſpectu Dei, quod eſt neſcibile tantum ſecundum quid & quoad homines; Prout dicit Chriſtus poſſibilium reſpectu, ea quæ hominibus impoſſibilia ſunt nihilominus poſſibilia eſſe Deo. An quia determinatè neſcis num cras pluiturum ſit nec ne, eſtque hoc tibi neſcibile, quoniam ad futura contingentia ſpectat, ideo debebis ſtatuere nec Deum ipſum id determinatè ſcire? Aut quia neſcimus hanc Remp. duraturam adhuc

Digitized by Google

ſub ea forma regiminis per ducentos annos; cum alterutrum tamen ſit futurum ut perſeveret, vel mutetur, etiam ipſe Deus neſciet certò, utrum ex illis duobus ſit eventurum? Tertiò ea demum ſunt impoſſibilia, quæ fieri & evenire nequeunt citra implicationem contradictionis, vel ex parte Dei, vel ex parte rei: ut Deum mentiri, ſeipſum abnegare, ægrotare, accidentia exiſtere extra omne ſubjectum, corpus eſſe inextenſum, hominem eſſe animal irrationale &c. Sed ne umbra quidem ſubeſſe poteſt contradictionis in ea ſententia quæ futurorum, cæteroquin quoad cauſas ſecundas contingentium, determinatam tribuat Deo notitiam: Hæc enim notitia nullam vel Dei vel rei deſtructionem ponit, ſed potiùs debitam Deo perfectionem ſonat: ut nempe cum ſciamus nos homunciones quod ex duabus contradictorijs propoſitionibus de futuro, alterutra ſit neceſſariò & infallibiliter eventura, ipſe Deus inſuper ſciat certò & determinatè utra ex illis ſit eventura; & cum homines etiam quidam, partim experientiâ edocti, partim aliquâ ſagacitate inſitâ, multa futura præſentiant & præſagiant, quæ tamen reliquorum reſpectu planè indeterminata ſunt, Deus opt. max. multò magis & certiùs omnia eventura habeat in numerato & quaſi coram cernat.

Etſi autem hæc ſententia veriſſima eſt, & non modò cum omniſcientia divina non pugnat, ſed etiam ad eam ſtabiliendam omnino pertinet: tamen, quia ab illis, quibus præjudicatæ opiniones ad veri cognitionem obſtant, acerbiſſimè ferè oppugnari, & impietatis accuſari ſolet; operæ pretium eſt pluribus eam confirmare, & inſignem ejus in re pietatis ac religionis uſum oſtendere. Tantum enim abeſt, ut ea cum religione ac pietate ulla ex parte pugnet, ut religio ſine illa defendi nequeat, utpote quam ſententia contraria vi ſua penitus convellit.

‡ *Et non modò cum*] Imò eam funditùs evertit; Omniſcius enim Deus debet ſcire quicquid eventurum & futurum eſt in mundo, quocunque demum modo eveniat; Et cum omnia regere debeat & ad ſuos fines præordinaſſe exiſtimandus ſit, non poteſt illi denegari exacta cognitio omnium eorum quæ ſuo regimini ſubſunt, & ab ipſo pendent tum in ſuo eſſe, tum in ſuo operari.

Tantum enim abeſt] Imò hac veritate ſublatâ, perit omnis religio. Sublatâ enim Divinatione & Prophetiâ de rebus futuris, tollitur Numen & pietas ſubvertitur. Et qui potuerint homines Deo pleni & acti ab ipſius Spiritu, futura contingentia diu antequam evenirent certò prædicere, ſi eorum prænotio certa & determinata ipſi Numini abrogetur? Nonne contingens erat Aſtyagis nepotem Cyrum appellatum iri, aut Ioſiam, eum abnepotem Davidis qui Bethelis aram eſſet everſurus? Vtrumque tamen prædictum fuit aliquot ſæculis antequam eveniret; illud ab Eſaia XLIV, 28. hoc à viro Dei 1. Reg: XIII, 2. Vixit autem Eſaias plus quam ducentis annis ante Cyrum; & inter vaticinium editum contra altare Bethelis, circa initia Ieroboami, & Ioſiæ regnum, plusquam trecenti anni interfuerunt. Mitto ſexcenta alia ejuſdem generis, quæ in ſe contingentia ſi ulla, certò tamen & determinatè prædicta ſunt à Viris Dei. Delirant ergo hæretici dum fingunt omnem religionem convelli per Orthodoxam ſententiam, abſque qua è contrario nulli religioni locus inter homines ſupereſſe poteſt.

Nam ſi

Digitized by Google

Nam ſi omnia futura, qualiacunque ſint, Deo ab omni æternitate determinatè cognita fuiſſe contendas; neceſſe eſt ſtatuere, omnia neceſſariò fieri, ac futura eſſe. Unde ſequetur, nullam eſſe aut fuiſſe unquam humanæ voluntatis libertatem, ac porrò nec religionem.

‡ *Nam ſi omnia futura*] At 1. Nihil eſt abſurdi ſtatuere omnia quæ eveniunt, quocumque modo eveniant & fiant, priusquam eveniant neceſſariam habuiſſe futuritionem, ſive ἐσόμενα fuiſſe, ut amat loqui adverſarius; Hinc Seneca *epiſt.* 108. non malè monet *debuiſſe fieri quæcunque fiunt.* 2. Etſi eo ſenſu omnia neceſſariò eveniant, hoc eſt habeant neceſſitatem hypotheticam & infallibilitatis eventus, non tamen ideo fiunt neceſſariò, ideſt per cauſas ad unum determinatas ex intrinſeca ſua natura, nec habent neceſſitatem abſolutam & naturalem. 3. Si præſcientia eorum quæ fiunt voluntariò, aliquid delibaret de arbitrij libertate, tum nihil futurum voluntarium potuiſſet præſciri vel prædici à Deo; contra quam tota loquitur Scriptura. 4 Fuit ſanè actus voluntarius fratrum Ioſephi, quod eum vendiderunt abducendum in Ægyptum: Hoc tamen futurum iamdiu ante præſciverat Deus, quandoquidem ipſi Ioſepho per inſomnium revelaverat fratres ſuos ſe illi adgeniculaturos, eratque illa venditio gradus ad eam illius magnitudinem in Ægypto quam Deus ipſi decreverat, & per quam famis tempore proſpecturus erat toti Iacobi familiæ Pſal: CV, 16. Fuit actus voluntarius in Pharaone quod ex duobus ſuis Miniſtris, pincernam in aulam revocarit, piſtorum Principem miſerit ad patibulum: Vtrique autem id fuerat prædictum antequam vel ipſe Pharao de eo cogitaſſet Gen: XL, 8. & ſeqq. Fuit actus voluntarius in Sihon Amorrhæo, quod petentibus Iſraelitis tranſitum per ipſius terram, legatos eorum noluit audire, & ſe illis opponere maluit: Attamen id ita eventurum prædictum fuerat Moſi à Deo, uti liquet ex Deut: II, 24. 25. 26. & ſeq. Fuit actus voluntarius in Iuda, in Iudæis, in Pilato, quo in Chriſtum inſurrexerunt, & eum crucifixerunt: Hæc tamen omnia & præſcita & prædicta fuerant a Prophetis, & ſic oportuiſſe fieri, fuſè ipſe Dominus docet Luc: XXIV, 26. 46. Quod ſi horum & ſexcentorum ſimilium quæ extant in Scripturis, determinata præſcientia & prædictio à parte Dei potuit ſubſiſtere cum libertate arbitrij eorum de quibus præſcita & prædicta fuerant, quâ ratione ſtatuit author Dei certam omnium futurorum præſcientiam omnem humanæ voluntatis libertatem everſuram? Non omnis neceſſitas pugnat cum illa libertate; ſed demum ea quæ eſt, vel coactionis & violentiæ, vel intrinſeca, phyſica & conſequentis. Iam autem præſcientia Dei ejus quod homo ſpontè & liberè facturus eſt, infert quidem futuritionis & eventus infallibilitatem & neceſſitatem conſequentiæ, non tamen infert coactionem aut violentiam; vel voluntati aufert ſuam intrinſecam libertatem & indifferentiam ſaltem negativam ad oppoſita, per quam ſepoſitâ illâ hypotheſi præſcientiæ Divinæ &, uti loquuntur, in ſenſu diviſo, æquè poſſet ſe ad alterum oppoſitorum determinare.

Quin & ipſi Deo arbitrium, ſeu voluntatis libertas neganda erit. quod nil eſt aliud, quàm Deum negare Deum eſſe. ut alia nunc reticeam abſurda, ex eo dogmate in Deum redundantia, inferiùs, quantum inſtituti noſtri ratio

feret,

Digitized by Google

ferret, commemoranda. Nam ſi omnia determinatè ab æterno fuerunt Deo cognita; nihil in rerum natura erit, quod abſolutè ſit contingens, ſed omnia erunt neceſſaria. Abſolutè autem contingens dico, quod habita ratione omnium cauſſarum, à quibus pendet, contingens eſt, hoc eſt, non tantùm ratione cauſſarum ſecundarum, à quibus fortè proficiſci queat; ſed etiam ratione caſſæ primæ, hoc eſt, Dei: ita ut ſimpliciter poſſit vel fieri, vel non fieri.

† *Quin & ipſi*] Abſurdè: Deus enim, cum ſit conſtans in ſuis conſilijs, ſemper vult quod ſemel voluit, adeoque non per arbitrij aut libertatis defectum, ſed per conſtantiam decretorum ſuorum, præſcit neceſſariò & infallibiliter eventurum, quod ſemel decrevit & conſtituit vel permittere vel facere. Quod ſemel ei placuit poſtea diſplicere non poteſt.

Nam ſi omnia] Revera eorum quę fiunt nihil contingens dici poteſt reſpectu Dei: cum nihil unquam poſſit evenire quod illi improviſum & inexpectatum ſit: Et quamvis oppoſitè ad Deum qui eſt ens ſimpliciter & abſolutè neceſſarium, nihil ſit quod contingens dici non poſſit, quia in Dei arbitrio fuit creare mundum vel non creare, tamen cum de futuris & ijs quæ revera fiunt & eveniunt, ad ſe mutuò collatis & comparatis agitur, nihil contingens eſt Deo, quia ſuppoſito ipſius decreto liberrimo de eorum futuritione, ejuſque infallibili præſcientiâ, neceſſe eſſe ut fiant & eveniant.

Ita ut ſimpliciter] Inepta eſt contingentis definitio: cum alia ſit ratio contingentis & neceſſarij, quam poſſibilis & impoſſibilis: Et ſi id omne contingens cenſetur in ſchola Sociniana quod ſimpliciter poſſit fieri vel non reſpectu Dei, nihil amplius erit neceſſarium in rerum natura, adeoque nihil omninò quod præſciri & prædici poſſit à Deo priuſquam fiat. Nihil enim fit in curſu ordinario naturæ, quod ſi Deo ita videretur, non poſſet non fieri: Quin fruſtrà hîc eſſe Crellium percipiet facilè qui cogitabit, 1. Hanc quæſtionem non eſſe de poſſibilibus ſimpliciter, ſed de futuris: id eſt de ijs quæ reipſa ſuo tempore eventura ſunt. Omnia enim futura poſſibilia ſupponuntur, ſed non viceverſâ omnia poſſibilia & quæ poſſent fieri futura ſunt. 2. Etiam Deo adſcribendam eſſe notitiam certam & determinatam, omnis ejus quod ſimpliciter poſſit fieri vel non fieri, ſive omnium poſſibilium; adeoque ex adverſarij mente omnium abſolutè contingentium: Cùm enim potentia rerum paſſiva fundetur in Activa Dei Omnipotentia, quam certū eſt Deum ſe intimè & optimè noſſe & quo uſque ſe extendat ſua Omnipotentia, ut etiam antea author agnovit, tam certum eſt eum optimè & accuratè noſſe quid poſſit fieri vel *non fieri*. 3. Neceſſitatem hypotheticam & conſequentiæ ſive infallibilitatis eventus, quam vindicamus omnibus rebus quæ fiunt & eveniunt, radicari in Dei decreto vel effectivo vel permiſſivo de earum futuritione; unde certa & determinata eſt in mente Divina præſcientia eorum, per ſcientiam eam quæ Theologis dicitur *libera* ſive *viſionis*. Quæ itaque in ſigno rationis antecedenter ad Dei decretum, erant ſimpliciter poſſibilia, & quà talia cognita Deo per ſcientiam *ſimplicis intelligentiæ* ſive *naturalem*, conſequenter ad illud certò futura ſunt, & ſic ratione primæ cauſæ, conſequuntur neceſſitatem illam quam tuemur.

Sunt enim

Digitized by Google

Sunt enim qui contingentia quidem dari in rerum natura fatentur; ſed tantummodo reſpectu cauſſarum ſecundarum aut proximarum, à quibus illa proficiſcantur; non reſpectu cauſæ primæ. Nam reſpectu hujus omnia neceſſariò fieri volunt: reſpectu autem cauſſarum ſecundarum contingenter: nempe quia, ſi cauſſæ illæ per ſe ac ſuâ naturâ conſiderentur, indifferentes ſint, hoc eſt, poſſint & agere, & non agere: quatenus autem à prima cauſſa dirigantur, aliter agere non poſſint, quàm agunt. Itaque reipſa neceſſariò agunt; non quidem neceſſitate naturali ac interna; ſed neceſſitate externa. quæ nimirum pendeat à cauſſa prima. De tali contingente hîc non agimus; quia id revera ad neceſſaria pertinet, utut fortè neceſſitas illa ignoretur à cauſſis ſecundis in actione verſantibus: ſed de eo, quod abſolutè contingens eſt. 203.

‡ *Sunt enim*] Quin nemo eſt quod ſciam ex Orthodoxis, qui hoc non fateatur, aut aliter *Contingentiam* in rerum natura cenſeat explicandam: Hìc enim contingentia venit opponenda neceſſitati cuidam, quæ & itidem agnoſcitur in multis rebus: Vt autem hæc neceſſitas talis eſt reſpectu cauſarum ſecundarum, cum nulla ſit reſpectu potentiæ primæ cauſæ, per quam poſſunt vel non fieri vel aliter fieri, ita quæ ei opponitur contingentia talis eſt demum reſpectu cauſarum ſecundarum; cùm reſpectu voluntatis & præſcientiæ cauſæ primæ res illæ ſuo ſenſu neceſſariæ ſint.

De tali contingente] Atqui aliud non datur in rerum natura: & facilius eſt ſupponere quam probare contingens eſſe duplex, aliud ſecundum quid, aliud abſolutè: cum *abſolutè* contingenter nihil fiat vel eveniat, ſed tantum ſecundum quid.

Jam verò nullum abſolutè contingens in rerum natura eſſe poteſt, ſi eorum eſt & ſemper fuit determinata veritas, ſecundùm quam à Deo ab omni æternitate potuerint cognoſci, atque adeò cognita fuerint. Quicquid enim ſemper eſt, ſemperque fuit, neceſſarium eſt, ut ſuprà jam alicubi monuimus. Quod ſi ergo omnium rerum veritas jam ab omni æternitate fuit definita; neceſſaria eſt, nec aliter ſeſe habere poteſt. Simul autem & cauſſas rerum omnium ab omni æternitate ad ſuos effectus determinatas fuiſſe neceſſe eſt. Nam & diſpoſitio cauſſarum ad rerum numerum pertinet.

‡ *Iam vero*] Concedo: Cùm Deus ab æterno & noverit omnia poſſibilia, & certò ac determinatè quæ ex omnibus poſſibilibus ſint futura nec-ne.

Quicquid enim] Aliud eſt rem eſſe in ſe neceſſariam aut contingentem, aliud eſt neceſſariam eſſe veritatem præſcientiæ divinæ de illius futuritione: Res ipſæ non fuerunt ab æterno, etſi certò & infallibiliter ab æterno præſcitæ fuerint. Quid quod ut neceſſe eſt fuiſſe & eveniſſe quicquid jam præterijt & factum eſt, licet pleraque facta fuerint contingenter & liberè, ita neceſſe eſt fieri & evenire, quicquid adhuc futurum eſt & in fieri, etſi pleraque debeant fieri contingenter & liberè.

Nec aliter ſe habere] Ex hypotheſi præ-

ſcientiæ divinæ concedo, ex intrinſeca agentium conſtitutione & natura, nego.

Simul autem] Concedo, determinatione externâ & conſequentiæ, quæ nihil delibat de earum contingentiâ in agendi & cauſandi modo; non interna, naturali, & conſequentis: Et niſi dependenter à cauſâ primâ diſpoſitæ eſſent omnes cauſæ ſecundæ ad ſuos effectus, manente tamen illis ſuo modo proprio & interno agendi & cauſandi, tum deberent agere & cauſari independenter à Deo, atque eo ipſo non amplius forent cauſæ ſecundæ, ſed primæ.

Qui ergo v.g. peccat, is jam ab omni æternitate ad id determinatus fuit, ut peccaret. Unde conſequitur nullum eſſe illius culpam. Si qua enim illius eſſet culpa, in eo eſſet, quòd ſeſe ad hunc effectum, nempe peccatum, diſpoſuiſſet ac determinaſſet. Atqui jam diſpoſitus ad eam rem fuerat, antequam eſſet.

‡ *Qui ergo v. g. peccat*] Primùm nemo eſt aut exiſtit in tempore, qui ab æterno non ſit determinatus ad exiſtendum, ſive cujus futuritio non fuerit determinata immutabili Dei decreto: Neque negabit adverſarius eum ſecundo loco determinatum fuiſſe ut eſſet agens liberum, ideſt ut poſſet ſponte agere & pro lubitu, adeoque ex ipſius hypotheſi etiam eò determinatum fuiſſe ut poſſet peccare & malè agere: Quod ſi autem Deus potuit hominem eò determinare ut poſſet peccare, citra læſionẽ ſuę ſanctitatis & juſtitię, cur nõ pariliter potuerit determinare permiſſionẽ hujus aut illius peccati in ſpecie, cujus capacẽ hominem effecerat vel efficere decreverat? Adhæc non dicimus ab omni æternitate determinatum fuiſſe hominem ad peccandũ, neque id dici debet, ſed ſolùm ſtatuimus ab omni æternitate determinatã fuiſſe permiſſionem peccati, liberè tamen & ſponte ab ipſo perpetrandi: Nec obſtat quod cauſæ rerum omnium ab omni æternitate ad ſuos effectus determinatæ fuiſſe cenſentur; Nam cauſæ ſunt determinatæ ad ſuos effectus reales & poſitivos; non vero ad ſuos defectus vitioſos & privativos, cujuſmodi ſunt peccata; quæ ideo & in ſuo formali potiùs ſub permiſſionem cadunt, efficacem tamen eam & quæ infert infallibilitatem eventus, quam ſub determinationem propriè dictam. Præterea ſive determinatio dicatur permiſſiva, ſive efficax permiſſio futuri cujuslibet peccati, ea non ponit peccatorem extra culpam; quia determinatio illa permiſſiva nullam ei coactionem infert, nullamque neceſſitatem intrinſecam & phyſicam imponit malè agendi; ſed ipſemet ſuâ ſponte ex intrinſecâ ſuâ voluntate ac ultrò ſeſe diſponit ac determinat ad peccatum: quod cum ultroneum & voluntarium ſit, eo ipſo habet rationem culpæ & pœnam meretur. Sed & hic obſervetur mira iſtorum hominum doctrina, ex qua ſequitur *nullum* omninò peccatum potuiſſe à *Deo* præſciri & prævideri certò priuſquam eveniat. Nam is cujus peccatum certò & infallibiliter præſcitur à Deo priuſquam fiat, non poteſt non peccare; qui non poteſt non peccare, eſt determinatus ut peccet; qui eſt determinatus ut peccet, nullam habet culpam, ut iſti volunt, adeoque nullum peccatum. Igitur alterutrum in hac Theologia debet obtinere, vel ut Deus excœcetur circa quodlibet peccatum futurum, vel ut creatura in omni ſuo peccato excuſetur, & illud Lyconidis apud Plautum uſurpet, *Deus impulſor fuit, credo Deos voluiſſe.* Si autem evicerimus quędam peccata certò & infallibiliter præſcita fuiſſe à Deo priuſquam fierent, & nihilominus peccata fuiſſe,

pœnam

pœnam æternam commerentia, huic Adverſarij argutiæ ſufficienter reſponſum erit. Annon Deus debuerit certò præſcire Adamum ipſum lapſurum, & totum genus humanum in exitium ſecum abducturum, qui in remedium peccati nobis ab æterno deſtinaverat ſuum Filium, & credituros in ipſum præordinaverat ad vitam æternam, imò ad vitam præordinatos fide donare decreverat? Annon debuit præſcire filiorum Iacobi crimen in Ioſephum, quod inſtar occaſionis vel medij ad ipſius dignitatem, diu prædictâ antequam eveniret, ordinabat? Annon debuit Deus præſciviſſe peccatum Pharaonis & Sihonis quo obdurarunt ſua corda & ſe in peccatis ſuis obfirmarunt, quandoquidem id eos facturos antequam eveniſſet certiſſimè prædixerat? Annon debuit Deus præſciviſſe inceſtum & rebellionem Abſolomi, quam prædixit priuſquam eveniret, & in pœnam peccati Davidis ordinavit? Annon debuit Deus præſcire crimina Iudæ, Pilati, Iudæorum, in Chriſtum ſuum, diu ante prædicta per Prophetas, adeo ut dicantur illi effeciſſe *quicquid manus & conſilium* Dei futura decreverant? Act: IV, 28. Dicant ergo Sociniani, vel in Adamo, in fratribus Ioſephi, in Pharaone & Sihone, in Abſolomo, in Iuda, Pilato, Cajapha &c. nihil ſuperfuiſſe culpæ, eo quod certa prænotio & præſcientia Dei inferret ſuorum peccatorum determinatam futuritionem, aut agnoſcant peccati futuritionem determinatam ex Dei decreto permiſſivo & infallibili Dei præſcientia, peccati culpam & reatum non extinguere.

Quòd ſi quis nihilominus contendat, poſita determinata rerum omnium ab æterno veritate, aliquid abſolutè contingens dari, is non videt, duo inde ſecutura impoſſibilia. Prius eſt, idem ſimul fore & poſſibile, & impoſſibile. Nam ſi abſolutè contingens eſt; poteſt aliquid & fieri, & non fieri; & ſic utrumvis contradictoriorum verum eſſe. At ſi futurorum contingentium determinata eſt veritas, ſemperque fuit; non poteſt utrumvis contradictoriorum verum eſſe aut fieri. Etenim ſi determinatè verum eſt, rem non futuram; verum eſſe non poteſt, rem futuram. Aliàs id, quod determinatè verum eſt, poſſet fieri falſum, & contrà falſum poſſet fieri verum.

I *Quod ſi quis*] Nemo ſanus volet contendere dari nunc aliquid *abſolutè* contingens reſpectu Dei, quoniam ex omnibus poſſibilibus, decrevit ab æterno quid ſit futurum & quid non: adeò ut ex hypotheſi hujus decreti, quæ abſolutè & in ſe erant poſſibilia, tamen ſecundum quid ampliùs fieri non poſſint, quia Deus ea decrevit non futura; Nec ſupponendum fuiſſet ſed probandum, uti ante dixi, dari duplex contingens, unum *abſolutè* tale, alterum *ſecundum quid*: maximè cum hic agatur de contingentibus futuris, quæ oppoſitè ad futura neceſſaria, nonniſi ſecundum quid contingentia dici debent.

Prius eſt, idem] At nihil eſt abſurdi ſi de eodem vario reſpectu ſtatuatur quod ſit poſſibile & impoſſibile ſimul: Poſſibile abſolutè, reſpectu virium agendi tum Dei, tum creaturæ; Impoſſibile ſecundum quid, & ex ſuppoſitione decreti & præſcientiæ Dei. Ita poſſibile erat priori ſenſu Chriſtum non crucifigi, ſed illi ſubmitti pluſquam duodecim legiones Angelorum, qui ipſum præſenti periculo eripuiſſent: Sed poſteriori ſenſu erat impoſſibile ipſum ſubduci cruci, quoniam implendæ eſſent Scripturæ quod oporteret ita fieri Matth: XXVI, 53. 54.. Poſſibile erat priori ſenſu ut illi crura frangerentur, ſicut duobus latronibus ei concrucifixis:

crucifixis: nec enim ad id deerant vires militibus Pilati: Sed poſteriori ſenſu id non poterat fieri, quod prædictum eſſet nullum ex oſſibus ejus fractum iri Ioh: XIX, 31. 36. Igitur quod in *ſenſu compoſito*, ideſt ſuppoſito Dei decreto de futuritione rei, impoſſibile eſt non fieri, tamen in *ſenſu diviſo*, & eo decreto ſepoſito, poſſibile eſſet non fieri, quatenus ad illud efficiendum, ſat virium ſupereſt in cauſis prima & ſecunda.

Nam ſi abſolutè] Aliud eſt rem poſſe fieri vel non fieri, ideſt rem eſſe poſſibilem, ac potuiſſe eſſe vel non eſſe futuram ex hypotheſi, aliud poſſe rem ſimul eſſe futuram & non futuram: Hoc Scholaſtici ſic enunciarent, quod aliud ſit habere *ſimultatem potentiæ*, quatenus ſimul potuit vel fieri vel non fieri, aliud habere *potentiam ſimultatis*, quatenus fingeretur poſſe ſimul fieri & non fieri. Ego diſtinctiùs id explicatum dabo. Primò itaque futuritione certâ unius oppoſitorum, non tollitur omninò poſſibilitas alterius; quæ dicit merum reſpectum ad vires & facultates agendi cauſarum, ac præſertim primæ: Nam poſito quod cras certò pluet, remanet tamen ſuo ſenſu poſſibile ut non pluat, quatenus Deus determinando cauſas ſecundas ad pluendum, ſibi ipſi non abſtulit vim & facultatem eas cohibendi, & earum effectum ſuſpendendi. Deinde antecedenter ad omne Dei decretum in ſigno rationis, cum res merum eſſe poſſibile habent, utrumvis contradictoriorum poteſt eſſe vel fieri: ſed conſequenter ad Dei decretum quo ex omnibus poſſibilibus determinatur quid ſit futurum & quid non futurum, alterum contradictoriorum falſum eſt: nam quam verum eſt hoc futurum, tam falſum eſt aliud non futurum; eo magis quod ex duabus propoſitionibus contradictoriè oppoſitis, altera neceſſariò vera, ſit altera falſa. Tertiò cum propoſitionum de futuris contingentibus contradictoriè oppoſitarum, alterutra debeat eſſe vera, abſurdè fingitur Deus determinatè neſcire utra vera ſit, ſive quam in partem lanx in æquilibrio poſita debeat inclinare.

At ſi futurorum contingentium] Primò futura contingentia non ſunt abſolutè contingentia, ſed tantũ ſecundum quid: Nam quatenus ſunt futura, determinatam habent futuritionem, nec poſſunt non evenire: quatenus vero contingentia ſunt, debent evenire per cauſas agentes contingenter, vel quarum reſpectu non implicet contradictionem rem aliter evenire & fieri. Adeoque in Crellij argumento quatuor ſunt termini: nec procedere debet ratio ab abſolutè contingentibus, qualia gratis fingit, ad futura contingentia de quibus diſputamus. Secundò etſi debeat certò evenire quod habet determinatam veritatem, tamen ejus oppoſitum non debet cenſeri ſimpliciter impoſſibile, ſed tantum ſecundum quid & ex hypotheſi. Patebit amplius quod dico, ſi à futuris ad præſentia tranſeamus: Quicquid eſt dum eſt neceſſe eſt ut ſit, inquiunt Philoſophi; & tamen illa neceſſitas ejus quod nunc fit eò quod fit, non facit ejus oppoſitum *ſimpliciter impoſſibile*. Ita dum loquor, *neceſſe eſt* me loqui, quia ſimul loqui & tacere eſt impoſſibile: non tamen ſimpliciter impoſſibile eſt me tacere nec loqui illâ ipſâ horâ quâ me loqui contingit; neque id quod loquor mihi aufert potentiam & facultatem tacendi. Sic ergo ſe res habet in futuris contingentibus; eò quod ſunt futura neceſſariam & determinatam futuritionem habent; ſed illa futuritionis eorũ determinata veritas, non impedit quominus illorum oppoſitum remaneat adhuc poſſibile, quia determinata eorum futuritio non extinguit vim & facultatem cauſarum ad oppoſita. Diſtinguat ergo Crellius inter veritatem poſſibilitatis rei & veritatem futuritionis illius: illam theoreticam haud planè perperam dixerit,

Digitized by Google

dixerit, hanc practicam; Nihil enim obſtat quominus ſic alterutrum contradictoriorum ſit determinatè futurum & verum veritate practicâ ac futuritionis, ut ejus tamen oppoſitum verum remaneat veritate theoreticâ & poſſibilitatis. Non poteſt ergo res eſse futura & non futura ſimul: Sed quæ res determinatè & certò futura eſt, poſset tamen non fieri, habito reſpectu ad cauſas à quibus & per quas futura eſt.

Etenim ſi determinatè] Non hæc eſt contradictoria oppoſitio, *Verum eſt rem non futuram*, & *Verum eſſe non poteſt, rem futuram*: Nam ex hypotheſi poſset eſse verum rem non futuram, etſi ex hypotheſi alia verum ſit eam futuram: Hæ demum propoſitiones ſunt contradictoriæ: *Res hæc poteſt eſſe*, & *Res hæc non poteſt eſſe*: item, *Res hæc eſt futura*, & *Res hæc non eſt futura*: ſed non hæ; *Res poteſt eſſe non futura*, & *Res futura eſt*; cùm contradictoria oppoſitio verſetur inter eoſdem planè terminos, hinc affirmatos, illinc negatos; Hinc iſtæ ambæ ſimul poſsunt eſse veræ.

In exemplo res fiet manifeſta. Si ab æterno determinatè verum fuit, Adamum eſſe lapſurum; fieri non potuit, ut non laberetur; ac proinde id contingens ampliùs non fuit, vel potiùs nunquam fuit, ſed neceſſarium. Nam ſi dicere velis, potuiſſe eum nihilominus non labi, etiamſi determinatè verum eſſet, eum lapſurum; ponamus id, quod poſſibile dicis, fuiſſe in actu, hoc eſt, Adamum, ſtante determinata veritate ejus rei, quòd lapſurus reipſa fuerit, non fuiſſe tamen reipſa lapſum: nónne inde ſequetur, id quod determinatè verum fuerit, falſum eſſe; & contrà, quod determinate falſum fuit, verum extitiſſe, hoc eſt, contradictoria ſimul eſſe vera?

‡ *Si ab æterno*] Si Deus non præſcivit Adamum lapſurum priuſquam laberetur, non potuit antequam Adamus eſset lapſus, deſtinare Filium ſuum in Redemptorem generis humani, & crediturís in illum præparare πρὸ καταβολῆς κόσμου regnum cœlorum. Imò cum ipſe adverſarius ſuprà *cap. 6.* ex ſignis portendentibus Imperiorum & Rerumpubl. converſiones, collegerit dari cauſam aliquam hominibus & ſapientiorem & potentiorem, quæ illa ſigna excitet, & futuros eventus prævideat, & eorum cauſsas occultas cognoſcat, inter quas ſæpè ſunt hominum peccata & eorum occultæ cupiditates vitioſæ, quæ adeo præſciri ab ipſo oportuit ut eventus inde ſequuturos, denunciaret; vel ea ratione agnovit peccata hominum à Deo præſciri priuſquam fiant: Cur non & idem de peccato Adami ſtatuamus? Ad inſtantiam vero ipſius, reſponſio eſt in promptu: Nempè ex hypotheſi, determinatam habuit veritatem hæc propoſitio ante Adami lapſum, *Adam lapſurus eſt*; tum quia Deus ex plenitudine ſcientiæ ſuæ præſciebat eum lapſurum, tum quia decreverat ejus lapſum permittere ob fines ſibi notos. Si enim ne *paſſerculus* quidem cadat in terram ſine Patre noſtro cœleſti Matth: x, 29. quanto minus potuit fieri tam grandis ruina in genere humano per lapſum Adami, Deo neſcio priuſquam eveniret? Et tamen hæc propoſitio alia etiam vera erat antequam Adam laberetur, *Fieri poteſt ut Adam non labatur*; tum quia Deo non ſimpliciter impoſſibile erat ſi voluiſset ejus lapſum impedire, tũ quia ipſe ſic labilis erat conditus, ut tamen ſpectatis viribus quas cœlitùs acceperat,

poſſet

poſset non labi, eſsetque ipſi æquè facile, imò facilius ob juſtitiam originalem ei connatam, ſe ad perſeverantiam ac ad lapſum determinare. Quare licet is lapſus habuerit neceſſitatem hypotheticam & conſequentiæ, ex Dei decreto & præſcientia, tamen non deſtitit eſse contingens in ſe, quoniam nulla neceſſitate phyſicâ, naturali & internâ, determinabatur Adam ad peccandum: Iam autem Tò contingens non repugnat omni neceſsario, ut ſuprà multis fuit oſtenſum, ſed tantum illi neceſsario quod ſonat neceſſitatem naturalem ac internam; quam author ſuprà benè diſtinguebat à neceſſitate externa, quæ pendet a cauſa prima, ejuſque voluntate & decreto.

Nam ſi dicere velis] Hæ duæ propoſitiones contradictoriæ non ſunt, *Adam erat certò lapſurus*, & *Adam poterat non labi*: Nam prior eſt de rei determinata futuritione, poſterior de poſſibilitate oppoſiti: Futuritio certa lapſus, pendebat ex Dei decreto de lapſu permittendo; poſſibilitas non lapſus, ſive perſeverantiæ, pendebat partim ex Dei potentia, quà potuiſſet Adam præſtari immunis à lapſu, partim ex hominis viribus & arbitrio, unde potuiſſet in officio perſtare ſi voluiſſet. Et quis fando audivit, nihil poſſe certò, determinatè & infallibiliter eſse futurum, niſi cujus oppoſitum ſit omnimodo impoſſibile? Dicant ergo Sociniani quod ante conditum mundum non erat futurum certò, determinatè & infallibiliter, ut mundus conderetur, quia poſſibile Deo erat mundum non condere, ut illum condere ei poſſibile fuit: Et ſi potuit hæc propoſitio determinatè vera eſse, *Mundus certò eſt futurus*, citra ullam imminutionem libertatis Divinæ, & hac itidem aliâ propoſitione conſiſtente. *Poteſt mundus non fieri*, quia ſi omninò impoſſibile fuiſset mundum non fieri, Deus ex neceſſitate naturali & intrinſeca determinatus fuiſset ad mundum creandum; Cur non ita verum erit dicere, Potuit Adam non labi, etſi determinatè verum fuerit Adamum certò lapſurum? Nec aliter ſe habet veritas futuritionis alicujus rei, ad poſſibilitatem oppoſiti, quam veritas alicujus rei jam factæ & præteritæ. Nam & hæc propoſitio vera eſt determinatè, *Heri ſcripſi*, & hæc quoque falſa non eſt, *Potuit fieri ut heri non ſcriberem*, ſive, *me heri non ſcripſiſſe*.

Ponamus id quod] Tum ſanè ſi ponas id quod poſſibile fuerit, actu etiam eſse, ſuppones quod non tantum illud priuſquam fieret poſſibilitatem habuerit, ſed etiam certam & determinatam futuritionem; quo ſenſu idem de eodem, eodem modo & eodem reſpectu ſimul affirmares & negares; quia idem futurum fuiſset & non futurum fuiſset; Et ubi id quod poſſibile erat actu eſt, tunc ex eventu conſtat quod non modo fuerit poſſibile, ſed etiam quod futurum fuerit & ita debuerit evenire: Quare non potuit quidem evenire, ut Adam quà lapſurus erat, reipſà tamen non laberetur, ſive ut ſimul lapſurus & non lapſurus fuerit; ſed potuit fieri ut qui certò lapſurus erat, haberet facultatem & potentiam ſtandi ſi vellet; etſi hæc ſtandi potentia non potuerit educi in actum, ſuppoſitâ jam lapſus futuritione ex Dei decreto; nec poſſibilitatem perſeverantiæ magis ſuſtulit futuritio lapſus, & illius neceſſitas hypothetica, quam mihi perit facultas & potentia tacendi, aut ſcribendi, dum actu ſcribo aut loquor. Ac ſicut in præterito hæc propoſitio eſt veriſſima & neceſsariæ veritatis, *Adam peccavit*, & in exitium pertraxit univerſum genus humanum, licet hæc ſimul vera ſit, *Adam potuit non peccare*; Ita in futuro priuſquam peccaret, hæc propoſitio vera erat & certa, *Adam eſt lapſurus*, etſi hæc ſimul vera eſset, *Adam poteſt non labi*: Quare ſi ſupponas id quod poſſibile dicis fuiſse in actu, hoc eſt Adamum non fuiſse reverâ lapſum, cum lapſus eſt, tunc

nec veram

nec verum ſic erit eum lapſum fuiſse, nec verum fuerit priuſquam laberetur ipſum lapſurum fuiſse: Vno verbo, non potuit quidem ſimul futurus & non futurus eſse lapſus Adami, ſed potuit futuritio certa lapſus conſiſtere cum poſſibilitate non labendi; & ſic lapſus is fuiſse vario reſpectu contingens & neceſsarius.

Ex quibus etiam alterum impoſſibile facilè oſtendi poteſt, quod ex determinata illa contingentium futurorum veritate conſequi diximus. Id autem eſt, fieri poſſe, ut Deus non ſemel, ſed infinities etiam erret ac fallatur. Nam ſi alterum futurorum contingentium determinatè verum eſt, ac porrò ab omni æternitate determinatè cognoſcitur; & nihilominus tamen contingens eſt; fieri poterit, ut aliter eveniat, quàm Deus cognoverit. niſi enim aliter evenire poſſit, jam contingens non ampliùs eſt. Unde etiam contingentia, cùm reipſa fiunt, contingentia eſſe deſinunt. Quodlibet enim, dum eſt, neceſſariò eſt. ſiquidem fieri non poteſt, ut dum eſt, ſimul non ſit. aliàs contradictoria ſimul eſſent vera. 264.

‡ *Id autem eſt*] Lepidum ſanè commentum; Ne Deus incidat in errorem, ſive ignorantiam pravæ diſpoſitionis, uti dicitur in Scholis, debet illi tribui neſcientia ſive ignorantia meræ negationis: Sed nihil hìc periculi: Deus enim certò & infallibiliter novit primò quid poſſibile ſit fieri, & quid contingentiæ vel indifferentiæ inſit cauſis ſecundis ad effectus ſuos; ſecundò quid ex omnibus poſſibilibus ſit eventurum. Omnia enim novit trifariam, præſenter in rebus ipſis, quæ ſemper ejus oculis obverſantur, antecedenter in cauſis earum, & eminenter in ſuiipſius ideis, conſilijs & decretis.

Fieri poterit] In ſenſu *diviſo* concedo, in *compoſito* nego: Nam poſſet quidem res illa aliter evenire quàm evenit, ſepoſitâ Dei præſcientiâ de illius futuritione, & quoad cauſas ſecundas indifferenter ſe habentes ad oppoſita, ſed interea tamen neceſſe eſt neceſſitate hypotheticâ ſic fieri. Adhæc non minus certò res cognoſcitur ita eſſe uti eſt, etſi poſſet aliter ſe habere: Non neceſſarium eſt tot eſſe authores hìc in meo Muſæo præſentes, & poſſet fieri ut numero minori eſſent, etſi nunc certò cognoſcam & videam tot illos eſſe: Et Deus non ſolum novit quod res ſit eventura, ſed etiam novit quid inſit contingentiæ cauſis per quas eſt eventura & quouſque eo reſpectu poſſet non evenire.

Niſi enim aliter evenire] Ad rei contingentiam non requiritur ut omninò & abſolutè aliter evenire queat etiam reſpectu Dei, ſed tantum ut ſecundum quid aliter poſſit evenire reſpectu cauſarum ſecundarum, quarum aliæ agunt contingenter aliæ neceſſariò.

Unde etiam] Hoc falſum eſt: Nam actus ſpecificatio & denominatio ſemper pendet à cauſa proxima: & quod factum eſt per cauſam agentem contingenter, etſi dum eſt neceſſe eſt ut ſit, nihilominus contingens fuiſſe cenſendum eſt. Neceſſitas rei in facto eſſe, non tollit ejus contingentiam in fieri: Contractus cum fiunt ſunt voluntarij, ubi facti ſunt neceſſarij cenſentur; An ideo perijt illis quod jam facti ſint ſua formalitas, abſque quâ nequidem contractus cenſeri poſſent?

Siquidem fieri non] At dum eſt etiam ſimul fieri potuit ut non eſſet: Contradictorium quidem eſt rem ſimul eſſe & non eſſe; ſed nequidem umbra eſt contradi-

Digitized by Google

contradictionis dicere rem quæ eſt, po- | tuiſſe tamen non eſse.

Quare cùm iſta impoſſibilia ſequantur; neceſſe eſt vel negare, ullum eſſe in rerum natura abſolutè contingens, ſed omnia neceſſariò fieri; vel fateri, illa determinatè cognoſci, quàm diu ſint futura contingentia, non poſſe. quod poſterius nos volumus. Quod ſi autem prius illud eligas, & omnia neceſſariò fieri dicas; jam nec Deus aliquid liberè unquam egit, vel agit, ſed omnia fecit, facitque neceſſariò: nec magis imperat ac gubernat, quàm cœlum, dum movet inferiora.

‡ *Quare cum iſta*] Hæc ſequuntur abſurda in imaginatione iſtorum hominum, non ex neceſſaria rei connexione & conſequutione: Et nihil dari *abſolutè* & omnimodè contingens inter ea quæ eveniunt, ſed tantum ſecundum quid & cum reſpectu ad cauſas ſecundas, & omnia quæ eveniunt habere aliquam neceſſitatem, ſaltem externam, conſequentiæ & infallibilitatis eventus, jam ſæpiùs monuimus: Nullumquè unquam exemplum nobis dabunt Adverſarij, illius futuri *abſolutè* contingentis, quod hîc, ut ſerviant ſuæ hypotheſi, ſomniare videntur.

Quod ſi autem] Nego id ſequi; cum illa neceſſitas futuritionis omnium rerum quæ ſuo tempore eveniunt, ex liberrimo Dei decreto pendeat: Et ſi valet hoc adverſarij argumentum, ex illo ſequetur omnia quæ eveniunt eſſe abſolutè contingentia, nullumque dari futurum neceſſarium, ſi videlicet quælibet neceſſitas infallibilitatis eventus pugnat cum Dei libertate eamque evertit: Fit igitur neceſſariò & infallibiliter evenit quicquid fit & evenit, quia ut ſic fieret & eveniret Deus pro liberrima ſua voluntate voluit ſtatuere: juxta illud Davidis Pſal: CXV, 3. *Noſter Deus eſt in cælis, omnia quæ voluit fecit.*

Fruſtra ei preces adhibentur, ut aliquid boni faciat, aut mala avertat: cùm non poſſit aliter agere, quàm agit. niſi dicere velis, eum etiam precibus noſtris cogi poſſe, & eum aliter facere non poſſe, quàm oremus; & rurſus nos neceſſariò cogi, ut ita oremus; quæ neceſſitas nonniſi à prima cauſa provenire poteſt. Ita in circulum redibimus; & Deus nos coget, nos Deum.

‡ *Fruſtra ei preces*] Negatur ex illa neceſſitate hypotheticâ tolli precum uſum: Nam cum nos lateat quid θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται, quicquid Deo decretum ſit fieri, debemus in agnitionem ſummi ſui imperij, preces noſtras ipſi offerre, circa bona quæ nobis deſunt, aut mala quæ imminere putamus; petitiones tamen noſtras ſubjiciendo æternæ & ſapienti ejus voluntati: prout Chriſtus nos docuit dicere in Oratione Dominica, *Fiat voluntas tua in terra ſicut in cælo*; & ipſe petens poculi ſibi mox exhauriendi ablationem, ſic moderabatur ſuæ precationi, ut diceret Matth: XXVI, 39. *Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.* Tamdiu ergo debemus precari, quamdiu nobis non conſtat ex eventu quid Deus decreverit; Aſt ubi de ejus decreto & voluntate per eventum conſtat, debemus ſine murmure ei acquieſcere; juxta illud Senecæ hominis cæteroquin Ethnici *epiſt.* 108. *Ad*

Digitized by Google

108. *Ad hanc legem animus noſter aptandus eſt; hanc ſequatur, huic pareat; & quæcunque fiunt debuiſſe fieri putet; nec velit objurgare naturam; Optimum eſt pati quod emendare non poſſis: & Deum quo authore cuncta proveniunt ſine murmuratione comitari: Malus miles eſt qui Imperatorem gemens ſequitur: Quare impigri atque alacres excipiamus imperia, nec deſeramus hunc operis pulcherrimi curſum, cui quicquid patimur intextum eſt.* Ita ſanè David tamdiu gemuit & precatus eſt in morbo filioli ſui, quamdiu vivebat, neſcius an forte Deus vellet ipſum eſſe ſuperſtitem: at ubi vidit Deo aliter viſum fuiſſe, deterſit lachrymas ſuas, deſtitit à gemitibus & precibus, & acquievit in Dei voluntate: Antea enim, quamvis Nathan ei dixiſſet, *Filius qui tibi natus eſt moriendo morietur*, erat adhuc neſcius quid eſſet eventurum, & ſuſpicabatur forte id Nathanis verbum non tam decretorium quam comminatorium eſſe 2. Sam: XII, 14. 15. 16. Et ſanè cum in precibus noſtris fundendis ad Deum, debeamus attendere non quid ſit occulti ſui conſilij, ſed quid ſit noſtri officij, neceſſitas eventus futuri ex Dei conſilio, non debet nos ab officio noſtro præſtando avocare. Et huc quadrat quod ſcitè monet Auguſtinus *Enchirid. cap.* 101. *Aliquando bonâ voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult etiam ipſe, bonâ multo amplius multoque certiùs voluntate, (nam illius mala voluntas eſſe non poteſt.) Tanquam ſi bonus filius, patrem velit vivere, quem Deus bonâ voluntate vult mori: Et rurſus fieri poteſt ut hoc velit homo voluntate malâ, quod Deus vult bonâ; velut ſi malus filius velit mori patrem, velit hoc etiam Deus. Nempè ille vult quod non vult Deus; iſte vero id vult quod vult & Deus: & tamen bonæ voluntati Dei, pietas illius potius conſenſit, quamvis aliud volentis, quam hujus idem volentis impietas.* Adhæc Deus inter media per quæ aliquid vult fieri & decrevit eventurum etiam piorum preces vult adhibere: Et ſic per *Spiritum precum* uti dicitur Zach: XII, 10. eas ſuis ſuggerit preces, quibus vult bona ipſis ab æterno decreta indulgere. Ita Ezechiæ precibus indulſit prorogationem vitæ ad annos quindecim, quam ipſi tamen ab æterno decreverat; cum limites poſuerit diebus ſingulorum quos nemo tranſgredietur; Et eo ſenſu dictum fuit ab Auguſtino, *Si Sanctus Stephanus ſic non oraſſet Eccleſia Paulum non haberet*, quia Deus qui jam ab utero ſecreverat Paulum in Apoſtolatum Gal: I, 15. ſimul illum per ea media decreverat evocare, inter quæ piæ preces Protomartyris fuerunt. Cùm igitur preces noſtræ ſint pars officij nobis in Dei verbo præſcripti, & conditionem ſemper annexam habeant ſuæ voluntatis, & pertineant ad media quibus decrevit res efficere, non eſt quod eas fruſtrà eſſe clamitent adverſarij, ex neceſſitate hypothetica omnium eventuum quam hîc defendimus.

Cum non poſſit] Sanè & poteſt Deus aliter agere quam agit; cùm liberrimo ſuo decreto nihil derogaverit ſuæ potentiæ; nec preces noſtræ ideo funduntur, ut aliter fiat & eveniat quam decrevit eventurum, cùm quidnam decreverit nos omninò lateat; ſed potius ut obſequendo ſuę voluntati & quod noſtri eſt officij præſtando, etiam quod in nobis eſt ad decretorum ſuorum executionem conferamus.

Niſi dicere velis] Nec cogitur Deus noſtris precibus ut faciat quod nolit, nec etiam mutatur, ut per illas moveatur ad id volendum quod antea nolebat: Eſt enim expers omnis mutationis, ut in ſuo eſſe, ſic etiam in ſuo velle Mal: III, 6. & Iac: I, 17. Sed quamvis aliter facere poſſet quam oramus, aut decrevit futurum, tamen & nos movet ad precandum, & preces noſtras exaudit juxta ſua promiſſa, ut precibus noſtris indulgeat eorum bonorum collationem, vel malorum ablationem, quam illis indulgere pro liberrima ſua voluntate, ſed infallibiliter tamen eventura, decrevit.

Digitized by Google

Ergo & in his precibus quas exaudit, eandem agnoſcimus neceſſitatem hypotheticam: Deum ſcilicet decreviſſe, & eas in nobis formare & excitare ſuo Spiritu, & eas infallibiliter exaudire. Movet autem nos Deus ad precandum, citra vim & coactionem, quoniam *omnia quæ creavit ſic adminiſtrat, ut ipſa ſuos etiam exercere & agere perpetuos motus ſinat*, inquit Auguſtinus *lib. 7. de C. D. cap.* 30. *Et magis habet in poteſtate voluntates hominum quam ipſi ſuas*, inquit idem *de Corr. & gr. c.* 14. Hinc dicitur Paulo operari in nobis *& velle & perficere* Phil: II, 13. Meritò autem redit in cauſam primam omnis illa neceſſitas, quâ neceſſariò hoc fit, & ita fit, & per hæc media, quia & id fieri, & ita fieri, ipſi placuit.

Præterea quicquid uſpiam eſt impietatis, id à Deo primùm, & quidem immutabiliter proveniet, & non nobis ipſis exitii noſtri cauſſam, aut diabolo debebimus imputare, ſed, quod dictu horrendum eſt, Deo. Adde, quòd, ubi talis neceſſitas eſt, nec ullum verum peccatum eſt, nec meritum pœnæ. Extra culpam enim eſt, qui nullo modo aliter agere poteſt, quàm agit. Itaque nulla erit vera impietas, nulla ejus pœna. calamitas eſſe aliqua poterit, quæ etiam innoxium premat. Hos & ſimiles alios fructus parit abſolutè contingentium negatio. Omnia ſurſum deorſum vertenda erunt, omnis religionis ac pietatis ratio tollenda, ſi omnia fieri neceſſariò dicas.

‡ *Præterea quicquid*] Hoc negatur: quia infallibilis futuritio eventus ex Dei decreto permiſſivo nullam coactionem infert creaturæ, nullamque ei neceſſitatem intrinſecam impiè agendi imponit: Nec Deus permittens mala fieri, & decernens ea permittere, ordinanda tamen pro ſua potentia in bonum finem, eorum author cenſendus eſt: Negari nequit, oportuiſſe Chriſtum pati, & id neceſſitatem infallibilitatis eventus habuiſſe; adeoque neceſſariò fuiſſe proditum à Iuda, condemnatum à Iudæis, crucifixum à Pilato: neque putem Socinianos hæc omnia abſolutè contingentibus, dum erant adhuc in fieri, annumeraturos; cum & à Deo decreta ab æterno, & multis ante ſæculis à Prophetis prædicta fuerint; unde dicuntur Act: IV, 28. iſti homines feciſſe *quæcunque manus & conſilium Dei decreverat fieri.* An ergo Iudæ, Iudæorum, Pilatique impietas erit Deo imputanda? Scitè igitur Auguſtinus *Ench. cap.* 101. *Deus quaſdam voluntates ſuas utique bonas, implet per malorum hominum voluntates malas, ſicut per Iudæos malevolos bonâ voluntate Patris Chriſtus pro nobis occiſus eſt.*

Adde quod ubi] Et hoc falſum eſſe ex modò dictis liquet: Nam neceſſitas hæc externa & infallibilitatis eventus nullam vim infert voluntati creatæ, nec efficit quominus ejus actus ſint deliberati & voluntarij: jam autem id verum eſſe peccatum & mereri pœnam, quod ultrò fit & voluntariè, nemo ſanus ibit inficias.

Extra culpam] Neque id verum eſt: Nam primò impotentia moralis benè agendi quam homo contraxit ſuo peccato, & quæ eſt agnoſcenda in dæmonibus & reprobis, eos non collocat extra culpam, etſi nec velint nec poſſint benè agere, ut tota docet Scriptura. Secundò ibi demum nulla eſt culpa, ubi ad ſic agendum determinatur creatura ex intrinſeca neceſſitate & naturali ſui conſtitutione, aut per merâ coactionem; non vero ubi ſola neceſſitas externa & infallibilitatis eventus locum habet.

Calamitas

Digitized by Google

Calamitas eſſe] Neque id alienum eſt à doctrina Sociniana, & in ſe eſt falſum: nam Deus meritò juſtas pœnas exiget à Iuda & Iudæis ob Chriſtum crucifixum, etſi in eo ſubſervierint ſuo conſilio: quia non intendebant Redemptionem generis humani per ſanguinem Chriſti, ſed ſanguinis innocentis effuſionem, ut ſuæ avaritiæ, invidiæ, crudelitati reſpectivè litarent.

Hos & ſimiles] In adverſariorum ſomnijs, non in rei veritate. Certè Deum aliquando velle & decernere peccata punire peccatis, nec ipſi inficiantur: An ergo futura illa peccata aliorum punitiva, abſolutè contingentibus annumerabunt; aut propter futuritionis ſuæ neceſſitatem & infallibilitatem, expungent ex numero peccatorum, ut qui illa ſunt patraturi extra culpam ſint & meritum pœnæ, eo quod Dei conſilijs & juſtitiæ inſerviant?

Omnia ſurſum] Si omnia fierent neceſſariò neceſſitate abſolutâ, ſublatâ creaturarum intelligentium libertate in agendo, id verum foret: Sed manent pietas & religio & virtus in arce, etſi omnia quæ eveniunt, eo ipſo quod eveniunt, ita fuerint eventura, per neceſſitatem externam & infallibilem futuritionem.

Sed dicet aliquis; nunc quidem nihil ampliùs eſſe, quòd abſolutè contingens dici poſſit, poſtquam Dei decreto omnia ſint definita: veruntamen ante decretum Dei ea fuiſſe indefinita, ac porrò liberè à Deo poſtmodum determinata. Quare libertatem ipſius Dei hoc pacto in dubium non vocari. Non enim Deum negari eſſe liberum, etiamſi poſt decretum jam factum aliter agere non poſſit; modò liberè decretum fecerit. Hæc ſi quis dixerit, 205. primùm ex eo quærere libet, an credat revera, tempus aliquod fuiſſe, quo res illæ nondum fuerint decreto Dei definitæ; an verò putet, nullum extitiſſe tempus, quo illæ determinatæ non fuerint. Si prius; neceſſe eſt, ut etiam agnoſcat, tempus aliquod fuiſſe, quo illæ ne à Deo quidem determinatè cognitæ fuerint. ſiquidem omnis earum determinatio à libero Dei decreto, poſtmodum demum ſubſequuto, pependit. Si poſterius; fruſtra dicit, ullum dari aut datum fuiſſe in rerum natura contingens: ſiquidem nullum fuit tempus, quo res decreto Dei definitæ, & ſic neceſſariæ non fuerint. Et fruſtrà in illis, quæ ab omni æternitate extiterunt, libertas fingitur. cùm ea omnia abſolutè neceſſaria ſint. Nam vel cauſſam nullam prorſus habent, vel non niſi neceſſariò agentem.

‡ *Hæc ſi quis dixerit*] Ita ſanè dicendum, & revera dicunt Orthodoxi: nec evertuntur Crellianis inſtantijs. Primùm enim ex hypotheſi ipſius poſſet dici, quod tempus aliquod interceſſerit inter meram poſſibilitatem rerum, fundatam in Dei Omnipotentia, & earum futuritionem ex illius decretis; ſiquidem negat decreta Dei ſimpliciter æterna fuiſſe: & hoc poſito ſequeretur quidem quod non fuerint futuræ, adeoque nec ut futuræ determinatè præſciri potuerint ante Dei decretum, ſed demum poſt illud; quod nobis ſatis foret. Secundò ut res conſiderati poſſint à nobis in ſuo eſſe merè poſſibili, necdum determinatè futuræ, non eſt neceſſe poni prioritatem temporis inter earum poſſibilitatem

bilitatem & earum futuritionem ex Dei decreto, ſed ſufficit concipi prioritatem ordinis & naturæ: Ita ſol ordine naturæ non temporis eſt prior ſuis radijs, & homo prior ſua videndi facultate, & Angelus prior ſua intellectione, & Deus ſuo decreto, & ſcientia Dei naturalis, cui res ceu poſſibiles obverſantur, ſcientiâ liberâ cui obverſantur ut futuræ. Nihil autem perire libertati decretorum divinorum per eorum æternitatem, vel inde liquet quod aliàs ſtatueretur Deus nihil potuiſſe velle vel decernere ab æterno, adeoque infinito tempore opus illi fuiſse ad ſua decreta formanda, & per infinitum tempus torpuiſse ejus intellectum & voluntatem, abſque ulla operatione, nullumque actum liberum ex illis elicitum fuiſse. Et cum poſſim concipere Angelum eo momento quo extitit ſeſe convertiſse ad Deum per liberum voluntatis ſuæ motum, ut ordine temporis non præextiterit illi actui ſuo libero, quare debebo magnam intercapedinem temporum imaginari inter Dei exiſtentiam & actus immanentes intellectus & voluntatis ſuæ, per liberrima & ſapientiſſima ſua decreta? Tertiò perabſurdè fingitur nullum datum iri contingens in rerum natura, niſi certum & determinatum aſſignetur tempus quo neceſſariam & infallibilem futuritionem non habuerit. Quandoquidem contingentiæ rerũ per modum agendi cauſarum ſecundarũ, optimè poſſit convenire, cum infallibili earundem futuritione ex Dei decreto. Imò ridiculè peteretur tempus certum aſſignari quo futurum contingens ſit in rerum natura. Nam quod eſt in certa temporis differentia, illud exiſtit actu: at quod exiſtit actu, non eſt amplius in fieri, adeoque nullam futuritionem amplius habet vel neceſſariam vel contingentem: juxta axioma quod ipſe Author paullò ante urgebat, *Quicquid eſt dum eſt neceſſe eſt ut ſit.* Adhæc non dicimus dari contingentiam abſolutam & meram poſſibilitatem rerum, *in rerum natura*, ſed in ſigno rationis ante rerum naturam objective exiſtentem & futuram: Nam rerum natura in ſigno rationis habuit merum eſse poſſibile ante Dei decretum de illius conſtitutione & futuritione: & hoc Dei decreto poſito habuit neceſsariam & determinatam futuritionem. Denique cum ante tempus finitum fuerit tempus infinitum, ut olim ſtatuebat adverſarius, & decreta Dei præceſserint tempus finitum quod incœpit cum mundi exordio, neceſse eſt ea agnoſcat facta in tempore infinito, adeoque ab æterno.

Deinde etiamſi dicas, Deum liberè omnia decreviſſe, ſive ab omni æternitate id factum velis, (id quod ſeipſum evertere jam diximus) ſive certo demum tempore; non effugies tamen omnia ea, quæ antea ex negatione contingentium deduximus, abſurda; ſed etiam ex parte augebis. Etenim primùm dicendum erit, Deum jam omni ſeſe libertate ab eo tempore abdicaſſe, quo decretis ſuis res omnes, alioqui contingentes, determinavit. Itaque ne hilum quidem movere aut facere ampliùs poterit, quàm moveat atque agat, ſiquidem contra decreta ſua facere ampliùs nil poſſit. Hoc autem quid eſt aliud, quàm Deum jam olim poteſtate illa, quam liberrimam eſſe vidimus, ſe abdicaſſe, & nunc inevitabili neceſſitati in omnem æternitatem ſubjectum ac mancipatum eſſe? Quid verò id eſt aliud, quàm eum ſe ſimul & Deitate ſua quodammodo abdicaſſe?

Digitized by Google

‡ *Etenim primùm*] Nego hoc: cum conſtantia Dei in ſervandis & exequendis ſuis decretis, nihil deterat de ipſius libertate, ſed è contrario liberrimis ſuis decretis in omnibus inſiſtendo, eo ipſo faciat omnia quæ vult & voluit Pſal: cxv, 3. At ſicut non poteſt *mentiri* Heb: vi, 11. aut ſeipſum *abnegare* 2. Tim: 11, 13. ita non poteſt contraire ſuis decretis, non per virium ac potentiæ defectum; ſed partim per ſapientiæ ſuæ perfectionem, quod nihil queat evenire ipſi imprævisum aut improviſum, unde deberet novum formare decretum & aliud inire conſilium; partim per voluntatis ſuæ conſtantiam & immutabilitatem, quam ita potenter exequitur ut nemo queat illi reſiſtere Rom: ix, 19. aut ejus executioni intercedere. *Annunciat enim ab exordio noviſſimum, & ab initio quæ non ſunt facta, dicens, Conſilium meum ſtabit & omnem voluntatem meam faciam* Eſa: xlvi, 10. Sanè is non abdicat ſuam libertatem, qui quod ſemel voluit & ſapienter conſtituit, porrò conſtanter pergit velle, nec mutat propoſitum: cùm & illud obtineat inter homines, Quod ſemel placuit poſtea diſplicere non poteſt, & ſemper ſapientibus diſplicuerint illi ἀϛηρικτοὶ, qui Euripo inconſtantiores, hodie palliati procedunt cras togati, ut eſt in Adagio, & cum polypo mutant in horas. Sanè nulla decreta erunt amplius in Deo agnoſcenda, ſi libertati ejus obſit rem aliquam contingentem decreto ſuo determinare: Antequam mundum conderet, proculdubio de illo condendo certiſſimum formaverat decretum: nec tamen ideo cenſendus eſt mundum condidiſse ex neceſſitate naturæ; Nec eo minus liberè proceſſit in creatione mundi, quod ſe ita acturum & proceſſurum decreviſſet ab æterno. Neceſſariò facit Deus quod decrevit facere, non neceſſitate naturali & conſequentis, ſed hypotheticâ & conſequentiæ.

Deinde ſumma impietas ei, per ſummam impietatem tribuenda erit, quòd cum aliter facere poſſet, decreverit tamen ut & omnes omnino homines peccarent, & maxima eorum pars in peccatis ad extremum uſque perſeveraret, utque tot paſſim flagitia, tot nefaria ſcelera deſignarentur. Quanquam, ut antè monuimus, in tanta neceſſitate peccandi, quod peccatum ampliùs erit? Sibi contradicit, qui quempiam neceſſariò peccare dicit. Si enim peccat, poterat non peccare. Nam in eo vera peccati ratio conſiſtit, quòd quis malè agat, cùm poſſet non agere. Qui verò poterat non peccare, non neceſſariò peccat. Quid ergo? in illum omnis redibit culpa, qui liberè decreverit, ut ea omnia, quæ peccata dicuntur, neceſſariò committerentur. Ipſe nempe Deus ſanctiſſimus, fons & origo vera omnis impietatis erit: eidemque, licèt juſtiſſimo, ſumma injuſtitia, licèt benigniſſimo, ſumma crudelitas erit adſcribenda; ſiquidem eos æternis ſuppliciis mactare velit, qui aliter facere non poſſint, quàm agant; & ob id ipſum quidem, quia id agant, quod ut agerent, ipſemet immutabiliter decreverit.

‡ *Deinde ſumma impietas*] Occidit miſeros crambe repetita magiſtros: Iam autem antea ad id reſponſum fuit. Deus non decrevit ut homines peccent, ſed decrevit permittere ut peccent, & eorum peccata non impedire. Et quamvis ex decreto permiſſivo peccatorum, eorum futuritio ſit neceſſaria, tamen per id non

id non deſinunt eſse peccata & merito punienda, quoniam ultrò & liberè & contra præſcriptum Divinum & normam officij committuntur à Creaturis; quarum libertati nihil decedit per Dei decretum. Sanè ex hypotheſi decreti divini, Iudas, & Iudæi, & Pilatus neceſſario peccarunt, crucifigendo Chriſtum: Id enim oportebat fieri: Non tamen ideo extra culpam fuerunt: mens enim eorum non fuit ſervire Dei conſilio & ejus decreto, ſed ſęvire contra Chriſtum, & ſuę avaritiæ, invidiæ, ambitioni & crudelitati litare. Decretum Dei de permittendo hoc vel illo peccato eoque dirigendo ad ſuam gloriam, non imponit creaturæ neceſſitatem phyſicam peccandi aut ei vim adfert ad malè agendum. Etiam Adam potuiſſet benè agere ſi voluiſſet, cum maluit peccare & tranſgredi Dei præceptum; Nihil enim deterebatur de illius viribus & facultate per externum Dei decretum de ejus peccato permittendo. Immò poteſt quis neceſſariò peccare neceſſitate morali, cum ſit ineptus ad omne bonum & proclivis ad omne malum, ut in reprobis & dæmonibus videre eſt, qui tamen ultrò peccet & pœnas debeat juſtitiæ divinæ. Certè aut ſtatuendum eſt abſolutè nullum dari decretum Dei circa ullum peccatum priuſquam fiat, adeoquè nec poſſe à Deo prævideri antequam eveniat, aut fatendum nullum decretum permiſſivum peccati, reatum ejus in creatura tollere, aut illius cauſam & culpam Deo affricare. Vt Deus nulli eſt affinis culpæ quod decreverit facere homines peccabiles, quamvis potuiſſet eos facere ἀναμαρτήτους, eorumque voluntatem in bono confirmare, eo modo quo in beatis, ſic manet immunis à culpa, eo quod decreverit permittere eorum lapſus & peccata, illoſque pœnis æternis propter ſua flagitia punire.

Quanquam ſimul & ſeipſum ad inutilem laborem, quàm diu hic mundus durat, damnaſſe cenſendus erit; qui tantò gravior eſt quantò meliùs cognitum habet, id, quod quærit, præſtitu impoſſibile eſſe. Nam cum homines omnes ad reſipiſcentiam perpetuò vocet, & multa, ut illi convertantur, faciat; neceſſe eſt, ne contingentiæ locus eſſet ampliùs, ut ab æterno decreverit, ſe iſta facturum. Simul tamen decreviſſe ſtatuendus erit, ne unquam hujus ſuæ curæ fructum conſequeretur, ac conſequi poſſet. Deum & naturam nihil fruſtra facere, Ethnici etiam viderunt: quia eum viderunt ſapientem, à quo & natura pendeat. At ſi illa ſententia vera eſt, non tantùm fruſtrà, ſciens ſcilicet ac prudens, agit Deus, ſed ut neceſſariò fruſtrà ageret, ipſe ſciens prudens decrevit.

‡ *Quanquam ſimul & ſeipſum*] Aliqua coloris ſpecies eſſet in hac Rhetoricatione, ſi Deus humano more, ſuſpenſo anxioque animo & incerto eventu, *quæreret* hominum converſionem. Sed nihil tale debet de ipſo cogitari. Etenim neque *homines omnes perpetuò* vocat ad reſipiſcentiam, cum quoſdam è contrario obduret, quod non diffitentur adverſarij, & ſibi ipſis permittat, ut in omnia ſcelera ruant; nec *fruſtrà* ſunt ejus præcepta & monita ad eos directa, quos tamen & ſcit non convertendos & decrevit non convertere, ſed potius ſuis peccatis relinquere; Sic enim redduntur magis *inexcuſabiles* Rom: 1, 20. imò ſic decrevit illis omnem excuſationis anſam præripere, ne poſſit eorum quiſquam dicere *Neſciveram*.

Sequitur

Sequitur etiam inde, Deum liberum arbitrium nec angelis, nec hominibus unquam dediſſe, nec dare ſalvis ſuis decretis potuiſſe. Qui enim neceſſariò & vult & agit, quicquid vult & agit, is libero arbitrio præditus non eſt. Tales autem omnes & angelos & homines perpetuò fuiſſe neceſſe eſt, omni contingentiâ, ut vocant, divino decreto ſublatâ. Sed nolo in abſurditate atque impietate, quâ dogma illud fœcundum eſt, explicanda eſſe prolixior; præſertim quia de eo alibi in hoc opere diſputabitur. (*lib: 5. cap: 17.*)

‡ *Sequitur etiam inde*] Id nullâ ratione ſequitur: Is enim demum libertate eſt deſtitutus qui agit neceſſariò, neceſſitate vel violenta, vel naturali & phyſica per quam ex rei natura ad unum eſt determinatus; non is qui agit neceſſariò neceſſitate aliquâ hypotheticâ & externâ, aut etiam neceſſitate morali, qualis eſt ad bonum in beatis, ad malum in dæmonibus & reprobis. Et multa ſuo loco attulimus argumenta quibus demonſtraremus non omnem neceſſitatem pugnare cum omni libertate.

Antequam autem ulteriùs progrediamur, refellendæ nobis ſunt vulgares quædam exceptiones adverſùs ea, quæ hucuſque diſputavimus. Plærique enim, cùm audiunt, nos ex ſententia illa vulgari de præſcientia futurorum contingentium colligere, Deum auctorem fore peccatorum noſtrorum, dicere ſolent, non ideo illa futura eſſe, aut fieri, quia Deus ea præſciverit: ſed ideo Deum ea præſciviſſe, quia futura eſſent. quo pacto nos cras Solem oriturum prævidemus, aut aſtrologus eclipſin futuram novit; licèt nec nos ortûs ſolaris, nec aſtrologus eclipſeôs ſit cauſſa. Ideo enim illa prævidentur, quia futura ſunt: non contrà. Sed qui ita reſpondent, nodum non tangunt, nedum ut ſolvant. Neque enim nos aut ponimus, aut ex vulgari illa ſententia colligimus, ipſam præſcientiam divinam peccatorum noſtrorum cauſſam eſſe: ſed ex ea, tanquam effectu quodam colligimus, Deum ejúſve decretum, ut aliarum rerum, ita & peccatorum cauſſam fore.

‡ *Deum auctorem*] Vitioſam eſſe hanc collectionem ſatis liquet ex ſuperioribus: Et ſanè ſi ejus omnis quod Deus præſcire dicitur, ipſe cauſa & auctor debeat ſtatui, nullius omninò peccati præſcientia erit illi adſcribenda; contra quam docet Scriptura. Adhæc præſcientia Dei quà talis, ut conſequenter ſe habet ad illius Decreta & Conſilia, rerum præſcitarum cauſa dici non debet, ut in hac exceptione benè obſervatur. Nec enim admittimus eorum Paradoxum qui dicunt Res non ideo præſciri quod ſint futuræ, ſed ideo eſſe futuras quod præſciantur.

Neque enim nos] Imò ſanè hucuſque vix aliud urſit adverſarius.

Deum ejus-ve decretum] Sed cum Crellius admittat infra (perperam tamen) Ieſuitarum ſcientiam *mediam*, quæ ſit futurorum ut *libera*, ſed antecedenter ad decretum Dei, ut *naturalis*, ſaltem agnoſcere debet id quod hic infert, ex illa ſua hypotheſi non ſequuturum: Præterea neque revera illi ſequelæ Socinianæ locus eſſe poteſt; Nam Dei decretum de permittendo peccato, ponit quidem illius infallibilem futuritionem, cùm debeat fieri & evenire quod Deus decrevit

 permittere

Digitized by Google

permittere ut fiat; non tamen illius effectionem & productionem Deo tanquam cauſæ & authori tribuit: Nec illicò quod ſe habet ad aliud antecedenter, ut inferat neceſſitatem conſequentiæ, eo ipſo ſe ad illud habet efficienter ut ſit cauſa conſequentis: Deus decreverat permittere Iudæ proditionem, ut etiam ſubſerviret exſequendo ſuo Conſilio de noſtra Redemptione per Chriſtum, nec tamen ideo proditionis illius cauſa & author eſt ſtatuendus.

Ita namque ratiocinando progredimur, ut primùm ex determinata futuro-
207. rum contingentium præſcientia, quæ ab æterno in Deo fuiſſe creditur, colligamus, ipſa illa contingentia jam ab omni æternitate determinatè futura fuiſſe. Ex hoc deinde concludimus, ab æterno jam extitiſſe eorum omnium cauſſam, ad hos effectus determinatam. Hujuſmodi autem cauſſa, quæ ab omni æternitate extiterit, nulla præter Deum ejuſque decretum excogitari poteſt.

‡ *Ipſa illa contingentia*] Agnoſcimus determinatam futuritionem illorum ab æterno; ſed nec omnia quæ futuritionem determinatam habuerunt ab æterno, eo ipſo Deum authorem & cauſam efficientem erant habitura, ubi futura eſſent; nec debuit ab æterno extitiſſe cauſa omnis omnium quæ ab æterno ſuam certam & determinatam futuritionem habuerunt. Itaque ex decreto Dei effectivo, determinatè & certò futurus erat homo libero præditus arbitrio & peccabilis: & ex illius decreto permiſſivo homo ille peccabilis, ultrò & ſpontè quidem, ſed tamen determinatè, certò & infallibiliter, erat peccaturus. Quare peccatum ejus habuit determinatam futuritionem ex Dei decreto non effectivo ſed permiſſivo: quia non erat futurum Deo authore & efficiente, ſed Diabolo authore & efficiente homine, ſive potius deficiente, Deo vero permittente, & pro ſua Sapientia & Potentia ad bonum finem ordinante.

Rectè autem nos ita colligere, & his veluti gradibus ad concluſionem hanc extruendam accedere, facilè intelligitur. Nam quod ad prius attinet; qui ita excipiunt, ipſimet aſſerunt, Deum ideo præſciviſſe futura, quia futura eſſent, intellige determinatè. Quod verò ad poſterius; cum res futuræ ab omni æternitate nondum extiterint, nec extare potuerint; in ſeipſis etiam determinatæ eſſe non potuerunt. Non entis enim nulla eſt affectio. In cauſſis ergo ſuis, ſive pluribus, ſive una, quæ ab omni æternitate jam extaret, determinatæ fuerunt. Ex quibus patet, quam diſſimile ſit exemplum hominum, vel ortum Solis, vel eclipſin, vel quidvis aliud, ab ipſis minimè pendens, providentium. Etenim cùm illi talia prævident, cauſſas eorum cernunt extra ſe jam exiſtentes, ad hos effectus determinatas. At ab æterno nullam ejuſmodi cauſſam rerum futurarum Deus cernere potuit præter ſeipſum.

‡ *Quod vero ad poſterius*] De priori non eſt difficultas: Sed poſterius quod attinet, licet actu non extiterint ab æterno cauſæ peccati futuri, tamen extiterunt potentiâ

Digitized by Google

potentiâ, & ab æterno habuerunt ſuam determinatam futuritionem, tum quoad ſuum eſſe, tum quoad ſuum operari: Erant enim certò & determinatè extituræ in tempore creaturæ intelligentes, hoc & illo modo labiles, & Deo ſic permittente revera & actu lapſuræ. Nec debuerunt cauſæ futuri peccati, actu extitiſſe ab æterno, ut *determinatæ* ab æterno dicantur; ſatis enim eſt quod ab æterno futuritionem in tempore certam & determinatam habuerint. Abſurdè verò eas annumeraveris non entibus, quorum nulla eſt affectio: quia ſi non ens ſimpliciter debeat dici quod actu non eſt, tum nullum dabitur ens futurum, quia quod adhuc futurum eſt, nondum actu eſt. Igitur effectus aliquis futurus per cauſas ſecundas, concipitur determinatâ habere futuritionem ab æterno, non quod ab omni æternitate illæ cauſæ à quibus erat futurus extiterint actu, ſed quod extiterint potentiâ & certò extituræ eſſent in tempore.

Et quibus patet] Nulla eſt hîc diſſimilitudo; cum ad rem non faciat quod effectuum quos præſcimus certò futuros, cauſæ non pendeant à nobis; Nam licet pendeant à Deo in ſuo eſſe futuro cauſæ omnium effectuum & defectuum futurorum quos Deus ab æterno præſcit eventuros, non tamen ideo debet vel ejus præſcientia in ſuo formali magis eſſe eorum effectuum & defectuum cauſa, quam noſtra præſcientia cauſa eſt effectuum eorum quos ab alijs cauſis prodituros prævidemus, vel ipſemet abſolutè ſtatui cauſa ipſorum effectuum & defectuum. Nam primò non eſt univerſaliter verum, omnem cauſam pendere etiã in ſuo operari ab eo à quo pendet in ſuo eſſe: neq; id auſint abſolutè defendere Sociniani, (qui minùs diſtinguunt quàm oporteret inter τὸ operari & deficere in operando,) quin aut negent hominem in ſuo eſſe pendere à Deo, quod impium foret, aut ſtatuant illum etiam pendere à Deo in peccando, quod videntur adverſari. Tritum verò axioma Logicum, *Quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati*, ultra cauſas naturaliter ſubordinatas, univocas & per ſe agentes, extendi non debet: Pater qui eſt cauſa filij in ſuo eſſe, non eſt tamen cauſa vel ædificij quod filius factus architectus extruxit, vel homicidij quod idem latro factus perpetravit. Deinde etſi largiar ultrò omnem cauſam ſecundam pendere à prima & in ſuo eſſe & in ſuo operari, non tamen ſequetur inde eam etiam pendere à prima in ſuo deficere & peccare: cum ab eo non pendeat defectus inter operandum, à quo ipſum operari pendere intelligitur: Inceſſus animalis pendet ab anima; non tamen ideo debet adſcribi animæ inceſſui accedens claudicatio: Noſtrum itidem operari pendet à Deo, ſed deficere in operando & malè operari noſtrum eſt & nobis debet imputari; Sic tamen ut illud nihilominus Deus prẹſcire ab æterno potuerit, cum præſciendo ceu à ſe dependens noſtrum eſſe & noſtrum operari futurum, etiam præſciverit quomodo & quouſque in illo noſtro operari eſſemus defecturi & peccaturi.

At ab æterno] Id falſum eſſe jam liquet: nam futurorum contingentium, ut pendent à cauſis ſecundis, cauſas ſecundas & proximas etiam Deus ab æterno cernere potuit, ceu exiſtentes & operantes ex ſuo decreto effectivo, ac in operationibus ſuis deficientes ex ſuo decreto permiſſivo. Licet enim eas cauſas non contemplatus ſit tanquam actu ab æterno exiſtentes, eas tamen prævidit ab æterno tanquam certò & infallibiliter in tempore extituras, & operaturas dependenter à ſe, ſed ultrò & ſuo vitio inter operandum hoc vel illo modo defecturas.

Ajunt deinde, Deo omnia, quæ unquam fuerint, aut futura ſint, per-

Digitized by Google

petuò eſſe præſentia, atque adeo jam ab omni æternitate præſentia fuiſſe. Itaque Deum res futuras non in cauſſis tantùm ſuis ab omni æternitate vidiſſe, ſed etiam in ſeipſis. At ſi ita res habet, neceſſe erit, res omnes ab æterno jam extitiſſe. Nam ſi non fuerunt, Deo præſentes eſſe non potuerunt. Non entis enim, ut antea dictum, nulla eſt affectio. adde, quòd hac ratione præſcientia rerum Deo neganda eſſet, ut quidem fecerunt celeberrimi quidam auctores, hac ipſa ratione uſi, quòd Deo nihil ſit futurum, ſed omnia præſentia. (*Auguſt: lib: 2. ad Simplic: quæſt: 2. Gregor: lib: 20. Moral: c. 23. citante Becano.*) præſcientia enim non niſi futurorum eſt. Eſt autem hæc ſententia cum illo errore colligata, quem ſuprà ſatis refutavimus; (*ſup: c. 18.*) quòd Dei æternitas quolibet momento tota exiſtat.

‡ *Ajunt deinde Deum*] Et hoc quoque verum eſt; Cùm Deus ab æterno omnia in tempore eventura cognoſcat trifariam, *eminenter* in ſeipſo, *antecedenter* in eorum cauſis, & *præſenter* in ipſis effectis. Id enim præſens eſt menti divinæ quod certò novit futurum, pront Prophetis præſentia erant, ea futura quorum fuère præſcij, & unde *Videntes* appellabantur. Ac ſicut quæ nobis prçterierunt, nihilominus ſemper Deo præſentia ſunt, quia in ipſum nulla cadit propriè dicta oblivio, ita pariliter præſentia ſunt ipſi quæ nobis adhuc futura ſunt, quia ea novit certò eventura, & omnia patent ipſius oculis Heb: IV, 13.

At ſi ita ſe res habet] Abſurdè; Si enim nihil videri poteſt niſi quod actu realiter exiſtit, nullius futuri concedenda erit præſcientia & prædictio: Si item quod ita non exiſtit, pro non ente ſimpliciter eſt habendum, nullum amplius ſupererit futurum, cujuſcunque demum ſit ordinis, de quo aliquid ſciri, dici, prædici poſſit; quia juxta hos Sapientes, *non entis nulla eſt affectio.* Fatemur ultrò, id debere realiter exiſtere, quod præſens eſt præſentiâ reali, extra facultatem cognoſcentem; at quod præſens eſt præſentiâ duntaxat intellectuali in facultate cognoſcente, quomodo dicimus omnia Deo fuiſſe præſentia ab æterno, non aliam debet habere exiſtentiam quam objectivam: Quod ſi nos homunciones id præſens poſſumus noſtræ cogitationi habere, quod cæteroquin abeſt loco vel tempore, quanto magis id Deo conveniet? *Præſentia ſunt*, inquit Auguſtinus *epiſt.* 112. *quæ præſtò ſunt ſenſibus, ſive animi, ſive corporis: unde etiam ducto nomine præſentia nominantur.* Corporeis quidem ſenſibus nihil eſt præſens, niſi quod loco & tempore præſtò eſt: ſed quæ loco & tempore abſunt, præſtò eſſe poſſunt ſenſibus animi, nempe memoriæ & cognitioni.

Adde quod hac ratione] Primò fit hîc injuria Auguſtino & Gregorio: nam ut ipſe Becanus *cap.* 20. *de Deo q.* 10. benè monet, nihil aliud ſibi voluerunt quam Deo ejuſmodi præſcientiam abrogare, quæ ut noſtra ſit obſcura, conjecturalis & imperfecta; cum Deus perfectiùs cognoſcat futura ipſa quam nos præſentia: Nos ſanè eandem rem bis cognoſcimus, ſemel imperfectè, cum eſt adhuc in fieri & futura; dein perfectiùs cum eſt in facto eſſe & quando nobis præſens eſt: At Dei cognitio unica eſt, & æquè perfecta cum res eſt adhuc futura, ac cum jam facta eſt. Ideo benè Gregorius; *Omne quod nobis fuit & erit in ejus proſpectu præſtò eſt.* Præterea ita præſcientia eſt futurorum non præſentium tempore, ut tamen illa ipſa futura, quæ eo ipſo grammaticè præſentia non ſunt, objectivè tamen præſentia ſint menti à qua prævidentur

Digitized by Google

prævidentur & præſciuntur.

Eſt autem hæc ſententia] Nos vero ſuo loco æternitatem Dei indiviſibilem ſufficienter adſtruximus: Et licet res ipſæ extra Deum, obnoxiæ ſint illis temporis differentijs, præteriti, præſentis & futuri, Deus tamen qui *omnia ſupergreditus tempora*, ut benè Auguſtinus *loco hic citato*, neutiquam illis eſt ſubjiciendus. Ac ſicut idem docet *in Pſal.* 101. *Æternitas ipſa Dei ſubſtantia eſt quæ nihil habet mutabile; ibi nihil eſt præteritum quaſi jam non ſit; nihil eſt futurum quaſi nondum ſit; non eſt ibi niſi Eſt, non eſt ibi Fuit & Erit.*

Adde, quòd nihilominùs ſequitur, cauſſam peccatorum non in homine reſidere, ſed in Deo. Homo enim efficere non potuit, ut vel ipſemet Deo ab æterno præſens eſſet, vel ea, quæ ſuo tempore eſſet acturus. Quare aliam ejus rei cauſſam, & quidem ab omni æternitate exiſtentem fuiſſe neceſſe eſt. Quod autem effecit, ut omnia Deo ab æterno eſſent præſentia, effecit etiam, ut ea ſimpliciter eſſent. Cum non aliam ob cauſſam Deo res ſint præſentes, quàm quia revera ſint. Quæ autem cauſſa efficiens excogitari poteſt ab omni æternitate exiſtens præter Deum? Quòd ſi quis illam vulgi ſententiam 108.
quòd Deo omnia ab omni æternitate fuerint præſentia, ita interpretetur, ut dicat, ea non in ſeipſis Deo fuiſſe præſentia, ſed eum omnium tam certam ſemper habuiſſe cognitionem, ac ſi reipſa ei fuiſſent præſentia; is, ſi dictum hoc etiam ad futura contingentia extendat, id ipſum pro conceſſo ſumet, quod in controverſia hic verſatur, eſtque à nobis jam ſatis refutatum.

‡ *Adde quod nihilominus*] Id vero eſt falſiſſimum, nec per milleſimam conſequentiam unquam probabitur: Homo equidem non ſe actu præſentem ſtitit Deo, ut prævideretur futurus; ſed quia tamen ex Dei decreto erat certò futurus, & talis futurus qualis revera extitit in tempore, debuit utique totus quantus, & in ſuis operationibus, & in ſuis defectionibus, præſcientiæ divinæ obverſari.

Quare aliam ejus rei] Cauſa cur homo ab æterno obverſatus eſt menti divinæ, ceu futurus in tempore, fuit Dei decretum de homine creando; ſed cauſa quæ effecit ut hominis hoc & illo modo in tempore futuri, actus & defectus præſentes quoque fuerint ab æterno, eſt (ut nihil ultra dicam de Dei decreto permiſſivo peccati,) quod ſubjecti perfecta cognitio, qualis hæc debet eſſe in Deo ex Pſal: CXXXIX, 1. 2. 3. 4. 4. adjunctorum omnium cognitionem neceſſariò requirat. Addo quod aliud ſit diſſerere de cauſa futuritionis rerum, aliud inquirere in cauſam cognitionis earundem: Quare etſi non poſſem aſſignare cauſam futuritionis rerum omnium, tamen ſemper præſtò eſſet cauſa cognitionis earundem in mente & perfectione divina; nam eo quod futura erant, ut eventus docuit, præſciri à Deo omniſcio debuerunt.

Quod autem effecit] Id non eſt neceſſariæ veritatis; quia cauſa cognoſcendi, non ſtatim eſt cauſa eſſendi. Quod efficit cognitionem peccati alicujus futuri in mente divina, eſt perfectio Dei quem nihil latere poteſt; Non tamen quod eſt cauſa cognoſcendi peccati in mente divina, efficit ſimpliciter ipſum peccatum, quaſi hoc à perfectione divina deberet derivari: Vel ipſe ſenſus communis dictat non ſtatim id quod efficit rei alicujus cognitionem, ipſam rem quæ cognoſcitur efficere & producere. Fateor id quod

efficit *ut omnia Deo ab æterno eſſent præſentia*, effeciſſe etiam ut *eſſent*, in eſſe cognito & objectivo; ſed nemo ſanæ mentis inde colliget, ergo idem debuiſse efficere ut *eſſent ſimpliciter* in eſſe reali & abſoluto, niſi velit argumentari præpoſterè a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter.

Cum non aliam] Atqui id falſum eſt: Deo enim res ſunt *præſentes*, etiam antequam fiant, non quod *reverâ* & actu *ſint*, ideſt exiſtant; ſed quod revera, certò, & clarè præſciat eas futuras, & eſse objectivum atque cognitum in ejus mente habeant.

Quæ autem cauſa] Non debuerunt effici *ab æternitate*, ideſt actualiter & realiter exiſtere, ut eſse cognitum & objectivum obtinerent in mente divina.

Quod ſi quis illam] Ergò ſaltem non diffitetur Crellius cœtera futura, contingentibus exceptis, ab æterno fuiſse *præſentia* Deo, quatenus eorum *tam certam habuit cognitionem*, ac ſi de facto extarent; adeoque fruſtrà ſe laboraſse hactenus in illâ præſentiâ futurorum impugnanda: Dum vero negat hoc debere extendi ad futura contingentia, fruſtrà eſt; cùm illius ſuæ exceptionis nulla hactenus firmamenta protulerit, & ad futura quoque contingentia pertineat quod de omnibus futuris luculenter eſt comprobatum; maximè cum vaticinia pleraque Prophetarum, in quibus Deus ſpecimen edidit præſcientiæ ſuæ certæ & indubitatę circa futura, fuerint de futuris contingentibus: Neque poterunt unquam Sociniani, ullum nobis proferre exemplum alicujus futuri contingentis, quod Deo antequam eveniret ignotum fuerit. Verum eo væſaniæ & blaſphemiæ devenerunt iſti homines ut Idolo ſui arbitrij litarent; & Socino ſuo convenit quod exprobrat Auguſtinus Ciceroni *lib. 5. de Civit. Dei cap. 9.* eum videlicet homines *dum vult facere liberos*, feciſse *ſacrilegos*, ac dicentes cum impijs apud Davidem Pſal: XCIV, 7. *Non reſpicit Iah, neque animadvertit Deus Iahakobi.* Hoc ſanè eſt Deo ſuam Divinitatem abrogare, eumque in cœcum Idolum quod habeat oculos nec videat commutare.

Ajunt etiam, Dei ſcientiam infinitam eſſe, ideoque omnia tempora ſupergredi, & quod in fine mundi v. g. futurum eſt, eum jam ab omni æternitate reipſâ vidiſſe. Sed quemadmodum potentia Dei infinita eſt in genere poſſibilium, non impoſſibilium: ita & ſcientia Dei infinita eſt in genere ſcibilium; non eorum, quæ ſub ſcientiam naturâ ſuâ non cadunt, qualia ſunt futura contingentia determinatè ſumta. & contradictionem implicat, aliquid ab omni æternitate reipſâ jam viſum eſſe, & ab omni æternitate non extitiſſe. cùm nihil reipſa videri poſſit, nec eo tempore, quo nondum eſt.

‡ *Ajunt etiam, Dei*] Et hoc quoque verum eſt, adeoque cum viderit Deus ab æterno quid futurum ſit in fine mundi, etiam vidiſse cenſendus eſt id omne quod intermedio tempore erat eventurum. Negare vero ſcibilibus annumeranda eſſe futura contingentia, etiam *determinatè ſumta*, quatenus nempe, ut explicavimus, habent certam & determinatam futuritionem, etſi ex cauſis non determinatis ad unum, nihil aliud eſt quam id ipſum facere, quod paullò ante nobis tribuebat adverſarius, ideſt petere principium.

Et contradictionem implicat] Hìc nulla eſt contradictio: Aliud enim eſt aliquid reipſà videri, ideſt certò prævideri & quale erit cum exiſtet actu, licet nondum ſit, aliud eſt videri id quod jam reipſâ eſt: Poſteriori

Digitized by Google

Poſteriori ſenſu nullum videri poteſt futurum, & quod nondum eſt: Sed ut id prævideatur & præſciatur reipſâ, certò & verè, quod tamen reipſâ nondum eſt, ideſt nondum exiſtit actu, nullam implicat contradictionem. Quin ſi hoc ſit contradictorium, nullius futuri vera, certa & indubitata prænotio Deo erit concedenda.

Sed jam ulteriùs progrediendum eſt, & tum veritas, tum utilitas ſenten-
tiæ noſtræ aliis adhuc rationibus oſtendenda, repetitis breviter iis, quæ ſunt
à noſtris alibi hac de re dicta. Oſtenſum enim ab illis eſt, cùm vulgari ſen-
tentia de præſcientia futurorum contingentium, non obſcurè pugnare quæ-
dam ſacrarum literarum loca: cum noſtra autem non pugnare ea, quæ pu-
gnare aliis videantur. Nam quod ad prius attinet; quomodo, poſitâ illâ
futurorum contingentium præſcientiâ, quæ Deo vulgò tribuitur, rectè ex-
plicari poterit id, quod in Geneſi legimus, (*Gen: 6. 6, 7.*) Deum, viſâ ho-
minum malitiâ, *pænituiſſe, quòd hominem feciſſet in terra?* Etſi enim tropum
ſubeſſe pœnitendi verbo agnoſcimus, ut ſuo loco intelligetur: (*inf: cap: 31.*)
dici tamen non poteſt, Deum propterea pœnituiſſe, quòd creaſſet homi-
nem, quia id contigerit, quod certò futurum eſſe jam tum viderit, cùm ho-
minem crearet. niſi dicere velis, vel mutabilem revera eſſe Deum, quem e-
jus rei pœnituerit, cujus eum antea, cùm eaſdem cauſſas haberet videret-
que, non pœnituiſſet; vel eum etiam tum pœnituiſſe, quòd crearet homi-
nem, cùm crearet; imò & antequam crearet. Quod tantò magis ſtatuen-
dum erit, ſi dicas, Deo omnia perpetuò eſſe præſentia. Hoc enim pacto
eum & tum, cùm homines crearet, & ab omni æternitate ejus rei pœnituit,
& in æternum pœnitebit. quia non minùs ab omni æternitate illam hominum
malitiam præſentem habuerit ac viderit, & in omnem æternitatem ſit viſurus,
quàm tunc cùm illi homines viverent, & ſcelera graviſſima patrarent. Ea-
dem ratio & illius eſt loci, in quo aſſeritur, Deum pœnituiſſe, quòd Saulem 209.
conſtituiſſet regem. (*1 Sam: 15. 11, 35.*)

‡ *Sed jam ulteriùs*] Etſi decies repetatur mendacium, non ideo tamen verius evadet: & quam neutrum eorum quæ hic commemorantur *oſtenſum* fuerit, aut oſtendi potuerit à Titanibus iſtis, & liquet ex præcedentibus, & ex ſequentibus amplius apparebit.

Nam quod ad prius] Nodum hoc eſt in ſcirpo quærere: Cùm enim agnoſcat Crellius *tropum ſubeſſe pænitendi verbo*, cur non patitur id θεοπρεπῶς intelligi quod ἀνθρωποπαθῶς dictũ fuerit? An quia pœnitet homines prioris ſui inſtituti, quod meliùs edocti, ægrè ferant ſe erraſse ac deceptos fuiſse, & alia ineant conſilia, ideo debemus tribuere Deo prioris ſui inſtituti deteſtationem, mœrorem ac dolorem ex ipſo, conſiliorum ſuorum mutationem, & neſcientiam ejus quod ei acciderit ex improviſo, cujus cauſâ aliud velle incipiat? Abſit ab homine Chriſtiano ut talia de Deo concipiat, reluctante ipſiſſimâ Scripturâ quæ Dei immutabilitatem omnimodam, ac præſertim in ſuis decretis & conſilijs, apertiſſimè commendat, imò nominatim pœnitudinem ipſi abrogat

Digitized by Google

abrogat Pſal: CII, 17. Mal: III, 6. Iac: I, 17. Num: XXIII, 19. 1. Sam: XV, 29. Prov: XIX, 21. Eſa: XLVI, 10. Hactenus ergo ſufficiat τὸ pœnitere Deo tribui non affectivè ſed effectivè, ut importet mutationem operum ipſius *extra ſe*, non voluntatis ſuæ *intra ſe*, prout nempe homines agunt alia ab ijs quæ priùs fecerant, cum factorum ſuorum eos ſeriò pœnitet.

Dici tamen non poteſt] Neque ideo ipſum pœnituit, *quia id contigerit, quod certò futurum eſſe jam* ante præviderat, nec etiam quod aliquid novì ei ex improviſo acciderit, cujus gratiâ debuerit mutare conſilium, & incœperit nolle quod antea voluerat. Sed cum antea & ab æterno prævidiſſet homines eò impietatis deventuros, etiam ab æterno decreverat eos præſtituto tempore punire & perdere: quod cum fieri non poſset niſi ſubſtitutâ repentinâ eorum perditione illi ipſi conſervationi quâ hactenus gaviſi fuerant, id ſuum conſilium & decretum aperiens Noacho, utitur verbo pœnitendi, ad denotandam inſignem illam mutationem quæ mox, non in ſuis conſilijs, ſed in operibus ſuis, erat apparitura: ut benè dixerit Auguſtinus *lib. 1. contra adverſ. leg. & Proph. cap. 14. Pœnitentia Dei dicitur rerum in ejus poteſtate conſtitutarum, hominibus inopinata mutatio.* Qui imperitus artis navigatoriæ viderit eminus nautam vela ab una parte in aliam commutantem, credet facilè quod eum pœniteat prioris ſui conſilij: id tamen revera faciet ex artis præſcripto, & juxta illius regulas conſtantes & perpetuas: Idem de Deo ſtatuendum, cum inſignem aliquam mutationem nobis exhibet in ſuis operibus; eam videlicet non ex pœnitudine & mutatione voluntatis, ſed ex conſtanti, ſapienti & immutabili conſilio oriri.

Niſi dicere velis] At illud ipſum quod dicere nolumus, eſt quod dicere debent adverſarij, qui pœnitentiam propriè dictam tribuunt Deo. Imò tota hæc Cremliana Sophiſtice ſemper ſupponit quod negamus, τὸ pœnitere hoc loco propriè eſſe intelligendum. Deus equidem cauſas illius mutationis inopinatæ hominibus, quam tunc meditabatur in ſuis operibus, præviderat ab æterno; ſed tamen non debuit illa mutatio procedere, niſi cum jam illæ cauſæ actu exiſterent: Antea itaque Deum non pœnituit, ideſt Deus non ſe accinxit ad illam mutationem, quam ex prævißis cauſis ab æterno decreverat, quia illæ cauſæ antea actualiter non extiterunt. Sed quid abſurdius quam fingere Deo novas ex inopinato apparuiſſe cauſas, propter quas pœnituerit eum ſui prioris *inſtituti*; quaſi antea neſciverit quanta eſſet *malitia* & corruptio hominis, *& omne figmentum cordis & cogitationes ejus tantummodo eſſe malum omni tempore!*

Vel eum etiam tum] Abſurdè: Tunc quidem cum hominem creavit prævidebat quid eventurum eſſet, & jam decreverat quoque quid propterea eſſet facturus ſuo tempore: ſed cum *pœnitentia* ipſius figurata non ad præſcientiam aut decretum ejus pertineat, ſed tantum ad illius decreti manifeſtationem & executionem, nullis fidiculis eliciet Crellius ex doctrina Orthodoxorum illud abſurdum quod hic urgere conatur.

Quod tanto magis] Neutiquam; tum quia omnia ab æterno fuerunt Deo præſentia duntaxat objectivè, non ut realiter exiſtentia, tum quia τὸ *Pœnitere* Dei apud Moſem ſpectat tantum actualem executionem conſtantis illius decreti, quæ illo temporis articulo debuit fieri. Itaque ſolum dici poteſt, quod Deus & *tum cum homines crearet & ab omni æternitate* formaverit hoc decretum conſtans, cujus inſtantem executionem denunciaturus, uſus eſt ἀνθρωποπαθῶς, vocabulo pœnitendi, & quod *in omnem æternitatem* decreti æterni executionem illo tempore factam ſit approbaturus. Et ſicut in omnem æternitatem illam hominum malitiam viſurus eſt, ut jam præteritam &

ritam & meritò vindicatam diluvio, ita ab omni æternitate videbat eandem ut futuram ſuo tempore, & vindicandam diluvio illaque notabili operum ſuorum mutatione, quæ Pœnitentiæ nomine exprimitur.

Eadem ratio & illum] Ergò & ratione eadem ſolutus cenſeatur ille nodus. Benè enim & paucis verbis ad hunc Samuelis locum dixit Lyranus: *Pœnitentia cum mutabilitatem importet non poteſt eſſe in Deo; dicitur tamen pœnitere, eo quod ad modum pœnitentis ſe habet quando deſtruit quod fecerat: & ſic eſt in propoſito, quod Saulem abjicere decreverat quem priùs ſublimaverat: Iſta tamen mutabilitas, ſolum eſt in Creaturis, quod Deus voluntate immutabili facit mutabilia.* Nec aliter illam Dei pœnitentiam interpretantur ipſimet Iudæi, ut videre eſt in *Conciliatore* Menaſſeh Ben Iſrael *quæſt.* 23. Patet quod dicimus vel ex Ionæ III, 10. Ibi enim dicitur Deum *pœnituiſſe* mali quod curaverat denunciari Ninivitis, ideſt non inflixiſſe pœnam quam Ionas fuerat comminatus; cùm revera nullum antea formaſſet decretum de illis perdendis, imò hanc comminationem ipſis curaſſet fieri, ut eos ad pœnitentiam adduceret, & Iſraelitas hoc exemplo ad æmulationem provocaret; quod Ionas præſentiens hanc provinciam ſuſcipere detrectabat: Optimè ergo ibi Lyranus: *Deum nullatenus mutatum putes; ab æterno enim ſic erat definitum ſe illis comminaturum, & eos ſuo Spiritu illuſtratos converſum iri.* Non potuit Deum latere converſio Ninivitarum priuſquam fieret, cum proculdubio ex ipſius decreto, providentia, & gratia ſingulari tota proceſſerit.

Deinde, quo pacto dici poſſet Deus expectare hominum illorum reſipiſcentiam aut pietatem, qui id nunquam præſtant, quod Deus expectare dicitur? qua de re inter alia ipſe Deus apud Eſaiam, (*Eſa.* 5. 4.) ita loquitur: *Quid fieri potuit ampliùs vineæ meæ*, (h. e. populo Iſraelitico) *& non feci ei? Cur* (ſic eſt in Hebræo) *expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* & paulò pòſt iterum: *Expectavi* (Hebr. *expectavi*) *ut faceret judicium, & ecce iniquitas,* (Hebr. *plaga* aut *vulnus*) *& juſtitiam, & ecce clamor.* Quo enim pacto poteſt quiſpiam dici id expectare, quod in nulla prorſus ſpe habet, quòdque non eventurum planiſſime intelligit, imo jam reipſa videt?

‡ *Deinde quo pacto*] Sanè cum Deus nec animi pendeat fluctuans inter ſpem & metũ, nec unquam ſua fruſtretur expectatione, ut ſępè contingit hominibus, quemadmodum expectatio propriè dicta illi non venit tribuenda, ita ex ea quæ ἀνθρωποπαθῶς ipſi hoc Eſaiæ loco aſſignatur, nemo ſanæ mentis neſcientiam futuri debebit colligere: Dicitur autem Deus *expectare* fructus à vinea ſua, non quod neſciat quid ſit eventurum, ſed quod seriò mandet ac præcipiat hominibus ut ſtudeant bonis operibus, & ea ſit natura & ratio beneficiorum quæ in illos confert, ut niſi in ſolum ingratum deciderent, non minus fructuum debeant proferre, quam ſolet expectare diligens agricola ex vinea ſedulò à ſe exculta & curata.

Quo enim pacto poteſt] Hinc igitur potius colligas, hanc expectationem nonniſi figuratè Deo eſſe tribuendam, quam Deum non præſciviſſe ingratos Iſraelitas futuros ſuis beneficijs, & ſe, dum fruſtrà expectat, ſpe inani lactaſſe.

Digitized by Google

Sunt præter hæc & alia ſac. ſcripturæ loca, quæ cum illa ſententia aut omnino pugnant, aut non ſatis rectè conſentiunt. Etſi enim ſatis habent vulgò dicere, in iis humano more de Deo ſcripturam loqui; quod ne nos quidem uſquequaque diffitemur, præſertim in quibuſdam: nimis tamen longè à propria verborum ſignificatione recedendum eſt, & ſententiarum vis enervanda, ſi eas cum definita illa futurorum contingentium præſcientia conciliare velis. Talis eſt non ille tantùm locus, in quo anthropopathiam libenter agnoſcimus, cùm Deus de Sodomitis & Gomorrhæis loquens ait: *(Gen: 18. 21.) Deſcendam, & videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint: an non eſt ita, ut ſciam*: ſed & ille, ubi Abrahamum ita per angelum alloquitur: *(ib: c. 22. 12.) Nunc cognovi, quòd times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* Quicquid enim aliàs de utriuſque loci ſententia ſtatuas; illud tamen facilè eſt cernere, Deum novum quoddam atque inſigne experimentum, illic quidem impietatis Sodomiticæ & Gomorrhææ, videre voluiſſe, hîc verò pietatis Abrahamicæ vidiſſe, quod antequam fieret, planè certum & exploratum non eſſet. Et quia actus ille voluntatis, qui ad iſtud experimentum requirebatur, in Sodomitis quidem ac Gomorrhæis pars quædam fuit & veluti complementum impietatis, in Abrahamo autem timoris Dei ac pietatis; ideo dici poteſt, Deum eatenus, illic quidem impietatem hominum, hîc verò pietatem Abrahami tunc cognoviſſe, cùm iſta fierent. Cui rei & illud conſentit, quod de Abrahamo initio illius hiſtoriæ ſcriptum eſt, nempe, quòd eum Deus *tentârit*, ſeu experimentum pietatis ipſius capere voluerit: quod alibi quoque in ſcriptura ſacra de Deo reſpectu aliorum hominum dicitur. Sic enim ait inter alia Deus ipſe ad Moſen: *(Exo: 16. 4.) Egrediatur populus, & colligat quæ ſufficiant per ſingulos dies, ut tentem eum, utrùm ambulet* (ſeu ambulaturus ſit, vel ambulare velit) *in*
210. *Lege mea, an non.* & Moſes ad populum: *(Deut: 8. 2.) Adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per deſertum, ut affligeret te, atque tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo verſabantur, utrùm cuſtodires* (ſeu cuſtodire velles) *mandata illius, an non.* Inſignia ſunt & illa Dei verba in libro Judicum expreſſa: *(Iud: 2. 21, 22.) Ego non delebo gentes, quas dimiſit Ioſue, & mortuus eſt: ut in ipſis experiar Iſrael, utrùm cuſtodiant viam Domini, &c. an non.* quæ ſententia repetitur cap. ſequenti. *(c. 3. 4.)* Illud certè negare nemo niſi pertinaciſſimus poteſt, hæc & ſimilia loca cum noſtra potiùs ſententia, quàm cùm adverſa conſentire. Quare nemini mirandum eſt, eam nos defendere ſententiam, quæ non modò evidentiſſima ac planè cogente nititur ratione, ſed & ſacrarum literarum auctoritate ſtabilitur, & earum verbis adeo eſt conſentanea.

‡ *Etſi enim*

Digitized by Google

‡ *Etſi enim ſatis habent*] At quis neſcit *à propria verborum ſignificatione* neceſſariò eſſe *recedendum* in ijs ſententijs quæ ἀνθρωποπαθῶς de Deo loquuntur, niſi in Vadianorum & Anthropomorphitarum fœdum errorem velimus incidere ?

Talis eſt non tantùm] Sed in utroque anthropopathia eſt evidens; & ex neutro poteſt ſententiæ noſtræ veritas convelli. Primum quod attinet, Deo luculenter & plenè conſtabat qualis & quanta eſſet impietas Sodomitica: jam enim dixerat Abrahamo, *Clamorem Sodomæ & Gomorrhæ multiplicatum eſſe, & peccatum eorum multiplicatum eſſe nimis*; nec *deſcendere* debuit qui ubique eſt, aut coram ſpectare, qui omnia videt & audit; Sed tribus de cauſis ita loquitur: Primò quia volebat eorum inhoſpitalitatis & libidinis nefandę experimentum in ſuis Angelis extare; quo magis de ſua juſtitia in illis puniendis conſtaret, cum nihil ſani apud illos ſupereſſet, & *minor* eſſet *ipſa infamia vero*; Secundò, quoniam volebat indicare Abrahamo imminere urbium ſceleratarum ruinam, & ſe jam accinctum ad illud juſtæ ſeveritatis opus; ut Gen: XI, 5. 7. deſcenſio illius ad Babylonicæ turris extructores, eorum præſentem punitionem ſignificat; Tertiò quia volebat ea loquutione denotare ἀνθρωποπαθῶς ſe boni & exacti judicis in eo munere defungi, nihilque temerè vel pronunciare, vel exequi: prout judex accuratus in rem ipſam præſens inquirit, & mavult ſuis oculis quam ſuis auribus credere: feſtinat enim ad pœnitendum qui citò judicat, & *ſæpè ſiniſtro rumori malignitas dat initium, credulitas incrementum.* Hinc Philo *de Confuſ. ling. Qui omnia, non facta ſolum, ſed & priuſquam fiant, prævidet manifeſtiſſimè, dicitur nihilominus deſcendens viſere, ut doceamur moneamurque ne quis homo de abſentibus rebus & incertis putet ſe poſſe certam conjecturam facere, ſed propiùs introſpecto negotio diligenter cuncta perluſtret.* Alterum quod ſpectat, non neſciebat Deus quo animo eſſet Abraham erga ſe, etiam priuſquam filium ſuum immolare paraſſet; cum jam antea Gen: XVIII, 17. 18. 19. apud ipſum Abrahamum profeſſus eſſet ſe ſatis certò noſſe ejus pietatem; neque novum lumen affulſit ipſi ex Abrahami facto, cujus beneficio noſſet quod antea neſciverat; Sed ita *cognovit*, id eſt (abſoluto verbo loco tranſitivi uſurpato, quod non eſt infrequens ſacræ Scripturæ,) palam fecit & manifeſtavit ejus fidem & quantâ Numinis reverentia duceretur: Ita Paulus 1. Cor: II, 2. *Non ſtatui quicquam ſcire inter vos niſi Ieſum Chriſtum eumque crucifixum*, id eſt nihil inſuper volui vos docere. Itaque R. Moſes Ben Mæmon *in More Nevoch. p. 3. cap. 24.* illud *Nunc cognovi* dictum Abrahamo ſic παραφράζει Q. D. *Ex hac actione propter quam ab omnibus Deum timens vocaberis, cognoſcent omnes, quantus in te ſit timor Dei & quouſque pertingat.*

Quicquid enim aliàs] Eſto: Voluerit Deus utrobique *novum experimentum* extare, illîc Sodomiticæ impietatis, hîc pietatis Abrahamicæ, tamen quis præter hæreticos dicat ipſum dubium & incertum de eventu fuiſſe, & neutrum *antequam fieret planè certum & exploratum* illi extitiſſe? Nec enim ſibi quæſivit hæc experimenta tanquam dubius, ut certior eſſet, inſtar Iovis Ovidiani, qui ſic loquitur,

Contigerat noſtras infamia temporis aures;
Quam cupiens falſam ſummo delabor Olympo,
Et Deus humana luſtro ſub imagine terras;

ſed ea quæſivit & extare voluit alijs, ut ſic in ævum innoteſceret & Sodomitarum impietas & pietas ac fides Abrahami.

Dici poteſt, Deum eatenus] Concedo ſi *τὸ cognoviſſe* ſumatur in ſignificatione tranſitiva pro *notificaſſe* & orbi exhibuiſſe; Sed nego Deum neſciviſſe quid utrobique futurum eſſet, priuſquam eveniret. Etſi enim *actus voluntatis* humanæ utrobique interceſſerit, non tamen neceſſe eſt id quod voluntariò fit ab hominibus, à Deo neſciri

ſciri priuſquam fiat; cum multa prædicta ſint à Prophetis ſuo tempore certò eventura, ad quæ tamen actus voluntatum humanarum boni & mali debebant intervenire.

Cui rei & illud conſentit] Ficulnea ratio: Nec enim probat & tentat Deus homines ex ignorantia, ut eâ ratione cognoſcat quod antea neſcierit, ſed ex ſapientiſſima Providentia, ut alijs propalet & notificet quod cæteroquin eos latebat. Ita tentavit Abrahamum, ut notam redderet mundo & in Eccleſia nobilitaret fidem & obedientiam illius: Sic tentavit Iſraelitas, non neſcius quales eſſent, ſed ut experimento ipſis & alijs manifeſtaret latentem eorum incredulitatem, ingratitudinem & levitatem. Hinc David Pſal: CXXXIX, 23. dicebat Deo, *Perveſtiga me ô Deus & agnoſce animum meum, proba me & cognoſce cogitationes meas*; nec tamen putabat ſe ante illam probationem Numini ignotum eſſe; nam com. 2. dixerat, *Tu cognoſcis ſedere meum & ſurgere meum, intelligis cogitationem meam è longinquo.* Ideo Mæmonides paullò ante citatus, meritò pertendit finem Dei in tentandis hominibus non eſſe alium quam cœteris notificare quod eos latebat, *nequaquam autem ac ſi Deus ideo probaret ac tentaret hominem, ut ipſe ſciat aliquid, quod anteà ignorarit. Abſit, abſit hoc ab ipſo,* (audiant Iudæum Sociniani, Magiſtrum diſcipuli) *quod fatui & ſtulti ſecundum malitiam cogitationum ſuarum de ipſo cogitant.* Videant ergo hæretici quâ fronte jactent *hæc & ſimilia loca cum* ſua *potius ſententia quam cum adverſa conſentire*, aut ſe *eam defendere ſententiam, quæ non modo evidentiſſima ac planè cogente nitatur ratione, ſed & ſacrarum literarum autoritate ſtabiliatur*, cùm veritati, pietati, Scripturæ, rationi, conſenſui communi omnium Chriſtianorum & Iudæorum, directè adverſetur.

Neque verò eſt, quòd quis putet, eam pugnare cum aliis non paucis ſcripturæ locis, ex quibus futura contingentia à Deo præviſa aut prædicta eſſe appareat. Nam primùm vel bona illa ſunt, quæ præviſa dicuntur, vel malæ, h. e. turpia atque illicita, vel denique per ſe media atque indifferentia. Si bona, aut indifferentia; nihil prohibet, ea Deum ſimpliciter fieri decreviſſe; atque adeò, cùm contingentia antea eſſent, ea jam porrò neceſſaria evaſiſſe. quod etiam de illis ſtatui rebus poteſt, ad quas actum voluntatis humanæ accedere eſt neceſſe. Nihil enim prohibet, Deum in hac illâ ve re neceſſitatem imponere homini volendi id quod turpe non eſt, relicta ei in cæteris plæriſque libertate.

Si bona aut indifferentia] Ergò ſaltem nihil prohibet quominus ex bonis aut indifferentibus, nihil ſit abſolutè contingens, ſed tantum ſecundum quid.

Quod etiam de illis] Ergò neceſſitas infallibilitatis eventus ex Dei decreto & præſcientia non tollit arbitrij libertatem, ut ſuprà crepabat adverſarius; quandoquidem poteſt aliquid eſſe neceſſariò futurum ex illa hypotheſi, ad quod actus *voluntatis humanæ* debeat accedere; imò poteſt Deus *neceſſitatem volendi* hoc vel illud homini imponere, citra voluntatis ipſius læſionem. Quodcunque enim vult homo, eo ipſo quod illud vult, id liberè velle cenſendus eſt, aliàs non foret voluntas ſed noluntas.

Relicta ei in cæteris] Sed jam dictum eſt neceſſitatem volendi nihil delibare de libertate voluntatis: Nec foret magnum illius libertatis beneficium, ſi ad res turpes demum coarctaretur; quamvis nec ad omnes,

Digitized by Google

omnes, ut cunctanter loquitur adverſarius; imò loco beneficij foret potius neceſſitatem imponi homini nolendi unquam quod turpe eſt, quam volendi aliquando quod turpe non eſt. Verum enimvero, utrobique ſua manet homini illibata libertas, quodcunque Deus decreverit fieri per liberam ejus voluntatem, ſive efficiendo, ſi honeſtum fuerit, ſive permittendo, ſi turpe.

Quòd ſi autem talia ſimpliciter decernere poteſt Deus; multò magis ſub conditione. Nam de actionibus etiam malis ac per ſe illicitis, aliquid in futurum ſub conditione decernere Deus poteſt: quantò magis de bonis aut naturâ ſuâ mediis? Simpliciter atque abſolutè nunquam Deus decernit ea, quæ per ſe mala ſunt, præſertim antequam paratam ipſius hominis malitiam inveniat: ſed ſub conditione, quâ poſitâ demum abſolutum evadit decretum. Quòd ſi hominem ſive unum inveniat, ſive plures jam ſponte ſua improbos, eorum malitiâ uti ad conſilia ſua exſequenda ſolet, & de iis nonnihil decernit, quod ſine peccato ab iis fieri non poteſt. Sed nec hujus generis decreta conditione carere ſolent, utut ea non ſemper exprimatur; ac porrò nec planè ſunt immutabilia, niſi fortè tum, cùm ad rem ipſam ferè ventum, aut jam accedendum eſt. qua de re cap. ſeq. plura dicentur.

‡ *Quod ſi autem talia*] At Deum aliquid decernere futurum ſub conditione poteſtativa & dubia, repugnat ipſius Sapientiæ & Conſtantiæ; Cùm enim illud cenſeretur decernere per modum medij ad aliquem finem ordinati, deberet ceſſante conditione, vel id ipſum quod ſpectaſſet non fieri, vel novo inito conſilio, aliud derepentè medium in deficientis locum ſubſtitui; quorum neutrum Deo Omniſcienti & Omnipotenti tribui poteſt.

Nam de actionibus] Hæc nimis generaliter & ambiguè dicuntur: cum quædam Deus abſolutè decreverit futura, ut opus Redemptionis noſtræ per Chriſtum, ſub interventu actionum etiam malarum ac per ſe illicitarum, cujuſmodi fuit avaritia & proditio Iudæ, diu ante prædicta per Prophetas, quæ eo ipſo non conditionatam & dubiam ſed certam & determinatam futuritionem habuerunt.

Simpliciter atque abſolutè] Nunquam quidem Deus ſimpliciter & abſolutè decernit ea quæ per ſe mala ſunt, decreto effectivo; eorum tamen abſolutam futuritionem decernit decreto permiſſivo, quo ſimul illis conſtituit uti pro ſua Potentia & Sapientia & præter illorum naturam, in bonum, certum & determinatum finem; Eſt enim ſapiens & potens ut ex malis quæ ſinit fieri benè faciat, atque ſuam lucem educat ex noſtris tenebris.

Præſertim antequam] Hæc exceptio eſt frivola: Nam præterea quod ut Deus ſinat malè fieri, non neceſſariò prærequiritur parata peccaturi malitia, cum ad id ſufficiat ejus labilitas per libertatem arbitrij, qualem præſuppoſuit in primo homine decretum Dei abſolutum de ejus peccato permittendo, ſanè quicquid mali poſt illud primum peccatum Deus decrevit permittere tale poteſt dici, ut *paratam ipſius hominis malitiam* ad illud repererit; eo quod *omne figmentum ac cogitationes cordis humani, ſint tantummodo malum omni tempore*, etiam *à pueritia ipſius* Gen: VI, 5. VIII, 21. ſitque *cor ipſum fraudulentum ſuprà omnia & mortiferum* Ierem: XVII, 9.

Sed ſub conditione] At ſanè ſi exiſtentia actualis iſtius mali debet præcurrere abſoluto Dei decreto, nullum Dei decretum,

Digitized by Google

tum, ſaltem de rebus quarum executioni debeat actus aliquis malus intervenire, poterit eſſe æternum, aut quod longè magis eſt aliquot paucis annis ipſi executioni præcurrere; nec Deus cenſendus erit aliquid decreviſſe abſolutè antequam id ipſum revera fiat & eveniat. Itaque juxta ineptam hanc doctrinam, nondum fuerit abſolutum decretum de nobis redimendis morte Chriſti, non dicam ante jacta mundi fundamenta, ſed vel cum ipſe Chriſtus naſceretur, aut priuſquam actu Satan ingreſſus eſſet in cor Iudæ, ut turpiſſimæ illius defectionis & proditionis conſilium ipſi inſtillaret. Nec poteſt Crellius ad exiſtentiam objectivam in mente divina præcedaneæ ejuſmodi conditionis recurrere, quin nobis largiatur certam ergo præextitiſſe ex Dei decreto præſcientiam iſtiuſmodi peccati, quod nobis ſatis foret in hac quæſtione: quamvis revera non poſſit dici ex præviſa tali conditione Deum tale conditionatum conſtituiſſe futurum, ideſt decreviſſe V. G. noſtri redemptionem per Chriſtum ex præviſa Iudæ proditione, ſed è contrario dicendum ſit decreviſſe permittere illam proditionem, ex hominis malitia quam jam paratam inveniebat, ut illi operi noſtræ Redemptionis quod intendebat directè & primariò, pro ſua ſapientia inſerviret.

Quod ſi hominem] Atqui ex illa ſola hypotheſi lapſus omnium hominum in Adamo, omnes *jam ſponte ſuâ improbos* invenit, adeoque *eorum malitiâ* poteſt uti *ad conſilia ſua exſequenda*, & de ijs eo reſpectu id decreviſſe ab æterno, *quod ſine peccato ab ijs fieri non poteſt*; in quo tamen ipſum immunem eſſe ab omni peccato, & nullam neceſſitatem intrinſecam peccandi imponere Creaturæ, ipſe Crellius proculdubio fatebitur.

Sed nec hujus] Fruſtrà hæc fingi & gratis dici, vel uno illo exemplo Redemptionis nobis per Chriſtum ab æterno decretæ liquidò conſtat: Hoc enim decretum quantumvis interventu malarum quarundam actionum exſecutioni mandandum, fuit abſolutum & immutabile etiam à jactis mundi fundamentis, neque ſuſpenſum ex incerta conditione, quâ ceſſante, mutari & abrogari potuerit. Sed quàm abſurdè faciunt iſti decreta Dei de rebus futuris conditionata & dubia, tam iniquè negant illa *planè immutabilia* eſſe, niſi forte in ipſo puncto executionis. Quod utrumque hic retuliſſe refutaſſe eſt.

Deinde non pauca futura prævidentur aut prędicuntur, non tanquam ἐσόμενα,
211. ſed tanquam μέλλοντα, h. e. non tanquam omnino futura, ſed tanquam veriſimiliter extitura. & non malè dixeris, interdum non tam id aſſeri, rem, de qua ſermo eſt, eventuram, quàm cauſſas extare, quæ effectum illum portendant, & ſecuturum eſſe ſuadeant. Quin etiam verba, quæ prędictionum formam habent, nonnunquam cohortationum aut dehortationum vim potiùs habere deprehenduntur.

‡ *Deinde non pauca*] Scilicet Socinianis Prophetę θεόπνευστοι pari loco habentur quo Kalendariorum annuorum conſcribillatores, qui ſub prædictionum nomine ſuas conjectationes & quod veriſimiliter ſuſpicantur exiturū, ſolent popello propinare. Abſit vero ut Deus, cujus Spiritu acti, loquuti ſunt 2. Pet: 1, 21. palpet in tenebris, aut incerta ſigna ſumat pro cauſis certis, aut prævidens quem effectum portendant iſtæ cauſſæ, neſciat an forte fortuna in ſuo cauſando ſint impediendæ nec ne: Longè aliud nos docet Chriſtus Matth: v, 18. xxiv, 35. Adde

loca

loca 1. Reg: VIII, 56. & 2. Reg: x, 10. quæ docent ne unam quidem voculam in terram cecidiſſe eorum quæ Dominus prædixerat; adeo ſemper exactè prædiſtionibus divinis eventus reſponderunt; Quod ſi ad ſingularia veniendum foret, facilè demonſtrarem, tales prædictiones de rebus nonniſi poſt ſæcula multa eventuris, & quibus varij mali certorum hominum actus erant interventuri, extare in Scripturis, quas nequidem ipſa impudentia auſit veroſimilibus duntaxat conjecturis annumerare. Taceo quæ de Chriſto ejuſque paſſionibus & ſubſequutura gloria Prophetæ V. T. fuerant clarè vaticinati 1. Pet: 1, 11. 2. Pet: 1, 19. Sufficiat mihi vaticinium Pauli 2. Th. 11, 3. de homine peccati & filio perditionis ſuo tempore revelando, ſive de apparitione Antichriſti, quo ſanè non τὰ μέλλοντα, ſenſu Crelliano, ſed τὰ ἐσόμενα prædicta fuiſſe, Sociniani non diffitentur, ut videre eſt apud Volkelium hunc noſtrum, *lib. 3. cap. 40.*

Quin etiam verba] Hoc non diffitemur: Verum argumentum noſtrum cui directè erat reſpondendum, non à comminationibus vel cohortationibus divinis deſumebatur, ſed à prædictionibus & vaticinijs de futuris contingentibus quæ certam eorum præſcientiam in mente divina demonſtrant.

Id ſanè, quod aſſerimus, communi loquendi conſuetudini eſt conſentaneum. Nam de iis, quæ tantùm ſunt μέλλοντα, ſæpè ſine ulla temeritatis nota ita loquimur, ac ſi eſſent ἐσόμενα, ſeu omnino futura, ut cùm de iis ſermo eſt, quæ jam jam futura videntur, licèt ea ab arbitrio humano adhuc pendere norimus, nec ignoremus, multa inter calicem, quod dicitur, & ſuprema labra cadere poſſe. Sic ſi conſtet, virum aliquem bonum ac fidei tenacem, pecuniam habere præſentem, quam alteri jam jam perſolvere & debeat, & ſe omninò velle dicat; quis dubitat dicere, eum id facturum, & certò quidem facturum, præſertim niſi Deus ipſe impediat? At in ipſius adhuc poteſtate eſt, voluntatem mutare: & intervenire poſſunt alia, quæ effectum impediant. Solemus nimirum tum, cùm illa futura, aut etiam certò futura eſſe dicimus, eam certitudinem intelligere, quæ in rebus humanis locum habeat; adeò ut ſermo noſter materiæ ſubjectæ accommodari, & pro ejus ratione intelligi debeat. Itaque non ſine tacita quadam conditione verba ſua, de re contingenti & in futurum ſpectante elata, cordati potiſſimùm viri accipi volunt, perinde ac ſi dixiſſent, niſi quid interveniat inuſitatum aut inopinatum.

‡ *Communi loquendi*] Sed quid abſurdius quam Deum ex noſtro pede metiri, aut exiſtimare ipſius Vaticinia meras plerumque eſſe conjecturas, eo quod homines lumine Prophetico deſtituti, nonniſi ϛοχαϛικῶς de rebus futuris, queant loqui, aut debeant intelligi; nullamque aliam *certitudinem* viri cordati ſuis ſermonibus in eo genere velint ineſſe quam conjecturalem, conditionatam & moralem? Quid unquam nugacius aut ineptius ad præſentem quæſtionem excogitari potuit?

Quis

Quis dubitet rectè, verbi gratiâ, locutum eſſe Paulum, cùm de Timotheo ad Corinthios ſcribit, (*1 Cor: 4. 17.*) eum ipſis in memoriam revocaturum vias ipſius in Chriſto; licèt res non eſſet prorſus neceſſaria ac immutabilis. Neque enim credibile eſt, Paulum ideo id dixiſſe, quia ipſi divinitùs patefactum fuerit, ita Timotheum omnino facturum; ſed quia cauſſas ejus rei partim in Timotheo, partim extra ipſum videbat, planè veriſimiliter illum effectum parituras. Videbat enim, illum & viarum ſuarum in Chriſto gnarum eſſe, & eâ pietate præditum, ut Corinthiis ea re indigentibus, eas vellet in memoriam revocare, præſertim à Paulo monitus aut juſſus. Quis dubitet rectè loquutum atque argumentatum fuiſſe Moſen, cùm inter alia ita loquitur: (*Deut: 31. 27.*) *Ecce adhuc vivente me, & ingrediente vobiſcum ſemper,* (Hebr. *ecce adhuc me vivente vobiſcum hodie,*) *contentioſè egiſtis* (vel *agitis*) *contra Dominum: quantò magis cùm mortuus fuero?* At non erat tamen id neceſſa-
212. rium; & ne fieret, hac ipſa oratione curabat Moſes. Eódem referri debent & illa Pauli ad Philemonem: (*verſu 21.*) *Confidens in obedientia tua ſcripſi tibi: ſciens quoniam & ſuper id, quod dico, facies.* Quæ verba ita ſunt comparata, ut dum ait Apoſtolus, ſe ſcire, ita Philemonem facturum, eum ad id faciendum non obſcurè hortetur. nec immeritò dixeris, propè magis Apoſtolum hortari, ut id faciat Philemon, quàm aſſerere, id eum facturum. Nam alioqui rem non prorſus certam ſive neceſſariam fuiſſe, ipſæ indicant preces, quas in eadem epiſtola Paulus Philemoni admovet. Non abſimilia ſunt & illa ejuſdem Apoſtoli ad Galatas: (*Gal: 5. 10.*) *Ego confido in vobis in Domino, quòd nihil aliud ſapietis.* Nam dum fiduciam ac ſpem de illis ſuam exprimit, ad eam implendam illos hortatur.

‡ *Quis dubitet, rectè*] Nemo ſanè dixerit viros ſanctos in omnibus ſuis dictis ad futurum ſpectantibus, Prophetas egiſſe; ſed loquimur de vaticinijs & prædictionibus propriè dictis, uti fiunt revelatione divinâ, quas conjecturales & incertas facere, nihil ſit aliud quam Deo illudere. Quare huc nihil faciunt Pauli & Moſis exempla ex adverſariorum mente intellecta. Si enim, ut vult Crellius, non ſunt his locis loquuti ex revelatione ſpeciali, ſed tantum ex charitatis & prudentiæ probabili judicio, inde nemo ſanus debet colligere pariliter στοχαστικῶς eos, cœteroſque viros θεοπνεύστους, eſſe loquutos, cum propriè dicta vaticinia de rebus futuris, licet quoad homines & cauſas ſecundas planè contingentibus, emiſerunt. Quanquam non ſit omninò incredibile Paulum 1. Cor: IV, 17. tam confidenter de Timotheo fuiſſe loquutum ex patefactione divina, juxta eas prophetias quæ de illo præceſſerant 1. Tim: I, 18. Nec video quo argumento Moſes negetur Deut: XXXI, 27. propheticè loquutus, cùm hanc rationem reddat, cur velit librum legis reponi in latere arcæ, *ut ſit ibi contra populum in teſtimonium*; & com. 29. ſatis indicat ſe non ſolum conjicere στοχαστικῶς futurum ex præterito, humanâ ſagacitate, ſed certò futurum prædicere revelatione divinâ, dicendo, *Novi enim quod poſt mortem meam certiſſimè* (ut reddit Tigurina verſio)

Digitized by Google

verſio) *perperam agetis, & deficietis de via quam præcepi vobis, occurretque tandem vobis malum in noviſſimis diebus*; imò ex com. 16. luce meridianâ clarius patet id ipſum Moſem ex patefactione Divina accepiſſe: Dixerat enim Iehova ipſi, *Ecce tu cubaturus es cum majoribus tuis; ſurgens vero populus iſte ſcortabitur, ſequendo Deos alienigenarum illius terræ in quam venturus eſt & derelinquet me*, &c. Et quam certa fuerit prædictio, eventus ipſe ſatis ſuperque comprobavit: *Neceſſarium* itaque erat id evenire, eodem ſenſu quo neceſſe eſt ut ſcandala & hæreſes eveniant, Matth: XVIII. 7. 1. Cor: XI, 19. Neque ſimpliciter *ne fieret, hac ipſa oratione curabat Moſes*, ſed tantum illâ prædictione generali defectionis certò obventuræ in populo communiter conſiderato, ſingulos ſalutis ſuæ ſtudioſos quadantenus dehortabatur, ne ad illam accederent. Quod enim certò prædicitur eventurum alicui communitati, expreſſam vel tacitam habet parænesim ad ſingulos diſcretè ſumptos, ut quiſque ſtudeat ſe malo illi eventuro ſubducere: Exemplum habemus luculentum Act: XX, 28. 29. 30. 31. ubi Paulus presbyteros Epheſinos ſic compellat; *Attendite animum ad vos ipſos & totum gregem, in quo vos Spiritus ille Sanctus conſtituit Epiſcopos, ad paſcendam Eccleſiam Dei, quam ſuo proprio ſanguine acquiſivit: Ego enim illud ſcio lupos graves non parcentes gregi, ingreſſuros eſſe in vos poſt diſceſſum meum; Et ex vobis ipſis exorituros qui loquantur perverſa, ut diſcipulos poſt ſe abſtrahant; Ideo vigilate.* Quoad fiduciam quam Paulus teſtatur ſe habere de Philemone & Galatis, aliis duobus locis à Crellio citatis, ſi fuit illa fidei duntaxat humanæ ex judicio charitatis, cujuſmodi exempla ſimilia proſtant 2. Cor: II, 3. VIII, 22. nihil detrahit certitudini propheriarum divinarum; ſin verò fuerit fidei & certitudinis Divinæ, quod nec improbabile eſt, illi falſum ſubeſſe non potuit, adeoque citra libertatis humanæ læſionem, certam eventus futuritionem inferre debuit.

Hæc ſi jungantur illis, quæ ſuprà diximus de ratione, quâ res futuræ ſub ſcientiam, ac porrò ſub Dei præſcientiam cadant, facilè intelligi poterit, nihil eſſe in ſcriptura, quod determinatam illam ac planè certam futurorum contingentium præſcientiam Deo tribuendam eſſe demonſtret. Sine ea enim defendi poſſunt & explicari omnia, quæ de præſcientia futurorum in ſac. literis dicuntur, omneſque adeo de rebus futuris prædictiones. Rectiſſimè Deus dicitur *annunciare ventura* ſeu *futura*, id quod falſi Dii nequeant. (*vid: Eſa: 41: 44: 48. capp.*) *Ventura* enim ſimpliciter non dicuntur ea, quæ adhuc ſunt planè indifferentia ſeu indeterminata, & non magis futura, quàm non futura: ſed ea tantùm, quæ aut certò, aut ſaltem admodum veriſimiliter eventura ſunt. Ea verò omnia Deus novit, ac porrò etiam annunciare poteſt: vel quia ipſemet ea decrevit; vel quia eorum cauſſas, utut aliis omnibus adhuc incognitas, videt, quas vel promovere, vel impedire in ipſius eſt arbitrio ſitum. Itaque & illa prævidet Deus, quæ naturâ ſuâ ſunt contingentia, &, ſi decretum ipſius abſit, certò futura non ſunt. de quo rerum futurarum genere inprimis loquitur ſcriptura, cùm earum cognitionem ac prædictionem Deo uni tribuit, falſis autem diis adimit. Has enim non modò ipſi illi fictitii Dii, cum revera non extent, annunciare non poſſunt;

 ſed ne

Digitized by Google

ſed ne dæmones quidem, qui ſub commentitiorum Deorum nominibus ſeſe olim venditare, ac credulis hominibus colendos obtrudere ſunt ſoliti; ac porrò nec falſi fictorum numinum vates. partim quidem, quia Dei decreta ignorant, antequam ea Deus aliqua ratione patefaciat; partim quia alias occultas rerum futurarum cauſſas pervidere non poſſunt; & utut tandem nonnullas videant, aut ipſimet quippiam apud ſe moliantur; nihil tamen certi
213. prædicere de ipſo effectu poſſunt. quandoquidem Deus tum ipſorum conſilia, tum omnium aliarum cauſſarum vim impedire poteſt. an autem impedire velit nec ne, certò illi ſcire nequeunt, utut interdum conjecturâ nonnihil aſſequantur.

‡ *Hæc ſi jungantur*] Imò quam ſententia Crelliana ſit inadmiſſibilis, & ex his noſtris & ex ſuperioribus ſatis liquet.

Sine ea enim] Hoc dicitur facilè, ſed nunquam probabitur; futurorum enim præſcientia & prædictiones funditùs evertunt ſententiam adverſariorum, maximè cum *de rebus futuris* cujuſcunque ordinis factæ ſint: Aut ergo debent futura contingentia expungi ex numero rerum futurarum quarumlibet, aut illorum quoque præſcientia Deo eſt concedenda.

Ventura enim *ſimpliciter*] At ſanè 1. Omnia *futura* ſunt *ventura*; quod enim eſt adhuc indeterminatũ, ut nec venturum in ſchola Crelliana, ita nec futurũ dici poteſt. 2. Facere quædam abſolutè *indifferentia*, quæ *non magis futura quam non futura ſint*, eſt medium participationis extremorum ridiculè quærere inter ea quæ immediatè opponuntur, ut futurum & non futurum. 3. Quamvis in ſigno rationis ante Dei decretum, omnia poſſibilia ſimpliciter indifferentia fuerint, ideſt potuerint evenire vel non, tamen ſuppoſito Dei decreto, nihil debet concipi à nobis ſimpliciter indifferens; cùm omnia ſint vel abſolutè impoſſibilia, quia implicant contradictionem; vel poſſibilia quidem ſed nunquam futura, quia Deus non ſolum non decrevit illa futura, ſed etiam illa non futura decrevit; vel ex Dei decreto, ſive effectivo, ſive permiſſivo, certò & infallibiliter futura. 4. Venturorum quæ Deus annunciat, & oppoſitè in doctrina Crelliana ad futura contingentia, perperam ſtatuitur duplex ordo, nempe eorum quæ *aut certò*, *aut ſaltem admodum veriſimiliter eventura ſunt*. Nam præterea quod futura omnia vel ſunt neceſſaria, vel contingentia, etiam ex hypotheſi adverſariorum, adeoque omnia *ventura* diſtinctè à futuris contingentibus, prout à Deo annunciantur, neceſſariam, non veroſimilem duntaxat, futuritionem habeant, nemo Chriſtianæ aut ſanæ mentis eo unquam procedere debet blaſphemiæ ut ſtatuat *ventura* plurima à Deo vel annunciari, vel præſciri, non ut *certò* & infallibiliter, ſed tantum ut *veriſimiliter* & conjecturaliter futura; Tantùm abeſt ut futura poſſit diſtribuere in Contingentia & Ventura, & hæc iterum in Ventura certò & Ventura veriſimiliter; cùm hæc veriſimiliter duntaxat ventura ſint ipſorummet Socinianorum futura contingentia: Tantæ molis erat cornicum oculos configere, ut eſt in Adagio, ſive potiùs Dei Opt: Max: omniſcientiam expugnare.

Vel quia ipſemet] Sed 1. hæc oppoſitio eſt minus legitima: Nam ex nullis cauſis poteſt actu produci ullus effectus de cujus futuritione nihil Deo decretum ſit, cum omne Agens in Agendo pendeat à primo Agente, non minus quam omne Ens in eſſendo à primo Ente pendet. 2. Nihil etiam potentiæ vel aptitudinis ad cauſandum habent ullæ cauſæ extra Deum

Deum, quod non habeant ex ipſius decreto: Quare ut Deus certò novit in ſuo decreto quid habeant cauſalitatis in actu primo, ideſt quid poſſint operari, ſi modò eas *promovere*, nec *impedire* velit, ita certò nec veriſimiliter tantum novit, quid in actu ſecundo ſint cauſaturæ, quia optimè novit quouſque eas non impedire, ſed promovere velit. 3. Hoc ipſum poteſt retorqueri in adverſarios: Nam ſi quod eſt futurum contingens, id ſanè ſuam omnem habebit contingentiam à cauſis ſecundis, prout vel promoveri poſſunt, vel impediri, circa effectuum ſuorum productionem: At Deus certò novit & quid virium habeant cauſæ ſecundæ omnes extra ſe, & quouſque ſint promovendæ vel impediendæ ad ſuos effectus; Ergo certò novit quid ex maximè contingentibus ſit futurum vel non futurum.

Itaque & illa prævidet] Obſervet Lector hanc Crellij confeſſionem, quam veritas ſuis fidiculis illi invito ad Dei gloriam extorſit. Si enim Deus *prævidet* quæ *naturâ ſuâ ſunt contingentia*, cur negabitur præſcire futura contingentia, cum iſtiuſmodi nulla ſint propriè dicta niſi quæ *naturâ ſuâ* talia ſunt? Sed quomodo Deus dicetur ea *prævidere*, vel de quibus nullum illius ſit *decretum*, cùm præviſio & præſcientia ejus omnis, ut pote pertinens ad ipſius ſcientiam liberam, in ejus decreto fundetur; vel quæ *certò futura non ſunt*, cùm prævidere, ſit videre priuſquam eveniat, adeoque nihil propriè & certò præſciri & præviderì poſſit, niſi quod certò futurum eſt? Adde quod non ſolum certò futura non ſint, ſed reverà certò non futura ſint, quæcunque ſtatuatur in cauſis ſecundis pronitas & diſpoſitio ad illa, ea omnia de quorum futuritione nihil à Deo decretum eſt. Illa enim Deus decrevit non fieri, de quibus non decrevit ut fierent; Et ipſius reſpectu nihil eſt futurum, quod certò futurum non ſit.

De quo rerum futurarum] Sed & perperam duplex *rerum futurarum* genus, oppoſitè ad futura contingentia, hic ſibi Crellius imaginatur; & ineptè quoad poſterius membrum, hac notâ Deum diſtinguit ab Idolis, quod in eo genere veroſimiliùs annunciet ea quæ *certò futura non ſunt*; ut non ſit aliud diſcrimen inter ipſum & Apollinem Delphicum, quam quod eſt inter Maginum aut Noſtradamum & alios Kalendariorum annuorum ſcriptores; videlicet, quod paullò fœliciùs & veroſimiliùs arioletur, & conjiciat magis quid poſſit evenire, quam prænunciet quid ſit eventurũ. Et jam antea ſufficienter oſtendimus, tres illas futurarũ rerũ claſſes perabſurdè comminiſci Socinianos, nempe 1. Decretarum à Deo & certò futurarum; 2. Veriſimiliter eventurarum, licet Deus nihil de ijs decreverit; 3. Merè contingentium: Etenim nec quid hæ differant à ſecundis poſſunt adverſarij explicare, & nihil de facto unquam eveniet, niſi quod Deus in anteceſſum decreverit futurum, vel effectivè vel permiſſivè.

Has enim non modò] Summa ergo contra Crellium huc redit. Dæmones nihil certò de rebus futuris prædicere poſſunt, quia ignorant quid Deus decreverit, vel circa futuros effectus, vel circa cauſarũ ſecundarũ operationem: Ergo omnis certa Dei prædictio ex ipſius conſilijs & decretis ſuſpenditur. Et cùm dæmones στοχαστικῶς & veriſimiliter poſſint multa prædicere partim ob inſitam ſagacitatem, partim ob experientiam multorum ſæculorũ, partim quod multa ex ſeſe moliantur, in quibus fœlicem ſperant ſucceſſum, aut pares hactenus in ſuis prædictionibus erunt Deo, circa ea de quibus nihil decrevit quæque certò futura non ſunt, ex hypotheſi adverſariorum, aut omnis ejus prædictio quo diſtinguatur ab ipſorum στοχασμοῖς, debet eſſe certa, infallibilis & determinata, non dubia, conjecturalis, veroſimilis & incerta, qualis eſſe

Digitized by Google

ſolet dæmonum, & fuit olim omnium oraculorum quæ fundebant: Etenim nonniſi meram veriſimilitudinem habuerunt, etſi non rarò, ob cauſas prætactas, rem acu tetigiſſe viſi ſint. Difficile enim eſt eum qui per totum diem collimaverit, non aliquando ferire ſcopum.

Hinc etiam perſpicitur, rectiſſimè Deum dici (*Dan*: 13. 42.) *abſconditorum cognitorem*, *qui omnia nôrit antequam fiant*, hoc eſt, antequam reipſa eveniant. Novit enim ea in intimo etiam cauſſarum ſuarum receſſu, & nominatim in hominis pectore adhuc latentia.

‡ *Hinc etiam perſpicitur*] In hoc Danielis loco, ut pote Apocrypho, ſi authoritatem ſpectemus, non multum eſt præſidij pro nobis; at plurimum, ſi rei veritatem: Aut enim futura contingentia adverſariorum nunquam evenient; aut ſi *reipſa eveniant*, neceſſe eſt illa Deo jam fuiſſe nota dum erant adhuc in fieri & antequam evenirent. Quin ſi *novit* rerum eventus in *intimo cauſſarum* ſuarum *receſſu*, *& nominatim in hominis pectore adhuc* latentes, neceſſe eſt ipſi conſtare, quonam cauſſæ ex ſua natura ad utrumque oppoſitorum indifferentes, ipſæque hominum voluntates, ſint reipſâ inflectendæ & determinandæ.

Patet etiam, jurè eum aliquando ita de Abrahamo dicere potuiſſe, (*Gen*: 18. 19.) *Scio quòd præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Domini.* Quia enim noverat, eum eſſe virum pium ac juſtum; prorſus veriſimile erat, fore, ut ita filiis ſuis præciperet; præſertim & novo beneficio ab ipſo, arcana ei conſilia ſua revelante, obligatus, & his ipſis verbis, ut id faceret, monitus. Diximus autem, potuiſſe ita Deum loqui; non, omnino ita loquutum: quia in Hebræo ita legitur: *Novi enim eum* (Abrahamum,) *ut præcipiat filiis ſuis*, &c. quod ita viri Hebraicæ linguæ & ſac. lit. peritiſſimi explicant: (*Franc*: *Vatabl*:) *Novi eum eſſe hominem pium, juſtum, & docilem; non, inquam, celabo eum, ut præcipiat filiis ſuis*, &c. Quorum virorum ſententiâ non dicit Deus, quid facturus ſit Abrahamus; ſed, in quem finem ipſemet ei velit patefacere conſilium ſuum; & cur eum ſibi finem proponat, ac veriſimiliter conſecuturum judicet; nempe quia Abrahamum noverit, hoc eſt, ejus pietatem optimè habeat cognitam. Hæc enim eum impulſura erat, ut amici cujuſdam inſtar ad notitiam arcanorum Dei conſiliorum admiſſus, diligenter præciperet filiis ſuis, ut, quæ Deo tam benigno placerent, in omni vita ſequerentur.

‡ *Patet etiam*] At hoc non *veriſimile* modò erat Deo, ſed certiſſimum, ut pote cum ipſe hanc mentem, hunc pietatis affectum, & jam ante Abrahamo indidiſset, & porrò fovere & conſervare decreviſset, prout ipſius dona & vocatio ſunt ἀμεταμέλητα Rom XI, 29. Et ſi quæ his Dei verbis ad Abrahamum inerat vis παραινετικὴ ad illud præſtandum, ea debet accenſeri medijs, quæ ipſe Deus decreverat adhibere ad id ipſum exſequendum quod certò futurum & conſtituerat,

Digitized by Google

ſtituerat & noverat.

Diximus autem potuiſſe] Fateor hic variare Interpretes, ob illam particulam לְמַעַן אֲשֶׁר יְצַוֶּה *Lemagnan aſcer jetſave*, quæ non eodem modo redditur; Nam Vulgatus interpres legit, *Quod præcepturus ſit*; Pagninus eodem ſenſu, *Propterea quod præcipiet*; At etiam è noſtris, Deodatus, Paræus, & Belgæ, *Ut præcipiat*; Conſentiunt tamen Vulgato interpreti, non ſolum Genevenſes, & in ſuis Commentarijs Calvinus & Muſculus, ſed etiam ipſe Caſtalio, qui ſic habet; *Nam certò ſcio ſuis eum liberis, & porrò ſuæ in poſterum ſtirpi, præcepturum eſſe ut ad Iovæ normam vitam dirigentes, juſtitiam colant atque jus.* Ita quoque ipſa verſio Tigurina, ad quam ſuas notas adjecit qui hic laudatur Franciſcus Vatablus, *Hoc quoque ſcio quod mandaturus ſit filijs ſuis & domui ſuæ poſt ſe ut cuſtodiant viam Domini faciantque juſtitiam & judicium.* Quin juxta Vatablum magna foret ellipſis in Dei ſermone, *Novi enim eum (ſub: quod juſtus ſit & pius) ut præcipiat filijs ſuis*: Sed primò noſtra interpretatio eſt planior, fœlicior, & ſanior, totiuſque Antiquitatis, ac ipſorum LXX. Interpretum, ut vulgò dicuntur, calculo comprobata: Deinde etſi daremus his verbis potius exprimi finem quem Deus intendebat, hæc ſua conſilia tam familiariter retegendo Patriarchæ, quam ipſam futuram illius praxim & actionem, tamen nequiverit Deus potentiſſimus & ſapientiſſimus hunc finem ſibi certò præſtruxiſse, quin certò noſset, non veriſimiliter tantum, Abrahamum ejus eſse virtutis ut id ipſum quod intendebat eſset facturus, adeoque ſe illum ſuum finem certò conſecuturum. Fortiùs etiam adſtringetur nodus, ſi ellipſi miſsâ ita legatur cum Belgis interpretibus; *Nam novi eum ut præcipiat filijs ſuis* &c. Tunc enim dicetur Deus Abrahamum *noviſſe*, ideſt elegiſse ad ſalutem, ut etiam ſuum ſemen, ſuoſque poſteros & genuinos filios, in pietate & cultu Numinis erudiret; quod ergo eò certius futurum erat, quò firmiùs *ſolidum ſtat Dei fundamentum, habens ſigillum hoc, Novit Dominus eos qui ſui ſunt* 2. Tim: II, 19. Nec potuit Deus tantum ςοχαςικῶς conjicere de Abrahami ſollicitudine in ſuis filijs erudiendis, ſiquidem *ejus pietatem optimè* habebat *cognitam.*

Intelligi etiam poteſt, quo pacto Deus olim prædixerit Moſi, (*Deut: 31. 16, 20.*) fore ut populus ipſo mortuo fornicaretur poſt Deos alienos, & irritum faceret fœdus, quod cum eo pepigerat. ſiquidem ejus rei rationem ipſe affert: (*verſu 21.*) *Scio enim cogitationes ejus, quæ facturus ſit* (Hebr. *quid ipſe faciat*) *hodie, antequam introducam eum in terram, quam ei pollicitus ſum*, ſeu, ut eſt in Hebræo, *juravi.* Si enim, ut ſuprà vidimus, Moſes ex populi illius contumacia, ante oculos ipſius jam tum verſante, ejuſdem rebellionem poſt mortem ſuam collegit ſecuturam; quantò magis id Deus facere poterat, qui corda omnium penitus nôrat? Quid mirum, eum aliorum quoque populorum, aut aliquorum indefinitè hominum, quorum operâ ad decreta ſua perficienda ſit uſurus, futuram malitiam prædixiſſe? Quòd ſi enim nos homunciones videre facilè poſſumus, ni Deus ſingulari quadam ratione malitiæ curſum impediat; tum populos quoſdam, tum aliquos indefinitè homines fore peſſimos, idque poſt multa ſecula, ſi tam diu duraturus ſit mundus; quid 214
de Deo cogitandum eſt?

Digitized by Google

† *Intelligi etiam poteſt*] Atqui hæc ipſa prædictio, uti jam ſuprà inſinuavi cum agerem de Moſe, firmiſſima & certiſſima fuit. Et hoc eo certius Deus poterat prædicere, quod jam, ut nitar hypotheſibus Crellij, animum iſtius populi rebellem ac contumacem haberet perſpectiſſimum; eumque ſibi ipſi relinquere apud ſe conſtituiſſet: Nec illa verba com. 21. tam oſtendunt fundamentum & indicinam prædictionis Divinæ, quaſi Deus ariolaretur & conjiceret ex præſenti contumacia Iſraelitarum, nihil boni ab ipſis in poſterum poſſe veriſimiliter expectari, quam originem & cauſam certò futuræ rei prædictæ, ex tacita hypotheſi decreti Divini de illis in iſta contumacia deſerendis, ac permittendis *pravis ſuis conſilijs*, quale deſcribitur Pſal: LXXXI, 13.

Si enim ut ſuprà] Imò ſi ut ſuprà viſum Moſes ipſe hanc futuram defectionem Iſraelitarum non conjecturaliter & στοχαστικῶς, ſed infallibiliter, certò & δογματικῶς præſcivit atque prædixit ex patefactione Divina, quanto certiùs & infallibiliùs debuit eam ipſe Deus prænoſſe antequam eveniret? Nam propter quod unumquodque tale eſt, illud magis tale eſt, inquiunt Philoſophi. Quin inter prænotionem Moſis & Dei id inſuper erat diſcriminis, quod Moſes in communi tantum noverat populum defecturum; ſed Deus ſpeciatim, ubi, quomodo, quando & per quos authores & anteſignanos id eveniret, & inſuper quot & qui ex electione gratiæ, utcunque pauci, in ſuo fœdere eſſent permanſuri. Sic nonniſi indefinitè Paulus noverat quod ex ipſiſmet Presbyteris & Paſtoribus Epheſinis, lupi & ſeductores proditurі eſſent Act: XX, 29. 30. ſed Deus inſuper illos definitè & determinatè perſpectiſſimos habebat.

Quid mirum, cum] Sanè mirum non eſt Deum, cui omnia patent, æquè *aliorum populorum* ac Iſraelitarum quondam, *ſuam tam malitiam prædixiſſe*: Sed primò cum nihil mali fiat vel eveniat quod Deus pro ſua Sapientia & Potentia non dirigat ad bonum finem, quodque eo ipſo *ad decreta ſua perficienda* non adhibeat, hinc ſequitur nullius hominis malitiam non eſſe Deo perſpectam & prævisam ab æterno, cum omnium etiam malitioſiſſimorum *operâ ad decreta ſua perficienda* ſemper utatur actu, & uti antea conſtituerit. Secundò, cum Deo optimè conſtet, quomodo, quando & per quos *definitè* ſua decreta velit perficere, utique debet, non *aliquorum indefinitè*, ut nugatur Crellius, ſed ſignatè, definitè, & determinatè, malitiam futuram præſcire, eorum omnium & ſingulorum *quorum operâ ad decreta ſua perficienda uſurus* eſt; Filius perditionis qui Chriſtum erat proditurus, & calcaneum ſuum ſublaturus adverſus eum cujus panem comederat, non erat Deo, cum id prænunciari curabat, individuum vagum, ſed ſignatum & determinatum, ut & ipſi Chriſto ſimiliter etiam antequam ipſe Iudas conſilium tanti ſceleris iniviſſet: Et quamvis Nathan non nominaverit Abſchalomum 2. Sam: XII, 11. ſed indefinitè loquutus ſit de Davidis *proximo*, nemo tamen ſanus inde colligat, Deo nondum conſtitiſſe definitè quis ille futurus eſſet.

Quod ſi enim nos] Imò ſi nos *indefinitè* ſcire poſſumus aliquos homines fore peſſimos, etiam poſt multa ſæcula, ut ſemper illius mercis vilis eſt annona in hoc mundo, quanto magis ſtatuendum eſt Deo certò & *definitè* conſtare, quinam & quot nam illi ſint futuri, & quo genere malitiæ alios ſint partim preſſuri, partim ſuperaturi.

Intelligi ſimiliter & illud poteſt, quo pacto Deus Davidi olim quærenti (*1 Sam: 23. 11.*) utrùm cives Ceilæ ipſum in manus Saulis ſint traditurі, ſi eo in loco

ad illius

Digitized by Google

ad illius uſque adventum perſiſtat, reſponderit, eos tradituros. Eorum enim animos ita comparatos eſſe cernebat Deus, ut Davidem advenienti ac urgenti Sauli eſſent tradituri. & idipſum etiam revera tantùm quærebat David: non verò, quis omnino ſecuturus eſſet eventus. Aliàs facilè cogitare poterat, ſi nil aliud impediret, quominus eum Sauli traderent, Deum impedire poſſe. Quærebatur ergo περὶ τοῦ μέλλοντος, de re probabiliter eventura, atque adeò magis de diſpoſitione animorum Ceilenſium, & vi cauſſarum, quæ effectum illum parituræ eſſent, quàm de ipſo eventu.

‡ *Intelligi ſimiliter*] Vt hic locus neutiquam favet patronis ſcientiæ mediæ, ita continet potiùs revelationem occultorum, quæ jam tum erant, quam prædictionem futurorum, quæ adhuc eſſent in fieri: & revera quærebatur potius, *de diſpoſitione animorum Ceilenſium*, & eorum conſilijs ac machinationibus, *quam de ipſo eventu*; quod tamen nihil habet commune cum τῷ μέλλοντι Crelliano: Nec Deus propriè prædicit Davidi futurum ut Ceilenſes ipſum tradant Sauli ſi maneat, quaſi hic eventus eſſet conditionatè futurus; Sed 1. Indicat quid conſilij clancularij contra Davidem illi agitarent; 2. Oſtendit exinde quam præſens ipſi immineret periculum; 3. Hoc intentato periculo, illi author eſt ut ſe ſubducat, & ita corvos deludat hiantes, & Saulis machinationes ac Ceilenſium proditoria conſilia fruſtretur; quem eventum ſimpliciter & abſolutè futurum decreverat; ut hoc pacto oſtenderet nullum quantumvis ſagaciſſimum conſilium hominum, poſſe contra ſua decreta & conſilia prævalere, nullumque unquam tam præſentaneum adeſſe periculum cui ſuos, ſi ita videatur, facillimè eripere non poſſit.

Eodem modo & illud eſt intelligendum, quod Chriſtus dicit, (*Mat: 11. 21, & d.*) ſi ea miracula Tyri & Sidone facta fuiſſent, quæ ipſe certis quibuſdam in locis ediderat, urbes eas olim in cilicio ac cinere pœnitentiam acturas fuiſſe. nempe quia minùs contumaces fuerint Tyriorum & Sidoniorum animi, quàm Judæorum illorum, qui tot Chriſti miracula vidiſſent: adeo ut omnino credibile eſſet, Tyrios & Sidonios, ſtupendis Chriſti factis commotos, ad frugem redituros fuiſſe. De aliis quibuſdam ſcripturæ locis, quæ cum noſtra ſententia pugnare cuipiam videri poſſunt, agemus cap. ſeq.

‡ *Eodem modo & illud*] Neutiquam: Nam in præcedenti loco retegitur Davidi quod occultum erat, & eâ ratione ejus ſecuritati proſpicitur in tempore; At hîc nihil præſentis quod lateret alios revelatur, nihil etiam futurum & eventurum prædicitur: nec etiam propriè in præteritum declaratur, *Tyrios & Sidonios ſtupendis Chriſti factis commotos*, ſi ea vidiſſent, *ad frugem redituros fuiſſe*; Quanquam hæc aſſertio repugnet omnium Neopelagianorum ſententiæ, & gratiæ Divinæ particularitatem ac liberrimam diſpenſationem, reponat in arce; cùm nulla reddi poſſit ratio, cur illa miracula edita fuerint apud eos quibus non profuerunt ad converſionem, & minus contumacibus fuerint denegata, apud quos profutura

profutura fuiſſent: Sed Chriſtus hoc loci, odioſâ Iudæis comparatione & loquutione adagiali ac proverbiali, vult exaggerare contumaciam & rebellionem earum urbium quæ ſuis miraculis inclaruerant: eam enim ceu καρδιογνώςης noverat majorem & obſtinatiorem malitiâ & contumaciâ Tyriorum & Sidoniorum. Licet enim omnium hominum durities & contumacia originalis ſit æqualis, tamen dantur gradus comparativi in eorum duritie acquiſita & actuali: Perinde ergo facit Chriſtus ac ſi præceptor aliquis tarditatem & ſegnitiem ſuorum diſcipulorum increpaturus diceret, ô ſupina & tarda ad diſcendum ingenia!. Si enim apud ipſos ruſticos, barbaros & agreſtes homines, tot prælectiones & repetitiones rerum bonarum habitæ fuiſſent, jamdiu in viros eruditos evaſiſſent: Exemplum huic ſimile proſtat Ezech: III, 6. Quam autem ejuſmodi adagiales & populares loquutiones exaggerativæ; quæ aliquid habent hyperbolicum, non ſint nimis urgendæ & ultra ſcopum principalem dicentis, conſtare poteſt ex Matth: III, 9. XIX, 24. Luc: XIX, 40. Ioh: XXI, 25. Quapropter in illo loco Matt: XI, 21. & ſeq. circa cauſam & quæſtionem gratiæ nihil præſidij vel pro vel contra ſupereſſe arbitramur: Addo quod ſcire ſive noſſe in Deo & Chriſto quid facturi fuiſſent Tyrij & Sidonij, ſi miracula Chriſti frequentia vidiſſent, non tam pertineat ad ſcientiam liberam & viſionis, quæ propriè præſcientia eſt & circa futura verſatur, quam ad ſcientiam naturalem & ſimplicis intelligentiæ, quæ merè poſſibilium eſt.

De alijs quibuſdam] Et nos de illis ibidem Deo dante dicturi ſumus: Etenim nolumus eſſe nimium diligentes, aut miſeri ante tempus.

Expectabit hîc fortè quiſpiam, ut explicato ſcientiæ divinæ objecto, aliquid addamus de modo, quo ea circa illud verſetur. Verùm id, quod à nobis utiliter hac de re dici poſſe videtur, propè totum in iis continetur, quæ partim hucuſque de ſcientiæ illius objecto, partim ſuperiùs de intellectu divino diſſeruimus. Neque verò neceſſarium eſt modum ſcientiæ divinæ noſſe, modò de re ipſa conſtet. Sacræ ſanè literæ, ut ſuprà jam diximus, id maximè inculcant, ut credamus, Deum omnia noſſe, etiam occultiſſima, atque inprimis ea, quæ ad homines gubernandos, judicandos, juvandos, aut contrà etiam plectendos pertinent: de cognitionis illius modo vel tacent, vel pauca loquuntur, & obiter tantùm rem attingunt. Illud fortè ad modum quiſpiam retulerit, quo res etiam longiſſimè diſſitas cognoſcat Deus, quod apud Zachariam legitur, (*cap: 4. 10.*) cui in viſione ſeptem lucernæ ſuper candelabro aureo fuerant oſtenſæ: *Septem iſti oculi ſunt Domini, qui diſcurrunt in univerſam terram.* de quibus & in Apocalypſi legas. Nam & cap. 4. (*verſu 5.*) ait Johannes, ſe inter alia vidiſſe *ſeptem lampades ardentes ante thronum*, nempe Dei, *qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei.* & cap. 5. (*verſu 6.*) agnum, quem viderit, deſcribens ait, eum *habuiſſe cornua ſeptem, & oculos ſeptem: qui*
215. *ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſſi in omnem terram.* quibus in locis ad Zachariæ verba alludi, facilè quivis perſpicit. de iiſdem ſeptem Dei ſpiritibus legitur etiam cap. 1. (*verſu 4.*) ubi ab iis quoque gratiam & pacem Eccleſiis ſeptem Aſiaticis

Digitized by Google

ticis precatur Johannes, & eos in conſpectu throni Dei eſſe affirmat: & cap. 3. (*verſu 1.*) ubi Chriſtus ita inter alia ſe deſcribit, quòd habeat illos ſeptem Dei ſpiritus. Verùm quia inter ſac. literarum interpretes nondum ſatis conſtat, quid ſpirituum iſtorum nomine intelligatur; & plærique oculos non ideo dici exiſtimant, quia Deus aut Chriſtus per eos res longè diſſitas videat ac cognoſcat, ſed quia per eos nobis proſpiciat, noſque curet; ideo nos quoque rem in medio relinquemus, certi, ſacram ſcripturam hominibus piis crucem hîc non fixiſſe, nec ab iis exigere, ut iſta omnino intelligant.

‡ *Neque vero neceſſarium*] Imò tam impoſſibile eſt nobis noſſe *modum* quo Deus omnia ſcit, quam beſtijs impoſſibile eſt intelligere modum quo nos intelligimus & ſcimus.

Deum omnia noſſe] Atqui ad iſta etiam pertinent futura contingentia, & ipſæ actiones humanæ, utut maximè ſpontaneæ & liberæ.

Illud forte ad] Iure merito ſtatuitur Iohannes alluſiſſe ad Zachariæ verba, prout plurimæ ejuſmodi alluſiones ad dicta Prophetarum V. T. extant in Apocalypſi: Adeoque ſeptem ſpiritus, ſeptem lampades, ſeptem cornua & ſeptem oculi apud Iohannem, nullo modo de Angelis creatis poſſunt intelligi; ſed debent neceſſariò ipſummet Spiritum Sanctum, ejuſque virtutem, efficaciam & perſpicacitatem denotare, qui ſeptenario numero ob ſuam perfectionem exprimatur: Confertur autem ſpeciatim cum ſeptem lucernis & ſeptem oculis, tum quia ipſius vi Deus perſpicit & penetrat obſcuriſſima & diſſitiſſima quæque, eaque regit, tuetur, curat & dirigit potenter ac ſapienter in Eccleſiæ ſuæ bonum; tum quia ab ipſo eſt quicquid eſt perſpicacitatis, luminis & notitiæ ſalutaris in Eccleſia per univerſam terram.

Solet autem hoc loco diſtinctio explicari ſcientiæ divinæ à ſcholaſticis tradita, in naturalem, liberam, & mediam. Etſi verò non omnes eodem prorſus modo eam explicent; eò tamen ferè res redit, ut naturalem aut neceſſariam Dei ſcientiam ſtatuant illam, quâ is tum ſeipſum ſuaque attributa naturalia, tum res omnes poſſibiles, quà tales, ab æterno cognoverit. Liberam, quâ res à libera ipſius voluntate pendentes, vel olim ſimpliciter futuras præſcivit, vel nunc exiſtentes novit. Liberam autem ideo vocant, quia cum ipſarum rerum exiſtentia à libero voluntatis divinæ actu pendeat; conſequenter ipſam quoque ſcientiam inde pendere neceſſe eſt, nec ſimpliciter eſſe Deo neceſſariam. Scientia enim ab ipſa rerum exiſtentia ſive præſente, ſive præterita, ſive aliquando demum futura pendet, eamque, ut loquuntur, præſupponit. Quòd ſi ergo hæc non eſt ſimpliciter neceſſaria, nec illa erit. Mediam autem ſcientiam ſtatuunt, quâ Deus ſub conditione novit, quid futurum ſit aut fuerit. v. g. qnid Tyrii aut Sidonii fuiſſent facturi, ſi miracula illa inter ipſos fuiſſent edita, quæ in his illiſve Judæorum urbibus à Chriſto edita fuerant. quæ ſcientia ex neceſſaria & libera veluti mixta eſt: unde & media dicitur. Nam partim res aut futuras, aut jam exiſtentes ſpectat, par-

 tim poſſi-

Digitized by Google

tim poſſibiles: quorum hoc cum neceſſaria ſcientia commune habet, illud cum libera. Sed hæc ita libaſſe nobis ſuffecerit. Si quem enim ea diſtinctio in rebus ſacris uſum habet, eum percipere illi quoque poterunt, qui vel hæc pauca cognoverint. Si quis tamen plura deſideraverit, adire poterit Scholaſticos, & alios, qui de attributis divinis diſputant.

‡ *Solet autem hoc loco*] Quam libenter admittimus duo priora membra hujus diſtinctionis, tam evidenter per illa evertitur illud ipſum dogma impium quod hactenus Crellius tueri conatus eſt: Cùm enim Deus *omnes res poſſibiles quà tales ab æterno cognoverit* per ſcientiam naturalem, utique debuerit quoque ab æterno noſſe futura contingentia Socinianorum, ſi poſſibilibus ſaltem queant annumerari: Imò cùm ab æterno Deus naturaliter noverit omnes res poſſibiles, utique etiam ab æterno voluit & decrevit quid ex illis futurum & eventurum eſſet nec-ne, adeoque etiam ab æterno per ſcientiam liberam, omnes res futuras in tempore, certiſſimè præſcivit: Licet enim exiſtentia earum objectiva non fuerit ab æterno neceſſaria ſimpliciter, cum Dei decretum de illarum futuritione fuerit voluntarium & liberrimum, fuit tamen neceſſaria ſecundum quid, & ex hypotheſi illius decreti. Adde quod hæc dichotomia ita omne ſcibile exhauriat, ut futura contingentia ambitu ſuo neceſſariò complectatur: nam quà contingentia, meram habent poſſibilitatem, quà futura, ſimplicem & certam futuritionem.

Mediam autem ſcientiam] Hanc tertiam rotam in carruca, ignotam veteribus Scholaſticis, excogitarunt Ieſuitæ, (Molinâ, Leſſio & Fonſecâ, ejus inventi laudem ſibi reſpectivè vindicantibus) ut ſuum Pelagianiſmum ſubtiliùs tuerentur: Quapropter eam rejiciunt cordatiores Gratiæ Patroni in communione Pontificia, ut videre eſt apud Alvarez, Ripàm, Cumel, Nugnonem, Ianſenium & plures alios: Nec ſanè illâ opus eſt ullo modo, nequidam eo ſenſu quo hic à Crellio explicatur. Futura enim conditionata dicuntur, vel ex conditione duntaxat poſſibili ſive poteſtativa, nunquam tamen eventura, vel ex conditione certò ponenda & extitura: Priori ſenſu futura dici non poſſunt, cum revera nunquam futura ſint, & nullam futuritionem habeant; ſed ad merè poſſibilia, quibus non implicat fieri, ſunt referenda: Poſteriori ſenſu ſimpliciter & abſolutè ſunt futura, cum ex conditione certa certoque extitura ſuſpendantur: Si ergo quà poſſibilia conſiderentur, pertinebunt ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; ſi quà futura, ad ſcientiam liberam & viſionis. Ex adagiali & populari loquutione Chriſti de Tyris & Sidonijs, ſcientiam mediam non poſſe adſtrui, ſatis ſuprà indicavimus: Sed quamvis dicatur Deo conſtitiſſe quid illi facturi fuiſſent, ſi Chriſtus illa miracula edidiſſet apud eos quæ alibi præſtiterat, id pertinuerit ad ſolam ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quâ intellexerit poſſibile fuiſſe ſibi per miracula Chriſti illos convertere, multo faciliùs quàm Chorazinitas & Bethſaïditas eo temporis articulo, quia contumaciæ acquiſitæ gradus in his quam in illis major & obſtinatior fuerit: Quam vero hoc argumentum parum probet ſolum præconium externum adjutum miraculis, abſque auxilio gratiæ internæ & regenerantis ſufficere ad converſionem, alibi commodiùs explicabitur. Id ſaltem mirum nobis videtur, quod Crellius hanc trichotomiam ſic admittat, ut tamen futura ſua contingentia, adhuc velit ſubducta cognitioni Divinæ: Ita enim meris non entibus debebunt annumerari, ſi nec ad poſſibilia, nec ad futura

Digitized by Google

futura ſimpliciter, nec ad futura con- | ditionata pertineant.

Veniendum nunc eſt ad alteram ſapientiæ divinæ partem, quam practicam eſſe, & Sapientiæ nomine in ſac. literis potiſſimùm deſignari ſolere 216.
diximus. Etſi verò eam dicere poſſes vel ſcientiam, vel facultatem omnia & conſilia & opera aptiſſimè diſponendi, ac porrò etiam perficiendi: ex quibuſdam tamen ſacrarum literarum locis apparet, Sapientiæ nomine actum potiùs intellectus divini ſignificari, quo omnia aptiſſimè conſtituat, ac perficiat, atque adeò conſuetudinem quandam ſumma cum ratione, ordineque convenientiſſimo omnia & decernendi, & porrò etiam exſequendi. Salomon certè, cùm in Proverbiis (*Prov*: 8. 22, *& d.*) Sapientiam introducit loquentem, & ea ſibi tribuentem, quæ divinæ ſapientiæ magis ſunt propria, tanquam de divino quodam effectu loquitur. Ita enim illa de ſe ait: *Dominus poſſedit me initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio*, (Hebr. *ex tunc*, ſive *ab eo tempore*:) *ab æterno* (Hebr. *à ſeculo*) *ordinata ſum, & ex antiquis* (Hebr. *à principio*) *antequam terra fieret: nondum erant abyſſi, & ego jam concepta* (Hebr. *formata*) *eram: nec dum fontes aquarum eruperant; nec dum montes gravi mole conſtiterant; ante colles ego parturiebar* (Heb. *formata ſum.*) Ubi vides, ſapientiam dicere, ſe fuiſſe ordinatam, & quidem à principio, ſe fuiſſe conceptam aut formatam. quin & illa verba *Dominus poſſedit me*, in verſione interlineari Ariæ Montani, quæ Operi etiam Regio eſt inſerta, ita videas reddita: *Dominus acquiſivit me.* Nam & hanc ſignificationem habere verbum Hebraicum, quo Salomon utitur, omnes ejus linguæ non ignari nôrunt.

† *Ex quibuſdam tamen*] Sapientia Dei in Scripturis trifariàm dicitur; I. Communicativè & originaliter, pro ea rerum bonarum & ſalutarium cognitione quæ hominibus confertur à Patre luminum & ab eo ſolo petitur & obtinetur Iac: I, 5. II. Subjectivè & eſſentialiter, pro ea Dei proprietate quâ & omnia novit, & omnia facit in numero, pondere & menſura. Hoc autem ſenſu non convenit Deo per modum *actus*, multo minus per modum *conſuetudinis* omnia ſapienter & convenienter ſtatuendi & faciendi; ſed potius per modum vel *facultatis*, vel *habitus* inſiti, qui præeſt & moderatur omnibus ipſius conſilijs & operibus, & ex quo ſemper agit. III. Perſonaliter & ſubſtantivè, pro ſecunda perſona S. Trinitatis, ideſt Dei Filio æterno, qui non modo ὁ λόγος nominatur Ioh: I, I. ſed etiam diſertè *Sapientia* appellatur Matth: IX, 19. Luc: VII, 35. XI, 49. Et ſanè quod de Sapientia Dei hoc ultimo loco dicitur, affirmat Chriſtus diſertè de ſeipſo Matth: XXIII, 34. Nec potuiſſet ipſe nobis fieri Sapientia à Deo I. Cor: I, 30. niſi æterna Patris Sapientia & intelligentia perſonalis fuiſſet. Atque hoc ſenſu Salomon loco hic citato nomen Sapientiæ uſurpavit: nec de ea loquitur, *tanquam de divino quodam effectu* extra Deum, ut ſomniat Crellius; niſi forte quo ſenſu Veteres Theologi Patrem dixerunt αἰτίαν καὶ πηγὴν, cauſam & fontem Filij, & Filium αἰτιατὸν ſive cauſatum

Digitized by Google

Patris appellarunt; ſed tanquam de Divina perſona, à Patre progenita ab æterno: Et ſi quis contulerit quod habet Salomon cum initio Euangelij ſecundum Iohannem, facilè deprehendet eadem dici à Iohanne de Filio Dei ſub λόγυ nomine, quæ de Sapientia Divina à Salomone dicuntur; nam & is fuit apud Deum in principio, & per eum omnia facta ſunt, & abſque eo nihil factum eſt. Et cum Sapientia apud Salomonem nequeat ſumi, primo vel ſecundo ſignificatu, neceſſe eſt ut tertium retineat. Primum autem non poteſt admittere, quia Sapientia quæ communicatur ad extra hominibus, non poteſt ſtatui æterna: Neque ſecundum; quia nullum attributum Dei eſſentiale, potuit *edi*, vel *inungi* ſive inaugurari ab æterno.

Ubi vides Sapientiam] Optimè Vatablus illud *ordinata ſum*, interpretatur, *Principatum habui*, vel *Princeps facta ſum*, quod & noſter Iunius benè expreſſit dicendo, *Ante ſeculum inuncta fui*; & Pagninus, *A ſeculo habui principatum*: Quod ut perſonale eſt, ita apprimè convenit Dei Filio, conſtituto hæredi omnium Heb: I, 2. & primogenito omnis rei conditæ Col: I, 15. unde & Ioh: XVII, 5. repetit eam gloriam quam habuit apud Patrem priuſquam mundus fieret. Quod vero dicitur eadem Sapientia *concepta* ſive *formata*, vel ut Iunius habet *edita*, fuiſſe cum *nondum eſſent* abyſſi, ejus perſonalitatem amplius adſtruit; præſertim ſi attendatur ad vocem Hebraicam חוללתי *Cholalthi*, quæ commodiſſimè reddi poteſt *genita ſum*; ut factum à Chaldæo paraphraſte & interpretibus Græcis; nam & eandem habet ſignificationem Pſal: LI, 7. Sic enim deducimur ad illam æternam, inenarrabilemque Filij Dei generationem ex Patris eſſentia, cujus reſpectu *proprius* & *unigenitus* illius tam frequenter appellatur. Et ſanè vocabulum *parturiendi* minus commodè hic adhibetur à Vulgato interprete; cum verbum ipſum חולל *Cholel*, quod eſt Pihel à חול *Choul*, non modò *parere*, ſed etiam *gignere* ſignificet, ut Buxtorfius obſervat in *Lexico*.

Quin & illa verba] Quocunque modo id ſumatur, benè conveniet Dei Filio: Nam & Pater Filium ſuum unigenitum *poſſedit* ab æterno, eo quod ſemper fuerit apud Deum & in ſinu patris, Ioh: I, 2. 18. & eum ſibi *acquiſivit*, illum gignendo ex ſua ſubſtantia; quo ſenſu Eva dicebat in primogenito ſuo ſe virum *acquiſiviſſe* à Iehova Gen: IV, I. & cantat David Pſal: CXXVII, 3. *Ecce poſſeſſio Iehovæ ſunt filij, merces eſt fructus ventris.*

Nec mirum, Græcos interpretes ita locum vertiſſe: *Dominus creavit me.* quod imitatus eſt & Siracides, dum ita Sapientiam introducit loquentem: (*Sir: 24. 14.*) *Ab initio ante ſecula creata ſum*: & paulò antè, (*verſu 12.*) *Conditor univerſi mandatum mihi dedit, & creator meus domicilium meum conſtituit*, ut ex Græco locum recentiores quidam interpretes verterunt. & cap. I. (*verſu 4.*) dixerat idem Auctor: *Prior*, vel *prima omnium creata eſt ſapientia.* Unde etiam non defuerunt viri doctiſſimi (*vid. Philipp: Melanchton ad locum Prov: 8. 22. & ad cap: 3.*) qui verba illa Salomonis ab Arianis ad Filium Dei detorta eſſe conqueſti, cenſuerunt, de ea tantùm ſapientia, quæ hominibus à Deo communicata ac patefacta fuerit, h. e. de verbo Dei, aut cognitione voluntatis ipſius, in verbo ejus comprehenſa, ſermonem hîc eſſe. Hanc ſapientiam à Deo ante ſecula veluti formatam ac mente ejus conceptam, ab eo poſtmodum in homines

Digitized by Google

in homines dimanaſſe. Cui ſententiæ vehementer favere videntur Siracidæ verba, qui cùm Salomonem ſequutus Sapientiam introduxiſſet laudes ſuas prædicantem, ſubjicit: (*Sir: 24. 32, 33.*) *Hac omnia liber vita, & teſtamentum altiſſimi, & agnitio veritatis. Legem mandavit Moyſes in preceptis juſtitiarum, & hereditatem domui Iacob, & Iſrael promiſſiones.* vel, ut eſt in Græ- 217.
co: *Hac omnia liber ſunt teſtamenti Dei altiſſimi. Lex quam mandavit nobis Moyſes, [quaſi] hereditatem in congregationibus Iacob.* Unde & ſuprà dixerat, Deum ſapientiæ præcepiſſe, ut in Jacobo habitaret, & in Iſraële acciperet hæreditatem.

‡ *Nec mirum, Græcos*] Sanè nec mirum foret Græcos interpretes non plenè aſſequutos fuiſſe hoc loco mentem Spiritus Sancti, cum Prophetæ non fuerint, & pluribus in locis eos cæſpitaſſe certum ſit, nec jure potuerunt ex illa interpretatione argutari Arriani quo peſſimam ſuam cauſam tuerentur: cum illud ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, optimè poſſit reddi, *creavit me*, quomodo nempe creantur etiam Magiſtratus, *Principium* vel *Principem viarum ſuarum*, ideſt me præfecit ſuis operibus; prout Col: 1, 15. 16. ipſe Chriſtus dicitur πρωτότοκος πάσης κτίσεως *primogenitus*, ideſt Princeps & ἀρχὴ, *omnis creatura*, eo quod ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα, *per eum omnia condita ſunt.* Addo quod tantum hoc loco & Gen: XLV, 19. 22. Interpretes Græci verbum קנה *Cana* per κτίζω reddiderunt; commodè tamen in Geneſi, quod poſſeſſio & dominium cœli & terræ Deo conveniat creationis jure: Niſi dicamus, utrobique verbum ἔκτισε irrepſiſſe in textum Græcum loco verbi ἐκτήσατο, quod eſt *poſſedit, acquiſivit*, cùm aliàs ſæpiſſimè verbum קנה *Cana* per κτάομαι redditum ſit.

Quod imitatus eſt & Siracides] Parùm movemur autho·itate Syracidis, ſcriptoris Apocryphi, neque θεοπνεύστοις annumerandi: Nec etiam de eadem Sapientia cum Salomone loquitur: Hic enim Sapientiæ nomen ſumit in tertio ſignificatu quem ante propoſuimus, at ille in primo; hoc nomine intelligens ſapientiam illam quam Deus Legis conditor in ſuo verbo Iſraeli communicare dignatus eſt. Quo ſenſu etiam dixit Plato, ἡ θεοῦ γνώσις ϲοφία ἐστὶ καὶ ἀρετὴ ἀληθινή. Adhæc apud Syracidem verbum *creandi*, poteſt generaliùs uſurpari, ut eo ſignificetur quod Sapientia fuerit vel ſubſtiterit ab æterno, non vero quod ex nihilo producta fuerit; ſive quod principium habeat ordinis & originis, non eſſentiæ & durationis; ſaltem ubi dixit, προτέρα πάντων ἔκτισαι ϲοφία; ſubdit enim illicò, καὶ ϲύνεσις φρονήσεως ἐξ αἰῶνος; nec enim creatum poſſet propriè ſtatui quod ſimul ab æterno extitiſſe diceretur.

Unde etiam non defuerunt] Injuria hìc fit candidiſſimo Melanćthoni, qui ſic queritur de Arrianorum paralogiſmo ex vitioſa interpretatione Salomonis, ut tamen & *in cap.8. Prov.* & in *Propoſit. de Eccl. eadem parte ſec. operum ſuorum*, conceptis verbis pertendat Sapientiam hìc intelligi perſonalem, æternum Dei Filium, cujus incarnatione eadem Sapientia fuerit hominibus communicata ad ſalutem.

Cui ſententiæ] Sed jam diximus Syracidem alio ſenſu quam Salomonem vocem Sapientiæ uſurpare, adeoque fruſtrà hunc per illum explicari.

Illud certum eſt, ideo & Salomonem & Siracidem tantopere commendaſſe Sapientiam, ut ad eam diſcendam ac comparandam homines incitaret, ut dubitandum non ſit, utrumque præcipuè de illa ſapientia laborare, quæ à Deo in homines proficiſcitur, & cum illis communicatur. Interea tamen & illud ex utriuſque dictis apparet, ut tantò major atque illuſtrior ſit ſapientiæ hujus commendatio, eam cum divina, utpote genere quodammodo eâdem, conjungi, & ſic de utraque in genere, ſeu abſtracte, ut loquuntur, ita differi, ut nunc ea illi tribuantur, quæ divinæ, nunc illa, quæ humanæ, à Deo tamen veluti à fonte ſuo profectæ, magis ſunt propria. id quod doctiſſimus quidam inter Pontificios Proverbiorum Salomonis interpres eruditè in Commentariis ſuis explicuit: (*Cornel: Janſenius S. Theol. Lovanii Profeſſor, deſign: Epiſcopus Gandenſis. vid: quæ dicat ad Prov: 8. 1, & 22.*) qui proinde & illud unà cum aliis quibuſdam animadvertit, Salomonem per proſopopœiam de ſapientia loqui, quaſi eſſet perſona aliqua, & res à Deo ac hominibus diſtincta. Quia enim, ut idem ſcribit, cap. 7. introduxerat Salomon mulierem procacem, invitantem ad ſe juvenes ſermone blando & petulanti; cap. 8. è regione ejus convenienter introducit ſapientiam, velut alteram mulierem, invitantem homines ad ſe ſermone, qui meritò efficacior eſſe deberet, cùm ex perſonæ invitantis probitate, integritate, & excellentia, tum ex fructu, quem adfert ſequentibus ſe. Ad excellenlentiam autem & antiquitas pertinet, ac natalium ſplendor, & res præclarè geſtæ. Ideo in verbis illis cap. 8. Prov. (*verſu 22.*) quæ ab initio adduximus, & ſequentibus, Sapientia & antiquitatem ſuam, & natalium ſplendorem, & opera ſua inſignia ad ſui commendationem adfert, ſeque ante mundi creationem à Deo formatam aſſerit; apud eum ſe in deliciis fuiſſe; operibus ejus omnibus adfuiſſe; coram eo, ut filioli aut filiolæ teneræ coram parentibus ſolent, luſiſſe. nimirum quia Deus ſapientiſſimo ſuo conſilio omnia ita pulchrè ab ipſo ſtatim initio conſtituit & conſtruxit, ut operibus ipſe ſuis delectaretur, videns ea eſſe valde bona, & ad id, quod quærebat, aptiſſima. Inde porrò ait, ſe luſiſſe in orbe terrarum, & delicias ſuas fuiſſe, atque adhuc eſſe, cum filiis hominum. nempe quia Deus eâdem ſapientiâ in regendis ac gubernandis hominibus uſus ſemper fuerit, & eam cum hominibus libenter communicaverit, atque adhuc communi-
218. cet, & vehementer cupiat, eam ipſorum animis penitùs inſertam. Similem proſopopœiam de ſapientia invenies ſuprà cap. 1. 20, & d. quin eadem ratione contrariam ſtultitiam introducit Salomon inſtar perſonæ cujuſdam cap 9. nempe poſt abſolutam hanc, de qua agimus, proſopopœam. Plura hac de re dici poſſent, ſi id inſtituti noſtri ratio ferret. nec tamen omittenda hæc fuerunt, ut & nobiliſſimus hic locus de Sapientia agens, quem vulgaris in-

terpretatio

terpretatio tenebris involvit, aliquid lucis acciperet, & illud intelligeretur, quod ſuperiùs aſſeruimus, Sapientiam hanc, quæ in efficiendo atque agendo eſt occupata, alicubi ſaltem pro effectu quodam intellectus divini ſumi. quod meritò etiam ſtatui poteſt de illis Pauli verbis, (*Epheſ. 3. 10.*) ubi ſapientiam Dei multiformem vocat, eamque ab illo demum tempore principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam, ſeu ea, quæ circa Eccleſiam fierent, innotuiſſe ſignificat.

‡ *Illud certum eſt*] Hunc ſcopum utrique eſſe fateor, ſed non eodem modo: Subſiſtit enim Syracides in laudibus Sapientiæ quæ divinitùs communicatur hominibus; At Salomon aſcendit altiùs: & illius originem indagaturus, de perſonali Dei Sapientia diſſerit, ideſt de æterno Dei Filio, per quem Pater omnia fecit ſapientiſſimè, & omnem ſuam voluntatem revelat hominibus, ut ſapiant ad ſalutem. Hoc ſenſu & doctrina Chriſti, & ipſius perſona, *arbor vitæ eſt prehendentibus eam*, Prov: III, 18. Apoc: II, 7.

Eam cum divina] Sed Syracides magis ſpectat Sapientiam Divinam ſubjectivè & eſſentialiter ſic dictam, ut eſt מדה *Middath*, ſive attributum Dei eſſentiale, quod Kabbaliſtæ inter decem ſuas *Sephiroth* annumerant; Salomon vero magis ſpectat Sapientiam Dei ſubſtantivè & perſonaliter dictam; cum illi omnia perſonalia tribuat, ut modò viſum, & talia quæ in nullum Dei attributum eſſentiale cadere poſſunt.

In genere, ſeu abſtractè] Sanè Salomon verbis antè citatis non loquitur de Sapientia in abſtracto, ut quadantenus communis eſſe poteſt Deo & hominibus, ideſt complecti analogicè Sapientiam increatam & creatam; ſed de Sapientia increata & perſonali, cui ſoli ea convenire poſſunt quę ibi leguntur; quamvis de ea ſic diſſerat, ut velit homines ab ea expectare & conſequi quicquid Sapientiæ ipſis eſt communicabile & neceſſarium ad benè beatèque vivendum.

Id quod doctiſſimus] Nec tamen ille negat etiam hoc Salomonis dictum ad Dei Filium pertinere: Et qui *proſopopœam* apud Salomonem cum Ianſenio comminiſcuntur, ut Tirinus, agnoſcunt tamen, *aptiſſimè omnia quadrare in Sapientiam Divinam incarnatam, ideſt in Chriſtum*, de quo etiam *hunc locum exponunt Athanaſius, Cyrillus, Nazianzenus, Auguſtinus, Beda & reliqui Patres & Doctores.* Verum non magis hîc adhærendum Pontificijs Commentatoribus, ſtatuentibus *Salomonem per proſopopœam de Sapientia loqui*, quam Salazari, inter eos, multifariàm dicta Salomonis, de *Virgine Deipara* valdè perperam, ut molliſſimè dicam, interpretanti. Quid quod proſopopœa etiam hic poſset aliqualis concedi, non quidem ea quâ perſonalia tribuantur non perſonæ, ſed ea quâ perſona loquens & ſeipſam magnificè deſcribens inducitur: quod proſopopœæ genus ad *figuras ſententiæ in logiſmo* refert Salomon Glaſſius *Philol. ſac. lib. 5. tract. 2. cap. 4.*

Quia enim] At non ſtatim debet eſse par ratio capitis VIII. quæ VII. nec mulier procax capitis ſeptimi, debet neceſsariò per proſopopœam vel voluptatem vel ſtultitiam denotare; ſed indefinitè quamlibet meretricem & adulteram, adverſus cujus molimina & blanditias, non ſit tutius remedium', quam in ſolidæ Sapientiæ ſtudio & cultu; Cùm autem ſolida hæc Sapientia non aliunde poſſit haberi quam à Deo Patre Luminum, ideo cap. VIII. Salomon introducit Patris Sapientiam æternam quoſlibet homines ad ſe comiter invitantem, ſummaque ſua beneficia illis offerentē, quod etiam fecit ipſe Chriſtus in diebus carnis ſuæ Matth:

Digitized by Google

ſuæ Matth: XI,28.29. Ioh VII,37.38. & quotidie facit promulgatione verbi ſui per Miniſtros Euangelij. Quod vero inſtar *mulieris* deſcribitur, non tam pertinet ad ἀντίθετον meretricis propoſitæ capite VII. quam ad rationem Grammaticam, quoniam ipſa vox חכמה *Chocma* eſt fœminini generis; In his autem meminiſſe decet regulæ Theologicæ, quod θεοπρεπῶς ſint intelligenda quæ ἀνθρωποπαθῶς Deo tribuuntur in ſacris litteris.

Ideo in verbis illis] Atqui ſanè nihil his ineſt quod non poſſit commodiſſimè de perſonali Sapientia Patris, ideſt æterno Dei Filio, intelligi. Meritò ſe dicat *editam*, ſive *genitam* (potius quam *formatam*) *antè creationem mundi*, quia revera illius *exortus inde à principio, à diebus ſæculi ſunt* Mic: V, 2. Meritò dicat *apud eum ſe in delicijs fuiſſe*; (quamvis eam pericopam haud incommodè ſic traduxeris ut à Iunio factum; *Cum itaque ſim apud eum, educans*, ideſt res creatas conſervans, ac nominatim Eccleſiam alens verbo & ſpiritu, *& ſim deliciæ quotidianæ*, ſupple credentium in me, eos *lætificans in eo omni tempore*:) Nam & ſermo erat *apud Deum* Ioh: I, I. & Chriſtus eſt *dilectus* ille Patris filius *in quo acquieſcit* Matth: III, 17. Ioh: V, 20. VIII, 29. Meritò dicat ſe *operibus ejus omnibus adfuiſſe*; quia *omnia per ipſum facta ſunt & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum ſit* Ioh: I, 3. Meritò dicat, ſe *coram eo, ut filioli aut filiolæ teneræ, coram parentibus ſolent, luſiſſe*; (quamvis tamen hoc non dicat, nec extet in Salomone, ſed ad paraphraſim Crellianam pertineat) quia revera ſemper filius fuit *in ſinu patris* Ioh: I. 18. ut ſolent infantes tenerrimi & chariſſimi; quod liquet ex 2. Sam: XII, 3.

Nimirum quia Deus] At quam ea quæ ipſe Crellius refert multo amplius ſonent, nemo eſt qui non videat. Nec enim fuit hæc ſumma Sapientia Patri ſuo in delicijs demum poſtquam opera ſua peregit & ijs ceu ſapienter factis delectari cœpit; ſed jam genita erat, jam apud eum erat, jam ipſi erat in delicijs, antequam operibus ſuis manum admovere cœpiſſet: & valdè mirus foret illius conceptus qui diceret de artifice in ſuo opere acquieſcente, ſapientiam & induſtriam ipſius per id *coram eo ludere, ut filioli aut filiolæ teneræ coram parentibus ſolent*.

Inde porrò ait] At ſive activè id ſumatur cum Iunio, quod ſumma ſapientia *lætificet in orbe habitabili terram ejus atque delicijs ſuis filios hominum*, (verbum *ludendi* licet à Vulgato interprete adhibitum, minus hîc aptum eſt; ideo Græci non uſi ſunt verbo παίζειν quod eſt *ludere*, ſed verbo εὐφραίνεσθαι, quod eſt *delectari*,) ſive ſumatur paſſivè, quod delectetur in orbe habitabili, ejus conſervationi, regimini, redemptioni proſpiciendo, ejuſque ſint deliciæ eſſe cum filijs hominum, utrumque æterno Dei filio apprimè conveniet: Nam ut nulla major delectatio & conſolatio poteſt obvenire mortalibus quam in illo & per illum, ſic nulla re amplius ipſe delectari videtur quam hominum ſalute, communione & conſortio, prout ideo *ſermo factus eſt caro & habitavit inter nos* Ioh: I, 14. adde locum Matth: XXIII, 37. Sed abſurdè adverſarius, quod ipſi Sapientiæ tribuitur à Salomone, traducit ad Dei ſtudium, quo homines erudire & ſapientes reddere vehementer cupit.

Similem proſopopœam] Verùm nulla ratio perſuadet ut hoc loco Prov: I, 20. & ſeq. ad proſopopœam recurramus, cum æquè benè ac caput VIII. de Patris Sapientia perſonali & æterna poſſit intelligi, nam & voce Miniſtrorum ſuorum, quorum *ſonus exivit in omnem terram* Rom: X, 18. peccatores ad officium fidei & reſipiſcentiæ ſolemniter revocat Luc: XXIV, 47. & contumacibus atque impœnitentibus minatur & denunciat extremas calamitates, in quibus eos non dignabitur agnoſcere; ſed profitebitur illis, *Certè nunquã novi vos*;

diſcedite

Digitized by Google

diſcedite à me qui operam datis tranſgreſſioni legis Matth: VII, 23.

Cùm eadem ratione] At nulla eſt hæc conſequentia, Inſipientia per proſopopœam deſcribitur cap. 9. ſub imagine mulieris fatuæ, ergo quæ de Sapientia ſumma dicuntur cap. 1. 8. & 9. non debent ſumi perſonaliter de æterno Dei filio, in quo ſunt *omnes theſauri ſapientiæ ac notitiæ abſconditi* Col: II, 3. ſed per proſopopœam de Sapientia in abſtracto, quà divina, quà humana, intelligenda ſunt: Nam quæ habet Salomon de ſumma Sapientia, talia ſunt quæ nec humanæ ut hominibus communicatur a Deo, neç Divinæ ut ipſi Deo ἰσιαδῶς & attributivè convenit, queant citra violentiã accommodari. Adhæc perinde hic argumantur adverſarij, ac ſi dicerent per proſopopœam intelligi debere quæ in Apocalypſi de agno & Chriſto dicuntur, quia ſpecies eſt proſopopœæ quod Babylon ejus adverſaria, ſub muliebri & meretricio habitu ibidem deſcribitur. Et longè probabilius eſt hanc proſopopœam mulieris fatuæ adhiberi à Salomone, ut elegantiùs perſonam perſonæ, qualis revera eſt Sapientia ſumma, opponeret. Ita veteres conſilia nobilis juvenis egredientis ex ephœbis, ideſt indefinitè perſonæ humanæ, explicaturi ſub Herculis nomine, illi duas per proſopopœam apponunt mulieres, quarum altera virtutem, altera voluptatem exprimit: & vel pueri norunt induſtriam & elegantiam ænigmatis ſive tabulæ Cebetis Philoſophi, in qua unus homo propriè loquendo vera perſona eſt, ſed Avaritia, Ambitio, Luxuria, Eruditio, Tolerantia &c. quibuſcum illi eſt negotium, per proſopopœam & muliebri habitu deſcribuntur.

Plura hac de re] Non tam loci hujus explicationem intendebat adverſarius, quam æternæ divinitatis Chriſti impugnationem, ineptis ſuis meditationibus hauſtis ex Socino *contra Wiekum cap. 7.* tenebras offuſurus vulgari Chriſtianorum interpretationi, in qua omnia ſunt plana & dilucida.

Quod merito etiam] Agnoſcò in Paulo hic loci evidentem metonymiam cauſæ pro effectu: Nam Sapientia πολυποίκιλος dicitur pro effectis & operibus varijs Sapientiæ Divinæ in redemptione noſtri per Chriſtum: Sed nemo ſanus hunc locum poterit conferre cum dictis Salomonis, apud quem ſimilis metonymiæ ne umbra quidem poteſt excogitari; cùm Sapientiam Dei manifeſtè diſtinguat ab illius operibus, & ejus genituram, productionem, ſubſiſtentiam, diſtinctè à Patre, priorem faciat omni operatione Dei ad extra, adeoque ſimpliciter æternam.

Diximus autem jam ſuprà, hanc ſapientiam omniſcientiâ Dei niti, & ex ea veluti enaſci. Cum enim ea partim in conſiliis, partim in ipſis actionibus rectè ac convenienter inſtituendis cernatur; quid ad eam rem illi deeſſe poteſt, qui omnia habet exactè cognita? Siquidem ad conſilia rectè inſtituenda requiritur, ut & finis proponatur bonus; & media deligantur, ac modus illis utendi, ad finem obtinendum aptiſſimus, ſive ſimpliciter, ſive illi, qui conſilium exſequi debet. Ad actiones autem rectè inſtituendas id ſolum eſt neceſſarium, ut quod rectè conſtitutum eſt, aut inter agendum conſtituitur, eodem modo fiat, nec quicquam per errorem omittatur. Ad hoc verò quid deeſſe poteſt illi, qui omnia penitus novit, qui quid bonum, quid malum, quid melius aut deterius, quid ad quamque rem accommo-

datius, aut minùs accommodatum, quæ rerum vires, quis cauſſarum atque effectuum nexus, quis ordo, quæ circunſtantiæ ſingulorum, penitùs habet exploratum? Quo autem pacto in ſingulis operum generibus verſetur hæc Dei ſapientia, id explicare hujus loci non eſt. Pertinet enim id, quatenus ad religionem ſpectat, ad tractationem Operum divinorum, ex quibus & de conſiliis judicare licet. De operibus autem Dei in ſequentibus libris agetur.

Illud tamen hîc monendum videtur, Deum ad conſilia ſuâ exequenda non ſemper ea adhibere media, quæ ſuâ naturâ ad rem perficiendam ſint aptiſſima ac validiſſima: ſed ſæpè etiam ea, quæ per ſe imbecilla atque inepta eſſe videantur, & nonnunquam ei, quod agere inſtituit, quodammodo contraria. Neque interim à ſapientiæ lege quicquam diſcedit. Iſpe enim me-
219. diis per ſe invalidis robur, ineptis aptitudinem indere, *& omnia in contrarium flectere facilè poteſt: & quò media videntur eſſe, imò per ſe ſuâque naturâ ſunt ad rem perficiendam minùs idonea, tantò ſæpè ſunt ei, quod Deus ſpectat, aptiora. Solet enim id ſæpè quærere Deus, ut ratio conſiliorum ſuorum minùs quidem initio pateat; tandem verò, ubi res perfecta fuerit, tantò magis appareat, à divina eam manu fuiſſe profectam, non humanis viribus, non naturali aliqua ratione perfectam. Ita enim fit, ut nihil ſibi laudis humana potentia decerpat, nihil humanum ingenium ſibi arrogare queat; imò potiùs ii, qui ſapientiæ opinione tument, & ad carnalis prudentiæ rationem res divinas exigunt, ſtulti evadant, ſeque ipſi conſiliis ſuis implicent. Quia enim aliâ longè viâ ad ſcopum ſibi præfixum progreditur Deus, quàm illi putarent eſſe progrediendum, imò ratione utitur carnalibus illorum conſiliis planè contrariâ; inde fit, ut Dei conſilia, licèt certiſſimis documentis comprobata, non modò non aſſequantur, ſed etiam tanquam prorſus inepta repudient, & porrò, cùm ea non ſequantur, interitum ſibi accerſant voluntarium. quod quid eſt aliud, quàm ob ſapientiam ſtultum fieri, & nimiùm intelligendo facere ut nihil intelligas? Hac de re non pauca diſſerit Paulus in tribus primis Epiſtolæ prioris ad Corinthios capitibus, ut alia nunc ſcripturæ loca prætercam. (*vid: cap: 1. 18, & d. uſque ad finem capitis. c. 2. 6, uſque ad finem; cap. 3. 18. vid: etiam Eſa: 29. 14.*) Atque hanc divinæ ſapientiæ rationem in rejectione Judæorum, converſione autem Gentium, cùm conſideraret atque explicuiſſet idem Apoſtolus ad Romanos ſcribens, (*cap: 11. 33, 34.*) admirabundus exclamat: *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles* (ſeu *imperveſtigabiles*) *viæ ejus! Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo* (Gr. *in ipſum*) *ſunt omnia: ipſi gloria in ſecula. Amen.*

Reſtat

Digitized by Google

Reſtat nunc, ut de uſu hujus doctrinæ dicamus. Is verò eſt admodum inſignis & neceſſarius. Nam quod ad omniſcientiam divinam attinet; ideo ea animis noſtris penitùs infixa eſſe debet, primùm ut Deo ſive futura nobis prædicenti, ſive alia occulta nobis patefacienti, indubitatò credamus: quandoquidem falli nequaquam poſſit ob omniſcientiam; uti nec fallere, ob immutabilem ſanctitatem, cujus pars eſt veracitas ac fides, de qua in ſequentibus. Deinde, ut Deum, prout par eſt, revereamur, cum metu ac pudore, cum ſumma animi ſimplicitate ac ſinceritate ei ſerviamus, & non externa tantùm facta, hominumque oculis ſubjecta, ſed & occulta, atque 220.
adeo ipſa animi cogitata, ad ejus præſcriptum componamus. Hoc enim tum demum faciemus, ſi firmiter crediderimus, omnia cernere vindicem Dei oculum; non factum noſtrum ullum, non dictum, non conſilium animi, ipſum latere; omnia nuda atque reſupinata coram oculis ejus eſſe. Quis enim tam ſanctum numen non revereatur? quis auſit aliquid indecori, nedum impii, vel animo concipere, vel ore proloqui, vel opere deſignare, qui ſe in Dei oculis verſari ſemper cogitet? qui cogitet, eum, cùm leges non tantùm factis noſtris, ſed & cogitatis præſcripſerit, & præmia iis ac pœnas conſtituerit, eorundem arbitrum eſſe, & nullo alio teſte indigere, ſed ipſum certiſſimum ſimul eſſe teſtem, & judicem juſtiſſimum. Quis item auſit aliud linguâ promtum, aliud pectore clauſum habere, & in fidei aut pietatis ratione ullâ uti ſimulatione, qui Deum corda noſſe, & non faciem, ut homines ſolent, ſed animum ſpectare intelligat? Nulla igitur impietas, nulla ſecuritas, hypocriſis nulla, locum ibi habet, ubi firma eſt de omniſcientia Dei perſuaſio ac fides. Hanc qui habet, is demum credet vera eſſe, quæ ſacræ literæ teſtantur, (*Rom: 2. 16.*) Deum occulta hominum per Jeſum Chriſtum eſſe judicaturum; & porrò Chriſtum, qui à Deo conſtitutus eſt judex vivorum ac mortuorum, (*Act: 10. 42.*) ut munus hoc rectè obire poſſit, ſcrutari corda ac renes, (*Apoc: 2. 23.*) & aliquando illuminaturum abſcondita tenebrarum, & manifeſtaturum conſilia cordium, & tunc laudem fore unicuique à Deo. (*1 Cor: 4. 5.*)

Sed deinde non tantùm ad metum numinis nobis incutiendum, ſed etiam ad animos noſtros conſolandos, & ſpem noſtram fovendam, conſideratio omniſcientiæ divinæ plurimùm facit. Nam primùm ſolatur nos adverſus perverſa hominum de nobis factiſque noſtris judicia, & varias, quæ de Chriſtianis hominibus ſpargi ſemper conſueverunt, calumnias, atque atrociſſimas criminationes. Cum enim Deus omnia nôrit, non eſt metuendum, ne nobis iniqua hominum judicia apud ipſum noceant. Nullus in ipſius judicio falſus teſtis ſurgere, & opprimere quenquam calumniâ poteſt. Itaque modò mens recti ſibi ſit conſcia, omnia hominum mendacia, obtre-

Digitized by Google

ctationes ac calumnias contemnere poteſt, & innocentiâ ſuâ involvere, in eâque ſecurè conquieſcere, & ſperare, Deum innocentiæ vindicem, eam aliquando in apertum producturum. quâ ſpe ſe non ſemel ſolatur in Pſalmis David, & Deum innocentiæ ſuæ teſtem invocat, eique cauſſam ſuam committit. (*Pſal: 7. 9, & d. conſ: & verſu 4, & d. & Pſal: 117. 1, & d. ult: & 18. 21, & d. & 26. 1, & d. & 35. 23, 24. & 43. 1. & alibi.*) Huc etiam reſpicere videtur Chriſtus apud Matthæum, (*Mat: 10. 26.*) dum diſcipulos adverſus homi-
221. num odia & contumelias obfirmat, & inter alia ait: *Nihil eſt opertum, quod non revelabitur; & occultum, quod non ſcietur.* Deinde & eatenus nos ſolatur, ac ſpem noſtram alit de omniſcientia divina cogitatio, quatenus inde conſtat, Deum preces noſtras audire atque intelligere, quocunque loco aut tempore fuſas; nec preces tantùm verbis conceptas, ſed & tacita animi noſtri vota atque ſuſpiria; quin etiam, ut Chriſtus monet, (*Mat: 6. 6, 7.*) antequam oremus, eum ſcire, quibus indigeamus rebus. Itaque etiamſi nec ſatis explicare oratione poſſimus, quid cupiamus; nec ſatis etiam intelligere, quid cupere debeamus; illud tamen nos ſolatur, quòd Deus & animi noſtri ſenſa intelligere, & ſupra vota etiam noſtra nobis conſulere poſſit. Quò inter alia reſpiciens Paulus ait: (*Rom: 8. 26, 27.*) *Nos quid oremus, ſicut oportet neſcire*, (loquitur autem de nobis infirmitate laborantibus, & ſub perſecutionum onere fatiſcentibus) *ſed ipſum Spiritum poſtulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus: eum autem, qui ſcrutetur corda, ſcire, quid deſideret ſpiritus: quia* (vel *quòd*) *ſecundùm Deum poſtulet pro ſanctis.* Præterea ſolatur nos Dei omniſcientia, quòd certò inde nobis conſtat, etiamſi morte quodammodo abſorbeamur, & in omnium mortalium oblivionem veniamus, in oblivionem tamen apud Deum nos non venturos, & Dominum ſuos etiam poſt mortem noſſe, ac planè in numerato habere eorum nomina, non ſecùs ac ſi in libris haberet deſcripta. Unde & libri vitæ fit in ſacris literis mentio, in quo nomina ſint eorum deſcripta, qui cum pietate vixerint. (*Phil: 4. 3: Apoc: 3. 5: 20. 12. 21. 27: 22. 19.*) quæ res licèt ad decreta divina propriè pertineat, pertinet tamen ſimul & ad omniſcientiam, ſine qua illa conſtare non poſſent. Pertinere huc videtur & illud Salomonis, cùm ait, *Infernum & perditionem eſſe coram Domino.* (*Prov: 15. 11.*) Id enim videtur dicere, Deum eos etiam exactè noſſe, inque numerato habere, quos infernus abſorpſerit, quique jamdudum etiam perierint. Unde colligit, multò magis coram ipſo eſſe corda filiorum hominum, hoc eſt, hominum cogitationes ac conſilia, quæ ſunt adhuc præſentia. Denique nos erigit ac ſolatur omniſcientiæ divinæ conſideratio, quòd ſcimus, Deum etiam occultiſſima adverſariorum noſtrorum conſilia, & clandeſtinas machinationes noſſe. Itaque eas nobis, ſi cum pietate vixerimus, revera nocere non poſſe, ſive eas detegere Deo placeat, ſi-

ve alia

ve alia aliqua ratione impedire, ſive denique permittere, ut ad exitum perducantur, cum nihilominus pro ſapientia ſua efficere poſſit, ut quæ illi in perniciem noſtram moliuntur, nobis fiant ſalutaria. qua in re etiam illa Sapientiæ pars, quam practicam appellari poſſe diximus, cernitur, cujus notitia ac certa in nobis fides quàm ſit neceſſaria, quámque utilis, itidem paucis 222.
nunc eſt declarandum.

‡ *Vnde & libri vitæ*] Quæ de uſu hujus doctrinæ, hucuſque diſſeruit Crellius, nobis placent. Imò ſi ut inſinuavit, Deus *omnia exactè* & *penitùs* novit, ſi nec magis *falli poteſt ob omniſcientiam* quam *fallere ob immutabilem ſanctitatem*, non tantum conjicit veriſimiliter quid de futuris contingentibus ſit eventurum, ita enim falli poſſet, ſed certò & perſpicuè illud novit: Sed duo tetri errores hîc obiter inſperguntur; Primus eſt quo ſtatuitur Deus ſuos poſt mortem noſſe, eò quod *eorum nomina* habeat in numerato: ut ſic inſinuetur animam perire cum animali, & nihil hominis poſt obitum præter nomen ſupereſſe; cùm tamen *beati* pronuncientur *qui moriuntur in Domino*, quod *requieſcant à laboribus ſuis & opera eorum ſequantur eos* Apoc: XIV, 13. Sanè *eſſe* cum Chriſto *in Paradiſo*, quod *multò melius* eſt quam manere *in carne* Luc: XXIII, 43. Phil: I, 23. 24. & *ſuperindui domicilio noſtro quod è cælo eſt* 2. Cor: V, 2. & *vivere Deo* Luc: XX, 38. *redeunte Spiritu* ad eum Eccl: XII, 7. non eſt duntaxat nomine tenus cognoſci ab ipſo, ut occulti iſti Atheiſmi Doctores, ſub larva pietatis ſtudent inſinuare. Nec potuit Crellius huc traducere locum Prov: XV, 11. agendo de pijs non tradendis oblivioni apud Deum poſt mortem, quin ſtatuat illos infernum abſorpſiſſe & omninò perijſſe: Quamvis non ſit ea mens Salomonis quam ei ſtudet affingere, ac ſi ipſum infernum penitùs cognoſcere, quod & hîc & Iobi XXVI, 6. tribuitur Deo, nihil aliud ſit quam in numerato habere nomina eorum qui nullo modo amplius ſunt: ſed vult Salomon inſinuare perſpicaci oculo Dei, patentia & nuda eſſe occultiſſima & profundiſſima quæque, hominibus cæteroquin ignota & inacceſſa: adeoque ipſi patere perſpicuè qui & quot apud inferos, pœnas juſtitiæ ſuæ pendant æternas ſcelerum quæ in hac vita commiſerunt. Non ergo hoc ſibi vult Salomon, Deum eò *magis conſilia* hominum, quæ ſunt adhuc *præſentia*, noſſe, quod etiam noverit quinam antea fuerunt & penitùs eſſe deſierunt: cùm à recordatione nominum eorum qui vixerunt, ad *καρδιογνωσίαν* viventium, nullo modo procedat argumentum: Sed vult argumentari à majori ad minus; dicendo quod cùm ipſum infernum & quæcunque in eo ſunt & fiunt, ſuis oculis luſtret, multò magis cordium cogitationes, hominibus minus profundas minuſque occultas ipſo inferno, intimè perſpiciat. Alter eſt quod per librum vitæ in Scripturis intelligatur catalogus eorum *qui cum pietate vixerint*: cum potius ſit eorum index quos Deus ab æterno & ante jacta mundi fundamenta elegit ad fidem, ſanctificationem & pietatem in Chriſto, & per illam ad gloriam & ſalutem Eph: I, 4. 5. electione tam certâ, firmâ & immutabili 2. Tim: II, 19. ut quemquam ex illi perire ac ſeduci tam ſit impoſſibile Matth: XXIV, 24. quam impoſſibile eſt librum vitæ, quem apud ſe Deus conſcriptum habet, ullam lituram vel mutationem admittere, Luc: X, 2;. Apoc: III, 5. Certè ſi in libro vitæ deſcripta ſunt duntaxat eorum nomina qui cum pietate vixerint, inde ſequetur illi libro neminem inſcribi niſi poſt mortem, adeoque nec ſcriptum, nec ſuis ſigillis munitum & obſignatum fuiſſe ab æterno.

Digitized by Google

terno. Quin ſi res illa *ad decreta divina propriè pertinet*, ut addit adverſarius, hæc vero non ſint de præteritis ſed de futuris, debebit ille liber continere nomina non eorum qui *cum pietate vixerint*, ſed eorum qui cum pietate erant victuri. Si dicas Deum hæc condendo decreta, & illa nomina ſuis libris inſcribendo, per *omniſcientiam* ſuam, *ſine qua illa conſtare non poſſent*, præſciviſſe quinam eſſent piè victuri & in pietate perſeveraturi uſque ad mortem, illam pietatem & perſeverantiam, juxta Crelliana dogmata, facies ita abſolutè neceſſariam, ut eo ipſo libera & voluntaria eſſe deſinat, adeoque amplius pietas non ſit. Nec video qui omniſcientiæ Dei in ſchola Sociniana patuerint jam olim quotquot erant in pietate victuri & perſeveraturi, ut per ſua decreta eorum nomina libro vitæ inſcriberet, ſi futurorum contingentium priuſquam eveniant nec ipſimet Deo ſit determinata veritas. Addo & illud nihil ad mentem Crellij facere locum Phil: IV,3. imò plurimum illi obeſſe; cum Paulus eos libro vitæ inſcriptos dicat, non qui jam mortui eſſent, ſed qui adhuc vivebant; quorum adeo perſeverantia neceſſaria & infallibilis debuit eſſe. Sed de his plura aliàs: Hæc obiter ſufficiant ſignandis ſcopulis illis binis, qui hic occurrebant.

Primùm neceſſaria eſt ejus cognitio, ut iis, quæ de admirandis Dei operibus in ſac. lit. prædicantur, fides indubitata poſſit adhiberi. Quia enim ea illorum eſt ratio, ut abſque ſumma ſapientia perfici non potuerint: unde nos ex iis, tanquam effectis, eam demonſtravimus: ſi quis ei fidem adhibere nolit, eum ſimul neceſſe eſſet illis fidem derogare, quæ de præcipuis Dei operibus in ſac. lit. ſcripta ſunt. id quod ſine certa pernicie fieri non poteſt. Deinde eò facit illius cognitio, ut firmiter credamus, Deum, etiamſi omnia ipſius promiſſionibus videantur obſtare, & ad impedienda ipſius decreta conſpirare; rationem tamen tenere, omnes difficultates facillimo negotio expediendi. facillimè illum omnia hoſtium ſuorum ſimul ac noſtrorum conſilia turbare poſſe: nullam eſſe ſapientiam, nullam prudentiam, nullum conſilium contra Dominum, quemadmodum ſapientiſſimus mortalium olim dixit. (*Prov: 21.30.*) quod etſi ad Dei potentiam ſpectet; ſpectat tamen etiam ad ejus ſapientiam. Itaque vanos hoſtium ſuorum conatus ridere dicitur Deus, (*Pſal: 2.4.*) & apprehendere ſapientes in aſtutia eorum, & conſilium pravorum diſſipare, efficereque, ut per diem incurrant tenebras, & quaſi in nocte, ſic palpent in meridie. (*Iob: 5. 12, 13.*) Præterea & eò prodeſt de Sapientia divina notitia, ne quia rationes divinorum conſiliorum non capimus, ideò ea ſpernamus ac repudiemus; néve ad carnalis atque animalis prudentiæ normam, divinam ſapientiam exigamus. Quin potiùs, monente Paulo, (*2 Cor: 3. 18, 19.*) ſtulti fiamus in hoc ſeculo, ut verè ſapientes fiamus. ſiquidem ſapientia hujus mundi apud Deum ſtultitia eſt: (*cap: 1. 21.*) & quia in ſapientia Dei (hoc eſt, per ea Dei opera, in quibus ſapientia ipſius manifeſtè elucet) non cognovit mundus per ſapientiam (nempe ſuam) Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis, h. e.

per prædi-

Digitized by Google

per prædicationem, quæ hominibus animalibus & nil niſi terrenum ſpirantibus, utut ſecundùm carnem ſapientibus, ſtulta videatur, ſalvos facere credentes. (*ib: verſu 18, & 23.*) Stultus enim eſt ſapientibus illis ſermo crucis, & Chriſtus crucifixus, per quem nos Deus ſervare conſtituit. Sed cogitandum eſt, quod ſtultum eſt Dei, ut loquitur idem Apoſtolus (*ib: verſu 25.*) ſapientius eſſe hominibus; uti & quod infirmum eſt Dei, fortius eſſe hominibus. Quæ n. divinâ ſapientiâ gubernantur, etiamſi ad rem, quam parat Deus, inepta ac porrò ſtulta eſſe videantur, aptiſſima tamen ſunt; & quæ invalida, divinæ potentiæ acceſſione fiunt validiſſima. Itaque illa quidem ſuperant omnia, etiam acutiſſiomorum hominum inventa; hæc omnes potentiſſimorum molitiones. 225. Quare non extermam rerum divinarum ſpeciem, certè non ſolam, ſed multò magis vim earum reconditam ſpectare, & inde eas æſtimare debemus. quam ad rem diligenti rerum examine ac judicio eſt opus. Hoc verò cum abſque rationis uſu nequaquam fiat; valdè inconſideratè illi faciunt, qui propterea, quòd diviniſſima quædam conſilia primâ fronte ſtulta videantur, &. à ſapientibus ſecundùm carnem repudientur, rationis uſum à rebus ſacris removent, eamque in divinis non audiendam eſſe ſimpliciter afferunt. quod dum faciunt, id imprudentes agunt, ne quicquam rerum divinarum intelligamus, & abſurdiſſima quævis dogmata nobis obtrudi patiamur. At non rationis uſus, ſed abuſus iſtiuſmodi ſcripturæ dictis tollitur; uſus vel maximè præcipitur. Unde enim tibi conſtare poterit, hæc divina eſſe, illa non eſſe? Argumenta ſanè ac teſtimonia, ex quibus id conſtare poſſit, non niſi rationis beneficio intelliguntur atque examinantur. Hanc ergo non deſtruit divina ſapientia, ſed eam & poſtulat, & perficit. Unde & illud intelligitur, non eò uſque extendendam eſſe hanc ſtultitiæ ſpeciem, quæ in divinis rebus occurrat, ut etiam contradictoria nobis perſuaderi patiamur. Hæc enim non in eorum ſunt numero, quæ ſtulta tantùm eſſe videantur: ſed omninò falſa ſunt atque impoſſibilia, ut jam ſuprà alicubi monuimus. (*cap: 22.*) Eatenus nobis ſapientiſſima quadam ſimplicitate utendum eſt, ut poſtquam ratione ac judicio adhibito deprehendimus, aliquid divinitùs eſſe profectum, illud amplectamur, & divino conſilio nos penitùs attemperemus, etiamſi carnis ſenſus maximè repugnet, & ſtultum eſſe homines pro ſapientibus habiti clamitent. Talia ſunt, velle Deum homines per crucem atque ignominiam ad ſummam felicitatem ac gloriam, & per ipſa inferni, ut ita dicam, clauſtra, in cœli adyta perducere: & per ſimilia mala decuiſſe religionis ac ſalutis noſtræ ducem, ad ſupremum gloriæ faſtigium aſcendere, ac porrò in Chriſtum aliquando crucifixum, & tam ignominioſa morte e vivis ſublatum, omnibus, qui ſervari velint, eſſe credendum. Hujuſmodi enim ſermonem ſtultum ex hominum ſapientum opinione

Digitized by Google

pinione vocat Apoſtolus; qui tamen & reipſa eſt ſapientiſſimus, & rem rectè æſtimantibus talis apparet. Unde idem Apoſtolus ait, (*d: l. 1 Cor: 1. 1, 24.*) *Chriſtum crucifixum Iudæis quidem ſcandalum eſſe, Græcis, autem* (ſeu *Gentibus*) *ſtultitiam: ipſis autem vocatis, Iudæis atque Græcis, Chriſtum eſſe Dei virtutem, & Dei ſapientiam.* quod etiam de ſermone crucis ex parte ſuprà ſcripſerat. (*ib: verſu 12.*)

‡ *Hoc vero cum abſque*] Medium hîc tenuêre beati: Sapientiæ Divinæ radios in Scripturis & Euangelio effulgentes admittat ſana ratio; ſed illis Titanio conatu non ſe opponat; aut ſtatim ceu *abſurdiſſima dogmata* reſpuat, quæ homo animalis capere aut ſapere non poteſt 1. Cor: 11, 14. Ibi rationis *abuſus* eſt, ubi ad illius trutinam myſteria fidei expenduntur: Sunt enim illa ſupra rationem, licet non contra illam, quia non magis verum vero adverſatur quam lumen lumini. Ibi vero eſt illius *uſus* legitimus, ubi eorum quæ propoſita fuerint examen ad Dei verbum, tanquam ad ſiclum ſanctuarij, illi permittitur: Ejus eſto expendere in rebus fidei quæ *contradictoria* ſint nec-ne, ſed ſuppoſitâ ſemper, nunquam ſepoſitâ, revelatione divinâ: Organicè & miniſterialiter ſuam operam hîc conferat, non deſpoticè & principaliter: Subjiciatur Dei verbo, non illi præficiatur: Exigat quæ dicuntur & credenda proponuntur ad Scripturas ſacras, ceu normam indeclinabilem veritatis; ut cum manu & oculo ad ulnam publicam ſolemus exigere quæ empta volumus; ſed ipſa in normam credendorum non conſtituatur. Illius Miniſterio nobis conſtet *hæc Divina eſſe, illa non eſſe*, quia hæc cum Scripturis conſentire, illa à Scripturis diſſentire animadvertit; non quod ipſa nobis pro lance & lapide Lydio eſſe debeat, cui divinitùs revelata ſubmittantur. Vno verbo *falſa* & *impoſſibilia* illa ſunto, non quæ ratio proprio & luſcioſo ſuo lumine talia judicaverit, ſed quæ ad facem Scripturarum & Revelationum Divinarum talia deprehenderit. Hoc moderamine ſi uterentur Sociniani nec Agarem ancillam Saræ Dominæ præferrent, dogmata Catholicæ fidei nobis perſpicuè in Scripturis revelata, cujuſmodi ſunt S. Trinitatis Myſterium, Incarnatio & Satisfactio Chriſti pro nobis, Animorum Immortalitas, Reſurrectio carnis, Supplicia impiorum æterna &c. tam protervè non rejicerent, ea *ſtultitiæ* & *contradictionis* per ſtultam ſuam ſapientiam incuſando, iiſque armis veritatem impugnando, quæ illius aris erant potius appendenda.

224. Hic autem doctrinæ de Sapientia Dei uſus in univerſa providentiæ ipſius ac gubernationis ratione patet latiſſimè. Multa enim occurrunt, in tanta præſertim rerum humanarum confuſione ac perturbatione, quæ piorum ac robuſtorum etiam animorum fidem labefactere cæteroquin poſſent; præſertim antequam ii vel ex eventu, vel aliis ex rebus divinorum conſiliorum rationes deprehendant. atque illud inprimis, cur impiis benè, piis malè eſſe videatur. quæ res & Aſaphum aliquando turbavit, ut ipſemet de ſe Pſalmo 73. teſtatur; quin & Hieremiam, qui ea de re quodammodo expoſtulat cum Deo cap. 12. & ne quemquam hæc res turbet, monet Pſalmo 37. David, interitum impiis certiſſimum denuncians, piis mercedem promittens. qua de

Digitized by Google

qua de re quia & nos nonnihil ſuprà monuimus, (*cap. 6.*) & alibi in hoc opere ex profeſſo agetur; ideo plura de ea hîc dicere nihil attinet.

Illud adhuc ad uſum hujus de ſapientia divina doctrinæ addendum eſt: cum Deus ita ſit ſapiens, ut ſimul omnis ſapientiæ fons ſit; unde & ſolus dicitur eſſe ſapiens; ab eo ſapientiam, quâ plurimùm indigemus, petendam, quemadmodum & Jacobus monet: (*Iac: 1, 5.*) ei etiam omnem, ſi quam habemus, ſapientiam, & maximè eam, quæ circa rem pietatis ac ſalutis occupatur, acceptam ferendam eſſe. Sic Daniel olim, cùm ipſi res occulta eſſet à Deo patefacta, dixit: *Sit nomen Domini benedictum à ſeculo & uſque in ſeculum, quia ſapientia & fortitudo ejus ſunt*, & poſt pauca: *ipſe dat ſapientiam ſapientibus, & ſcientiam intelligentibus diſciplinam: ipſe revelat profunda & abſcondita, & novit in tenebris conſtituta, & lux cum eo eſt. Tibi Deus patrum meorum confiteor, teque laudo, quia ſapientiam & fortitudinem dediſti mihi*, &c. (*Dan: 2. 20, & d.*) Verùm exempla eorum, qui vel ſibi vel aliis ſapientiam, ac inprimis divinæ voluntatis cognitionem à Deo petierunt, hinc inde in ſacris literis occurrunt.

CAP. XXV.

De Sanctitate Dei.

Reſpondente ANTONIO à DORTH *Clivo-Veſalienſi.*

POſtquam de Sapientia egimus, quæ intellectus divini propria eſt perfectio; ſequitur, ut de Sanctitate agamus, quæ voluntatis potiſſimùm eſt perfectio, ſeu mavis, bonitas. Potiſſimùm dicimus; quia aliquo modo ad totam Dei naturam extenditur. Complectitur enim ea vox naturæ divinæ puritatem quandam: ſed præcipuè ſignificat eam voluntatis bonitatem, quâ fit, ut omnes Dei actiones rectæ ſint, & ab omni pravitate alienæ. Hanc Johannes puritatis voce intelligit, cùm Deum purum eſſe ait. (*Ioh: 3. 3.*) Et 225
ſanè ſanctum impuro inprimis opponitur, & quia vulgaria ac profana impura eſſe ſolent: ideò & vulgaribus, & profano uſui expoſitis opponitur. Subeſt autem & alia ſanctitatis voci ad Deum relatæ ſignificatio, ſed quæ ad hunc locum propriè non pertinet; cùm ſit aliorum etiam Dei attributorum, & maximè potentiæ & imperii ſummi atque infiniti, veluti conſequens. Significat enim non rarò vox *ſanctus* de Deo uſurpata idem, quod auguſtum, venerabile, inviolabile, uti ab aliis viris doctis eſt ante nos obſervatum. quæ ſignificatio illic inprimis locum habet, ubi Deus non ſimpliciter ſanctus, ſed ſanctus alicujus, verbi gratiâ, Iſraëlis appellatur. quo pacto tum alibi ſæpè, tum verò omnium creberrimè apud Eſaiam nominatur. (*vid. 4 Reg: 19.22:*

Pſal: 71. 22: 78. 41, 42: 89. 19. Eſa: 1. 4: 5. 19, 24: 10. 20: 12. 6: 17. 7: 29. 19, 23: & alibi ſæpè.) Itaque ſanctus Iſraëlis ſignificare videtur auguſtum ac venerandum Iſraëlis numen, glorioſum ac majeſtatis plenum. unde & nonnemo interpretum recentiorum (*Caſtellio.*) non ſemel *Auguſtum Iſraëlis* vertit. Sic & Habacuk eum *ſanctum ſuum* vocat, (*Hab: 1. 12.*) hoc eſt, ſibi unicè colendum ac venerandum. In eadem ſignificatione videtur ea vox accipi, cùm in ſcriptura ſæpiùs *ſanctum Dei nomen* eſſe dicitur; (*vid: Lev: 20. 3. Pſ: 99. 3: 111. 9. Ezech: 20. 39: 36. 20, & d. & alibi. Luc: 1. 49.*) ut nomen ſanctum idem ſit, quod auguſtum ac venerandum. Atque haud ſcio, an & in illa acclamatione angelica, quæ apud Eſaiam cap. 6. extat, (*Eſa: 6. 3.*) & illâ quatuor animalium in Apocalypſi, (*Apoc: 4. 8.*) quâ Deus ſanctus appellatur, eademque vox ad ſummam ſanctitatis illius perfectionem indicandam, & conſtantiorem rei aſſeverationem exprimendam, ter repetitur, *ſancti* nomen pro auguſto ac venerando ponatur; ut alia loca prætercam. (*Exod: 15. 11. 1 Sam: 2. 2. Pſal: 30. 5: 99. 3.*) Venerandus autem eſt Deus ob varias atque admirandas, quæ in eo elucent, proprietates, indeque profecta opera ſtupenda, atque adeo ob ipſam quoque ſanctitatem, de qua hîc propriè nobis eſt inſtitutus ſermo.

‡ *Significat enim non*] Hæc acceptio *ſancti* pro *auguſto*, unius ferè Caſtellionis authoritate non eſt temerè admittenda; quamvis enim apud Græcos τὸ σεβαςὸν & τὸ ἅγιον, affinitatem habeant, quod res ſacræ ac ſanctæ veneratione & cultu dignæ ſint, tamen magno circuitu apud Latinos opus erit ut aliquam ſynonymiam inter *Sanctum* & *Auguſtum* reperias. Nulli quos viderim Lexicographi, τὸ קדש *Cadoſch*, per *Auguſtum* reddiderunt, nec aliter unquam LXX. Interpretes, ut dici ſolent, quam per ἅγιον, niſi quod ſemel per καθαρὸν Num: v, 17. ſemel per ὅσιον Pſal: XXIX, 4. illud explicarunt. Agnoſco quidem eſſe conſequens Sanctitatis, ut rem faciat inviolabilem & venerabilem, quod viſus eſt inſinuare Flaccus Illyricus in *Clavi* ſua; imò Majeſtatem eatenus eſſe ſacram, quatenus & inviolata & omni cultu veneranda debet eſſe ſubditis; interea tamen non ſequitur, venerabile, inviolabile, auguſtum, & ſanctum, eſſe ſynonyma ex uſu Scripturæ; cum Sanctitas multis rebus queat tribui quæ tamen majeſtate carent, nec poſſunt eſſe objectum cultus & venerationis noſtræ; & multa debeant eſſe nobis inviolabilia quæ tamen propriè ſancta non ſunt.

Sed Sanctus alicujus] Imò Deus eſt *Sanctus Iſraelis* & omnium ſuorum, non tam quod ſui eum venerentur & colant, etſi hæc quoque ſubſit ratio, quam quod illos ſanctificet Verbo & Spiritu ſuo Ioh: XVII, 17. & ipſis ſit in protectionem & Sanctuarium Eſaiæ VIII, 13. 14.

Ter repetitur] Sed illud τρισάγιον aliquid continet magis μυςηριῶδες, & inſinuat ipſum Trinitatis ſacræ myſterium, ut ſatis conſtanter fuit à Veteribus obſervatum: quo de argumento videatur Pareus *in Calvino Orthod. lib. 2. cap. 13.* Imò Galatinus *lib. 2. de arc. ver. Cath. cap. 1.* refert ſe Licij vidiſſe exemplar Paraphraſtæ Ionathanis Ben Vziel, in quo ita locus Eſaiæ reddebatur, *Sanctus Pater*, *Sanctus Filius*, *Sanctus Spiritus ſanctus*, & monet quod

net quod R. Simeon Ben Iochai, ita etiam τὸ τριϲάγιον Seraphicum explicuerit.

Hanc autem ibi inter alia intelligunt ſacræ literæ, dum Deum ſanctum
ita appellant, ut homines ad eum hac in parte imitandum hortentur. Sic in
Levitico aliquoties inculcat Deus hæc verba, hiſve ſimilia: *Sancti eſtote, quia
ego ſanctus ſum*; (*Levit: 11. 44, 45: & 19. 2: & 20. 25: & 21. 8. vide etiam Ioſ: 24.
19.*) id nimirum monens, ne Iſraëlitæ, & inprimis ſacerdotes ipſi conſecra-
ti, ulla in re ſeſe contaminent, animáſve ſuas polluant. Eadem verba &
Petrus repetit, dum monet, ut *ſecundùm eum, qui vocavit nos, Sanctum, & ip-
ſi in omni converſatione* (hoc eſt, in omnibus vitæ actionibus) *ſancti ſimus: quo-
niam ſcriptum eſt, Sancti eritis* (Gr. *eſtote*,) *quoniam ego ſanctus ſum.* (*1 Pet: 1,
15, 16.*) Hanc Dei ſanctitatem metaphoricè quidem, ſed ſatis tamen ſigni-
ficanter deſcribit Johannes, dum ait: (*1 Ioh: 1. 5, 6, 7.*) *Deus lux eſt, & te-
nebræ in eo non ſunt ullæ. Si dixerimus, quòd ſocietatem habemus cum eo, & in tene-* 226.
*bris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus: ſi autem in luce ambulamus,
ſicut ipſe* (nempe Deus) *eſt in luce, ſocietatem habemus ad invicem.* Ubi quidem
Lucis nomine ſanctitatem ſeu puritatem intelligi, contrà per *Tenebras* impuri-
tatem, turpitudinem, pravitatem, quivis cernit. Eſt enim lux res puriſſi-
ma, tenebræ contrà impuritatis ſpeciem habent. Cum ergo Apoſtolus ait,
Deum eſſe lucem, perinde eſt, ac ſi dixiſſet, Deum eſſe ipſam ſanctita-
tem, nempe ob ſummam ſanctitatis, quæ in eo eſt, perfectionem. Quem-
admodum enim per metonymiam ſcelus pro homine ſceleſto & valdè flagi-
tioſo ponunt Latini; ita Johannes contrà lucem ponit pro lucidiſſimo, ſeu
ſanctitatem pro ſanctiſſimo. quo modo idem Deus charitas ab eodem Johan-
ne dicitur, (*1 Epiſt. 4. 8.*) quia maxima ſit in eo charitatis abundantia & per-
fectio. Eâdem metaphorâ Jacobus Deum vocat Patrem luminum, (*Iac:
1. 17.*) quia nimirum & lucidiſſimus ſit, hoc eſt, ſanctiſſimus, & omnis lu-
cis ſeu ſanctitatis in hominibus fons & auctor: quemadmodum Sol ſiderum
eſt & lucidiſſimus, & ſimul propè omnis, quæ in terris eſt, lucis fons & o-
rigo. Addit autem, *apud eum non eſſe tranſmutationem, nec viciſſitudinis* (ſeu
converſionis) *obumbrationem*; eum hac in parte & Lunæ, & Soli, quæ magna
in ſacris dicuntur luminaria, tacitè opponens. Nam Luna quidem mutabi-
lis eſt, & nunc illuſtris, nunc obſcura. Sol autem, licèt in ſe nunquam ob-
ſcuretur, proprio ſplendore ſemper lucens; tamen ob ſui converſionem,
& in adverſam cœli partem tranſitum, tenebras quodammodo inducit illi
mundi parti, quam relinquit. At Pater ille ſpiritualis luminis, nec unquam
in ſe obſcuratur, aut lumine aliqua in parte deficit, ut Luna; nec Solis in-
ſtar ſponte ſua à nobis diſcedit, ut quos ſemel ſuo lumine illuſtraverat, eos
iterum tenebris involvat, hoc eſt, quos ſanctitatis ſuæ fecerat participes, eos

 iterum

Digitized by Google

iterum vitiorum tenebris involuat. Probat enim Jacobus, Deum, qui ipſe malis non tentatur, ſeu ad malè agendum nunquam incitatur, nec alios tentare atque ad peccandum impellere: neque ita inſtabilem eſſe, ut quos ſemel donis ſuis cœleſtibus compleverat, & ſponte ſua genuerat, ut primitiæ quædam ejus creaturarum eſſent, eos iterum peccatorum ſordibus immergat, & invitos etiam ad ſcelera impellat.

‡ *At Pater ille ſpiritualis*] Igitur ſemel efficaciter illuminati & regeniti, nunquam penitùs ob Dei conſtantiam & immutabilitatem, & quod Sol gratiæ ſuæ ſemper luceat ijs quibus ſemel illuxit, nec tropicos habeat, deficere poſſunt. Nec tantum eos *iterum peccatorum ſordibus* nunquam *immergit*, aut *invitos etiam ad ſceslera impellit*, cum nemo unquam peccet invitus, tantum abeſt ut unquam ad peccandum à Deo impellatur, ſed revera eos potenter *virtutis* ſuæ *præſidio cuſtodit per fidem, ad ſalutem paratam revelari præſtituto tempore ultimo* 1. Pet: 1. 5. adeoque conſtanti lumine gratiæ, ſic fovet & dirigit, ut nunquam luci gratiſſimæ & ſuaviſſimæ tetras illas tenebras ex quibus evoluti ſunt, prælatas velint.

Ex his autem apertiſſimè intelligitur, Deo eam, qua de agere inſtituimus, ſanctitatem revera ineſſe. quanquam ea res probatione vix eget. Adeo enim id eſt rationi conſentaneum, ut ſi quis dicere auſit, Deum non eſſe
227. ſanctum, id omnino dicere videatur, vel potiùs revera dicat, Deum non eſſe Deum. Quî enim is, unde omnis, quæ in natura cernitur, bonitas pendet, ipſe optimus non ſit? Optimus autem quî eſſe poſſit, niſi ſanctus juſtuſque ſit? Præterea, quî ſapientis nomen mereretur abſque juſtitia? Juſtitiæ enim illius, de qua agimus, eſt id velle atque agere, quod dignitati atque excellentiæ naturæ intelligentis eſt conſentaneum. ut autem id fiat, & ſapientia omninò poſtulat.

‡ *Iuſtitia enim illius*] Non tamen debuiſſet omitti diſtinctio Iuſtitiæ Particularis ab Vniverſali, quam author nomine Sanctitatis expreſſam vult, eò quod virtutes in ſeſe continet omnes.

Ex his autem, quid de ſanctitatis divinæ natura ſtatuendum ſit, haud difficulter intelligitur. Diximus enim ab initio, eam tum naturæ divinæ puritatem, tum ea inprimis voluntatis bonitatem complecti, quâ fiat, ut omnes divinæ actiones rectæ ſint. Poſſes fortaſſe definire, Naturalem ſeu neceſſariam Dei bonitatem. Analogiam cum ea habet aliquam honeſtas ac virtus humana. Et virtutum quidem nomen de Deo Petrus uſurpare nihil eſt veritus: (*1 Pet: 2. 9.*) ſed ea voce non tantùm ſanctitatem ejus complectitur, ſed & alia admiranda ipſius attributa, imò & eorum opera, quibus effectum eſt, ut ex ignorantiæ tenebris, in lucem veritatis traduceremur. qualia attributa ſunt, ſapientia, potentia, benignitas. Naturalem autem ſeu neceſſariam

Digitized by Google

ceſſariam hanc Dei bonitatem eſſe dicimus, ‡ ut ab ea diſcernatur, quæ voluntaria potiùs ſeu libera eſt, & alio nomine benignitas dicitur. Et naturæ quidem divinæ puritas in eo conſiſtit, quòd nihil in eam cadat, quod aliqua ratione indecorum ſit, & labem aut maculam ei aliquam aſpergere poſſit. quales ſunt actiones quædam hominum, vel penitus, vel aliqua etiam ex parte neceſſariæ, illis cùm brutis communes. à quibus natura divina tam longè abeſt, quàm quod longiſſimè. Addi poteſt & illud, quod tamen ad voluntatis bonitatem propiùs pertinet; quòd nihil in natura ſit Dei, quod voluntatem ipſius ad quippiam pravum, iniquum, crudele incitet atque inclinet. Quin potiùs intellectus Dei, &, quæ ei ineſt, ſapientia, voluntatem ad id, quod rectum eſt, ſemper inclinat. Id enim quod rectum eſt ac conveniens, intellectus ſemper cernit, & ſequendum eſſe monſtrat. voluntas autem divina intellectui, à quo pendet, ſeſe applicat, nec quicquam ei adverſum ſtatuit. Quare naturalis voluntatis divinæ bonitas in eo cernitur, quòd in id, quod rectum eſt, ſemper prona eſt, ab eo autem, quod pravum eſt, quod turpe & indecorum, abhorret.

‡ *Vt ab ea diſcernatur*] Sed I. *Bonitas* Dei, ut quadam analogiâ noſtræ *honeſtati* & *virtuti* reſpondet, etiam voluntaria & libera non coacta debet ſtatui: licet naturaliter & neceſſariò inſit Deo. II. Ipſa *Benignitas*, quam author facit liberam & voluntariam, tamen ſuo ſenſu naturalis quoque & neceſſaria dici debet: cùm tam neceſſe ſit Deum eſſe Benignum, ſaltem affectivè, quam ipſum vel eſſe ſimpliciter, vel bonum & ſanctum appellari. Nec minus frequenter dicitur ὅσιος Græcis interpretibus quam ἅγιος; Et cum hæc duo Græca vocabula ejuſdem ſignificationis videantur, licet illud τῷ חסיד *Chaſid* Hebræorum, quod *benignum* ſonat, hoc τῷ קדוש *Cadoſch* eorum, quod ſignificat *Sanctum* reſpondeat, non erat cur tantum hiatum inter Benignitatem Dei & illius Bonitatem ac Sanctitatem Crellius conſtitueret.

Quales ſunt actiones] Tales actiones animales corporeæ & phyſicæ, removentur à Deo, non per illius Sanctitatem, ſed per illius ſimplicitatem, ſpiritualitatem & infinitam perfectionem. Sed Sanctitas Divina ab ipſo removet quicquid labis, maculæ & impuritatis moralis poſſet in naturam intelligentem cadere.

Quin potius intellectus] At ſi in Deo ita ſe habent Intellectus & Voluntas, ut hæc ab illo pendeat & ei ſeſe applicet, quanto magis in homine, ut citra innatæ libertatis violationem, ſubſit voluntas dictamini intellectus & rationis, & ab illo neceſſariò determinetur?

Unde porrò & ſingularum actionum, ſive internarum, ſive externarum à
voluntate pendentium, manat rectitudo: ob quam Deus appellatur in ſac.
literis rectus, (*Pſal:* 25. 8: 92: 16.) aut juſtus. (*Neh:* 9. 33: *Ier:* 12. 1. *Dan:*
9. 7, 14. *Soph:* 3. 5.) quamquam juſtitiæ nomen Deo tributum aliter quo- 228.
que ſumitur, ut paulò pòſt dicetur. Hanc Dei rectitudinem ſive juſtitiam prædicat Moſes dum ait; (*Deut:* 32. 4.) *Dei perfecta* (h. e. recta) *ſunt*

opera.

opera, *&* (Hebr. *quia*) *omnes via ejus judicium*: *Deus fidelis* (Hebr. *veritas*,) *&* *abſque ulla iniquitate*, *juſtus & rectus*. & David: (*Pſal: 11. 8.*) *Iuſtus Dominus*, *& juſtitias dilexit*: *aquitatem* (Hebr. *rectum*) *vidit vultus ejus*, h. e. libenter aſpicere ſolet. Huc referuntur & illa ejuſdem: (*Pſal: 145. 17.*) *Iuſtus eſt Dominus in omnibus viis ſuis*, h. e. in omnibus ſuis actionibus; niſi cum doctis quibuſdam viris hæc verba de beneficentia divina ſumere malis. quia ſequitur: *& miſericors in omnibus operibus ſuis*. Sic enim legitur in Hebræo, non verò, ut ex Græco Latinus interpres vertit, *ſanctus* in omnibus operibus ſuis. Solet autem *juſtitiæ* aut *juſti* nomen ad Deum relatum tum alibi, tum verò præcipuè in Pſalmis non raro ita poni, ut dubites, utrùm de beneficentia, an verò de ea juſtitiæ parte accipiendum ſit, quæ in ſervandis promiſſis cernitur, & ſpeciali nomine fides ſeu fidelitas dicitur. (*vid: inter alia Pſal: 5. 9: 22. 32: 31. 2: 36. 7, 11: 40. 10, 11: 48. 11: 51. 16: 69. 28: 71. 2, 15, 16, 19, 24: 88. 13: 112. 9.*) quia & res & locorum circumſtantiæ utrumque patiuntur. Interdum locorum circumſtantiæ id potiùs poſtulant, ut de beneficentia intelligatur. Unde & plurale nomen *juſtitiarum* pro beneficiis uſurpatum alicubi legas. (*1 Sam: 12. 7. vid: Heb:*) De beneficentia verò hîc non agimus, ſed de ea ſanctitatis parte, quæ juſtitiæ nomen magis propriè meretur.

‡ *Ob quam Deus appellatur*] Utrumque nomen & ישר *Iaſchar* & צדיק *Tſadic*, id eſt *recti* & *juſti*, Deo convenit, ſed non ſemper eodem modo & reſpectu: etſi ipſe Mæmonides ea confundere videatur *in More Neb. p. 3. cap. 53.* Prius enim magis juſtitiam univerſalem, poſterius plerumque particularem & vindicativam ſive judicialem, reſpicit. Quare perperam author confert loca Pſal: xxv, 8. & xcii, 16. ubi prius extat, cum Nehem: ix, 33. Ier: xii, 1. Dan: ix, 7. 14. & Soph: iii, 5. ubi poſterius locum habet. Nec ſi quandoque conjunguntur, ut Deut: xxxii, 4. Pſal: xi, 7. ideo debent confundi aut promiſcuæ ſignificationis cenſeri. Sed hoc artificio utitur Crellius, ut argumenta pro juſtitia Dei vindicativa ab Orthodoxis adferri ſolita ex locis hic citatis, quaſi aliud agendo nobis eripiat: Verum *Equo ne credite Teucri*, & metuite *Danaos etiam dona ferentes.*

Huc referuntur] Nunquam negaverim juſtitiam Dei, interdum & pro illius conſtantia ac fide in promiſſis ſervandis, & pro illius beneficentia uſurpari, prout etiam *juſtitiæ* nomine eleemoſynæ piorum exprimuntur in Scripturis Pſal: cxii, 9. 2. Cor: ix, 9. 10 Neque hic laborandum operoſè utro ſenſu intelligenda ſit locis iis Davidis quæ authori citantur: Sed pertendo contra Socinum etiam nomen *juſtitiæ* Deo tributum ſæpè ſumi pro conſtanti voluntate peccata ulciſcendi & puniendi, quam Deo neceſſariò & naturaliter ineſſe ſtatuo, cum hoc ſit *jus* ipſius Dei, ut *qui talia faciunt digni ſint morte* Rom: 1, 32.

Ea verò, ut notum eſt, duplici ratione ſumitur: laxiùs & ſtrictiùs. Laxiùs ſumta, univerſalis dicitur; ſtrictiùs, particularis. Univerſalis, ex ſacrarum literarum mente acceptæ, eſt omnia ea facere, quæ fieri jure debent, ſeu quæ fieri jus atque honeſtas ipſa poſtulat, uti contrà non facere ea, quæ

fieri jus

Digitized by Google

fieri jus atque honeſtas prohibet. Itaque ad homines relata, univerſalem illorum pietatem ambitu ſuo complectitur; ad Deum relata, omnem eam, quæ in actionibus ipſius cernitur, rectitudinem ac ſanctitatem. Particularis autem in illis tantùm rebus cernitur, in quibus jus alterius agitur. Eſt enim juſtitia particularis ea rectitudinis pars, quâ jus ſuum cuique tribuitur; ſeu quâ id præſtatur alteri, quod ei præſtari jure debet. De univerſali autem juſtitia Dei loquuntur illa ſacrarum literarum loca, quæ paulò ſuperiùs expreſſimus.

‡ *In quibus jus alterius*] Hoc non eſſe verum ſimpliciter, quæ ſequuntur authoris verba ſatis indicant. Aliud enim eſt id præſtari alteri quod *ei præſtari jure debet*, ut τὸ *jus* ſumitur pro eo quod juſtum eſt & debet fieri, aliud vero in ijs demum occupari in quibus *jus alterius agitur*, quatenus jus ſumitur pro *qualitate morali perſonæ competente ad aliquid juſtè habendum vel agendum*. Nam juſtitia *particularis*, Rectorum maximè, plerumque ſita eſt in criminibus vindicandis, & pœnis ac ſupplicijs ex ſontium merito diſtribuendis & infligendis: In eo tamen non tam *jus* ſontium *agitur*, quandoquidem propriè debent illi pœnam, nullum vero jus habent ad illam, accuratè loquendo, quam id conſideratur quod illis debet Magiſtratus, ex officij ſui ratione, legum ſanctione, & boni publici, cujus intereſt ſcelera inulta non manere, ſtudio ac conſervatione.

De Univerſali autem] De locis Nehemiæ, Ieremiæ, Danielis & Sophoniæ, id nego: agunt enim de juſtitiâ judiciali & vindicativa, ad quam pertinet peccatorum correptio & punitio, ut cuivis legenti facilè apparebit.

Quare cum dictum ſit, univerſalis juſtitiæ eſſe, id omne facere, quod jus atque honeſtas fieri poſtulat; & contrà vitare atque omittere, quod jus atque honeſtas prohibet: conſiderandum eſt, quænam ea ſint, quæ vel fieri, vel omitti jus atque honeſtas requirit. Docuimus autem ſuprà, cùm de Poteſtate Dei egimus, jus illud, quod æquè latè atque honeſtas patet, ex dignitate naturæ intelligentis æſtimandum eſſe. Quicquid enim ei nec per ſe, nec ob circumſtantiam aliquam adverſatur, id licitum eſſe: quicquid ab ea poſtulatur, ita eſſe juſtum atque honeſtum, ut fieri debeat: quicquid ei repugnat, injuſtum, illicitum, pravum ac turpe eſſe. Primùm ergo vi juſtitiæ ſuæ, quam univerſalem appellari diximus, omnia illa averſatur Deus, nec unquam vel vult, vel facit, quæ dignitati naturæ intelligentis, atque inprimis ſuæ, adverſentur. Deinde omnia illa vult ac facit, quæ dignitas illa ob circumſtantiam fortè aliquam poſtulat. Nam alioqui, ut Deus quippiam extra ſe agat, aut de rebus agendis decernat, naturæ ipſius dignitas ſimpliciter non poſtulat, At cùm liberrimæ voluntatis actus anteceſſit, fieri poteſt, ut naturæ dignitas aliquid poſtulet, quod actum illum conſequi jurè debeat. 229

‡ *Ex digni-*

‡ *Ex dignitate naturæ*] At quid naturæ intelligenti conveniat, non aliunde quam ex Dei lege & verbo certò haberi poteſt.

Ad prius autem juſtitiæ munus à nobis conſtitutum non tantùm pertinet, ne per ſeipſum quicquam pravi agat Deus, ſed etiam ne per alios faciat, aut ab iis factum approbet. ſiquidem qui per alium facit quippiam, per ſe ipſum facere videtur: imò ſi is ſolus liberè agat, ille verò, per quem res prava perficitur, neceſſariò; omnis culpa penes eum eſt, qui per alium id facit. Quin & is, qui factum pravum, quà tale approbat, eóve delectatur, pravi quippiam facit. Pravus enim hic ipſe voluntatis actus eſt, & nonnunquam deterior ipſo, quod approbatur, delicto. quemadmodum cernitur ex eo, quod Paulus de hominibus impiis ſcribit ſub finem cap. 1. ad Roman. ubi ita in Græco legitur: *qui cum jus Dei cognoviſſent, quòd qui talia agunt, digni ſunt morte; nec ſolùm ea faciunt, ſed & facientibus applaudunt*, ſeu eorum facta approbant, iiſque delectantur. ubi tanquam aliquid gravius ac flagitioſius ponitur, mala facientibus applaudere, quàm mala facere. Nec injuriâ. Certam enim is prodit malitiam, qui, cum ipſius cæteroquin nihil interſit, peccatum deſignari; peccatum tamen alienum approbat. cùm deſignari peccatum nonnunquam ex aliqua imbecillitate, aut valido affectuum impetu, ab occaſionibus & variis irritamentis excitato, ſine vera animi malitia poſſit. Quòd ſi ejus, qui approbat, interſit, delictum admiſſum eſſe; fieri quidem poteſt, ut non magis peccet, quàm is, qui deſignavit: ſed interim fieri non poteſt, quin approbando peccet. Quapropter omnes ejuſmodi à Deo, quem ſanctum, rectum ac juſtum eſſe novimus, removendæ ſunt actiones. Removenda ergo eſt à Deo omnis crudelitas, invidia omnis, omnis *ἐπιχαιρεκακία*, ſeu ex calamitatibus creaturarum innocentium delectatio, omnis ex earundem peccatis ac ſceleribus voluptas: ac porrò & decreta & actiones ejuſ-
230. modi, quæ illum aut ſceleribus hominum, aut eorum, utut innocentium, calamitatibus ac doloribus delectari oſtenderent, & maleficam quandam aut naturam, aut voluntatem arguerent.

‡ *Sine vera animi*] At ipſe *validus affectuum impetus*, ex quo poſſit *peccatum* quandoque *deſignari*, licet non deſtinatam arguat malitiam, quia aliud eſt ex deſtinata malitia, aliud ex mera infirmitate peccare, tamen veram animi corruptionem arguit & radicem illam malam ex qua mali & putridi iſtiuſmodi fructus ſolent pullulare.

Neque verò fruſtra hæc à nobis dicuntur. Eò enim (proh dolor!) res devenit, ut homines Chriſtiani, & quidem non poſtremi nominis, hujuſmodi actiones, utut ſpecioſis nominibus palliatas, Deo attribuant: & cum injuſtitiæ Deum accuſare horreant, interim ea, quibus nihil excogitari poteſt injuſtius,

Digitized by Google

juſtius, ipſi adſcribere audeant. Quid enim faciunt aliud, qui ſtatuunt, Deum infinitam hominum multitudinem decreto immutabili, ab omni æternitate facto, æternis atque intolerandis cruciatibus, ſine ulla conditione, quæ in ipſorum arbitrio poſita ſit, deſtinaſſe, & porrò etiam in hunc finem condidiſſe? Et audent tamen illi aſſerere, id Deum feciſſe ad juſtitiæ ſuæ demonſtrationem, & porrò ad nominis ſui gloriam: cùm nulla major poſſit excogitari crudelitas; utpote quæ omnium, quotquot unquam vixerunt, tyrannorum crudelitatem infinitis modis ſuperet. quod verò crudeliſſimum eſt, non poteſt non eſſe iniquiſſimum ac maximè pravum. Quòd ſi innocentem punire, aut nocentem ultra meritum plectere, injuſtum eſt; quid de eo cogitandum foret, qui & infinitam innocentum multitudinem, & infinitis ſeu æternùm duraturis cruciatibus, atque acerbiſſimis ſuppliciis ſponte ſuâ mactare ſimpliciter decreviſſet, & in eum illos finem condidiſſet? Itaque tantum abeſt, ut ea res ad Dei gloriam cedere poſſit, ut vix ulla poſſit major ſanctiſſimo ipſius nomini ignominia inuri. Neque verò hanc pravitatem, quam Deo tribuunt, excuſant, ſed etiam augent, dum ſtatuunt, eundem Deum ſimul etiam de iis decreviſſe, ut peccarent; nempe ut hoc pacto ſupplicia æterna mererentur, & ſic juſtè puniri poſſent. cum in tanta neceſſitate, omnem voluntatis humanæ actum antecedente, & nullam hac in parte libertatem homini relinquente, omnis vera ceſſet hominis culpa, omne pœnæ meritum. Itaque nihil fit aliud, quàm ut innocentibus duplicetur malum, & infinitæ calamitati probrum etiam ac turpitudo aliqua accedat, ac quibus perire neceſſe eſt, etiam virtutis adimatur ſolatium. Omnis autem, quæ hac in parte eſt, culpa in Deum, omnis ſanctitatis fontem redundaret, qui liberè decreviſſet, ut, qui naturâ ſuâ poſſent eſſe à peccato immunes, omnino peccarent, & tot ubique deſignarentur ſcelera, à quorum etiam cogitatione viri honeſti animus refugit. Quàm longè verò ab his opinionum portentis abhorrent ſacræ literæ? Nam quod ad priorem ſententiæ illius partem attinet; ipſe Deus teſtatur, imò jurat, ſe ne impiorum quidem morte delectari, (*Ezech: 18. 23, & d. 33. 11.*) nedum ut innocentiſ- 231.
ſimos etiam æternis ſuppliciis ſimplici atque immutabili decreto deſtinârit. quod quàm longè à juſtitiæ divinæ ratione abſit, poſtea clariùs apparebit, cùm de particulari juſtitia agemus. Rectè Auctor libri Sapientiæ inter alia, Deum alloquens, ait: (*Sap: 11. 25, 27.*) *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti: nec enim odiens* (vel potiùs *odioſum*) *aliquid conſtituiſti aut feciſti.* & rurſus: *Parcis omnibus: quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas.* Rectè idem ſcriptum reliquit: (*cap: 1. 14.*) *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viventium. creavit enim, ut eſſent, omnia, & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum* (Gr. *ſalutares ſunt ortus mundi,*) *& non eſt in illis medicamentum*

 (vel po-

Digitized by Google

(vel potiùs *venenum*) *exterminii* ſeu *perniciei*. Et hæc quidem dicta etiam illi verbis approbant, qui iis reipſa maximè adverſantur. Quomodo enim magis poſſet odiſſe Deus ea quæ fecit, quàm ſi maximam nobiliſſimarum creaturarum in terris partem, ad æternos immenſoſque cruciatus immutabiliter deſtinaſſet, ac porrò condidiſſet? Quomodo mortem non feciſſet Deus, ſi de morte hominibus inferenda ſine ulla conditione decretum feciſſet? Quomodo ortus mundi ſalutares eſſent, & non venenum perniciofiſſimum in iis lateret, ſi ea conditione hominum pars maxima fuiſſet condita, ut æternis ſuppliciis mactaretur, & ea evitare nullo modo poſſet? Hoc pacto non modò nullum illis Deus præſtitiſſet beneficium, cùm eos creavit, ſed pejus etiam in illos conſulere non potuiſſet. Itaque loco beneficii maleficium omnium maximum ea in re cerneremus. Neque verò amorem ab illis ullum exigere jure ſuo poſſet Deus, quos ad tantam infelicitatem, nullis lacrymis ſatis deplorandam, produxiſſet; nec ullam obedientiam ab iis, quos ante omnem inobedientiam immutabiliter ad pœnam deſtinaſſet longè majorem, quàm bonum illud fuerat, quod illis dederat. Quod ad alteram ſententiæ illius partem attinet, quâ ſtatuitur, Deum etiam, ut maxima hominum pars, imò omnes omnino peccarent, decreviſſe, & porrò etiam auxilium ſuum, quod ad evitandum peccatum prorſus ſit neceſſarium, ita iis ſubtrahere ſtatuiſſe, ut non poſſent non peccare; ut ſcilicet in aliis miſericordiæ, in aliis ſeveritatis ac juſtitiæ exercendæ materiam haberet; etiam illa longiſſimè à ſacrarum literarum mente abeſt. Siquidem Deum iniquitatem non velle, ac propterea, qui eam deſignant, adverſari, odiſſe, eóſque punire ac perdere teſtantur. qua de re vide quæ inter alia dicat David Pſalmo 5. (*verſu 5, 6, 7, 8.*) Non repetemus hîc illa, quæ ſuprà ex Jacobo docuimus, qui Deum
232. neminem tentare, ſeu ad peccandum impellere docet; quia ipſemet à malis non tentetur, nulloque peccandi deſiderio tangatur. In quam ſententiam & Siracides elegantiſſimè ſcribit: (*c. 15. 11, & d.*) *Non dixeris, Per Deum abeſt* (Gr. defeci.) *Quæ enim odit, ne feceris.* *Ne dicas, Ille me implanavit.* (h. e. ſeduxit.) *non enim neceſſarii ſunt ei homines impii.* *Omne execramentum* (ſeu abominabile, aut nefas) *erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus eum. Deus ab initio conſtituit* (Gr. fecit) *hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui.* [*Adjecit mandata & præcepta ſua.*] *Si volueris mandata ſervare,* (Gr. ſervabis) [*conſervabunt te,*] *&* [*in perpetuum*] *fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Et quid multis opus? Satis ſit, quòd Deus ubique peccata prohibeat, ſeverè interdicat, homines omnes ab iis avocet. Abſit enim, ut Deo hypocriſin tribuamus, & quæ apertè prohibet, eum occultè, ut omnino fiant, velle putemus. qua de re infrà.

* Quid

Digitized by Google

† *Quid enim faciunt aliud*] Hic homo ſi-
i monſtra fingit quæ debellet: Saltem no-
ſtras Eccleſias immunes eſſe ab eo erro-
e quem is impugnandum hic ſuſcipit
ublicè proteſtamur. Cum enim noſtri
Doctores & ipſa Synodus Dordracena,
niverſaliter apud nos recepta, hominem
lapſum & peccatorem objiciant præde-
inationi Divinæ, ut neminem ſtatuunt
ræteritum ſive non electum *ſine conditio-*
e peccati illius communis in quo omnes
acebant, & per quod rei jam erant mor-
is æternæ Rom: v, 12. ita neminem aſ-
ſeruut poſitivè *æternis cruciatibus* deſtina-
um fuiſſe ab æterno, niſi ex præviſione
e merito tum peccati originalis, tum
eccatorum actualium ex illo pullulan-
ium, quæ ultrò & ſponte ſuâ ſibi in na-
iva corruptione juſtè derelicti erant ad-
miſſuri. Quin autem in illis puniendis
Deus æquè juſtitiam ſuam commendet,
tque indebitam ſuam gratiam & miſeri-
ordiam in alijs è communi miſeria eri-
iendis, nemo ſanus poterit inficiari.
Cætera quæ addit Crellius grandiloquus,
rgent quidē utcunque eos qui ſupra lap-
um aſcendunt in objecto prædeſtinatio-
is definiendo; ſed cum hæc ſit privato-
um duntaxat ſententia, cui etiam nos
oſtra *Xenia Academica* ſub initium hujus
nni 1650. oppoſuimus, eam ipſis de-
endendam relinquimus. Sufficiat dixiſ-
e I. Neminem à Deo reprobari *ſine con-*
itione peccati. II. Deum non *decreviſſe*
t homines *peccarent*, neque illis impo-
uiſſe neceſſitatem abſolutam peccandi,
ed tantum decreviſſe permittere eorum
ltronea peccata, & quia illa impedire
on tenebatur, & quia poſt communem
apſum meriti erant ut ſibi ipſis relinque-
entur, & *cupiditatibus cordium ſuorum ad im-*
uritatem traderentur Rom: I, 24. III. De-
retum Dei de peccato permittendo, om-
em agendi *libertatem* neutiquam auferre,
um homines ultrò & ſponte ſuâ ruant in
celera. IV. Non ideo Deum decreviſ-
e permittere ut homines peccarent, quo
ſed ſupplicia æterna mererentur & juſtè
puniri poſſent, ſed decreviſſe I. Per-
mittere lapſum ſpontaneum primi homi-
nis quem rectum condiderat, quo ho-
mo ſuæ mutabilitatis exemplo diſceret
quantum ſit inter Creaturam & Creato-
rem diſcriminis: nec enim Deus tenebatur
amplius eum contra peccatum inſtruere
& munire quam per juſtitiam originalem
& libertatem arbitrij munitus fuerat;
2. Permittere peccata actualia hominum
jam lapſorum, quod in illo ſtatu nativæ
corruptionis ita deſeri & ſibi ipſis relin-
qui mererentur, ipſaque hæc deſertio
ex parte Dei rationem habeat pœnæ jam
illis ex peccati originalis merito juſtè de-
bitæ. V. Illam neceſſitatem peccandi,
partim merè extrinſecam & hypotheti-
cam ſive conſequentiæ ex decreto Dei
permiſſivo, partim etiam intrinſecam &
moralem ex nativa corruptione, nec
Deo adſcribere culpam peccatorum quæ
ultrò ab hominibus committuntur, nec
homines à culpa liberare; tum quia ſpon-
te & ultrò ruunt in ſcelera, tum quia
malè agendi neceſſitas moralis, ſive im-
potentia benè agendi, quam illis paſſim
tribuunt Sacræ Scripturæ, malum eſt in
ipſis culpabile & ἐπισπαστὸν quod ſuo
jumento ſibi adduxerunt. VI. Nullos
innocentes unquam à Deo puniri, ne-
dum deſtinari æternis ſupplicijs, quæ
ſolis incredulis & rebellibus προγε-
γραμμένοις εἰς τοῦτο τὸ κρίμα Iudę com.
4. parata ſunt. VII. Deum nihil odiſſe
præter peccatum Pſal: v, 6. Habac: I, 13.
cujus juſtam pœnitionem voluit ceu ju-
ſtus judex eſſe mortem Gen: II, 17. Rom:
VI, 23. Mortem ergo Deus non fecit,
juxta Philonem Sapientiæ ſcriptorem,
ceu author culpæ, ſed eam tamen juſtè
infligit peccatoribus, ceu juſtus judex
& author pœnæ Hamoſi III, 6. Ac ſicut
parcit omnibus, (ut ex eodem Philone ur-
get Crellius) nempe juſtis aut reſipiſ-
centibus, ita ſolet reſiſtere ſuperbis &

eos debellare. Quod vero ſubdit Philo de *medicamento exterminij*, etiam verum eſt, ſi conſideremus naturam qualis a Deo prodijt, & quoad primos illius *ortus*, non item ſi ea expendatur qualis evaſit per peccatum & quoad noſtros nunc *ortus* ſub illo; quod nec latuit ipſum Sapientiæ authorem dicentem cap. 11, 23. & 24. *Deus creavit hominem in integritate & imaginem propriæ ſimilitudinis fecit eum; invidiâ autem Diaboli*, primos parentes ſeducentis, *mors introivit in mundum*: Et quamvis Deus illâ non *delectetur*, ut eſt creaturæ deſtructio & interitus, quis tamen dubitabit Deum illâ delectari, ut eſt pœna debita peccato & ad exercitium juſtitiæ ſuæ pertinet? VIII. Nullos homines creari ad æterna & inevitabilia ſupplicia; ſed homines creatos ad imaginem Dei & per illam ad fœlicitatem æternam, ultrò deſeciſſe à Deo & reatum mortis æternæ contraxiſſe Eccl: VII, 30. Quod igitur homines ſint & vivant, *beneficium* eſt Dei Act: XVII, 28. Quod vero miſeri ſint & peccatores, ſibi ipſis debent imputare. Ac ſicut Deus poteſt ab ipſis, tum jure ſuæ ὑπεροχῆς, tum in agnitionem beneficiorum à ſe acceptorum, amorem & cultum ſibi debitum exigere, ita poteſt eos ob officij debiti neglectum juſtè punire: & tantum abeſt ut illos *ante omnem inobedientiam* deſtinarit ad pœnam, ut è contrario pœnam nullam cuiquam Deus infligat vel decernat, niſi ex antegreſſæ inobedientiæ merito & reatu. IX. Deum ſic permiſiſſe peccatum primi hominis, ut licet illi non dederit auxilium indebitum quo ſtaret & perſeveraret, attamen non ſubtraxerit ei auxilium priùs collatum, cujus vi poterat perſeverare & ſtare ſi vellet: Nec enim eorum admittimus Paradoxon qui ad permiſſionem primi peccati volunt ſubtractionem poſitivam auxilij præcedanei quo homo ſtabat pertinere: Et ſi qui ſint è noſtris quibus illud exciderit, Deum primo homini ſubtraxiſſe auxilium & gratiam ſtandi ac perſeverandi, debent potiùs intelligi de ſubtractione *negativa* auxilij *quo* neceſſariò ſtaret, quam de poſitiva auxilij *ſine quo non* ſtare potuiſſet, ut diſtinguunt Scholaſtici ex Auguſtino. Ultrò igitur & ſponte protoplaſtus peccando abjecit auxilium quod à Deo nactus erat, illo non uſus uti potuiſſet ac debuiſſet; non vero Deus illi abſtulit & ſubtraxit, vel ut peccaret, vel priuſquam peccaret. Aſt homini jam peccatori Deus ſubtrahit & *negativè* auxilium gratiæ indebitæ reſurgendi à peccato & benè agendi Rom: XI, 35. & quandoque *poſitivè* quicquid in illo ſupererat recti luminis, quod ita meritus ſit: Et quamvis ex utraque hac *ſubtractione* in homine peccatore ſequatur neceſſitas peccandi, adeo ut *non poſſit non peccare*, tamen non ideo extra culpam eſt collocandus, ut omnes fatentur. X. Permittendi nec impediendi, cum utique potuiſſet, primi peccati, Deo ita juſtas fuiſſe rationes, ut ex peccato jam commiſſo, *materiam* habeat *miſericordiæ & juſtitiæ* ſuæ *exercendæ*; non vero ſimpliciter voluiſſe eum in finem homines labi & miſeros ac peccatores fieri in Adamo, ut quorundam miſereretur, quoſdam plecteret. Denique Anathema nos ijs dicere qui faciunt Deum authorem, cauſam-ve peccati, aut ſtatuunt eum *iniquitatem velle*, vel homines *ad peccandum impellere*. Subſcribimus igitur hactenus Syracidi, quem tam pompoſè citat Crellius, docenti & neminem poſſe ſui peccati culpam in Deum tranſcribere, & primum hominem in ſtatu integritatis (de eo enim Syracidem loqui, vel ipſi Ieſuitæ, ut Tirinus nominatim, agnoſcunt.) ita relictum fuiſſe *in manu ſui conſilij*, ut penes ipſum ſtare fuerit vel cadere; ſic tamen ut ſuo lapſu totum genus humanum peccato & morti mancipârit. Hæ ſufficiant hîc ſtricturæ oppoſitæ Crellio, cum umbra ſua luctanti, & per calumniam nobis ea affingenti dogmata quæ non minus quam ipſe deteſtamur, etſi cum eo & ſuis gregalibus in

Digitized by Google

libus in Pelagianorum imò Epicuræorum caſtra tranſire detrectemus. Sed poſtea de his pluribus alibi commodiùs agendum erit.

Ea vero, quæ hucuſque diſputata ſunt, non impediunt, quò minùs Deus quædam decernat, quæ ſine creaturarum ipſarum pravitate perfici non poſſunt; ſi modò decreta ejuſmodi tacitam contineant conditionem, aut hypotheſin, extituros nempe homines, qui ob improbitatem ſponte ſua conceptam, aut vitium aliquod voluntarium, ad ea decreta exſequenda ſint apti, & veluti accincti. Sic enim nihil erit opus, ut quicquam ad ipſam hominum pravitatem conferat Deus, aut quicquam tale faciat, unde eam in ipſorum animis naſci ſit neceſſe. Satis erit voluntariâ hominum malitiâ aut vitio uti, eamque ad finem certum dirigere. Itaque culpa tota eſt creaturæ, decretum divinum, ſub certa hypotheſi aut conditione factum, exſequentis, non Dei. Culpa enim tota in eo eſt, quòd quis improbus ſponte (nam aliàs ne improbitas quidem foret) evadat, quòd vitium aliquod contrahat, aut conſilium pravum ſuſcipiat, & ſic talem ſeſe præſtet, ut occaſionibus, quæ ipſi objiciuntur, & incitamentis, eum ad peccandum impellentibus, reſiſtere jam non poſſit, vel vix ac ne vix quidem poſſit, præſertim auxilio divino deſtitutus. At homines ob ipſorum peccata auxilio ſuo deſtituere, & pravas eorum mentes ac conſilia in bonum finem dirigere, vitioſum non eſt. quare nec iſta decernere. Quicquid enim facere ſine vitio poteſt quiſpiam, poteſt & decernere. Huc pertinent divina decreta ac vaticinia de Chriſto per aliquem ex domeſticis prodendo, & à Judæis occidendo, (*Ioh: 13.18: 17.12. Act: 2.23.*) & alia his ſimilia.

‡ *Ea vero quæ hucuſque*] Vt vero nihil tale poteſt decernere quin ipſa creaturarum pravitas præſupponatur futura, ita ex hypotheſi futuri lapſus Adami & in Adamo omnium ſuorum poſterorum, quibus ſtabat aut cadebat, potuit ex illis alios ad vitam miſericorditer eligere, alios juſtè in illa communi miſeria relinquere.

Si modo decreta ejuſmodi] De decretis conditionatis quæ iſti homines fingunt alibi commodiùs diſputabitur. Vno verbo cum juxta ipſos Ictos conditionum aliæ certæ ſint ſive certò exituræ, aliæ incertæ & eventus dubij, nequeunt decreta Dei, ut pote certa & immutabilia, ſuſpendi ex conditione incerta & dubia; adeoque nulla decreta eo ſenſu conditionata debent admitti: Sed ut decretum quoddam de futuro aliquo eventu præſupponat antecedaneam aliquam conditionem certam & indubitatè exituram, facilè largimur; At tunc illius præcedaneæ conditionis indubitata fururitio, iterum in aliquod ſpeciale Dei decretum illius effectivum vel permiſſivum refundi debebit. Saltem ad ejuſmodi decreta faciendi, quæ hic commemorantur, debet Deus certò & determinatè præſcire, contra quam capite ſuperiori diſputabat adverſarius, tales *extituros* homines, qui ob *improbitatem* ſuam voluntariam illis exſequendis *apti* ſint.

Sic enim nihil erit] Nequè id opus eſſe ſtatuimus: cum Dei decretum de illa improbitate certò permittenda, ſolam neceſſita-

neceſſitatem externam & infallibilitatis eventus importet, non autem internam, phyſicam & naturalem determinationis ad unum, aut violentam & coactionis.

Satis erit voluntariâ] At ſicut illa debet actu exiſtere, ut Deus eâ utatur ad ſuum decretum quod *ſine illa perfici non poſſet* exſequendum, ita debet ſupponi certò *exſtitura* cum Deus decretum illud condit, ne videatur magnam Conſiliorum variorum molem inædificare conditioni incertæ, & quâ deficiente ſuo fine fruſtraretur.

Quis improbus ſponte] Tales omnes facti ſunt in Adamo, in cujus voluntate, voluntates omnium continebantur; adeoque ex ſuppoſitione lapſus, ut nemo amplius fuit quem Deus jurè auxilio ſuo deſtituere non poſſet, ita nemo fuit cujus non ſemper reperturus eſſet voluntariam malitiam aptiſſimam decretis illis ſuis exſequendis quæ abſque ipſa perfici non poſſent.

Reſiſtere jam non poſſit] Habes hic, amice Lector, Crellium confitentem in nonnullis hominibus impotentiam benè agendi, ſive neceſſitatem moralem peccandi, quam tamen non dixerit illis liberum ſuum auferre arbitrium.

At homines ob] Nos vero nihil aliud vel ſtatuimus; vel docemus.

Huc pertinent divina] Atqui hæc *decreta* & *vaticinia* abſoluta fuerunt, non conditionata, mutabilia & incerta; adeoque certò & infallibiliter præſciri debuit proditio Iudæ, etiam antequam eſſet natus, aut actu accinctus ad illam exſequendam.

233. Iis autem, quæ diximus, vicinum illud eſt, quòd Deus ſalvâ ſuâ ſanctitate ac juſtitiâ, poſſit homines improbos tradere in deſideriis eorum in immunditiam; tradere eos in reprobum ſenſum ſeu mentem, ut faciant ea, quæ non conveniunt. (*Rom. 1. 24, 26, 28.*) Eam enim ad rem nihil aliud ex Dei parte neceſſarium eſt, quàm ut homines improbitati ſponte ſuſceptæ relinquat, auxilium eis ſuum ſubtrahat, & repagula, quæ improbitatem ipſorum aliquo modo coërcere ac reprimere poſſent, tollat, & ſic ope ſuâ deſtitutos Satanæ fraudi ac libidini exponat. Magna enim conſuetudinis pravæ, magna occaſionis vis eſt, præſertim ſi hinc quidem Deus cupiditatem hominis non coërceat, illinc multæ invitent ac trahant illecebræ, vel etiam, ni peccet, ingens periculum ac damnum conſequuturum appareat. Tantò autem major earum rerum vis eſt, quòd eæ Satanæ aſtutiâ gubernentur, & ad earum vim occulti ejus impulſus accedant. Has difficultates eluctari animus jam ſponte ſua pravus non poteſt, vel vix ac ne vix quidem poteſt. Licèt enim non ſit naturâ ſuâ impoſſibile, hominem ſibi tantam vim inferre, ut animi improbitatem ſponte conceptam tunc deponat: eſt tamen adeò difficile, ut impoſſibile non immeritò poſſis dicere.

† *Auxilium eis ſuum ſubtrahat*] Et negativè, illis indebitam gratiam non concedendo, & poſitivè, extinguendo quod reſiduum erat luminis & conſilij in eorum mentibus, juxta tritum illud, *Iupiter quos perdere vult dementat.*

Magna enim conſuetudinis] Adde & nativæ illius corruptionis, medullis noſtris penitiſſimè inſitæ, per quam omnis imaginatio cordis humani malum eſt omni tempore.

Licèt enim non ſit] Imò tam *impoſſibile* eſt quam

Digitized by Google

eſt quam arborem malam bonos fructus ferre Matth: VII, 18. aut æthiopem cutem ſuam mutare, vel pardum liventes maculas ſuas Ierem. XIII, 23. aut hominem peccatorem, abſque omni Dei auxilio, imò eo deſtitutum ex ſpeciali Dei decreto, ex ſeipſo aliquid boni vel facere, vel cogitare, contra quam docemur Ioh: XV, 5. 2. Cor: III, 5. Hanc verò malè agendi neceſſitatem, utut abſolutam, & quamdiu medicinali Dei gratiâ non tollitur, ita Crellius debet conciliare cum arbitrij humani libertate, ut eo ipſo fateatur, ſæpè id ſpontè & liberè fieri, quod tamen ita fit neceſſariò ut impoſſibile ſit non fieri.

Ex quo etiam intelligitur, quomodo Deus homines malos indurare queat. Dico autem malos; quia nunquam quenquam niſi ſponte ſua malum aut contumacem induraſſe legitur. præſertim cum induratio pœna quædam ſit, quanquam talis, quæ ad majorem ac graviorem ducat. Deus autem neminem, ut poſtea docebimus, punit innocentem; nedum ut impedire velit, quominus ille id faciat, quod ipſi gratiſſimum eſt, quódque ipſe præcepit. qua in re induratio conſiſtit. Id enim tum demum facit Deus, cùm homo ipſi parere obſtinatè noluit tunc, cùm parere poſſet. Itaque cùm pœnam, & quidem gravem fuerit commeritus; dignus eſt, cui via eam effugiendi præcludatur. Quia verò Deus omnibus reſipiſcentibus & vitam emendantibus peccata condonat; ideò cùm pœnam diutiùs differre cogitat, aut ea homini ſupplicia infligere, quæ animi contumaciam frangere aliàs facilè poſſent, & eum ad reſipiſcentiam adducere; eum indurat, & ſic viam illi, quominus ſupplicium effugiat, præcludit. Eſt nempe induratio inſtar vinculorum ac carceris cujuſdam, quo malefici ad ſupplicium veluti detinentur. Ad eam verò generatim loquendo nihil aliud requiritur, quàm ut omnia remedia homini ſubtrahat Deus, quibus animi contumacia ſponte contracta molliri poſſet, vel ſaltem ita illa moderetur, ne animi duritiem omnino frangant, permiſſa Satanæ, ut eam alat, aut etiam augeat, poteſtate. 234.
Nam ſi homines etiam tunc pervicaciam animi vel ſuſcipiunt, vel deponere nolunt, cùm à Deo invitantur, cùm auxilia illis ſubminiſtrantur, quibus flecti in melius poſſent; quid cogitamus fieri, cùm auxilio divino deſtituti, ubique animarum ſuarum hoſti patent? Neque verò neceſſe eſt Satanæ imperare, ut hominum contumaciam alat, ut eos in ſcelera impellat. ſua ſponte in id perpetuò excubat, divinæ gloriæ, humanæ ſalutis, ac porrò etiam pietatis perpetuus atque infenſiſſimus hoſtis. Vincula tantùm, quibus à Deo tenetur conſtrictus, illi aliquantùm laxari ſatis eſt. Interim tamen indurationis vis non eſt planè ineluctabilis, præſertim ſemper. (*conf. Rom. 9, 22. 10. 1, & d. 11, 14, 23.*) Cùm enim Deus homini mentem non eripit, nec naturalem arbitrii vim eidem eripit; ſed, cùm à malitia intùs jam ſit valde conſtricta, & deteriori parti veluti adſtricta, exterioribus eam vinculis, quæ malitiam ac contumaciam ſolvi non facilè patiuntur, adhuc

magis

Digitized by Google

magis conſtringit. Ideo vix ullæ ſunt illius ad bonum vires. Quòd ſi tamen, id quod proculdubio rariſſimè fit, diuturniore temporis ſpatio conceſſo, ſe aliquantùm à malitiæ nodo, adjumenti fortè aliquid exterius nacta, expedierit, divinæ voluntati conſentaneum eſt, ut indurationis quoque vis ceſſet. Hæc enim animi malitiam homini non ingenerat, ſed ſponte ſuſceptam ac voluntariam præſupponit, ſine illa vim ſuam amiſſura. Et ſanè dignum eſt Deo, contumaces ita conſtringere, ut non niſi per ſummas difficultates, & inuſitato, ut ita dicam, facinore pœnam evitare queant.

‡ *Quia nunquam*] Id quidem verum eſt; ſed & illud quoque concedendum, omnes homines ſub peccato, ceu naturà filios iræ, ſponte ſuâ malos & contumaces eſſe Rom: III, 10. 11. 12.

Cùm parere poſſet] Fateor neminem indurari, niſi qui noluit parere, *cum parere poſſet*, ſaltem in Adamo: Sed nego Deum ſpectare in homine extra ordinem indurando, quid perſonaliter antea potuiſſet; cum omnes ſub peccato & abſque ſpeciali ipſius gratia, *nullis ſint viribus* Rom: v, 6. Satis itaque Deo eſt, ut juſtè quem induret, quod *obſtinatè* parere noluerit, cum parere juberetur & deberet. Exemplum proſtat in Pharaone, quem ex multis peccatoribus Deus ſpeciali decreto ad id ſelegerat, ut potentiam ſuam in ipſo demonſtraret Rom: IX, 17. Exod: IX, 16.

Ideo cum pœnam] Vix aſſequor, quid hic homo ſibi velit. Nam non video quî induratio, quæ ex parte Dei indurantis pœna eſt graviſſima, ad pœnæ dilationem pertineat; aut quomodo tum Deus aliquem induret, cùm ea ipſi infligit *ſupplicia, quæ animi contumaciam frangere aliàs facilè poſſent & eum ad reſipiſcentiam adducere*: ſiquidem vult illi viam ad reſipiſcentiam & emendationem *precludere*: Hæc ſunt planè ἀσύστατα: Sed agnoſco quod ad indurationis extraordinariæ judicium ſpectent quandoque talia media quæ quidem ex parte rei, deberent animi contumaciam infringere & peccatores ad frugem revocare; verum ex parte Dei & occulto ipſius ac ſapienti judicio, & per ipſam hominum malitiam quâ ſiniſtrâ ſumunt quod dextrâ dabatur & auxilia mutant in impedimenta, ut cum cæcus impingit ad ſuum baculum, eventum contrarium ſortiantur; Quod non ſolum liquet Pharaonis exemplo, qui induruit ſub illis ipſis ſignis & plagis quibus emolliri debuiſſet; & quæ naturâ ſuâ apta nata erant illi emolliendo, niſi ex occulto Dei judicio, quo excœcabatur, mens læva fuiſſet; ſed etiam illorum ipſorum gentilium quorum meminit Paulus Rom: 1, 24. & 11, 5. qui cum Deus juſto ſuo judicio tradidiſſet illos deſiderijs & cupiditatibus ſuis, nulla ejus longanimitate & beneficentiâ potuêre traduci ad eam reſipiſcentiam, ad quam tamen ex parte rei ipſa hæc beneficentia ac longanimitas ipſos adducere debuiſſet.

Nihil aliud requiritur] Amplius quid videmus in Pharaone; nempe adhibitionem ſignorum & portentorum, imò & plagarum, quæ licet naturâ ſuâ, emolliendis potiùs quam indurandis peccatoribus debeant inſervire, tamen effectum contrarium in ipſo, per juſtum Dei judicium ſyderato & excœcato, ſortiebantur; quod & futurum jam ante Deus prædixerat, ut pote qui in iſto Rege ſpecimen ſingulare extare vellet & ſuæ potentiæ, & humanæ contumaciæ. Ac ſicut bonis omnia cedunt in bonum, etiam quæ aliàs nocitura videbantur Rom: VIII, 28. ita impijs omnia cedunt in perniciem, etiam quæ cæteroquin prodeſſe

deſſe

Digitized by Google

deſſe debuiſſent, ut hydropicis ciborum optimorum ſuccus in aquam intercutem abit.

Interim tamen indurationis] Quaſi vero homo peccator Divinos carceres, quibus ad ſupplicium detinetur, effringere, & ex graviſſima pœna, quâ ſubtrahitur ipſi omne Dei auxilium, abſque ullo Dei auxilio & proprijs viribus unquam eluctari queat; aut Deo invito, qui vult ipſi præcludere viam ad reſipiſcentiam & ſalutem, quod ita ſit commeritus, nihilominus reſipiſcere & ſervari. Nec favent huic dogmati loca Pauli citata Crellio. Licet enim Deus aliquamdiu iram cohibeat adverſus *vaſa iræ* Rom: IX, 22. manent tamen illa *compacta ad interitum*. Studium vero Apoſtoli erga ſuos populares Rom: X, 1. XI, 14. maxime cum ipſum lateret quid de ſingulis Deus decreviſſet, & adhuc illo *tempore reſervatio ſecundum electionem gratuitam facta eſſet* Rom: XI, 5. charitatis ſuæ eſt indicium, non vero argumentum mutabilitatis in decretis Divinis, contra quam ibidem com. 7. dicitur, *Quod requirit Iſrael hoc non eſt adeptus; ſed electi aſſequuti ſunt, reliqui verò occaluerunt*. Quod autem extat Rom: XI, 23. primò eſt conditionatum; & notum conditionem nihil ponere in eſſe; Deinde dicitur quidem de populo Iudaico in communi, quem reſciſſum propter incredulitatem à Dei fœdere, Deus poſſit iterum ad ſe convertere & fide donare quâ oleæ inſeratur, non vero de iiſdem numero perſonis, ut quas ſemel Deus indurare & excœcare ſingulari ſuo judicio voluerit, poſtea contingat emolliri & ad officium ſponte redire.

Cum enim Deus] Manet illi cum mente in genere entis *naturalis arbitrij vis*, quâ ſponte & ultrò vult quicquid vult: Sed ut mens recto lumine deſtituitur, ſic arbitrium ita peccato tenetur mancipatum, ut ſuis viribus, vincula hæc duplicata nunquam abrumpere queat.

Ideo vix ullæ] Imò *nullæ* ſimpliciter: adeo non repugnat hominem agere liberè quod agit, ut nihilominus arbitrium ejus *deteriori parti* adſtrictum inſuperabiliter maneat.

Quod ſi tamen] Quin nec poſſibile eſt id evenire, quicquid ſibi ingrati iſti homines de ſuis viribus imaginentur; nam induratio ſubtrahit omne Dei auxilium, abſque quo non video quî poſſit ſuapte à *malitiæ nodo*, vis arbitrij ſe expedire, aut Deo ſubtrahente & negante, *adjumenti fortè aliquid exteriùs* nanciſci, cujus ope ſe aſſerat in libertatem. Ac licet induratio Divina *animi malitiam homini non ingeneret*, ſed ſupponat, hanc tamen illius *vinculis*, ut Crellius loquitur, magis conſtrictam, tum poterit homo excutere, cum *leves paſcentur in æthere cervi*; *Et freta deſtituent nudos in littore piſces*: nullumque poteſt excogitari inuſitatum facinus, quo homo gratiâ Dei deſtitutus, & indurationis Divinæ pluſquam adamantinis vinculis conſtrictus, queat ulla ratione pœnam, omnem effugiendi viam Deo ipſo præcludente, evitare.

Intelligitur denique hinc, quomodo etiam aliàs peccata peccatis punire poſſit Deus, & talia hominibus, etiam non planè improbis, comminari, quæ ſine ſcelere ab iis fieri non poſſunt. quale fuit illud, quòd Chriſtus comminatus eſt Petro, (*Mat: 26.31, & d.*) eum ter ſeſe abnegaturum: cùm nimirum Domini ac Magiſtri verbis, auctoritate etiam antiqui vaticinii communitis, nimis audacter reſtitiſſet, & conſtantem præ cæteris omnibus erga Dominum in periculis fidem nimis audacter promiſiſſet, ac cæteris diſcipulis ejuſdem temeritatis veluti ſignum erexiſſet. Duo enim inprimis hîc ſunt obſervanda.

Digitized by Google

ſervanda. alterum eſt, ad eam rem non fuiſſe opus, voluntatem negandi Dominum animo Petri occulta quadam ratione inſtillari. Satis enim fuit, eum ope divina deſtitutum, imbecillitati ſuæ, cum nimia ſui fiducia conjunctæ, relinqui; & Satanæ vim atque aſtutiam, ipſum, ut Chriſtus monuerat, tentare volentis, non cohiberi. Nam ipſius ſimul temeritate, & Satanæ eâ utentis aſtutiâ factum eſt, ut in id præcipitium, unde delapſus eſt, dedu-
235. ceretur, & tanto tam graviter peccandi diſcrimini objiceretur. Imbecillitas autem effecit, ut ejuſdem Satanæ inſtinctu atque arte, objecta ei peccandi occaſione, periculi ſeſe undique oſtendentis metu perculſus, ſuccumberet. Ut autem divino auxilio hac in parte deſtitueretur, ſuâ illâ audaciâ ac confidentiâ commeritus fuerat; præſertim quia remedium illud uſurpare neglexerat, quo poterat ſeveritatem hujus comminationis mitigare, & pœnam hujuſmodi ac flagitium à ſe deprecari atque avertere. Nam ut alterum etiam addamus, quod hîc obſervandum eſſe diximus; quemadmodum multæ aliæ Dei comminationes, licèt ſimpliciter prolatæ, prorſus tamen abſolutæ ac irrevocabiles non ſunt; ita nec hoc decretum videtur fuiſſe abſolutum, ac penitùs irrevocabile. Patet id ex eo, quòd Chriſtus etiam poſt illud tempus, Petrum nominatim unà cum Jacobo & Johanne ita monuit: (*ib: verſu 40, 41.*) *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Quorſum enim iſtud monuit, ſi fieri nulla ratione poterat, ut Petrus adverſus tentationem ſubſiſteret, & Dominum haud negaret? Itaque nihil eſt credibilius, nihil etiam rectitudini divinæ, cum ſumma benignitate conjunctæ, magis conſentaneum, quàm Deum id decretum mitigaturum fuiſſe, ſi iis, quæ adhibere poterat, remediis fuiſſet uſus, h. e. ſi illa Domini comminatione aut prædictione audita, in ſe rediiſſet; ſi culpam deprecatus, Dominum etiam ipſum rogaſſet, ut pro ſe preces apud Deum interponeret; ſi ipſemet imbecillitatis ſuæ memor, ad Dei opem, à Domino præſertim monitus, ſupplex confugiſſet, eum aſſiduè ardenterque rogâſſet, ne Satanæ tantum permitteret virium, ut ipſum vinceret, ſed ſuæ imbecillitati ſuccurreret; ſi denique temeritate ac nimiâ ſui fiduciâ depoſitâ, occaſioni & periculo peccandi ultrò ſe offerre noluiſſet, imò eam quàm diligentiſſimè cavere ſtuduiſſet. Hæc cum facere neglexerit Petrus, in eum impegit ſcopulum, in quem ſe impegiſſe mox acerbè flevit.

1 *Peccata peccatis punire*] Peccatum ſubſequens vergit in pœnam præcedentis, non reſpectu ejus quod habet turpe & vitioſum, ſed reſpectu ejus quod habet triſte & damnoſum.

Etiam non planè improbis] Peccatoribus tamen, nec planè innocentibus: Illi enim peccatores ſupponi debent, quibus Deus euſque ſubtrahat ſuam gratiam, vel ſaltem quoad actum ſecundum, ut

eos ſinat

eos ſinat graviter labi, quò ſuæ infirmitatis & labilitatis moniti cautiùs in poſterum mereantur, & conſtantiùs dicant Domino, *Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.*

Quod Chriſtus comminatus] Aſt non fuit hæc Chriſti ſimplex comminatio, ad præcavendum peccatum a quo Petrum dehortaretur, ſed fuit abſoluta prædictio ejus quod Deus permiſſurum decreverat ut infringeret feroculam illam fiduciam quam præ ſe Petrus ferebat, cum diceret Matth: XXVI, 33. *Etiam ſi omnes offenderentur in te, ego nunquam offendar*, & illius exemplo, omnibus in Eccleſia illud Paulinum accineret 1. Cor: X, 12. *Qui ſibi videtur ſtare, videat ne cadat.* Sed Crellius ex prædictione facit comminationem ut ſerviat ſuæ hypotheſi: quia lapſus Petrini prædictio certa per Chriſtum, jugulum petit doctrinæ illius blaſphemæ quam capite ſuperiori de præſcientia Dei mordicùs tuebatur.

Præſertim quia remedium] Sed & in eo quod iſtiuſmodi *flagitium*, non ſatis attendens ad verba Chriſti, *à ſe deprecari atque avertere* neglexit, pars jam aliqua fuit ſubtracti, ſaltem in actu ſecundo, auxilij Divini.

Ita nec hoc decretum] Dum Crellius hic adhibet voculam *videtur*, oſtendit quam nihil certi auſit definire: Agnoſco comminationes Divinas conditionem ſemper adjectam habere, vel tacitam, vel expreſſam; adeoque cum prædictionibus aut decretis de rebus futuris non eſſe confundendas: Sed nego Chriſtum hic comminatoriè duntaxat eſſe loquutum; Quam enim indubitata eſſet rei certò eventuræ prædictio, vel ipſa particula *Amen*, quam præmiſit, evidenter comprobat; *Amen dico tibi, iſta nocte antequam gallus vocem mittat, me ter abnegabis.* In eo enim non tantum voluit Chriſtus ſupercilium illud quod Petrus ſibi ſumebat eâ comminatione deprimere, ſed etiam ſummum ſe Prophetam teſtari, certâ prædictione ejus rei, quæ nullâ ſagacitate creata prævideri poterat, cum necdum eſſet in ſuis cauſis proximis & ſecundis, ſed ad unius Dei decretum de hoc lapſu permittendo ſpectaret.

Patet id ex eo] Imò vel ex eo magis patet quod pertendimus, id neceſſariò & infallibiliter eventurum fuiſſe, quandoquidem Deo auxilium gratiæ ſuæ internæ illi ſubtrahente, eo jam devenerat ſtuporis, ut nequidem, præmonitus licet officij à Chriſto cum reliquis duobus coapoſtolis, quiverit evigilare, & pijs ad Deum precibus ſe contra imminentem tempeſtatem præmunire.

Quorſum enim iſtud monuit] At hæc communis admonitio, fructum ſuum obtinuit utcunque in duobus alijs, qui videntur magis ad preces evigilaſſe quam Petrus, quem Dominus ſpeciatim ideo carpit com. 40. Deinde ſuum fructum erat obtentura in futurum in Petro & in omnibus pijs ad eorum inſtitutionem, etſi pro illo tempore Deo ſtatutum conſtanter erat Petri lapſum permittere. Adhæc ſæpè fit ut divinitùs ſui admoneantur officij, quo magis inexcuſabiles reddantur, illi quos tamen jam ante Deus decrevit ſinere labi, & ijs ſe malis implicare, quæ præcavenda illâ officij ſui præſtatione fuiſſent: Capys, Laocoon, Caſſandra, apud Poëtam, fruſtrà dehortantur Trojanos ab equo fatali intra urbem recipiendo. Prætereà etſi reſpectu gratiæ Dei habitualis, quæ Petro fuerat conceſſa, poterat fieri ut adverſus tentationem ſubſiſteret, quomodo verum eſt pios & regenitos ſemper plus boni facere poſſe quam revera faciunt, tamen cum Deo decretum eſſet ad ipſius Petri caſtigationem & humiliationem illius gratiæ habitualis actum & efficaciam tantiſper cohibere, ejus lapſum permittendo, prout antea dum inambularet aquis, ut de ſua ὀλιγοπιστίᾳ edoceretur, ſubducebat paulatim manum & eum mergi ſinebat, non potuit fieri aliter, quin huic tentationi ad

Digitized by Google

eni ad tempus ſuccumberet. Et ipſe eventus, decretorum ac conſiliorum Dei optimus interpres, comprobavit evidenter oportuiſſe ſic fieri: ut fruſtrà ſe fatiget Crellius in ariolando quid fuiſſet futurum, ſi Petro mens non læva fuiſſet, & ad Dei *opem* jam præmonitus periculi, *ſupplex confugiſſet*: Si enim hoc Petrus facturus fuiſſet, non prædixiſſet ei Chriſtus in anteceſſum, quod non fuiſſet eventurum. Imò quod illud *facere neglexerit Petrus*, ad executionem ipſiuſmet prædictionis pertinuit, & pars fuit occultæ illius diſpenſationis per quam tantiſper *divino auxilio* deſtituebatur.

Hucuſque de priori potiſſimùm juſtitiæ ſeu rectitudinis divinæ munere egimus, quod in eo cernitur, quòd nihil eorum agat Deus, quæ ſine pravitate fieri nequeunt. Sequitur ut poſterius quoque videamus, quod in eo conſiſtit, quòd omnia illa faciat Deus, quæ ſine pravitate omitti non poſſunt. Quanquam in eo quoque explicando ſubinde facienda eſt mentio eorum, quæ ſine pravitate fieri nequeunt. Actiones autem, in quibus illud juſtitiæ munus cernitur, triplices conſtitui poſſunt; unde inſigniores quædam emergunt juſtitiæ univerſalis partes. Vel enim facta ſunt, vel dicta,
236. vel de alterutris decreta. In factis, & propter facta etiam in decretis, quæ de illis fiunt, juſtitia particularis inprimis cernitur: in dictis ac factis ſinceritas, quæ veritatem in ſe complectitur: in omnibus, ſed maximè in decretis, conſtantia. Dicimus autem, in factis juſtitiam particularem inprimis cerni, non ſolam. Nam ne de ſinceritate, itemque de conſtantia, nunc quicquam dicam; ſunt & alia quædam juſtitiæ univerſalis munia, in faciendo, non in omittendo poſita, quæ ad juſtitiam particularem non ita commodè revocari poſſint, ut, quòd Deus, cum creaturas rationales produxerit, etiam id egerit, atque agat, ut dignitati ac præſtantiæ naturæ ſuæ convenienter viverent vivantque: licèt interea poſſit creaturas ſponte improbas deſerere, & ſuæ illas libidini conſtringendas tradere, quemadmodum ſuprà dictum eſt. Huc etiam pertinere videtur, pœnam decretam ab extremè improbis ac contumacibus exigere, & veniam illis non concedere. Hæc enim ad juſtitiam particularem propriè non pertinent: ſed ad eam, quæ id, quod rectum atque honeſtum eſt, ſimpliciter ſpectat. Particularis enim juſtitia ea eſt, ut ſuprà vidimus, quæ jus ſuum alteri tribuit. Tribuere autem non tantùm eum dicimus, qui quod alteri debet, reddit; ſed etiam, qui nihil præter jus faſque vel exigit ab altero, vel ei adimit. Adimi autem poſſunt non tantùm bona externa, fortunæ vulgò tributa, ut opes ac honores, ſed & vita ac valetudo, corporiſque integritas, pudicitia; ne de aliis nunc dicam, quæ extra nos ſunt poſita, ut ſunt uxor, liberi, eorum pudicitia, aut integritas.

‡ *Etiam id egerit atque agat*] Hoc generaliùs & indiſtinctiùs dicitur: nec debent ad

bent ad *juſtitiam* retrahi quæ ſunt vel ὑπερ-ε-χῆς Legiſlatoriæ, vel Providentiæ Divinæ. Hoc equidem fuit juſtitiæ & æquitatis, quod cum Deo decretum eſſet hæc & illa officia, naturæ intelligenti convenientia, exigere ab homine, illi primitùs contulerit facultatem & vires ea explendi: quia injuſtum fuiſſet illum ad impoſſibile obligare; Sed poſtquam illas vires ſuâ culpâ amiſit, non excidit Deus ſuo jure, neque ex juſtitia tenetur illi novam conferre facultatem præſtandi quod juſſerit: Quin eo ſenſu non diffitetur ſe *metere ubi non ſevit, & inde cogere ubi non ſparſit* Matth: xxv, 26.

Pœnam decretam] At hanc exigere non tantum Veracitatis eſt & Conſtantiæ, quia decreta eſt, ſed etiam Iuſtitiæ, quia illius eſt pœnas commeritas à ſontibus repoſcere; adeo ut pœnę exactio ad ea pertineat, quæ à Deo *ſine præ itate omitti non poſſunt.*

Hæc enim ad juſtitiam] Id minus verum eſt; Licet enim piorum remuneratio per Deum, ad juſtitiam univerſalem, ideſt Beneficentiam, Veritatem, Fidem, Conſtantiam pertineat; tamen præmiorum & pœnarum diſtributio, ut à Rectoribus fit, juſtitiæ eſt particularis, ex communi Philoſophorum moralium conſenſu; unde Chryſippus apud Gellium *lib.* 14. *noct. att. cap.* 4. Iuſtitiam faciebat *aſpectus vehementis & formidabilis.* Et pariliter Aſtræam Iovis Filiam ad Patris latus collocatam & criminum pœnas continuò exigentem, veteres ſunt fabulati, ut author eſt Plato *in Gorgia.*

Tribuere autem] At etiam ſuo ſenſu Magiſtratus ſonti reddit & tribuit, quod ipſi debetur, dum eum plecti curat pro ratione ſui delicti. Sic enim latro converſus ſuum ſocium redarguens ei dicebat Luc: xxiii, 40. *Et nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus.* Quin Accurſius laudatur Mynſingero *ad Inſt. de juſt. & jure §.* 1. *n.* 17 quod illud *jus ſuum* in definitione juſtitiæ particularis quam proponit Imperator, *meritum* interpretatus ſit, *quia juſtitia tribuit cuique & quod ipſe meruit, ſive præmio afficiendi ſint boni, ſive pœna mali.*

Adimi autem poſſunt] Sed & hæc ademptio, ſi benè & legitimè procedat, non poteſt non habere rationem mulctæ & pœnæ; adeoque vel ex ipſa definitione, quam proponit & probat Crellius, liquet pœnarum exactionem ad juſtitiam particularem pertinere.

Hæc juſtitia quomodo in Deum cadat, & quatenus, porrò videndum eſt. Etenim arbitrari quiſpiam poſſet, nullam ei in Deo eſſe locum, quia creaturæ reſpectu creatoris nullum penitus jus eſſe videatur. Quare nec jus illi ſuum à Deo reddi poſſe; qua in re omnem juſtitiæ particularis vim conſiſtere diximus. Jus autem creaturæ reſpectu creatoris nullum penitus eſſe, inde quiſpiam collegerit, quòd creatura, quanta quanta eſt, Dei ſit, tanquam domini ac poſſeſſoris, ut ſuprà vidimus. Rei autem nullum eſſe videtur jus reſpectu domini. Quin nec reſpectu aliorum ei jus aliquod competere videtur, ſed domini. Unde, ſi ea lædatur à quopiam, non ipſi, ſed domino per ipſam injuria fieri cenſetur, ut de ſervis ſuprà vidimus. Itaque concludendum videtur, jus, quod Deus in creaturas, etiam ratione atque intellectu utentes habet, prorſus in infinitum exire, & etiamſi innocentiſſimum cruciatibus æternis, &, quantas natura ejus caperet, maximis ſubjiceret, eum tamen nullam creaturæ injuriam facturum. Et videri ſanè poſſunt huc ſpectare ea, quæ ſcribuntur ad Rom. cap. 9. atque inprimis illa, quæ de 237.

Digitized by Google

Eſauo & Jacobo leguntur, quorum illum hujus ſervituti ſubjeciſſe, eaque
ratione odiſſe Deus dicitur, cùm neuter adhuc natus eſſet, neuter quicquam
boni aut mali feciſſet: itemque illa, quòd Deus induret, quem velit: quod-
que poteſtatem habeat, ex eadem maſſa, aliud quidem vas in honorem,
aliud in ignominiam fingendi. Sed cum omnes ipſa rei veritate coacti fa-
teantur, licèt nonnulli non ſatis conſtanter, creaturæ pœnam à Deo in-
fligi, ſalvâ ipſius juſtitiâ non poſſe, niſi ob aliquod delictum, (proprium,
an alienum, nunc non definimus,) neceſſe eſt etiam eoſdem fateri, jus ali-
quod eſſe creaturæ reſpectu Dei, ſi non uſquequaque propriè ſic dictum,
ſaltem id, quod per analogiam juri propriè dicto reſpondeat, & eandem re-
ſpectu Dei vim habeat, quam jus propriè dictum habere alioqui ſolet. Nam
ſi jus non habet Deus puniendi creaturam niſi ob aliquod delictum; jus ali-
quod habet creatura, ne puniatur à Deo, niſi ob aliquod delictum. nem-
pe ubi jus divinum reſpectu creaturæ, ut ita dicam, deſinit, ibi jus crea-
turæ reſpectu Dei incipit. Juris autem illius tum prima origo, tum incre-
mentum à benignitate divina ita eſt, ut ipſius rei æquitate nitatur, vel po-
tiùs in ea ipſa conſiſtat. Poſtquam enim Deus (id quod benignitatis fuit)
intellectum nobis dedit atque arbitrium, & ſic tales effecit, ut inter nos &
ipſum conjunctio ac ſocietas quædam eſſet, ut inter herum & ſervos; ſimul
etiam id dedit, quod hujus conjunctionis eſt conſequens, nempe jus ali-
quod. Eandem autem conjunctionem cùm poſtea ex ſingulari benignita-
te auxit, fœdere nobiſcum conſtituto, ſimul & jus noſtrum auxit. Intelli-
gendum enim eſt, jus cum ſocietate tam arcto colligatum eſſe vinculo, ut u-
bi ſocietatis vel umbra eſt, etiam juris ſit, & contrà. *(vid: Ariſt: l. 8. Eth:
Pacio c. 11. & 13. & lib: 5. cap. 10.)* Itaque quia aliqua eſt inter dominum &
ſervum ſocietas, etiam jus inter utrumque eſt, licèt non ita ab utraque par-
te plenum, ut inter pares aut liberos. Eſt namque jus, de quo agimus,
id quod natura ſocietatis rerum intellectu præditarum poſtulat. Quemad-
modum autem ſocietas eſt mutua, ita & jus: & ſi ſocietas eſt inæqualium,
etiam in jure aliqua cernitur inæqualitas, ut in jure, quod inter dominum
& ſervum intercedit; imò & quod inter patrem & liberos. Hujuſmodi
autem eſt conjunctio & ſocietas, quæ inter Deum eſt & homines. Nam
naturâ quidem ita Deo ſumus conjuncti, ut ſervi domino, quemadmodum
antea dictum eſt: ſed ſingulari benignitate, ut filii patri, poſtquam jus a-
238. doptionis per Chriſtum ſumus conſequuti. quod quidem jus licèt non efficiat,
quominus ſervi Dei eatenus ſimus, quatenus ejus præceptis parere debemus;
imò nos aliqua ratione magis ad parendum obſtringat: conditionem tamen
noſtram cæteroqui ſupra ſervilem effert. Non eſt autem, quòd quiſquam
ſocietatis nomen de conjunctione Dei & creaturarum intelligentium uſurpa-
re horreat:

Digitized by Google

ne horreat: cum ſacræ literæ de Chriſtianis piè viventibus expreſſè dicant, eos *ſocietatem*, arctiorem nimirum illam, qualis eſt inter patrem liberoſque chariſſimos, *cum Patre* habere; (*1 Ioh: 1. 3, 6, 7.*) & Abrahamum aliquoties *Dei amicum* vocent. (*2 Paral: 20. 7. Eſa: 41. 8. Iacob: 2. 23.*) Quæ cum ita ſint, non eſt negandum, jus quoddam, & quidem mutuum, inter Deum & homines eſſe, quamquam, ut diximus, inæquale. Abſque comparatione enim majus eſt jus Dei reſpectu hominum, quàm hominum reſpectu Dei,

‡ *Etenim arbitrari quiſpiam*] Sed malè, ut poſtea ipſe Crellius bene monet. Vulgò quidem juſtitiæ commutativæ inter Deum & Creaturam ſolo ſui reſpectu nullum eſſe locum ſtatuunt ſaniores Scholaſtici ex Rom: XI. 35. Attamen omnes agnoſcunt concedendam eſſe Deo juſtitiam diſtributivam, maximè punitivam, juxta quam à creaturis ſontibus debitas repetat pœnas: Quin etſi Creaturæ meræ abſolutè & in ſe conſideratæ reſpectu Creatoris, *jus nullum* eſſe videatur nonnullis, ſi quis tamen accuratè rem expenderit duplex jus in ea debebit confiteri. 1. Meriti ad pœnam: quomodo ſuprà Accurſius, jus ſuum quod cuique juſtitia tribuit, cujuſlibet meritum explicat. 2. Prout ſtrictiùs jus definitur *qualitas moralis perſonæ competens ad aliquid juſtè agendum vel habendum*: Pijs enim & fidelibus per meritum ac ſatisfactionem Chriſti pro ipſis, competit *jus* reſpectu Creatoris ad ſalutem & vitam æternam, quod ita dicitur expreſſè Ioh: 1, 12. Nec meram σχέσιν *rei* diſtinctè à perſonis habent creaturæ intelligentes ad Deum, ſed etiam ad ipſum referuntur ut *perſonæ*, juris capaces & injuriæ: Imò & juſtitiæ particulari locum aliquem eſſe inter dominum & ſervum, licet hic ſit in re illius, ex legibus Moſaicis facilè poſſet oſtendi. Certum quoque illud eſt jus Dei in creaturas rationales, non *prorſus in infinitum exire*; ſed æquitatis & juſtitiæ ac ſanctitatis ſuæ legibus circumſcribi. Nec enim poteſt illas ad ſimpliciter impoſſibile obligare, aut exigere ab illis quod turpe & naturæ intelligentis dignitati repugnans foret, aut illas abſolutè innocentes & citra ullum peccati reſpectum pœnis aut *cruciatibus* ullis, nedum *æternis*, pro lubitu ſubjicere. Neque illimitatum & incircumſcriptum Dei jus, quod nonnulli perperam tuentur, ex ijs *quæ ſcribuntur ad Rom. cap.* 9. poteſt deduci: Ibi enim agitur de hominibus jam æquè miſeris & peccatoribus & in eadem corruptionis maſſa degentibus, quorum alium eligere per miſericordiam indebitam, alium debitæ pœnæ per juſtitiam reſervare, citra cujuſquam injuriam pro ſumma ſua libertate poſſit. At de eo diſtinctiùs dixi ſupra *cap.* 23. & fortè alibi adhuc fuſiùs dicetur in hoc opere.

Sed cum omnes] Hic igitur in genere Crellio haud gravatè adſtipulamur.

Nam naturâ quidem] At etiam *naturâ* & jure creationis, homo conjungebatur Deo, non modò ut hero ſervus, ſed etiam ut patri filius & ad ipſius imaginem conditus; unde Adam Dei filius dicitur fuiſſe Luc: III, 38. Verum quoniam filiationem illam noſtro peccato amiſeramus, gratuitò nobis & firmior per adoptionem quæ eſt in Chriſto reſtituitur.

Quamquam, ut diximus inæquale] Et hoc non malè, cùm etiam Politici fœdus faciant aliud æquale, aliud inæquale ſuperioris cum inferiori, qui ejus majeſtatem comiter colere tenetur; de quo videatur Grotius *de jure belli & pacis lib.* 1. *cap.* 3. §. 21.

Porrò

Porrò autem, ut ad rationem in contrarium allatam accedamus, jus omne requirit, ut qui illud habet, aliqua ſaltem ratione liber ſit, & ſic ſuus, non alterius. Qui enim ipſemet ſuus nullo pacto eſt, jus etiam ſuum habere nequit; ſed quicquid illius eſſe dicitur, ejus eſt, cujus eſt & ipſe. Itaque ſi ſervus ita eſſet domini ac heri ſui, ut nulla prorſus ratione libertatis eſſet particeps, nullum planè ipſius jus eſſet, & quicquid ei tribueretur, id, habita ratione juris, domino tribueretur; quicquid adimeretur, domino adimeretur. Quare à domino nec injuria ei ulla inferri, nec juſtitia, quâ ſuum alteri tribuitur, erga eum exerceri poſſet: niſi dicere velis, poſſe eum ſibi ipſi facere injuriam, aut juſtitiam erga ſeipſum exercere. Atqui & ratio ipſa dictat, & ſacræ literæ docent, poſſe ſervo injuriam à domino fieri, & juſtitiam eam, de qua loquimur, erga eum exerceri. Unde Paulus monet, ut domini, quod juſtum & æquum eſt, ſervis præſtent. (*Col: 4. 1.*) Patet id in promiſſionibus, quas domini ſervis proponunt. Etenim ſi ſervi nulla prorſus in re à jure ac poteſtate herorum ſuorum ſunt liberi; etiam ea, quæ illis ſunt à dominis promiſſa, in dominorum poteſtate atque arbitrio ſemper erunt poſita; nec magis illis debebuntur poſt promiſſionem factam, quàm antè. Quare non minùs illis negari poterunt, quàm tum, cùm nondum eſſent promiſſa. Id autem cum omnem promiſſionis vim evertat; neceſſe eſt ſervos etiam reſpectu herorum ſuorum aliquatenus eſſe liberos.

‡ *Ius omne requirit*] Tam longo circuitu non erat opus: Suffeciſſet enim dixiſſe, ſolius illius & omnis jus aliquod eſſe qui ſit naturæ intelligentis; quo illud pertinet Iuſtiniani *lib. 4. Inſt. tit. Si quadrupes. Pauperies eſt damnum ſine injuria facientis datum: neque enim poteſt animal* (brutum) *injuriam feciſſe dici, quod ſenſu*, (ideſt intellectu & ratione) *caret.* Ita & Cicero *lib. 2. de nat. Deor. Soli ratione utentes jure ac lege vivunt.* Nec jure civili cadit injuria in ſervum, quia eſt ἀπρόσωπος & eodem loco cum beſtijs habetur. Sed ad libertatem maluit recurrere Crellius, quam in genere ad dignitatem naturæ intelligentis, quærens aliquod ſubſidium libero ſuo arbitrio, cum tamen libertas præciſè conſiderata & per ſe, nihil faciat ad fundationem juris, vel Paulo Apoſtolo teſte Gal: IV, 1. ubi jus & dominium in omnia vindicat hæredi infanti, etſi quoad libertatem, nihil differat à ſervo: Et jus multiplex ijs etiam competere, qui cæteroquin non *ſui* ſed *alieni juris ſunt*, de quibus *titulus* eſt ſextus *ff. lib.* 1. ſervorum & filiorumfamiliàs & impuberum aut aliàs ſub tutoribus vel curatoribus conſtitutorum, exemplis manifeſtius eſt, quàm ut pluribus comprobari debeat. Equidem vulgò dicitur quod jus ex lege & facto naſcatur: Sed tamen non neceſſariò debet illud factum ejus eſſe perſonaliter, cui jus illud ex lege acquiritur.

Itaque ſi ſervus] Iuris & injuriæ capax eſt ſervus, non civiliter, uti patet ex *l.* 3. *ff. de cap min.* ſed tamen naturaliter, ut habet *lex* 32. *ff. de* Reg. *jur. Quod attinet ad jus civile, ſervi pro nullis habentur; non tamen & jure naturali, quia quod ad jus naturale attinet omnes homines æquales ſunt*; adeoque in ſervum jus & injuria cadit, quod benè

nunc

Digitized by Google

nunc agnoſcit Crellius, non quia liber eſt & ſuus, prima enim perſonarum diviſio apud Iuſtinianum, eſt in liberos & ſervos, ſed quia homo eſt, & comparatè ad Deum heri ſui σύνδουλος.

Etenim ſi ſervi] Abſurdè promiſſionis factæ obligatio arceſſitur ab ejus libertate cui promiſſum eſt, cùm potiùs pendeat à conſtantia, fide & veracitate promittentis, nec ſemper liberum ſit ei cui promiſſum eſt in jus vocare promiſſorem ut fidem ſervet, & quandoque poſſit promiſſio validè fieri in gratiam eorum qui nec perſonaliter ſtipulandi capaces ſunt, ut naſcituri, dum adhuc geſtantur in utero, & poſthumi, & impuberes, in quibus fruſtra ullum quæras actum & exercitium vel libertatis vel liberæ voluntatis: nec ſatis explicari poteſt, quid civiliter dominus ſuo ſervo promittere poſſit, cùm ſervus nihil ſibi poſſit acquirere, ut patet ex *Inſt. tit. de ſerv. ſtipul.*

Et reſpectu quidem hominum facilè quiſpiam id conceſſerit. Facilè enim eſt credere, non eſſe hominem homini ita mancipatum, quin aliquo modo ſit ſuus. Sed durum fortè videbitur, ſi idem aliquatenus etiam dixerimus de creaturis reſpectu Creatoris. Verùm ſi id conſideraveris, quod modò de 239.
promiſſionibus diximus; videbis, idem etiam hic ſtatuendum eſſe. Cæteroquin enim omnis promiſſionum divinarum ac fidelitatis ipſius vis ceſſabit; nullus erit fœderi inter Deum & homines locus. Neque enim fœdera cum iis percutiuntur, qui illis, cum quibus paciſcendum eſt, omnibus in rebus penitùs ſunt mancipati. Saltem eo ipſo, quòd fœdus cum illis feritur, & certis conditionibus contrahitur, libertas iis aliqua datur, & ob contractum illum, juſtitiæ ſuum cuique tribuenti ſit locus. Quid, quòd etiam ſupplicia divina tollere neceſſe eſt, omni creaturæ libertate reſpectu Creatoris ſublatâ? Etenim ſi aliqua eſt pœna, quam meritò cuipiam infligit Deus, neceſſe eſt jus quoddam ex delicto creaturæ natum eſſe ad pœnam infligendam, quod ante delictum non extiterit. Quòd ſi jus ante delictum creaturæ non habuit Deus ad pœnam infligendam; eatenus ſaltem libera fuit creatura, ut pœnæ divinæ non eſſet ſubjecta: & aliquid habuit ſuum, quod ei, antequam peccaret, eripi à Deo quavis ratione non poterat. Ne illud nunc repetam, quod ſuprà diximus, jus Deo non fuiſſe, creaturas innocentes æternis atque intolerabilibus cruciatibus ſubjiciendi. Ex quo conſequitur, jus, quod Deus in creaturas habet, non exire ſimpliciter in infinitum; etſi in iis, quæ naturâ ſuâ licita ſunt, per ſe infinitum eſt. Ubi autem id quodammodo deſinit, ibi creaturæ libertas incipit, ut de jure ſuprà dictum eſt. Quam enim noxam Deus hominibus inferre jure nequit; eam ne inferat jus creaturarum ac libertas eſt.

‡ *Quin aliquo modo ſit ſuus*] Non video quî ullo modo *ſuus* dici queat qui vel per ætatem, vel per ſervitutem, vel per mentis emotæ morbum, de ſeipſo diſponere, aut rebus ſuis ſupereſſe non poteſt; Talis tamen juris & injuriæ capax eſt; ut perperam, in hac nova *ſuitate*, ab ea diſtincta cujus ſit mentio apud Iuriſconſultos,

ſultos, utriuſque quæratur fundamentum.

Sed durum forte] Et revera durum & abſurdum eſt: Nec enim juſtitia Dei erga homines fundatur in eorum libertate vel independentia ab ipſo; cùm adhuc multo minus ſui ſint reſpectu Dei, quam alli ſervi reſpectu dominorum ſuorum: Sed illud jus arceſſi debet ex parte Dei, ab illius Perfectione, Fide, Veracitate, Conſtantia & Lege, imò revera ab ipſius Dominio, quod exerceri nequit in Creaturas intelligentes niſi per quaſdam leges ſancitas ſub promiſſionibus & comminationibus, præmijs & pœnis; ex quibus prout præſtiterint ſuum officium, vel jus illis naſcitur præmij, aut ſaltem *impunitatis*, ut loquitur Crellius, vel reatus ac meritum pœnæ, ſive obligatio ex delicto ad pœnam: Antea enim benè monebat Crellius jus cum ſocietate eſſe colligatum: Iam autem omnis ſocietas hominum cum Deo, eſt ſocietas inferiorum & ſubditorum cum Superiori & Rectore, ut domeſticorum cum patrefamiliàs, Civium cum Magiſtratu & Principe: Ergo neceſſe eſt jus eorum reſpectu Dei non ex ſua ipſorum libertate, ſed remotè quoad eos ex illorum naturâ & conditione, quod ſint Creaturæ Deo ſubditæ per illius leges regendæ, & proximè ex illius ſocietatis vinculo, derivari: Hoc vinculum autem extra legem pro authoritate imperij ſancitam ſub præmijs & pœnis, quæri non poteſt; prout notum eſt omnem ſocietatem & domeſticam & politicam his duobus contineri.

Verum ſi id conſideraveris] At falſum id eſſe fundamentum jam diximus. Nec enim promiſſio facta ſervo ideo præſtanda eſt, quod ipſe ſit ullo modo liber, ſed quod promittentis fides, veracitas, & conſtantia id exigat. Et cum omne jus quod dominus habet in ſervum ſuum, in herili poteſtate fundetur, juxta quam illi poteſt mandare quod voluerit, additâ hac vel illâ aut promiſſione aut comminatione, debet viceverſâ quicquid juris reciproci ſervus habet ad dominum, in ipſius non libertate, ſed ſubjectione fundari, & quod ſit domini ſui, qui per conſequens tenetur eum tanquam ſuum nutrire, veſtire, defendere.

Nullus erit fœderi] Nolim hic diſputare ſit-ne fœdus Dei contractus μονόπλευρος, vel δίπλευρος: cùm & Iuriſconſulti diſputent an revera detur contractus μονόπλευρος, & *l.* 19. §, 2. ff. *de Verb. ſig.* Vlpianus *contractum* definiat, *ultro citroquè obligationem, quod Græci* ſυνάλλαγμα *vocant*: Nec fuſè oſtendendum quod per ſυγκατάβασιν ſummam Deus fœdus contraxerit & pepigerit cum ijs, qui tamen ipſi *penitus* erant *mancipati*. Satis eſt quod ſicut ſocietas quædam œconomica eſt admittenda inter herum & ſervos, licet hi plenè ſint in illius dominio, ita poteſt fœdus & ſocietas dari inter Deum & homines, utut ſint opera manuum ejus, & abſolutè eos habeat in dominio & poteſtate ſua. Supponit quidem contractus Dei fœderalis, in fœdere naturæ arbitrij *libertatem* & facultatem quâ poſſet homo ſtare fœderis conditionibus, ſed tamen ipſi datam ab ipſo Deo, cum illum condidit ad imaginem ſuam; & in fœdere gratiæ, quoad electos facilitatem & facultatem præſtandi obedientiam quam ſtipulatur, ſed tamen vi ejuſdem foederis, ab eo profecturam per gratiam indebitam: Da quod jubes, & jube quod vis. Quamvis igitur ultroneâ ac ſpontaneâ præſtatione conditionum quas foederi ſuo Deus appoſuit, naſcatur jus homini ad beneficia in illo promiſſa, tamen nec debet illa præſtatio adſcribi ulli imaginariæ hominis libertati independenti à Deo, aut in foedere gratiæ liberi arbitrij viribus naturalibus tribui, cum ipſe operetur in nobis *& ipſum velle & ipſum agere* Phil: II, 13. nec jus illud in *libertatem* hominis, vel liberum & voluntarium ejus factum, ſimpliciter debet refundi:

Digitized by Google

bet refundi: Quamvis enim eo caſu jus homini naſcatur ex lege & ſuo facto, tamen illud jus quoad actum ſuum ſignatum ſic unicè fundatur in lege, ideſt in promiſſione propoſita à Deo & ſuo fœderi appoſita, ut factum hominis concurrat tantum ad illius productionem in actu exercito.

Quid quod etiam] Atqui hinc colligas non *libertatem* independentiæ, quæ opponitur omni ſubjectioni, etiam Divinæ, qualem homines iſti imaginantur, ſed tantum libertatem in agendo ea quæ merentur ſupplicium, quæ opponitur coactioni, & neceſſitati phyſicæ, & quibuſlibet hominibus competit, tam ſervis quam liberis.

Neceſſe eſt jus quoddam] At ſuo loco ſuprà *cap.* 23. *pag.* 293. oſtendimus pœnarum exactionem judiciariam, Rectoris & Magiſtratus cui competit reſpectu, non ſatis propriè *juris* nomine exprimi: cùm omne jus dominij vel crediti ſit propter ſe expetibile; ſed non ſit expetibilis ſontium punitio niſi propter bonum publicum; unde Deus teſtatur ſe morte peccatoris non delectari Ezech: XVIII, 23. Itaque delicto creaturæ, non naſcitur Deo jus ad pœnam, accuratè loquendo, ſed potius obligatio ad eam infligendam, exercendo ſuam judiciariam & vindicativam juſtitiam, ut creaturæ ipſi ad eam ſuſtinendam: Ac ſicut ante delictum non licuit Deo per ſuam juſtitiam actu punire Creaturam, (quod præſtat dicere quam *jus* illum non habuiſſe *ad pœnam infligendam*, ſiquidem etiam ante delictum authoritatem habebat judiciariam & poteſtatem puniendi Creaturam ſi peccaret,) ita Creatura ante delictum ſuum ſic immunis erat à pœna actuali, ut tamen non eſſet libera ab obligatione ad pœnam ſi ei peccare contingeret; manente in æternum vinculo legis & juris Divini, quo ad pœnam ex delicto obligatur. Et tantum abeſt ut illa Creaturæ immunitas à pœna ante ſuum delictum importet libertatem independentiæ à Deo, ut è contrario fluat ex ſumma illius ſubjectione legi Divinæ, cujus ſanctione inviolabili ut & Dei juſtitiâ nitatur.

Et aliquid habuit ſuum] At immunitas hæc à pœna non tam in ipſius bonis & peculio eſt, quam in Iuſtitia & Sanctitate & Conſtantia ſummi Moderatoris; Vt enim per ſuam juſtitiam non poteſt non punire delictum, ubi commiſſum eſt, ita non poteſt per eandem pœnas infligere Creaturæ, ſi non deliquerit. Adeo neceſſaria eſt relatio poenæ & culpæ, fundata in Dei juſtitia & lege, ut ſeſe mutuo & ponant & tollant.

Ius Deo non fuiſſe] Verùm alio ſenſu id *juris* fuiſſe neges Deo, reſpectu inſontium, quatenus id ipſi per ſuam Sanctitatem & Iuſtitiam quam pro lege habet non liceat, magis quam mentiri aut ſeipſum abnegare; alio, jus illi eſſe puniendi peccatores: hoc enim non licitis demum debet annumerari, quæ citra injuſtitiam fieri poſſunt, ſed neceſſarijs, quæ citra injuſtitiam omitti non poſſunt. Quam enim Deus juſtè & neceſſariò debet impunitatem innocenti, tam neceſſariò & juſtè debet poenas à nocentibus exigere.

Etſi in ijs quæ naturâ ſuâ] Talium autem omnis ratio à Divina juſtitia arceſſi debet. Nihil enim ſibi vult licere in nos quod pugnet cum ſua juſtitia, ſanctitate, fide & conſtantia, cùm ſibi ipſi lex ſit.

Vbi autem id quodammodo] Minus commoda hæc eſt oppoſitio juris Divini & libertatis humanæ; quaſi non poſſit illis benè convenire, nec magis in una ſede morentur quam majeſtas & amor. Quod ſi ideo liberior eſt Creatura quod jus Deo non ſit iniquè agere, tum peribit Creaturæ ſua libertas in omnibus ijs quæ jure Deo licent erga ipſam: Ac ſicut jure licet Deo Creaturæ leges ponere quibus obediat, ita eo ipſo libera non erit obediendo Dei legibus: quo abſurdo nihil abſurdius, cùm ſervire Deo regnare ſit. Ad

Digitized by Google

hæc libertatis nomine reſpectu Dei, immunitatem à poena exprimere ab uſu communi & recta ratione eſt nimis alienum: Nam licet ſervitus inter homines, quos natura fecit liberos, ita ſit poenalis, ut libertas à ſervitute hominem præſtet immunem ab eo genere poenæ, tamen nec illa libertas ſonat immunitatem ab omni poena, nec reſpectu Dei libertas à ſervitute poena eſt; cùm è contrario nihil utilius vel iucundius ſit homini quam Deo ſervire.

Eam ne inſerat] At neque *jus*, accuratè loquendo, neque *libertas*, immunitas à poena in homine innocente dici debet: Non *jus* ſive qualitas moralis ad aliquid habendum vel agendum, cùm ſit potius negatio obligationis ad poenam ſuſtinendam per abſentiam & carentiam ejus facti, quo, ſi adfuiſſet, Deus ex lege & juſtitia ſua obligaretur ad illam infligendam: Multo minus *libertas*, vel independentiæ & à ſubjectione, vel ſpontaneitatis & à coactione. Fateor quod poſitâ immunitate à poena, ex legis ſanctione & promiſſione Divina *Hoc fac & vives*, jus homini acquiratur ad vitam & præmium: Sed neque hoc jus naſcitur præcisè ex negatione facti quo poſito ſequeretur poena ſecundum ordinem juſtitiæ particularis & judiciariæ; ſed potius ex poſitione facti, ſive obedientiæ illius, cui Deus dignatus eſt hanc remunerationem polliceri; & omne illius fundamentum ex Dei promiſſione & conſtantia repeti debet, non vero ab imaginaria hominis libertate & independentia arceſſi.

Etiam ſi autem hæc ita ſe habeant, rectè nihilominus dicitur, nos totos, quanti quanti ſimus, eſſe Dei; & Deum in nos abſolutum dominium habere: Nos enim reſpectu omnium partium, & facultatum, quæ in nobis ſunt, Dei ſumus, & ſic ipſius dominio ſubjecti; unde porrò, ut eas omnes divinis uſibus mancipemus, jure obſtringimur. & hactenus dominium Dei abſolutum eſt. Sed interim reſpectu certi uſus, noſtros nos eſſe voluit Deus, & in quandam libertatis partem nos produxit, eam nimirum, ſine qua ne illa quidem ſocietas inter ipſum & nos conſtare poſſet, quæ eſt inter herum & ſervos, & nec præmio vero ac ſtabili, nec pœnæ, locus eſſet. Hanc libertatem poſtea beneficio ſuo auxit, & tantò majorem fecit, quantò ampliora nobis promiſſa dedit. Omnium autem ampliſſima dedit per Chriſtum, per quem nos certa ratione è ſervorum ſtatu in filiorum libertatem traduxit, fœdere æterno nobiſcum conſtituto. (*Rom: 8. 15, & d: Gal: 4. 7. conſ: & præced: à verſu 1. & verſu 22, & d.*) Unde facilè ſolvitur objectio ſuperiùs propoſita. Etenim rei ſuæ nemo poteſt facere in-
240. juriam, quatenus ea ipſius eſt. Sed fieri tamen poteſt, ut, perſona, quæ eſt alieni juris, certæ rei aut uſûs reſpectu ſua ſit, non aliena; libera, non ſerva. Eatenus ergo & juris & injuriæ capax eſt. Id autem in omnibus locum habet, qui libertate voluntatis, quæ intellectum ſequitur, ſunt præditi, ſive aliarum creaturarum intelligentium, ſive Dei reſpectu; niſi peccatis ſuis commeruerint, ut omni libertate, omni jure ſuo excidant. Nititur quidem libertas ac jus noſtrum beneficio divino: ſed poſtquam ſemel datum eſt,

Digitized by Google

tum eſt, non niſi voluntariâ noſtrâ culpâ eo privari poſſumus. De loco ad Rom 9. quatenus huc ſpectare videatur, egimus ſuprà, cùm de poteſtate Dei loqueremur, & alibi ex parte agetur. (*lib: 5. cap: 17.*)

‡ *Rectè nihilominus dicitur*] Optimè quidem convenit noſtræ libertati ſpontaneitatis, à coactione & neceſſitate, cum abſoluto Dei Dominio; ſed illud nunquam Crellius conciliabit, cum libertate independentiæ ab illius ſubjectione.

Noſtros nos eſſe voluit] Hactenus quidem ut ageremus ſpontè & liberè, non utique ut defineremus eſſe in illius poteſtate. Nec enim hominem dotavit arbitrij libertate, ut eſſet ἀνυπεύθυνος, ſed potius ut ultrò & ſpontè ſe totum ſuo Creatori manciparet.

Hanc libertatem poſtea] Abſurdè: Illa enim libertas, quæ præter naturalem hominis conſtitutionem quâ à Deo conditus fuit agens liberum & ἐκ προαιρέσεως, nobis acceſſit beneficio Dei ſingulari in Chriſto, non eſt independentiæ, ut ſimus exleges, aut Deo ſubjici deſinamus, ſed liberationis ex maledictione legis & ſervitute peccati & mortis Heb: II, 14. 15. *ut ſine metu ex manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus ipſi, cum ſanctitate & juſtitia, in ipſius conſpectu cunctis diebus vitæ noſtræ* Luc: 1, 74. 75. Hæc libertas non fit *amplior* per promiſſa fœderis gratiæ, ſed & in illis offertur & per illa confertur; nam *ubi eſt Spiritus Domini ibi eſt libertas* 2. Cor: III, 17.

Etenim rei ſuæ] Hoc falſum eſt: Nam quemadmodum dominus tenetur *jus & æquum ſervis ſuis præſtare* Coloſſ: IV, 1. eo ipſo quod ſui ſunt, non alieni juris, ita poteſt eo ipſo quod ſui ſervi ſunt illis eſſe crudelis & injurius; Nihil magis ferè alicujus eſt quam ſua uxor, quæ eſt in poteſtate & mancupio viri, *os ex oſſibus ſuis & caro ex carne ſua* Gen: II, 23. adeo ut illa *proprium corpus non habeat in poteſtate ſed vir* 1. Cor: VII, 4. An ergo vir uxori ſuæ nec æquus nec iniquus eſſe poteſt, quatenus ſua eſt? Quin ſi injuriæ ſpecies & imago quædam cadit in beſtiam ex parte hominis Prov: XII, 10. quanto magis injuria propriè dicta cadet in ſervum, qui & ipſe homo eſt? Nec ſanè herus ſæviens ſupra modum in ſervos, illis injurius eſt quod ſint liberi, vel à ſubjectione, nam ſervi ſunt, vel à coactione in agendo, nam intrinſecæ illi & nativæ libertati, nihil decedit per plagas quas accipiunt; ſed duntaxat quod ſint homines ejuſdem ſecum conditionis & naturæ, quos imago Dei quam geſtant, immunes à tali violentia debet præſtare, multo magis quam aſylum per imaginem Principis in moneta publica impreſſam olim conſequebantur illi ſervi qui eam in manu tenuiſſent. Adeo per ſe ad jus & injuriam abſolutè loquendo, nihil facit vel libertas vel ſubjectio.

Id autem in omnibus] Illa *libertas voluntatis quæ intellectum ſequitur*, quæ nihil aliud eſt quam facultas agendi ἐκ προαιρέσεως & citra coactionem, requiritur quidem ad hominis intimam conſtitutionem, ſed tamen ipſum non facit formaliter *juris* & *injuriæ* capacem, magis quam riſibilitas vel ratio, ſine quibus homo eſſe aut concipi non poteſt. Adhæc illa libertas in genere entis, nulli creaturæ intelligenti unquam eripi poteſt: Nec enim concedent Sociniani hominem ſervum vel civiliter vel moraliter, eſſe eoipſo deſtitutum arbitrij ſui libertate: Fruſtrà ergo ſomniat Crellius nonnullos *peccatis ſuis commereri ut omni libertate excidant.* Præterea ſubdolè & vitioſè hæc duo conjunguntur *libertas & jus*, & *omni libertate & jure ſuo excidere*. Nam peccator qui excidit jure omni ad vitam æternam reſpectu Dei, eo ipſo non amiſit liberum ſuum arbitrium, ut ſonat facultatem agendi quod lubet

præeunte rationis judicio, nec excidit omni ſuo jure in foro ſoli, aut omni ſua libertate in ſocietate humana: Imò poteſt quis omni ſuo jure alicujus reſpectu excidiſſe, ut tamen maneat adhuc illius reſpectu obnoxius injuriæ: ita ſervus nequam & furcifer excidit reſpectu heri ſui omni jure protectionis & alimentationis: herus tamen citra injuriam non poſſet illum privatâ authoritate torquere, occidere, murænis objicere.

Nititur quidem libertas] Atqui libertas ſpontaneitatis ita intimè nobis adhæret, ut nullâ culpâ amitti queat: Amiſit quidem Adam liberum ſuum arbitrium, ſed in genere moris & quoad facultatem benè agendi, non vero in genere entis, & quoad facultatem agendi ſponte & pro lubitu. Libertas vero ſpiritualis quam Chriſti liberatione conſequimur pertinet ad Dei dona ἀμεταμέλητα, & nulli amplius ſervituti ſubjicientur quos Filius in libertatem aſſerere voluerit. Et qui ob ſuum peccatum nihil juris habet reſpectu Dei, per id tamen non deſinit eſſe juris & injuriæ capax inter homines. Adeo nempe tota hæc Crelliana diſputatio de jure & libertate magis ad inania λεπτολογήματα & difficiles nugas, quam ad ſolidam Theologiam pertinet: Subtilitas hæc illius omnis vitrea eſt: dum pellucet frangitur.

De loco ad Rom. 9.] Et nos aliquid de eo ſuprà monuimus, & fuſiùs de eodem diſſeruimus *cap. 23.* atque ſumus dicturi uberiùs, Deo dante *lib. 5. cap. 17.* quo nos hic amandat Crellius.

Poſtquam ergo oſtendimus, jus nobis eſſe aliquod reſpectu Dei; facilè eſt intelligere, locum eſſe in Deo juſtitiæ, quæ ſuum cuique tribuat. Ejus duplex eſt effectus. prior eſt, præter jus nihil creaturis imponere; poſterior, ea, ad quæ obtinenda creaturis jus aliquod ipſius fecit benignitas, illis præſtare. Prior effectus duabus potiſſimùm in rebus cernitur, nempe in præceptis, & pœnis. In præceptis, quatenus nullum honoris aut obſequii genus à creaturis exigit, quod ipſi non debeatur. In pœnis, quatenus nec præter nec ultra meritum quemquam punit. Deus enim ob juſtitiam ſuam, nec innocentem unquam punit, nec nocentem graviùs, quàm delicto eſt commeritus. Omne enim puniendi jus ex noxa, ſeu delicto oritur, quatenus id vitioſitate ſua alterum lædit. Itaque noxa & perſonam definit puniendam, & pœnæ magnitudinem. Ubi enim illa reperitur, ibi & pœna locum meritò habet; ubi illa non eſt, ibi nec pœna locum habere debet: & quantò gravior illa eſt, tantò & hæc gravior eſſe jurè poteſt. Qui ergo culpæ nullo modo eſt particeps, quo jure pœnæ ſubjici poteſt? Innocenti ne iraſci quidem jure potes; nedum eundem punire. Afflictioni quidem ſubjicere etiam innocentem licet, abſoluto præſertim ipſius domino, ut ſuprà eſt explicatum; ſed afflictio latiùs patet, quàm pœna, & latiùs illius, quàm hujus jus extenditur.

‡ *Ejus duplex eſt effectus*] Si accuratè ſit loquendum peccatur hìc & in exceſſu & in defectu: In exceſſu quidem bifariàm: Nam 1. *nihil præter jus imponere Creaturis*, ſive in præcipiendo ſive in puniendo, non tam eſt illis ex parte Dei reddere quod

ſuum eſt,

ſuum eſt, quam ab ipſo Deo præcavere ne quidpiam faciat quod ſuum non ſit, ſive quod ſuæ Sanctitati & æquitati non conveniat. II. Ea nobis *præſtare* quæ pro ſua benignitate nobis promiſit, non tam eſt nobis tribuere quod noſtrum eſt, quam liberaliter pro ſua fide & munificentia dare quod ſuum eſt. In defectu vero, quod nulla fiat mentio juſtitiæ punitivæ ſive vindicativæ, in qua potiſſimum reddit cuique quod ſuum eſt, ideſt, rependit illi ſecundum opera ſua; Cum enim peccatores plectuntur à Deo, *comedunt de fructu viæ* SVÆ, ut loquitur Salomon Prov: 1, 31. *& ex conſilijs* SVIS *pravis ſaturantur.* Quamvis autem hanc juſtitiæ Dei particularis partem primariam, & quadantenus unicam, hîc ſtudio omiſerit Crellius, eam tamen paſſim deprædicant Sacræ literæ, Gen: XVIII, 25. Ezech: XVIII, 4. Rom: 1, 18. 32. 2. Theſſ: 1, 6. Imò haud difficile erit nobis eam illi vel invito hîc loci extorquere. Etenim ſi Dei juſtitiæ *quæ ſuum cuique tribuit* hic eſt *effectus*, ut *præter jus nihil creaturis* imponat, eas plectendo, ſive *nec præter nec ultra meritum quemquam puniat*, quia qui ſic plecteretur non quod *ſuum* eſt reciperet, ſed quod ſuum non foret, ergo ejuſdem juſtitiæ multo magis hic erit effectus, ut Creaturam peccantem juxta ſuum meritum puniat: Nam ei qui convenientem ſuo delicto pœnam refert, tribuitur quod ſuum eſt: At Deus ex juſtitiæ ſuæ ordine debet cuique tribuere quod ſuum eſt; Ergo quilibet debet apud Deum convenientem ſuo delicto pœnam referre: adeoque juſtitiæ illi *quæ ſuum cuique tribuit* repugnat quemquam delinquentem impunitum manere.

In præceptis, quatenus] Adde, & quatenus ſemper exigit à Creaturis quicquid honoris & obſequij ſibi debetur. At 1. nihil unquam præcipere quod naturâ ſuâ turpe ſit & rectæ rationi contrarium, potius eſt Sanctitatis Divinæ & juſtitiæ univerſalis, quam juſtitiæ particularis & diſtributivæ. 2. Dum id honoris & obſequij exigit Deus à Creaturis quod ſibi debetur, potius repetit ab illis quod ſui ipſius eſt, quam illis tribuit & rependit quod ſuum eſſet. Hic enim Deus creditoris, Creatura debitoris partes evidenter ſuſtinet.

In pœnis, quatenus] Adde & quatenus eas ſemper ſecundum meritum ex legis ſuæ æterna ſanctione infligit. Sicut enim Deus *ob juſtitiam ſuam nec innocentem unquam punit*, nempe qui abſolutè & ſimpliciter ac omnimodò talis fuerit, ideſt qui neque perſonaliter, neque ſubſtitutivè & imputativè nocens fuerit, *nec nocentem graviùs quam delicto eſt commeritus*; ita hunc debet neceſſariò punire prout commeritus eſt, vel in ipſius perſona, ex rigore legis, juxta quem *anima quæ peccaverit morietur* Ezech: XVIII, 4. vel ſi ejus miſereri citra juſtitiæ ſuæ læſionem voluerit, per *ὑπάλλαξιν* in perſona vadis & ſponſoris ejus qui ſe victimam piacularem in illius locum obtulerit, & factus fuerit *peccatum* pro ipſo, ut efficeretur *juſtitia Dei* in eo 2. Cor: V, 21.

Omne enim puniendi jus] Iam ante monui id non tam *jus* eſſe quam judicis ſummi officium & obligationem ex lege æternæ juſtitiæ illius ſuæ *quæ ſuum cuique tribuat.* Et quemadmodum in ſtipulationibus hominum contrahentium uterque *reus* eſt, alter promittendi, alter ſtipulandi, ut patet ex *l. 1. ff. de duobus reis, & tit. 17. lib. 3. Inſt.* ita etiam hic uterque *debitor* pœnæ eſt, Deus & peccator; nam ut peccator ex delicto ſuo obligatur ad pœnam ſuſtinendam, ita etiam Deus obligatur ad eam infligendam, ob juſtitiam ſuam & legis ſanctionem. Vbi itaque *noxa* reperitur, *ibi & pœna locum habet*, non *meritò* tantum, ſed jure & neceſſariò. *Vbi illa non eſt*, nec perſonaliter, nec ſubſtitutivè, *ibi nec pœna locum habere debet*; *& quantò gravior illa eſt, tanto & hæc gravior eſſe jure poteſt*; imò, quod à Crellio additum oportuit, debet. Vt enim in merito præmiando,

miando, ſic etiam in delicto puniendo, proportio debet ſervari ex ordine juſtitiæ; quod nemo ſanus vocat in dubium.

Qui ergo culpæ] Colligas igitur hinc quadantenus affinem culpæ fuiſſe Chriſtum, non quidem perſonaliter, cùm hoc reſpectu innocentiſſimus fuerit, ſed ſubſtitutivè, eo quod tam gravem & acerbam pœnam condemnationis & mortis propter peccata noſtra ſuſtinere debuit. Noxam noſtram proculdio is ſuam fecit, qui tam gravem pœnam pro nobis adire dignatus eſt: Et cum *innocenti ne iraſci quidem jure* poſſit Deus, neceſſe eſt ut illum habuerit pro nocente, quem *conterere delectatus eſt & morte affecit, quandoquidem exponebat ſeipſe ſacrificium pro reatu* Eſ: LIV, 10. & cui ideo amariſſimum poculum iræ ſuæ, nobis cæteroquin debitum, propinare voluit.

Aſſlictioni quidem] Sed & ſuo loco id refutatum eſt: nec *dominium* Dei, cujus exercitio ſemper debet moderari ejus juſtitia, eouſque extenditur, ut *aſſlictioni* queat *ſubjicere* creaturam omnimodò & abſolutè *innocentem*: Hoc enim eſſet tribuere *innocenti*, non quod *ſuum* eſt, ſed quod eſt alienum, nempe *nocentis*, & facere ut *ita ſit juſto ſicut injuſto*, quod nefas eſſe ipſi Deo ſtatuebat Abraham Gen: XVIII, 25. Nec minus debetur innocenti immunitas ab affictione, quam *aſſlictio & anguſtia* homini peccatori Rom: II, 9. Ex quo Pauli loco, ut & ex 2. Theſſ: I, 6. ubi dicitur *juſtum* eſſe *apud Deum viciſſim reddere ijs qui aſſligunt nos aſſlictionem*, ſatis colligitur quam perperam afflictionem à poena Crellius ſatagat diſtinguere: Vt affligi malum eſt, ita afflictio omnis poena eſſe debet, apud eos qui norunt malum omne, vel culpæ eſſe vel poenæ. Si homo manſiſſet in ſtatu innocentiæ, nulli omninò afflictioni fuiſſet obnoxius: Nec pij & ſancti in hac vita, quos varijs afflictionibus exercet Deus ad eorum ſanctificationem peragendam & promovendam, ſunt omninò innocentes & immunes à peccato; & quamvis eorum afflictiones non ſint poenæ judiciariæ & ſatisfactoriæ, ſunt tamē pœnę medicinales, caſtigatoriæ & emendatoriæ, quæ morbum latentem & nativam corruptionē ſemper præſupponunt; Quare demum in regno cœlorum erimus immunes ab omni afflictione, & abſtergetur omnis lachryma ab oculis noſtris Apoc: VII, 17. XXI, 4. quia tunc erimus plenè liberati *ex hoc corpore mortis* ſub quo gemebat Apoſtolus Rom: VII, 24. Et cùm ſuprà Crellius agnoſceret, *jus Deo non eſſe creaturas innocentes æternis atque intolerabilibus cruciatibus ſubjiciendi* (quo forte argumento cruciatus æternos impiorum apud inferos Sociniani nolunt agnoſcere) utique ut ſecum conſentiat debet etiam profiteri jus non eſſe Deo, ullis cruciatibus ſubjiciendi creaturam omnimodò innocentem, & citra ullum peccati, vel proprij, vel aſſumpti & imputati, reſpectum. Si enim poteſt illos cruciatus merè innocenti imponere ad diem unum, cur non ad menſem? ſi ad menſem, cur non ad annum? ſi ad annum cur non ad luſtrum? Si ad luſtrum, cur non ad ſæculum? ſi ad ſæculum, cur non in perpetuum? Nec quærat Crellius κρυπτφύγετον in voce *intolerabilibus*; quaſi fingat æternos cruciatus poſſe imponi innocenti, modo *tolerabiles* ſint: Nullus enim cruciatus ſimpliciter & abſolutè intolerabilis poteſt imponi creaturæ in perpetuum; nam quod ſemper toleratur & ſuſtinetur, non eſt ſimpliciter intolerabile. Quare cruciatus illi *intolerabiles* cenſendi, qui acerbiſſimi fuerint, & quibus majores in naturam intelligentem & permanentem cadere non poſſunt. At & hi imponi poterunt innocenti à Deo, ſi ulli. Qui enim poteſt v. g. febrilem calorem in corpore innocentis excitare, ad eum gradum qui ut duo dicitur Medicis, cur non ad eum poterit intendere qui ut quatuor, & ſi ad hunc, cur non ad illum qui ut octo, ceu ſummus, ijſdem appellatur?

Neque

Digitized by Google

Neque verò eſt, quòd quis putet, Deum tum v. g. nocentes graviùs punire, quàm ſuis delictis ſunt commeriti, cùm liberos tum ob ipſorum, tum op parentum impietatem punit. Nam Deus, cùm id facit, non majorem revera, quàm ipſi liberi commeriti fuerant, pœnam illis infligit: ſed eam pœnam, quam illi ſuis peccatis fuerant meriti, duplicem ob cauſſam, nemne tum ob propriam ipſorum, tum ob alienam culpam exigit; & exigit quidem ſeveriùs, quàm aliàs facturus fortaſſè fuerat. Quod dum facit, ſimul & parentes in liberis punit. Poſſet autem illis duobus, in quibus priorem particularis juſtitiæ effectum cerni diximus, addi & tertium, nempe quòd Deus ſibi addictos ſupra vires tentari non permittat, ut paulò pòſt intelligetur, cùm de fidelitate agemus. 21.

‡ *Cum liberos, tum ob*] Optimè; nunquam enim Deus punit parentes in liberis, vel Principes in ſubditis, quin ipſi tum liberi, tum ſubditi, ſint quoque peccatores, qui luant & ob propria peccata, & ob peccata Parentum vel Principum, quæ ipſis propter connexionem œconomicam aut politicam, ceu eorum quibuſdam membris, juſtè poſſunt imputari.

Tum ob alienam] At ſanè non poteſt Deus hanc *pœnam* ab illis exigere, etiam ob *alienam culpam*, unde & *ſeveriùs* eam exigit *quam aliàs facturus fortaſſe fuerat*, ſi nempe eorum duntaxat perſonalem culpam ſpectaret, quin *alienam* illam culpam ipſis imputet, ob nexum aliquem qui illis cum primarijs debitoribus intercedit. Quare ergo nolunt Sociniani imputari potuiſſe Chriſto alienas culpas, ob illam naturæ communionem quam *particeps factus carnis & ſanguinis* eum in finem ſuſcepit cum principalibus debitoribus, ut *per mortem aboleret eum penes quem eſt mortis robur, & liberos redderet quotquot metu mortis per omnem vitam damnates erant ſervitutis* Heb: II, 14. 15. Aut cur ægrè ferunt imputari nobis omnibus primi noſtri parentis peccatum, *in quo omnes* peccavimus Rom: V, 12. & in cujus voluntate, ceu originis noſtra ſtirpe communi, omnes noſtræ interpretativè continebantur?

Poſſet illis duobus] Verum quod ad *fidelitatem* Dei propiùs ſpectat, minus commodè ad effectum ullum *particularis juſtitiæ*, præſertim diſtributivæ, refertur.

Poſterior effectus cernitur in præmiis ab eo conſtitutis perſolvendis, atque adeò in univerſum in promiſſis præſtandis: quod proprium fidei ſeu fidelitatis munus eſt. Eſt enim fidelitas propriè dicta, juſtitia, quæ in promiſſis implendis cernitur; quam eandem dictorum factorumque conſtantiam definiunt. De hac juſtitiæ parte loquitur Nehemias cap. 9. (*verſu 8.*) ubi, cùm fœderis feciſſet mentionem, quod Deus cum Abrahamo pepigit, in quo poſteritati ipſius terram Palæſtinam promiſerit, addit: *& impleſti verba tua, quoniam juſtus es.* Diximus autem & ſuprà, *juſtitiæ* nomen ita non raro in Pſalmis poni, ut dubites utrùm fidelitas, an benignitas deſignetur, poſſiſque ſine ſententiæ detrimento, vel hoc vel illud nomen pro juſtitiæ voce reponere. Apoſtolus ſanè Rom 3. (*verſu 3, & d.*) fidem, veritatem, juſtitiam Dei promiſcuè ponit; & Johannes, cùm ajt, (*1 Ioh: 1. 9.*) *Si confiteamur pec-*

Digitized by Google

teamur peccata noſtra, fidelis & juſtus eſt, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate; alterum per alterum explicat, atque aliqua ratione illuſtrat; ita ut neceſſe ſit, vel juſtum illic nil ſignificare aliud quàm fidelem; vel juſtitiam eatenus illic ſpectari, quatenus fidelitatem in ſe continet.

‡ *In præmijs ab eo*] At primò hæc Dei juſtitia remunerativa, quæ Dei Munificentiâ, Liberalitate, Conſtantiâ, Fide nititur magis ad juſtitiam univerſalem pertinet quam ad particularem: Aut ſi trahatur ad juſtitiam particularem, potius commutativæ erit, quam tamen omnes agnoſcunt propriè non dari inter Deum & hominem, quam diſtributivæ. Hac ſaltem Deus potius dat nobis quod *ſuum* eſt, quam reddit & tribuit quod *noſtrum* eſt: *Nemo enim habet de ſuo niſi mendacium & peccatum*, ut ſcitè definitum olim à Concilio Arauſicano II. *can.* 22. Deinde etſi promiſſa ſervare pertineat *imperatè* ad Iuſtitiam, tamen Fidei & Conſtantiæ in promiſſis cùm illud propriè ſit, *elicitè* alterius erit virtutis: Fidelitas enim perperā *juſtitia* dicitur Crellio, *quæ in promiſſis implendis cernitur*: Nam Fidem ſive Fidelitatem à Iuſtitia, ut virtus eſt particularis, plurimi Philoſophi Morales ſolent diſtinguere. Silio Italico, Fides dicitur *Iuſtitiæ conſors, tacitumque in pectore numen.* Lipſius quidem *Civilis Doct. lib.* 2. *cap.* 14. Fidem ita facit *vicinam* juſtitiæ, *ut alteram ab altera oriri* (inquit) *verè dixeris*; nunquam tamen eas cenſuit inter ſe confundendas. Non debent identificari inter ſe virtutes, quæ neceſſariam & proximam aliquam connexionem habent.

De hac juſtitiæ] Agnoſco ſæpè in Scripturis Iuſtitiam Dei eo ſenſu adhiberi: ſed id fit vel per metonymiam adjuncti aut effecti, vel prout juſtitiæ vox univerſaliùs ſonat & virtutes in ſeſe continet omnes.

Diximus autem & ſuprà] Sed cum alterutram ſignificationem indifferenter ſuſtinet, ad juſtitiam particularem nequit pertinere.

Apoſtolus ſanè] Hoc utcunque concedi poteſt de com. 3. 5. & 7. quamvis æquè commodè in com. 5. juſtitia judiciaria & vindicativa, quâ Deus *infert iram* ſive *pœnam*, queat intelligi: At ſanè ea ſpeciatim intelligitur com. 25. & 26. ut pote quam Deus in propitiatione noſtra per ſanguinem Chriſti demonſtrare voluit; ut com. 21. idem vocabulum de juſtitia quam in Chriſto conſequimur, ſenſu ab his diverſo uſurpatur.

Et Iohannes] Sed nihil obſtat quominus hæc apud Iohannem diſtinguantur; ut *fidelitas* ſpectet conſtantiam in promiſſis, *juſtitia* vero ſatisfactionem præſtitam per Chriſtum, quod etiam video palpaſſe Cajetanum.

Animadvertendum autem eſt, ſacras literas fidei nomen, etiam cùm de Deo loquuntur, ita latè extendere, ut illam Dei ſinceritatem ac conſtantiam complectatur, quâ fiat, ut non tantùm ea præſtet, quæ verè ac propriè promiſit, ſed quæcunque conſentanea ſunt ipſius favori ac gratiæ, cujus ſignificationem aliquam homini dedit. quò pertinere videntur illa 1. Cor. 1. 8: 10. 13: 1. Theſſ. 5. 24. qua de re infrà in veritatis ac ſinceritatis explicatione dicemus. Sacræ enim literæ & ſinceritatem & fidem propriè ſic dictam, etiam Veritatis nomine crebrò ſignificant. Et ſanè fides tum ad juſtitiam, tum ad

Digitized by Google

tum ad veritatem ſpectat. Ad juſtitiam; quia dum promiſſis ſatisfit, jus ſuum alteri tribuitur. Nam promiſſione jus acquiritur ei, cui quippiam eſt promiſſum; & promiſſor eo ipſo obligatur alteri, ejuſque debitor conſtituitur. Unde vulgò dicitur, Omne promiſſum cadit in debitum. Ad veritatem autem ideò etiam ſpectat; quia dum promiſſio impletur, ejus veritas ſtabilitur, ſeu ipſa promiſſio, ut cum vulgo loquar, verificatur. Itaque veritatis etiam ſtudium impellit, ut promiſſa impleamus, aliàs pro mendacibus habendi. Sed magis tamen ad juſtitiam pertinet ſidelitas, quàm ad veritatem, ſeu veritatis ſtudium. Veritatis enim eſt ita loqui, ut verba rebus conſentiant: Fidelitatis efficere, ut res conſentiant verbis. Itaque illa in ip- 242.
ſis dictis proprie cernitur, in factis conſequenter, hoc eſt, eatenus tantùm, quatenus ſine factis dictorum veritas conſtare non poteſt. Fidelitas autem primò ac propriè in factis occupatur, quanquam ad dicta promiſſáve relatis. Quare juſtitia potiùs appellanda eſt, ſed ad promiſſiones noſtras reſtricta; ſuâque naturâ circa omnia verſari poteſt, circa quæ juſtitia particularis. Nihil enim eſt, quod jure facere poſſumus, non poſſimus etiam promittere. Ubi autem promiſſio locum habet, ibi & fides, & cum fide juſtitia particularis. Juſtitiam ergo ſimul & fidelitatem ſuam exercet Deus, cùm ſecundùm promiſſa ſua varia hominibus beneficia præſtat, ut cùm ex ipſius præſcripto orantes exaudit, nos in pietatis curſu laborantes adjuvat, ſupra vires tentari non permittit, reſipiſcentibus veniam concedit, fidei ac pietati præmia perſolvit.

‡ *Ita latè extendere*] At ſanè non video quî diſtinguantur ea quæ Deus *verè ac propriè promiſit*, à quibuſcunque conſentaneis ipſius favori & gratiæ, *cujus ſignificationem aliquam homini dedit*: nam verè & propriè promiſit ſuis, quæcunque ſunt conſentanea illi gratiæ & favori quo ſuos dignatur in Chriſto. Nec dubium quin ſit promiſſio propriè dicta facta pijs & verè fidelibus perſeverantiæ finalis quæ legitur 1. Cor: 1, 8. & x, 13. & 1. Theſſ: v, 24. eò magis quod *dona illa & illa vocatio Dei ejuſmodi ſunt, ut eorum ipſum pœnitere non poſſit* Rom: xi, 29. Sed hic voluit Crellius obiter putidæ doctrinæ de Apoſtaſia ſanctorum patrocinari.

Et ſanè fides tum ad juſtitiam] Ergo hæc non debet confundi cum illa, etſi conjungendæ veniant: Imò quantum intereſt inter veritatem & juſtitiam, tantum inter hanc & fidem videtur intereſſe: Quamvis enim ſubtiliter diſtinguat hic Crellius inter veritatem & fidem, quatenus veritas theoretica eſt, & prout efficit ut *verba rebus conſentiant*, tamen ceſſat illa diſtinctio ſi veritas promiſſoria conſideretur, & prout practica eſt, adeoque efficit ut res verbis conſentiant: Quare non magis Fidelitati quam Veritati, Iuſtitiæ nomen, ſi pro particulari virtute ſumatur, debet convenire.

Suâque naturâ circa] Id falſum eſt; cùm juſtitia particularis, diſtributiva maximè, etiam & potiſſimum verſetur circa ſontium pœnitionem, cum qua nihil commune habet fides promiſſoria, ut per ſe liquet. Et Deus qui *jure* poteſt punire peccatores, id tamen non promittit, ſed minatur in verbo ſuo.

Vbi autem promiſſio] Fateor quod juſtitiæ pars

tiæ particulari locus ſit, in hominum conventionibus & pactis ad ſymbioſim ſpectantibus, in quibus duo ſunt rei alter promittendi alter ſtipulandi; quo ſpectat & illud quod *omne promiſſum cadit in debitum*: nam ſtipulanti jus naſcitur ex alterius promiſſione, quam dum præſtat tribuit ſtipulanti quod quadantenus ſuum eſt. Et id pertinet ad eam juſtitiæ particularis ſpeciem, quæ commutativa vulgò dicitur. Verùm quandoquidem juſtitiæ commutativæ inter Deum & homines propriè non eſt locus, ut agnoſcunt Scholaſtici, mallemus illam Dei conſtantiam in promiſſis, in quibus Veritas, Fides, Beneficentia ſimul concurrunt, referri ad juſtitiam univerſalem; maximè cum nomen *juſtitiæ* ad id in Scripturis adhibitum, veritatem & fidelitatem Dei ſignificet; nec videtur ſonare particularem juſtitiam, niſi ubi reſpicitur ad Chriſti meritum & ſatisfactionem, ut in locis Pauli & Iohannis paullò ante citatis.

Ita autem juſtus ac fidelis eſt Deus, ut non jus ſtrictum ſequatur, ſed æquitate utatur ſumma. Æquitatem enim hîc intelligimus, quæ rigori juris opponitur. Nam aliàs cum juſtitia eadem eſt. Itaque etiam ea facit Deus, quæ, ſi rigidiùs aliquantò agere vellet, facere non teneretur: adeò ut etiam ex benignitate aliquid hæc æquitas trahat. Quò pertinere omnino videntur illa D. Auctoris ad Hebræos verba; (*cap: 6. verſu 9, & 10.*) qui cùm dixiſſet, ſe de illis meliora & ſaluti viciniora ſibi polliceri, ſubjicit: *Non enim eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine* (Gr. *in nomen*) *ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis.* Satis enim ex iis, quæ de illis in ſuperioribus dicuntur, apparet, Deum ſi aliquantò rigidiùs cum iis agere voluiſſet, eos repudiare meritò potuiſſe. Sed quia admodum ejus promiſſis conſentaneum eſt, iis parcere, aut reſipiſcendi ſaltem ſpacium ac facultatem concedere, qui charitatem ſingularem in fideles ac pios exercuerint: ideò juſtitiæ divinæ eſſe aſſerit, operis ac dilectionis ipſorum rationem habere, & eos, prout cæteroqui commeriti fuerant, propterea non abjicere penitus ac repudiare. Æquitatis hujus eædem in genere ſunt partes ſeu functiones, quæ & juſtitiæ particularis. Eſt enim revera juſtitia, ſed à ſtricto jure, ſeu rigore juris diſcedens, atque adeò benignitate quadam temperata. Itaque Deus præter id, quod juris temperamento conſentaneum eſt, nec quidquam nobis imponit, aut à nobis exigit; nec quidquam nobis denegat. non denegare autem, largiri ac præſtare eſt.

‡ *Ita autem juſtus ac fidelis*] Vltrò admittimus neceſſariam diſtinctionem inter æquitatem & juris rigorem, quarum illa ἐπιείκεια, hic ἀκριβοδικαιον Græcis dicitur: Sed miramur Crellium, non uno modo hîc à vero aberrare, & dum ſubtilis vult videri, pueriliter delirare. Nam primò, ibi juſtitia potiùs univerſalis quam particularis debet intelligi, ubi non fidei tantum, quam Crellius modò diſtinguit à juſtitia, modò cum illa confundit, ſed etiam *benignitati* locus eſt, quam virtutem eſſe diſtinctam à juſtitia particulari nemo neſcit. Deinde etſi diſtinguant Iuriſconſulti inter contractus *ſtricti juris* & contractus *bonæ fidei*, nemo tamen hactenus

Digitized by Google

negavit quin ad præſtandam in promiſſis fidem, qui reum ſe conſtituerit promittendi, ſtrictiſſimo jure teneatur. Tertiò non erant confundenda favorabilia cum odioſis Nam demum in odioſis ubi minus exigitur quam de rigore juris liceret, locus eſt æquitati: At in favorabilibus, cujuſmodi ſunt promiſſiones, ſi quis ampliùs præſtet quam de jure tenebatur, & ut eſt in Adagio Rabbinico, pro poculo argenteo det aureum, id non eſt adſcribendum æquitati ſummo juri moderanti, & quo ſenſu tritum illud uſurpari ſolet, *Summum jus ſumma injuria*, ſed gratiæ, beneficentiæ, munificentiæ & indebitæ liberalitati. Quis adſcribet æquitati, diſtinctè à rigore juris, quod Deus *infinita cum redundantia*, & poſſit & ſæpè faciat, *ſupra ea quæ petimus, aut mente concipimus*, ut loquitur Paulus Epheſ: III,20. Quartò nec ſui ſatis hic meminit Crellius: nam paullò ante nobis hanc occinebat rubricam, *Omne promiſſum cadit in debitum*: Igitur vel illa ipſa quam hic commemorat æquitas, non pertinebit (uti vult) ad Dei promiſſa, in quibus *juſtus & fidelis* eſſe ſolet, vel ex hypotheſi promiſſionis Divinæ erit debita, adeoque illis annumeranda quæ Deus facere tenetur. Quintò quod Deus cum pijs & fidelibus non agat ex juris rigore, nec eos plectat uti ſæpiſſimè merentur, ſed conſtans maneat in ſuis promiſſis, etſi ipſi circa conditiones quas ſtipulatus fuerat ſæpè cæſpitent & deficiant, magis oſtendit quam non hic ullo ſuo vel merito vel jure nitantur, quod ceu ſuum ex juſtitia particulari ipſis tribui debeat: adeoque totum pendere ex gratuita Dei promiſſione, beneficentiâ & liberalitate, nec eorum reſpectu in aliam ejus juſtitiam quam univerſalem refundi.

Quo pertinere omninò] Hic locus magis obeſt Crellianæ ſubtilitati, quam prodeſt ei confirmandæ. Etenim amplius quid eſt dicere, *Deus non eſt injuſtus ut obliviſcatur*, quam *Deus eſt juſtus ut recordetur*: Qui enim aliquid facit juſtè, non eo ipſo injuſtus cenſebitur, ſi illud omiſerit: Sed ad id omninò faciendum tenetur, quod niſi faciat *injuſtus* dici poſſet. Quare dictum Apoſtoli, non de æquitate, ſed de ſtricto jure, fundato in Dei promiſſione & fidelitate, omninò debet intelligi. Ad rem ipſam quod attinet ultrò largior, quod ſi Deus juxta Legis ſuæ rigorē, cum Hebræis iſtis agere voluiſſet, aut cum ſingulis pijs agere vellet, omninò digni fuiſſent & eſſent omnes quos abjiceret penitùs & repudiaret: quare ſinguli vel pijſſimi cum Davide tenentur dicere, *Si iniquitates obſervaveris Iah Domine, quis poterit conſiſtere?* Pſal: CXXX,3. & Pſal: CXLIII, 2. *Ne congrediaris judicio cum ſervo tuo; nam non eſſet juſtus coram te ullus vivens*: At cum Deum hic conſideret Apoſtolus Euangelicè ſuis reconciliatum per Chriſtum, in quo ejus *omnes promiſſiones ſunt Etiam & Amen* 2 Cor: I, 20. adeoque ſuis peccata quælibet gratuitò remittentem; nec illis imputantem ſua ἡττήματα 2. Cor: V, 19. Pſal: CIII, 10. 11. 12. 13. 14. & promittentem ipſis ampliſſimam mercedem, quæ non tam rependitur operi ex intrinſeca illius dignitate, quam operanti ex gratuita dignatione, ſi vel *poculum frigidæ ſolum nomine diſcipuli* uni ex ſuis dederint Matth: X, 42. mirum utique non eſt quod ſtatuat Deum eouſque injuſtum ſive infidelem ac promiſſionum ſuarum immemorem non futurum, ut velit obliviſci charitatis illius ſingularis quam in fideles & pios exercuerant: Non quod duntaxat *admodum ejus promiſſis conſentaneum ſit ijs parcere, aut reſipiſcendi ſaltem ſpacium ac facultatem concedere, qui charitatem ſingularem in fideles ac pios exercuerint*, ut fingit Crellius, ſed quod revera patientiæ pro Chriſto & charitatis ſinceræ exercitium, ſit τεκμήριον indubitatum veræ fidei & adoptionis in Dei filios, quorum ſe nunquam obliturum Deus ſanctè promiſit in ſuo verbo.

Digitized by Google

Æquitatis hujus] At jam monuimus, quam alienum ſit hæc ad æquitatem ſtricto juri oppoſitam revocare. Nec etiam Euangelicę promiſſiones opponuntur Legi, ut æquitas juri ſtricto; quandoquidem fundantur in Chriſti merito & ſatisfactione, per quam poſtulatum & *δικαίωμα* Legis in nobis impletum eſt Rom: VIII, 4. Interea per nos pertineat æquitas ad juſtitiam particularem, dum nem de in odioſis à rigore juris pauliſper abit; modò ad favorabilia & promiſſa præſtanda de quibus agebatur, id nominis non temerè extendatur.

Itaque Deus præter id] Plus eſt in hac concluſione quam in præmiſſis: Nec aliò hoc teterrimum dogma quàm propriæ juſtitiæ ſtabiliendæ ex indirecto deſtinatur. Sermo fuerat Crellio de eo quod Deus nobis ex fide & juſtitia, juxta ſua promiſſa præſtare debet; quia omne promiſſum abit in debitum: Nunc vero agit de eo quod nobis Deus imponit aut à nobis exigere poteſt; quod alterius eſſe ordinis à præcedenti, res per ſe loquitur. Deinde æquitas Dei, uti modò volebat adverſarius, non patiebatur ut Hebræos, *prout cæteroqui commeriti fuerant*, abjiceret & repudiaret. An ergo, ô Crellì, ad *juris temperamentum* pertinebat ut Deus Hebræis non imponeret ſuâ lege, aut non exigeret ſuis mandatis, ea officia quorum neglectu abjici & repudiari commeriti fuerant? Sed eo væſaniæ proceſſiſti, ut cùm ſentires te non poſſe facere ea quæ Deus juſſit, & velles nihilominus per tuam juſtitiam, abjecto Chriſti beneficio, ſtare coram ipſo, Deum obligares per ſuam æquitatem ad ea tantum jubenda & imponenda, quæ tuis viribus in natura corrupta reſpondeant. Nec quia Deus nihil *nobis denegat*, eorum quæ in fide & Chriſti nomine petierimus, quouſque fuerint nobis ſalutaria & gloriæ ipſius illuſtrandæ profutura, inde ſequitur ſtricto jure homines non teneri, ſub peccati reatum ad ea omnia officia accuratè præſtanda, quæ ipſius Lege præſcribuntur & mandantur. Sanè Lex Dei, reſpectu officiorum quæ poſtulat erga ipſum & proximum eſt juris ſtrictiſſimi, adeo ut qui in minimum ex illius præceptis impegerit ſit damnas omnium Iac: II, 10. Nec qualemcumque, ſed pleniſſimam illius obedientiam ad ultimum uſque jota Deus nobis imponit & à nobis exigit Matth: v, 18. 19. Interea tamen pijs, qui non ſunt amplius ſub Lege & illius jugo ac maledictione, ſed ſub gratia, non imputantur ad condemnationem, ſed miſericorditer remittuntur, quæcunque contra illam perpetuam & indeclinabilem officiorum normam peccaverint; non per relaxationem juris ſtricti & obligationis quâ ad omnes officij ſui partes & numeros omninò tenebantur; cùm nulla ſit æquitas quæ diſpenſet hominem ab obedientia Deo debita, vel ei faciat facultatem peccandi; ſed admiſſâ pro ipſis Chriſti ſatisfactione pleniſſimâ, quam vera & viva fide per charitatem & pietatis ſtudium efficaci amplectuntur; Sed id dum non vult admittere Crellius, in has ſe ambages & difficultates fœcundas abſurditatum matres induit, ex quibus expediri nunquam poterit.

243. Alteruter autem juſtitiæ & æquitatis divinæ effectus in judiciis ipſius apparet, & ſæpè quidem uterque. (*Gen: 18. 25. Pſal. 7. 12: 9, 5, 9: 50. 6: Act: 17. 31. Rom: 2. 5, 6: 3. 6: 2 Theſſ: 1. 5, 6. Heb: 2. 2. Apoc: 16. 5, 6, 7.*) Etenim judicando aut punit Deus, aut impunitatem concedit, aut etiam præmium. Cùm punit, juſtitiam exercet, quia non niſi merentem, nec ultra meritum punit. Cùm impunitatem alicui concedit, vel ideo id facit, quia is reverâ ſit innocens, ſaltem reſpectu certi alicujus facti, de quo judicium inſtituitur, vel

tur, vel

tur, vel quia ita promiſſa ipſius ferunt. Illic juſtitiam exercet, quia præter jus nihil illi imponit, aut ab eo exigit: hîc quia jus, quod promittendo illi dedit, reddit. quod poſterius etiam de præmiis ſtatuendum eſt, quæ Deus rectè agentibus perſolvit. Quanquam non negamus, etiam ſine promiſſo perſolvi præmium poſſe; id quod benignitatis revera eſt, non juſtitiæ divinæ. ſiquidem meritum creaturæ propriè dictum reſpectu Dei nullum extat, ut alibi docuimus. (*cap: 28.*) Maximè autem hi juſtitiæ divinæ effectus eluceſcent in univerſali illo ultimoque judicio, quod Deus per Chriſtum inſtituet. Quanquam non ſolius juſtitiæ particularis effectus tunc apparebunt, ſed & juſtitiæ in univerſum. Hoc enim eſt, quòd dicitur Deus judicaturus eſſe orbem in æquitate ſeu juſtitia. (*Act: 17.31.*) quod quo pacto ſit futurum cap. 2. (*5, & d.*) Rom. docetur. Cùm enim mentionem feciſſet Apoſtolus *diei iræ & revelationis juſti judicii Dei*, addit, *qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus: iis quidem, qui ſecundùm patientiam* (vel potiùs *perſeverantiam*) *boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt* (Gr. *obtemperant*) *autem iniquitati, ira & indignatio: Tribulatio & anguſtia in* (vel *ſuper*) *omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm, & Græci: gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco. Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.* & in ſecunda ad Theſſalonicenſes Epiſtola, (*2 Theſ: 1.4.5.6.*) cùm dixiſſet, eos tribulationes ſuſtinere *in exemplum* (vel *demonſtrationem*) *juſti judicii Dei, ut digni habeantur regno Dei, pro quo & patiantur*; ſubjungit: *ſi tamen* (Gr. *ſiquidem*) *juſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant: & vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcum in revelatione Domini Ieſu de cœlo*, & quæ ſequuntur. Juſtum autem erit illud Dei judicium, non tantùm quia nihil in eo fiet iniqui atque illiciti, ſed etiam quia ea facturus eſt Deus, quæ juſtitia ſeu rectitudo ipſius poſtulant, nullis præſertim, cur ea relaxentur, cauſſis extantibus: (*vid: ſup: c. 23.*) & contrà etiam præmia perſolvet iis, quibus ut perſolvantur, decreta ac promiſſa ipſius requirunt. Quare utraque in re univerſali juſtitiæ ita ſatisfiet, ut ſimul etiam exerceatur particularis, eo, quo ſuperiùs 244.
dictum eſt, modo.

‡ ***Cum punit, juſtitiam***] Nobis gratulamur quod Crellius locis etiam Scripturæ plurimis citatis, agnoſcat juſtitiam Dei punitivam: Iam autem ubicumque eſt peccatum, ibi eſt meritum pœnæ: Ergo juſtitia Dei, quâ tenetur reddere cuique quod ſuum eſt, ſive ſingulis rependere ſecundum opera manuum ſuarum, neceſſariò exigit, ut peccato debita pœna infligatur, ne fruſtretur peccator eo quod ſuum eſt, ideſt eâ quæ ex ordine juſtitiæ meritis ſuis debetur pœna.

Cum impunitatem alicui] At primum difficile foret adverſario nobis aliquod exemplum ejus ſpecialis Dei judicij procudere,

cudere, in quo *impunitatem* alicui conceſſerit, *quia is revera ſit innocens, ſaltem reſpectu certi alicujus facti de quo judicium inſtituitur.* Quoties enim David cauſæ ſuæ juſtitiam Deo commendat, non tam impunitatem quærit apud judicem, quam illi ſua conſcientia ſatis ſuperque ſpondebat, quam vindicias adverſus ſuos adverſarios, & eorum repreſſionem & puniтionem: Quin ſe eam à Deo *juſto* vindice retuliſſe ſatis innuit Pſal: VII, 12. 13. IX, 5. 6. Cum etiam ſtant pij in judicio contra Satanam, *accuſatorem* illum noſtrum Ap: XII, 10. non *certi* duntaxat *alicujus facti*, ſed omnium ſuorum factorum impunitatem abſolutam conſequuntur. Deinde perperam hìc ſupponuntur duo genera hominum *impunitatem* apud Deum juſtum judicem conſequentium, quorum alij ſunt revera innocentes, alijs ita Deus promiſerit: Nam nemini Deus promiſit impunitatem, niſi qui *revera ſit innocens*, vel innocentiâ propriâ & perſonali, qualis in nemine poſt peccatum reperitur, vel dativâ & imputatâ, qualem ex Chriſti ſatisfactione per fidem apprehenſam conſequimur: nam factus eſt *peccatum* pro nobis, ut efficeremur *juſtitia Dei* in ipſo 2. Cor: V, 21. Aliàs non minus repugnat juſtitiæ Divinæ nocenti ſimpliciter impunitatem concedere, quam ſimpliciter innocenti pœnam infligere: nam ut innocenti tribueretur eo modo quod ſuum non eſt, ita nocenti non tribueretur quod ſuum eſt. Deus equidem promiſit remiſſionem peccatorum credentibus & reſipiſcentibus; ſed eam promiſit in Chriſto, per applicationem meriti & ſatisfactionis quam dependit pro illis in cruce, pœnas ipſis cæteroqui debitas & infligendas in ſe derivando. Tertiò fruſtrà adverſarius diſtinguit ab omnimodæ impunitatis conceſſione, conceſſionem præmij, quaſi illa abſque hac poſſit obtineri. Nam in Dei judicio innocens pronunciatur, ideſt juſtificatur, qui impunitatem conſequitur per remiſſionem peccatorum ſuorum: at qui juſtificatur & innocens declaratur apud Deum, eo ipſo jus habet ad præmia fœlicitatis æternæ: Is ſanè cenſetur nihil mali feciſſe, cui omnia ſunt remiſſa peccata: At qui nihil mali cenſetur feciſſe, is etiam nihil boni cenſetur omiſiſſe; cùm & aliquid omittere boni, malum ſit: Qui vero nihil boni cenſetur omiſiſſe, is cenſetur accuratè Legi ſatisfeciſſe; adeoque quam dignus habetur, qui nulli amplius pœnæ & maledictioni per Legem peccatoribus denunciatæ ſubſit, tam dignus pronunciatur qui obtineat prœmium promiſſum Legẽ ſervantibus, juxta illud, *Hoc fac & vives.*

Rectè agentibus perſolvit] Sed cum Deus ſua dona in nobis non noſtra merita coronet, illud *perſolvendi* vocabulum duriuſculum eſt: Debemus eum dicere Deo, Dimitte nobis debita noſtra, non Perſolve nobis debita tua: Adhæc cum *rectè* viventes & ad amuſſim Legis nulli ſint mortalium, præmium ſibi rependi expectant pij, non ex operum ſuorum dignitate, ſed ex miſericordia & dignatione Divina ac Chriſti beneficio, in quo ſolo acquieſcunt.

Etiam ſine promiſſo] Hoc dicit Crellius quia negat Patres V. T. promiſſum habuiſſe vitæ æternæ, quâ tamen eos excludere non audet: At ſanè falſiſſimum eſt quemquam admitti ad præmium vitæ æternæ, cui nihil tale promiſſum fuerit à Deo; nec quæſiviſſent veteres per fidem *civitatem eam quæ habet fundamenta* Heb: XI, 13. 14. niſi revera eorum fuiſſent *promiſſiones* Rom: IX, 4. quas etiam *eminùs conſpicati & amplexi* ſunt Heb: XI, 13. Et ut hoc abſurdum tueatur adverſarius in alia incidit: Negat enim id eſſe *juſtitiæ* Divinæ cùm ſine Promiſſo *perſolvitur* præmium: Quaſi vel ipſum *perſolvendi* vocabulum, debitum non arguat, quod ex *merito* cum non ſit, ut fatetur Crellius, utique ex promiſſo debet eſſe; vel hæc præmij aſſignatio, non pertineat ad judicium Dei juſtificatorium, adeoque ad

juſtitiæ

juſtitiæ Divinæ effectum. Negat id eſſe *juſtitiæ Divinæ*, quod *reverà benignitatis* eſt; cùm tamen paullò ante ipſam juſtitiam quam Deus in ſuis promiſſis ſervandis exercet erga ſuos, benignitate quadam temperatam faceret: Non ſunt ergo hæc duo ita ἀσύςατα & ἀσύγκλωςα, ut quod benignitatis eſt nequeat eſſe juſtitiæ, aut viceverſa. Statuit *benignitatis reverâ* eſſe, *non juſtitiæ Divinæ*, cum *ſine promiſſo perſolvitur præmium*, hac ratione quod *meritum creaturæ propriè dictum nullum extet*; cùm è contrario debeatur & detur præmium merito, ſi non ex promiſſo aliquo gratuito rependitur: Longè enim eſt perfectior ratio meriti, ubi non habetur ratio pacti & promiſſi, ſed tantum condignitatis operis, ut docent Scholaſtici. Imò Crellius vel imprudens vel datâ operâ ſtatuminat merita, quæ negare videtur: Si enim ibi demum meritum non ſit, ubi agitur non ex juſtitia ſed ex mera benignitate, & ibi ſoli benignitati locus ſit ubi ſine promiſſo perſolvitur præmium, ſanè viceverſâ ibi debebit eſſe meritum, ubi ex promiſſione Divina & ſecundum fidelitatis Divinæ juſtitiam præmium obtinetur: Atqui ita fit omnibus pijs, ſaltem in N. T. ex adverſariorum conceſſione: ergo omnibus pijs, ſaltem in N. T. meritum propriè dictum debet convenire. Eò ſcilicet redeunt ſubtilitates Socinianæ.

Sed & juſtitia in univerſum] Ergo Iuſtitia Vniverſalis erit ſpectanda in remuneratione piorum abſque ullo perſonali merito, ut particularis in condemnatione impiorum.

Sed etiam quia ea] Concedat ergo Crellius id poſtulare Dei juſtitiam & rectitudinem, ut impij puniantur: non tam ex illius aliquo decreto, ut ſomniat hæreticus, quam ex ipſius natura, ſanctitate, & inviolabili lege: Lex autem illa, ſive Dei edictum, quo pœnam interminatur & denunciat tranſgreſſoribus, non *relaxatur* remiſſione peccatorum quæ fit credentibus & reſipiſcentibus; ſed tantum effectu ſuo caret in eorum perſonis, quod vice illorum illam pœnam Chriſtus, cujus intuitu remittuntur illis ſua peccata, ſuſtinuerit & in ſe derivarit. Ceſſante autem illâ gratuitâ peccatorum remiſſione in ſanguine Chriſti, manent impij neceſſario ſub Lege, adeoque maledictioni & pœnæ obnoxij.

Vt ſimul etiam exerceatur] Exercetur quidem in impijs juſtitia particularis propriè dicta, quatenus ſubjiciuntur pœnæ quam meriti ſunt: Iuſtitiæ quoque particularis eſt propriè dictæ præmij retributio, ſi reſpiciatur ad Chriſti obedientiam, meritum & ſatisfactionem perfectiſſimam, cui de ſtricto jure tale præmium debebatur; at quatenus hoc præmium merito Chriſti debitum, hi & illi ſecluſis alijs referunt, pertinet magis ad juſtitiam univerſalem, quia gratiæ eſt & miſericordiæ Divinæ quod pro iſtis hæc acceptetur ſatisfactio illiſque imputetur; & ad juſtitiam fidelitatis & benignitatis pertinet, non fruſtrari credentes & reſipiſcentes promiſſo fructu ſatisfactionis Chriſti pro illis præſtitæ.

Ex illis autem verbis, quæ ex Epiſtola ad Romanos citavimus, ſatis apparet, juſtitiam illam, quâ Deus in judicando ſit uſurus, inprimis excludere προσωποληψίας, hoc eſt, acceptionem perſonarum, ſeu mavis facierum, ut Hebræi loquuntur. Eſt autem proſopolepſia vitium ejuſmodi, quo fit, ut in judicio, & porrò etiam in factis judicium conſequentibus, non ad ipſam rei æquitatem reſpicias, ſed ad alias perſonarum, quæ in judicium veniunt, qualitates ac circumſtantias, quæ ad rationem juris aut injuriæ nihil adferunt

Digitized by Google

adferunt momenti. Sunt enim quædam perſonarum qualitates, quæ nonnunquam ad juris rationem non parùm pertinent, quæ proinde à judice, qui de facto aliquo rectè judicare vult, omnino attendendæ ſunt, ut, an aliquis rei, quæ erepta eſt, dominus fuerit nec ne; an is, qui læſus fuit ab altero, magiſtratus fuerit, in privatus, an pater, an alienus. Spectatur etiam in delinquentibus ætas, officium, & alia ſimilia, quæ factorum gravitatem vel augent, vel minuunt. Hæc ſi quis in ſententia de delictis ferenda reſpiciat, perſonam accipere non eſt dicendus: quia ipſum factorum meritum, & juris rationem reſpicit. Opponuntur autem inter ſe, ſecundùm cujuſque opus judicare aut reddere, & perſonas accipere. In aliis controverſiis fieri poteſt, ut eædem illæ qualitates ad juris rationem nihil faciant, ut ſi de emtione ac venditione aliiſve ſimilibus contractibus agatur, nihil id habere ſolet momenti, quòd hic ſit magiſtratus, ille privatus. Quare ſi ob id ipſum res, quæ privati ſit juris, adjudicetur alteri, quia ſit magiſtratus, & privato eripiatur, proſopolepſia hæc erit. Tales qualitates ferè ſunt, potentia, divitiæ, genus ac nobilitas, ſapientia, aliaque dignitatis ac honoris genera, amicitia, cognatio, quæ judici cum eo intercedit, de quo ſententia ferenda eſt, utilitas quam ab eo percipit, & ſi quæ ſunt his ſimilia, eorumque contraria. Hæc Deus in judicando non reſpicit, ſed ſecundùm uniuſcujuſque facta ſententiam fert, & præmia pœnáſve decernit. Quid, quòd ne tum quidem ad eas hominum qualitates attendit, cùm beneficia in eos confert, aut inter eos diſtribuit: licèt alioqui beneficiorum ratio ſit liberior, & lege videatur eſſe ſoluta. Patet id ex quibuſdam locis, in quibus proſopolepſia à Deo removetur; è quibus eſt ille Moſis: (*Deut: 10. 17.*) Deus *perſonam non accipit, nec munera. Facit judicium pupillo & viduæ,*
245. *amat peregrinum, & dat ei victum atque veſtitum.* quod poſtremum ad beneficentiam divinam ſpectat. ideo autem commemoratur, ut pateat, Deum ne hîc quidem perſonæ qualitatem, nempe gentem ac nationem reſpicere: quia non tantùm Iſraelitam, ſed & peregrinum amet atque alat. Ad idem proſopolepſiæ genus excludendum ſpectant & illa ipſius Dei verba ad Samuelem, qui cùm ex Iſai filiis unum deberet ungere, & Eliabi formam ac proceritatem ſpectans cogitaret, hunc eſſe, quem Deus regem elegiſſet, ita ei dixit Deus: (*1 Sam. 16. 7.*) *Ne reſpicias vultum ejus, neque altitudinem ejus reſpicias. quoniam abjeci eum: nec juxta hominis intuitum ego judico. Homo enim videt ea, quæ patent: Dominus autem intuetur cor.* Et ne alia nunc commemorem, pertinent huc inſignia illa Petri verba, quæ tunc protulit, cùm Ethnicis hominibus eſſet primùm Dei juſſu Evangelium annunciaturus: (*Act: 10. 34, 35.*) *In veritate comperio, quòd non eſt acceptor perſonarum Deus. ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi.* Scilicet & beneficentia ad juſtitiæ

naturam

Digitized by Google

naturam ac rationem ſeſe quodammodo accommodat, cujus etiam nomen eam in ſ. literis ſortiri vidimus. Etſi enim interdum nihil eſt neceſſe, ut qui beneficium in alium confert, aliquam extra ſe cauſſam in dando beneficio reſpiciat: conſentaneum tamen eſt, ut ſi quid tale ſpectare velit aut debeat, partim quidem indigentiam reſpiciat ejus, cui benefacere vult; partim eam illius dignitatem, quæ ex factis pendet; nonnunquam & aptitudinem quandam ad id perficiendum, cujus cauſſâ beneficium datur. Homines quidem etiam conjunctionem, quæ illis cum aliis intercedit, ſæpè non immeritò ſpectant: ſed ea cauſſa in Deo, quatenus à dignitate factorum ſejuncta eſt, vix ullum habet locum. Dignitas autem illa, quæ in factis conſiſtit, juri illi, quod juſtitia particularis ſpectat, aliquo modo eſt analoga: quanquam non earundem planè eſt virium. quia illa ad beneficium dandum per ſe neminem obſtringit: at jus obſtringit. Ad illam ergo Deus in beneficiis etiam dandis, ſi quicquam extra ſe ſpectet, attendit, & tum judicium, tum facta ſua attemperat. Dico, *ſi quicquam extra ſe ſpectet*: quia nec ſemper ad qualitates eorum quibus benefaciendum eſt reſpicit, nec reſpicere neceſſe habet; ſed libera ejus voluntas ad beneficium conferendum ſufficit, ut ex iis patet, quæ ſuprà de Poteſtate Dei diſſeruimus. Quin etiam cùm creaturas primùm produxit, & eo ipſo variis eas beneficiis ornavit, ad cauſſas ejuſmodi ne potuit quidem attendere. Unde nec proſopolepſiæ ea in parte eſt accuſandus. Hæc enim qualitates perſonarum ſemper æſtimat; quanquam non illas, quas debebat: Deum autem tunc qualitates perſonarum nullas reſpexiſſe dicimus.

‡ *Ad illam ergo Deus*] Id dici nequit de gratia diſcriminante, ſive Electio æterna, ſive Vocatio & Converſio in tempore conſideretur. Vtrobique enim ſic procedit ex libera ſua voluntate, ut non eligat, vel vocet ac convertat, digniores, ſed quos æquè miſeros & indignos ac reliquos, illis digniores dignatur efficere: Et ſicut fatente Crellio in Creaturarum productione, ita etiam in earum electione & vocatione gratuita ad ſalutem, nullas omninò qualitates perſonarum reſpexit; imò *nec potuit quidem attendere*; cum quicquid eſt boni in his præ illis ab illa electione & vocatione fluat. Vide Matth: XI, 25. 26. Rom: IX, 11. 21. Videant ergo ingrati hujus ævi Doctores quo jure clamitent nos Deo proſopolepſiæ culpam affingere, dum ejus liberam poteſtatem in his eligendis & illis reprobandis, ex Scriptura ſacra tuemur.

Non obſtat autem iis, quæ hucuſque diximus, quòd Deus poſteritati A- 246.
brahami, Iſaaci, & Jacobi, præ cæteris terræ nationibus peculiariter faverit; ſimiliter & Davidis poſteris præ cæteris Iſraelitis, & quidem ob id ipſum, quòd ab iſtis majoribus eſſent progeniti. Diximus enim, proſopolepſiam eſſe, reſpicere eas perſonarum qualitates, quæ ad juris & æquitatis rationem nullum habent momentum. Atqui in illis, aliiſque hominum

 piorum

Digitized by Google

piorum poſteris, propagatio ad juris & æquitatis rationem pertinet; non quidem per ſe, ſed veluti per accidens. Neque verò etiam per ſe à Deo reſpicitur; ſed quia majorum pietatem etiam in poſteris remunerari æquum eſt, præſertim poſtquam promiſſio aliqua ea de re interceſſit. Interceſſit autem in Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, Davidiſque poſteris: imò in omnibus, qui mandata Dei obſervant. Utrumque docent ſacræ literæ. Et ne ſpecialia promiſſa nunc commemorem, Patriarcharum illorum poſteritati data; omnium piorum liberis in milleſimam etiam generationem Deus ſe promiſit benefacturum: (*Exo: 20.6. Deut: 5.10.*) Non eſt autem proſopoleptes, qui ex promiſſo, certæ nationi aut familiæ adſtricto, debitor factus, promiſſa illa exſolvit, & porrò ad familiam eo tempore reſpicit. ſiquidem promiſſum exſolvi non poteſt, niſi ad familiam, cui id adſtrictum eſt, reſpectu habito. Similis autem ratio eſt, cùm nulla quidem extat promiſſio, eadem tamen aut ſimilis eſt cauſſa, quæ ad promiſſionem etiam familiæ alicui nominatim faciendam impellere ſolet, hoc eſt, pietas parentum ac majorum. Non accuſantur principes aut magiſtratus proſopolepſiâs, qui ſive ob legem ea de re extantem, ſive nulla lege cogente, bene meritorum liberos majoribus, quàm cæteros, beneficiis afficiunt, aut iis interdum parcunt, cum aliis in eodem delicti genere deprehenſis non parcant. Illud rectè reprehenditur, ſi nimium ſit inter illos & cæteros diſcrimen, aut licentiæ illis feneſtra hujuſmodi indulgentiâ aperiatur. Sed neutrum facit Deus. Habet enim illud diſcrimen, quod Deus inter piorum & impiorum liberos promiſſione ſua conſtituit, certos quoſdam limites, nec licentiæ relinquit locum. Nam & illi, ſi impiè agere pergant, pœnæ ſubjiciuntur; & hi ſi piè vixerint, præmiis à Deo afficiuntur: licèt illi in præmiis aliqua gaudeant prærogativâ; in pœnis autem mitiùs nonnunquam tractentur; niſi fortè aut ipſorum utilitati in pœna conſulatur, aut uberior divinæ voluntatis cognitio delicta eorum aggravet, & eos pœnæ reddat magis obnoxios. Nam ob illam etiam cauſſam, Iſraelitæ olim
247. citiùs nonnunquam puniebantur, ut teſtatur Auctor libri 2. Maccabæorum; (*cap: 6.17, & d.*) ob hanc verò etiam graviùs ac ſeveriùs puniti ſunt, & aliquando punientur. Unde Paulus in loco cap 2. Rom. (*verſu 9.10.*) ſuperiùs à nobis citato docet, præmium quidem pietatis, uti & pœnam impietatis, eſſe Judæo & Græco ſeu Ethnico commune; ſed utrumque tamen ad Judæos primùm ac potiori quodam jure ſpectare. Neutrum autem cum proſopolepſia quicquam conjunctum habere, imò prius illud ei planè etiam adverſari, oſtendit ratio ſubjecta: (*verſu 11.*) *Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.* Tum demum acceptio perſonarum apud Deum foret, ſi Deus Judæos, licet impiè vivenres, ob id ipſum, quòd Judæi ſint, hoc eſt, ex Patriarchis oriundi, circumciſi, Legis cognitione donati, pœnâ eximeret; Gentes contrà,

contrà, utut piè viventes, à præmio excluderet, quia illâ prærogativâ deſtituantur. Sed id non facit Deus. ad facta hominum, in ipſo præmio aut pœna decernenda revera attendit: non gentem aut natalium ſplendorem reſpicit; non circumciſionem aut præputium; non quicquid à virtute ac pietate hominis ſejungi poteſt. Unde Petrus quoque ait, Deum *ſine acceptione perſonarum judicare ſecundum uniuſcujuſque opus.* (1 Pet: 1. 17.) quod idem à Paulo Rom. 2. (*verſu 10, & d.*) affirmari ſuprà vidimus. cujus non tantùm illa, quæ ex eo recitavimus verba, ſed & cætera, quæ ſequuntur, conſideranda ſunt: in quibus docet, nec Gentibus ignorantiam Legis Moſaicæ, nec Judæis Legis cognitionem, ſi nihilominus peccaverint, ad impunitatem profuturam; nedum ut ſola generis prærogativa Judæos in impietate perſeverantes ſit à pœnis liberatura.

‡ *Et quidem ob idipſum*] Verum Deus, non tam in illis ordinem naſcendi naturalem ſpectabat, quam ſui fœderis conſtantem promiſſionem, quâ caverat Patriarchis ſe & ipſorum & ſeminis ſui poſt eos Deum fore.

Propagatio ad juris] Quod ſi id cum jure & æquitate conjunctum eſt ut poſterorum habeatur ratio in favore Divino haud alienum ergo ab æquitate fuerit viceverſâ poſteros Adami pœnam ſuſtinere peccati quod commiſit; tum quia ejus labes & vitium ad ipſos propagatur, tum quia non ſibi tantum ſed nobis omnibus cecidit, prout & nobis omnibus ſtetiſſet ſi permanſiſſet in officio.

Deus ſe promiſit] Si videlicet Patrum ſuorum veſtigia premant, nec degenerent ab eorum virtute: Quin nec aliter æquum eſt pietatem majorum in eorum poſteris remunerari; nec alio ſenſu id promiſit Deus in verbo ſuo.

Cum alijs in eodem delicti] At hoc reſpectu planè exæquantur Iudæi & Græci Rom: 11, 9. Imò illi eò graviùs plecti merentur, quò majora beneficia & promiſſa, quæ per ingratitudinem ſummam contemnant, fuerant in Patribus ſuis conſequuti: quod & hic Crellius monet.

Satis, ni fallimur, de juſtitia particulari diximus. Sequitur nunc, ut de Sinceritate, &, quæ ſub ea continetur, Veritate dicamus. Sinceritas enim tum in verbis, tum in factis, quibus animi ſententiam ſignificare aliis volumus aut ſolemus, cernitur. Veritas propriè loquendo in verbis tantùm, & illis quidem ſolis, quibus aliquid ſive affirmando ſive negando pronunciamus atque aſſerimus. quanquam Veritatis vox in ſ. l. interdum & ſinceritatem ac fidem in ſe complectitur, & non fictam benevolentiam ſignificat: in iis præſertim locis, in quibus cum miſericordia jungitur, de quibus infrà. Eſt autem Sinceritas ea ſive virtus, ſive rectitudinis pars, quâ fit, ut quatenus rerum circumſtantiæ poſtulant, aliis ſignificemus id, quod revera ſentimus. Opponitur enim hypocriſi, & fraudi: quarum illa propriè affectum erga quempiam benevolum, vel aliud quippiam honeſti, verbis externâve ſpecie præfert, & perſuadere aliis conatur; cum tamen illum non habeas,

Digitized by Google

beas, hoc non præſtes. Hæc verò, nempe fraus, malum, quod injuſtè
248. molitur, occultat; & ſæpè quidem cum hypocriſi jungitur: interdum altera ſejungitur ab altera. His ergo vitiis oppoſita ſinceritas curat atque efficit, ut inter ea, quæ intùs ſentimus, & exteriùs ſignificamus, convenientia ſit, & legitimus conſenſus. Non eſt autem conſenſus ille, ex honeſtatis lege in omnibus & perſonis & rebus planè uniuſmodi. Quin & ſignorum diverſitas aliquod parit in ſinceritatis ratione diſcrimen. Nam quod ad perſonas attinet; hominibus nonnunquam, cùm alia ratione vel ſuæ, vel alienæ ſecuritate, honeſtoque commodo conſulere non poſſunt, permittitur, ut contrarium ejus, quod ſentiunt, dicant: cujus rei etiam in ſacris literis exempla extant. (*Exo: 1. 19. conf: cum præced. 1 Sam: 19. 14, 17. conf: cum verſu 11, 12. & c. 20. 6. 28, 29: 21. 2.*) Non commemoro ea, in quibus homines hominibus ignoſcunt, licèt à rigida veritatis lege diſcedant, cùm non uſquequaque ſeriò rem agunt, aut in blandimentis longiùs quàm res ipſa cæteroqui fert, progrediuntur. Sed cum & ab iſtiusmodi neceſſitate Deum immenſa ipſius potentia liberet; & à cæteris, quæ humanæ imbecillitatis atque imperfectionis ſunt propria, ſumma ipſius perfectio ac majeſtas; ideo illud quoq; ab eo abeſt, quod ob neceſſitatem, vel ſaltem, ob cauſſam aliquam ex humana imbecillitate aut imperfectione profectam, in hominibus toleratur, nonnunquam aliqua ex parte laudatur.

‡ *Nam quod ad perſonas*] Mirum nobis meritò videtur quod Crellius, ſinceritatemDivinam, quam nemo ſanus impugnavit unquam, μετὰ πολλῆς φαντασίας propugnaturus, mendacij tamen ſe præbet patronum inter homines; Agnoſcimus diſcrimen inter mendacium officioſum, jocoſum, & perniacioſum; ſed negamus prius illud in Dei verbo vel permitti vel probari: In genere Deus averſatur & ſe perditurum minatur omnes *eos qui loquuntur mendacium* Pſal: v, 7. & quocunque modo vel fine declinent homines à veritate, impingunt in primam veritatem, & aliquid participant illius qui *mendax* eſt & *pater mendacij* Ioh: VIII, 24. Adde loca Scripturæ Prov: VI, 16. Matth: V, 37. Eph: IV, 25. Col: III, 9. Abhorruerunt etiam ab omni mendacio ipſi Ethnici, adeo ut Ariſtoteli mendacium ſit per ſe malum & ψεκτὸν, ſive uituperabile; & Homerico Achilli non minùs ille *exoſus quam janua ditis, Mens aliud cui tecta tegit quam lingua loquitur*: & Eccleſia Catholica jam olim abominata fuit Priſcillianiſtas, quibus id genus mendacij eouſque erat in pretio, ut hoc quaſi Symbolo uterentur, *Iura, perjura, ſecretum prodere noli.* Deberem hìc deſcribere totum Auguſtini opus *de mendacio ad Conſentium*, ſi id pluribus eſſet demonſtrandum. Sed & ante eum dixerat Lactantius *in Epit. Divin. inſt. cap. 4. Nunquam mentiendum eſt, quia mendacium ſemper aut fallit aut nocet*: adeoque *propter* hoc *malum, quia ſubrepere in hac mortalitate non deſinit, etiam ipſi cohæredes Chriſti dicunt, Dimitte nobis debita noſtra*, inquit Auguſtinus *Enchir. cap. 22.* Itaque illa quæ hìc à Crellio proferuntur exempla, non debent abire in regulas; Inſerviant comprobandæ noſtræ infirmitati, & quam generale ſit axioma quod extat Pſal: CXVI, 11. *Omnis homo eſt mendax*; non vero imitanda ſuſcipiantur. Obſtetrices, quarum fit mentio

Digitized by Google

mentio Exod: 1, 19. Iunius putat poſſe excuſari à mendacio, & quod revera mulieres Hebrææ, de Regis mandato clanculum edoctæ, antea parerent, quam eas evocarent, vel admitterent: Verum non opus eſt eò recurrere; nam ut habet Gloſſa interlinearis, *Timore mortis ſuæ mentiuntur, quod puniendum eſt, ſed timore Dei pueros ſervaverunt, quod remunerandum eſt:* Et Auguſtinus Gloſſatori relatus, *Aliud faciebant obſtetrices vivificando parvulos, aliud Pharaoni mentiendo. In vivificando, opus miſericordiæ fuit; mendacio vero pro ſe utebantur, ne Pharao noceret illis; quod potuit non ad laudem ſed ad veniam pertinere.* Imò ſi credamus Gregorio *lib.* 18. *Moral. cap.* 2. uti refertur à Gratiano *cauſa* 22. *q.* 2. *can. Si quælibet*, *Obſtetrices de pietate remuneratæ, de mendacio ſunt punitæ.* Idem ſtatui debet de Mical officioſè conſulente Davidis ſecuritati, ſed illi officio aliquid mendacij ex humana infirmitate admiſcente 1. Sam: xix, 14. 17. De Ionathane itidem Davidis abſentiam apud Saulem excuſante 1. Sam: xx, 6. 28. 29. De Davide ipſo expeditionem nomine Regis apud Achimelechum ſacerdotem falſò ſimulante ibid. xxi, 2. Et denique de omnibus alijs quæ huc ſolent congeri exemplis ex ſacra Scriptura petitis. Atque, ut loquar cum Auguſtino *de Mend. ad Conſ. cap.* 9. *hæc quando in Scripturis ſanctis legimus, non ideo quia facta credimus, etiam facienda credamus, ne violemus præcepta, dum paſſim ſectamur exempla.* Nec video qui hæc diſtinguantur ab ijs, *in quibus homines hominibus ignoſcunt, licet à rigida veritatis lege diſcedant;* quæ vanitatis & infirmitatis noſtræ τεκμήρια eſſe, nequidem videtur ipſe Crellius diffiteri.

Itaque nunquam Deus contrarium ejus, quod revera ſentit, teſtatur, h. e. nihil unquam vel dicit, vel facit, quod in alium ſenſum jure accipi nequeat, quàm in eum, qui menti ac ſententiæ ipſius repugnet. Quare cùm verba Dei ita ſunt comparata, ut aliter accipi nequeant, quàm ut videatur gratiam ſuam homini offerre, & aliquid ei promittere; omninò ſtatuendum eſt, eum revera velle hominem gratiâ ſuâ proſequi, & id, quod offert, ipſi præſtare, licet forte ſub conditione aliqua, in hominis ipſius arbitrio poſita. Similiter etiam cùm comminatur, intelligendum eſt, eum velle punire, licèt conditionem, aut etiam exceptionem aliquam fortè ſubintelligat, ut ſuperiùs eſt explicatum, cùm de poteſtate divina ageremus. Nam major aliquo modo promiſſionis, quàm comminationis vis eſt; & candor nonnunquam magis permittit, ut cum minaris, exceptiones quaſdam ſubaudias, quæ comminationis vim aliquo modo infringant, quàm cùm quippiam promittis. Neque enim candoris eſt, promiſſionibus, præſertim liberrimè factis, quales ſunt divinæ omnes, quemquam ludificari, & ſpe vana, præſertim miſerum, lactare. Illud quidem fieri poteſt, ut Deus non ſatis clarè exprimat, quale aut quantum ſit illud bonum, quod illi præſtare velit. ſed in eo tamen hominem nequaquam deludit. Solet enim Deus ferè plus præſtare, 249
quàm promiſit; nedum ut, cùm magnifica promittere omnino videtur, parum aut nihil præſtare cogitet. Hominum eſt vanorum, aut Satanæ, mendacii parentis, multa polliceri, & parum aut nihil præſtare; non Dei, qui ipſa eſt ſinceritas ac fides.

† *Quare cum verba*] Nemo inficiatur Deum ſeriò & promittere & minari, quæ vel promittit vel minatur. Sed cùm promiſſionum divinarum pleræque non minus ſint conditionatæ, quam minæ, ex illis non aliud ſequitur quam Deum præſtiturum rem promiſſam, ſi adfuerit conditio; ſive ea ſit *in hominis ipſius arbitrio poſita*, cujuſmodi illa erat quâ nitebatur promiſſio facta protoplaſtis in ſtatu innocentiæ, ſive ea pendeat ex ipſius Dei promittentis beneficio & gratia; prout ſub conditione fidei & reſipiſcentiæ, quarum utraque Dei donum eſt Eph: II, 8. Act: XI, 18. promittitur peccatoribus & miſeris vita æterna per Chriſtum: Ejuſmodi enim conditionales promiſſiones duplicem habent uſum, abſolutum unum, alterum reſpectivum: Uſus abſolutus illarum in eo conſiſtit quod ſic neceſſarius & indiſſolubilis nexus fidei in Chriſtum cum ſalute æterna indicetur; & quam Deo ſit firmiter decretum neminem adultum ad vitam admittere aliâ viâ aut ratione quam reſipiſcentiæ & fidei. Reſpectivus iterum duplex eſt: Nam quoad Electos, quos Deus ad vitam prælegit in Chriſto, ſunt iſtiuſmodi promiſſiones conditionatæ organa & inſtrumenta captui humano accommodata & naturæ noſtræ convenientiſſima, (cùm manibus partim aureis promiſſionum, partim ferreis comminationum, homines ad officium præſtandum adduci ſoleant) per quæ Spiritus Sanctus efficax eſt ad illam ipſam conditionem in ipſis producendam, prout verbum Dei extrinſecè imperativum, fit eorum reſpectu intrinſecè operativum, Act: XIII, 48. XVI, 14. At quoad alios, in quibus Deus non decrevit illam conditionem, quæ habet rationem officij debiti, per indebitam gratiam efficere, illæ ipſæ promiſſiones, ſub tali conditione factæ, inſerviunt demonſtrando, quam ſeriò Deus mandet illis id genus officij, nempe reſipiſcentiæ & fidei, cui tanti momenti promiſſionem dignatur apponere: Cum ergo præcipit hominibus ut credant & reſipiſcant, facta illis promiſſione vitæ æternæ ſi reſipuerint & crediderint, eos non ludificatur aut ſpe vanâ lactat, ſed ſeriò agit & ſincerè, etſi non neſciat plurimos ex illis impœnitentes & incredulos remanſuros, quos ſaltem eâ ratione inexcuſabiliores eo reddit, quod ſatis ſuperque ſui officij admoniti fuerint.

Similiter autem, cùm verba divina ita ſunt comparata, ut omninò aliquid præcipere videatur; dubitandum non eſt, eum ſeriò velle, ut ii, quibus mandata illa proponi curat, iis pareant. idque tantò magis, ſi pœnam illis, qui non paruerint, comminetur. Quamquam omnibus Dei mandatis pœnam tacitè appoſitam eſſe intelligendum eſt, cùm expreſsè non eſt addita: & tantò quidem majorem, quantò gravius eſt delictum, quod adverſus illa committitur. Pœnæ autem comminatio ſignum eſt voluntatis maximè ſeriæ, & certum argumentum, ex quo intelligatur, illum, qui mandato eam apponit, omnino velle ac cupere, ut præcepto ſuo pareatur ab iis, quibus id proponit. Maximè autem certum eſt hoc argumentum in Deo, cujus ſacroſanctam tremendamque majeſtatem non decet ludere aut jocari; nec ſinceritatem, in fraudem quemquam impellere, & pœnâ etiam eum, qui parere libenter vellet, implicare. Quare cùm generalia hominibus proponit præcepta, omnino etiam vult, h. e. cupit ac deſiderat, ut illa ab om-

Digitized by Google

nibus generatim, quibus ea proponi curat, obſerventur: licèt interea poteſtatem ſibi reſervare queat, eorum effectum in certis caſibus, juſtaſque ob cauſſas, aliquo modo impediendi. Nam cùm homines, cognitis illis legibus, contumaciter iis reluctantur, indurare eos poteſt, & media illis ac vires quodammodo ſubtrahere, mandatis illis parendi, & ſic pœnam, quæ tranſgreſſoribus eorum eſt propoſita, effugiendi.

‡ *Quamquam omnibus*] Cum ergo tacitè vel expreſsè omni Dei mandato *pœna* adjecta ſit, tam *feriò* & ſincerè Deus declarat, ſe illam pœnam à deficientibus exacturum, quam ſeriò vult ſibi in ejuſmodi mandato obediri.

Omninò velle ac cupere] *Tò cupere*, minus convenienter hic de Deo uſurpatur: Velleitates enim & inania deſideria, Deo propriè tribui non poſſunt; Satis eſt quod cum verba Divina ita ſunt comparata, *ut omninò aliquid præcipere videatur*, tunc cenſeatur id *velle omninò* fieri quod mandat & præcipit; Si 1 præceptum illud ſit abſolutum & practicum, non ſimpliciter probativum, quale fuit factum Abrahamo de mactando ſuo filio: Deus enim non omninò volebat id fieri vel evenire, quod impedire decreverat: 2. Si Tò *velle*, ſumatur tantùm pro præcipere, & rem juſſam, ceu juſtam & bonam approbare; aliàs enim Deus multa ſeriò mandat & præcipit hominibus ut faciant, ceu bona, juſta & ſancta, quæ tamen non eſt cenſendus eo ipſo velle ſive decreviſſe ut fiant & eveniant.

Quare cum generalia] Modò monebam quam impropriè iſta vocabula, *cupit & deſiderat* de Deo hîc uſurpentur. Sufficiat quod ſeriò velit, ideſt præcipiat hæc fieri, & ea quæ mandat ceu juſta, ſancta, & officio Creaturæ convenientiſſima, approbet. Aliàs certum eſt non ſtatim Deum velle fieri & evenire voluntate decernente, quæ vult homines facere & mandat illis ut faciant voluntate præcipiente. Si enim & priori modo, adeoque *omnimodò*, Deus ſemper vellet quod vult poſteriori, vel Deo invito eveniret peccatum, cum tamen nemo poſſit *reſiſtere ejus voluntati* Rom: IX, 19. vel potius nulli peccato nullique tranſgreſſioni locus inter homines ſupereſſet. Eſtque hæc diſtinctio inter voluntatem Dei præcipientem & decernentem eouſque neceſſaria, ut illius reſpectu benè dicat Auguſtinus *Ench. cap. 100. miro & ineffabili modo non fieri præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem.* Hoc ipſum voluêre Scholaſtici cum diſtinxerunt inter voluntatem Dei *Revelatam* & *Occultam*, *Beneplaciti* & *Signi*, quamvis terminis ejuſmodi uſi ſint qui obſcuritate & difficultate non carent.

Qui parere libenter] At nemo pœnæ implicatur, qui velit libenter parere: Imò hoc ipſum velle ſi uſpiam eſſet, Deus abſque præmio non relinqueret: ſi deſint vires, eſt tamen laudanda voluntas; nec uſpiam Deus talem voluntatem parendi excitat quin ſimul τὸ perficere operetur Phil: II, 13. Matth: V, 6.

Eorum effectum in certis] Amplius ferè hic dicit Crellius quam volumus: Etenim ſicut in illis *caſibus* & peccatorum contumacium reſpectu non ceſſat obligatio præceptorum divinorum, etſi Deus decreverit *eorum effectum* impedire, & *vires* obediendi *ſubtrahere* peccatoribus, ita non repugnat aliquid a Deo ſeriò præcipi & mandari quod tamen decreverit non eventurum. Et ſanè minus eſt quod dicimus, ſæpè Deum ea præcipere hominibus quæ tamen in illis vel decrevit non efficere, vel non decrevit efficere, quam quod hic inſinuat adverſarius Deum aliquando ea præcepta dare hominibus quorum tamen effectum velit impedire. Qui enim ſtatuatur is *omninò* velle aliquid,

aliquid, ideſt omnibus modis quibus τὸ velle illi tribuitur, qui tamen velit *impedire ne res fiat, & media ac vires ſubtrahere mandatis ſuis parendi?*

Aliquomodo impediendi] Impedit autem Deus ne fiat ab hominibus id quod illis præceperat & mandaverat, tum negativè, non concedendo illis gratiam indebitam & quâ ſunt indigni illud præſtandi, etſi abſque ea nihil penitùs poſſint Ioh: xv, 5. 2. Cor: III, 5. tum quandoque poſitivè, illis ſubtrahendo *media ac vires* quibus rem mandatam, quoad ſubſtantiam operis, potuiſſent exequi, etſi non ſuffeciſſent per ſe ad eam exequendam eo modo, ordine & fine quo mandabatur. Patet exemplo Pharaonis, cui Deus ſubtraxit quod ſupererat in ipſo luminis naturalis, ex quo ſi antea egiſſet & mens non læva fuiſſet, potuiſſet dimittere populum & Moſi id edicenti, ſuamque vocationem varijs ſignis confirmanti, auſcultare; etſi per ſolum lumen naturale reſiduũ id non feciſſet eo modo & fine quo decuiſſet, ideſt ex fide in Deum, ſeria reſipiſcentia ob Iſraelitas hactenus oppreſſos, & ſtudio gloriæ Divinæ promovendæ, agnoſcendæ, celebrandæ.

Eodem modo cùm ſpecialia ſeu ſingularia hominibus proponit mandata, vult ea etiam obſervari; licèt interdum, ob peculiarem aliquam cauſſam, effectum eorum aliquò uſque impedire poſſit, & tum, cùm præcepta proponit, id jam habere decretum. Hoc autem propter quædam ſ. literarum loca dicimus, ex quibus colligi poſſe videatur, imò à quibuſdam omnino colligitur, Deum ea nonnullis præcepiſſe, quæ tamen ab iis fieri noluerit. quod poſtmodum ulteriùs ab iiſdem trahitur, & ad generalia etiam Dei præcepta extenditur, quaſi nimirum is potuerit præcepta hujuſmodi promulgare, licèt jam omnino apud ſe conſtituiſſet, ut maxima eorum, quibus illa proponeret, hominum pars; ea non obſervaret, & obſervare non poſſet. qua in re ſummam divinæ ſinceritati ac rectitudini faciunt injuriam.

Eodem modo cùm] Id concedo de præceptis practicis, nego de probativis: Deus non volebat Abrahamum mactare ſuum filium, cùm jam id *haberet decretum* mactandum non eſſe; ſed volebat id mandare Abrahamo, ad probandam ejus fidem & obedientiam, volebatque Abrahamum certò credere id ſibi mandatum fuiſſe divinitùs, ſeque cœcâ quadam obedientiâ ad rem mandatam exequendam accingere; etſi executionem impedire decreviſſet.

Deum ea nonnullis] Hinc utique benè colligitur diſcrimen voluntatis præcipientis & decernentis, & quod non ſemper Deus velit & decreverit id eventurum, imò ſæpè decreverit non eventurum, quod tamen velit & præcipiat ab hominibus fieri: Verum nec ſunt mandata practica, ſive generalia, ſive ſpecialia, cum merè probativis confundenda, nec diffitendum multa eſſe quæ Deus vult fieri quodam reſpectu & modo, quæ alio modo & reſpectu fieri nolit. Si enim ea quæ Deus vult ut faciamus, vellet fieri omni modo quo aliquid vult, decreviſſet utique illa ipſa omninò futura & per nos facienda; adeoque vel ipſo invito multa evenirent, vel nihil omninò mali & cum ipſius lege pugnantis eveniret; quorum illud rectæ rationi, hoc quotidianæ experientiæ repugnat. Quis dubitet Deum voluntate præcipiente ſuâ prohibuiſſe & interdixiſſe avaritiam & prodi-

& proditionem; Cajaphæ & primoribus Iudæorum, invidiam & oppugnationem veritatis; Pilato iniquitatem & crudelitatem? Attamen Iudas, Pilatus, Iudæi, fecerunt erga Chriſtum *quæcunque manus* Dei *& conſilium* ejus *prius prædeſtinavit ut fierent* Act: IV. 28. adeoque neſcij & tergum portui obvertentes, ut remiges in triremi, exſequuti ſunt quod Deus volebat fieri voluntate decernente, palàm & protervè ac ſponte ſuâ deficiendo ab ijs officijs quæ Deus volebat ab ipſis præſtari voluntate præcipiente, ſub qua & prohibentem complectimur.

Licet jam omninò apud] Hæc gratis & per calumniam finguntur: Cùm Deus dedit ſuam Legem primo homini, ſeriò illi mandavit ut eam ſervaret, eumque ijs inſtruxerat viribus, per quas facillimè officio ſuo defungi poſſet: ſed poſtquam ſuo peccato illas vires ſibi ſuiſque amiſiſſet, Deus ſuo jure non excidit mandata ſua promulgandi hominibus & obſequium ipſorum exigendi; quemadmodum creditor jus habet ſuos nummos repetendi à debitore, etſi is factus ſit non ſolvendo & ſuâ culpâ ceſſerit foro. Nihil ergo detrahitur *ſinceritati & veritudini* Divinæ, ſi dicatur ab omnibus exigere ut obediant Legi ſuæ, etſi vel *omninò jam apud ſe conſtituerit* permiſſurum de pluſimis ut ſint & maneant inobedientes; cùm homini extrinſecum decretum Dei de ejus peccato non impediendo ſed permittendo, nullam vim inferat nullamque neceſſitatem intrinſecam & naturalem peccandi imponat; vel ipſi homines per peccatum in quod ultrò, ſed Deo tamen permittente, inciderunt, illam Dei legem ſibi latam *obſervare* jam non poſſint: Deus enim non conſiderat quid poſſint, ſed quid debeant, maximè cum hæc illa ipſorum impotentia ſit culpabilis ac voluntaria, & ei ſimilis quâ debitor æs alienum, cui ſolvendo eſſe deſijt, in popinis & luſtris prodegerit. Reſpublica Romana jus habebat exigendi ſuum officium ab ijs equitibus, qui ne cogerentur militare, pollicem ſibi utrumque reſecuerant, eoſque puniendi ob officium non præſtitum, etſi illo defungi non amplius poſſent.

Loca verò, ex quibus tam abſurdam colligunt ſententiam, illa inprimis 250
ſunt, ubi legimus, (*Gen: 22. 1.*) Deum Abrahamo præcepiſſe, ut filium
ſuum Iſaacum offerret in holocauſtum: & Pharaoni, (*Exod: 3. 7, & d.*) ut
populum Iſraeliticum dimitteret; cùm interea conſtituiſſet cor ipſius indurare, ne populum dimitteret. Atqui nequaquam concedendum eſt, Deum iſtic id præcepiſſe, quod planè noluerit fieri; & quicquam eſſe ab eo dictum, quod menti ipſius planè eſſet adverſum, licèt eam conſultò non ſatis clarè expreſſerit.

‡ *Loca ex quibus*] Hæc duo loca ſunt diſparia; cùm in priori proponatur mandatũ ſimpliciter probativum, cujus res præcepta Deo ipſi nec ſancta, nec juſta, nec approbata erat; in poſteriori extet præceptum verè practicum rei per ſe juſtæ & ſanctæ, & quam ceu juſtam, debitam & legitimam Deus approbabat: Ex utroque tamen loco hactenus id ſequitur, voluntatem Dei non ſemper eodem ſenſu eſſe intelligendam, & ſæpè Deum id velle voluntate præcipiente, quod tamen non velit voluntate decernente.

Atqui nequaquam concedendum] Sanè in eo quod Abrahamum ſpectavit, certum eſt Deum rem eam præcepiſſe quam tamen nolebat evenire, etſi vellet Patriarcham ſe accingere ad illius executionem quam impedire decreverat. Volebat quidem alacritatem & promptitudinem Abra-

nem Abrahami, quâ ſe accinxit ad obſequium; ſed rem ipſam, nempè parricidium, penitùs nolebat, imò ſe in ipſo articulo ὡς ἀπὸ μηχανῆς impediturum decreverat. Paullò aliter ſe res habuit in Pharaone: Rem enim ipſam mandatam volebat, nempe libertatem Iſraëlis & dimiſſionem ejus ex Ægypto: Sed tamen decreverat permittere ut Pharao cor ſuum obduraret, nec in ultroneam populi dimiſſionem, licet ipſi ſeriò ea mandaretur, unquam conſentiret; quò populus uni Deo, agenti hic per brachium exſertum, ſuam libertatem deberet.

Nam quod ad præceptum Abrahamo datum attinet; non ſunt ita Dei verba comparata, ut omnino neceſſe ſit ſtatuere, Deum voluiſſe, ut Abrahamus effectu ipſo occideret filium, ac combureret. Cum ad eorum vim ſufficiat, voluiſſe Deum, ut is, quantum in ſe eſſet, filium in holocauſtum offerret, & omnia ad eam rem pertinentia faceret, niſi quatenus ab ipſomet Deo impediretur. Nam & is jure dicitur quippiam feciſſe, qui, quantum in ſe fuit, id fecit, nec quippiam, ut id perageretur, prætermiſit, etiamſi, ne rem penitus perficeret, fuerit impeditus. Neque verò neceſſe eſt exempla longè petere; cum hæc ipſa res, de qua diſputamus, exemplum nobis ſuppeditet. Etenim Deus ipſe apud Moſen teſtatur: *(Gen. 22. 18.)* Abrahamum *obedivisse voci ſuæ.* Quæ verò illa vox Dei fuit, cui Abrahamus obedivit? Nempe ut offerret filium in holocauſtum. Hoc ergo fecit Abrahamus, quod ipſi fuerat præceptum, quodque adeo Deus voluit ac ſenſit, cùm ei mandatum illud daret. Quare id ſenſit, quod dixit; licèt obſcuriùs diceret. Confirmant idem D. Auctor Epiſt. ad Hebr. & Jacobus, qui ſimpliciter aſſerunt, Abrahamum *obtuliſſe* filium ſuum. Quo quidem verbo totum id complectuntur, quod apud Moſen dicit Deus, ut Abrahamus filium *offerat in holocauſtum,* ſeu, ut Hebræa propriè ſonant, eum *aſcendere faciat in aſcenſionem.* Neque enim oblatio in ſola mactatione conſiſtit, ſed potiùs in re mactationē conſequente, & hoc quidem loco in combuſtione. Omnia enim, quæ ad combuſtionem illam pertinerent, comparaverat Abrahamus, jamque in eo fuerat, ut filium lignis impoſitum jugularet, ac porrò cremaret.

‡ *Non ſunt ita Dei verba*] Imò ita erant *comparata,* ut omninò Deus id præcipere videretur: Nec aliter ea intellexit Patriarcha qui ſe bonâ fide accinxit ad obſequium: Quamvis enim non teneretur fide Divinâ credere ſe occiſurum ſuum filium, tunc enim rem falſam credidiſſet, cùm tamen fidei Divinæ falſum ſubeſſe nequeat, attamen tenebatur credere abſolute hoc mandatum ſe accepiſſe de filio ſuo mactando, & abſolutè ſe accingere ad illius exſecutionem: abſolutè nihilominùs loquendo certiſſimè id non erat futurum, nec Deus volebat ut fieret. Itaque Deus nolebat occulto ſuo conſilio id evenire, quod tamen Abrahamo præcipiebat ut faceret. Nec potuit Patriarcha hic ſubintelligere expreſſam aliquam conditionem, *niſi ſuero impeditus;* cùm ſi aliquod hic impedimentum poſſibile conſ cepiſſet, id à Deo oriturum intellexiſſet: At tunc hoc intelligere non potuit, cum ab ipſo Deo hoc mandatum noſſet proficiſci, necdum ſciret probativum ne

eſſet

Digitized by Google

eſſet, an practicum. Itaque ex Dei verbis ſufficienter colligebatur quid Deus vellet Abrahamû facere, ideſt quid illi præciperet, etſi non poſſet ex illis colligi quid vellet fieri, ſive quid futurum decreviſſet.

Etenim Deus ipſe] Quia mandatum erat probativum, nec Deus effectum ipſum intendebat, ſed affectum, contentus fuit affectivâ Patriarchæ obedientiâ, non effectiva! Adeoque fecit id omne quod Deus decreverat futurum, etſi id non omne præſtiterit, quod ſibi à Deo mandatum fuiſſe perceperat & intellexerat. Quam enim Dei voluntatem ſibi revelatam, de ſolo affectu non intellexerit, ſed de ipſomet effectu, ſatis liquet ex eo quod jam gladium ſtrinxerat, jamque eum jugulo filij ſui admoverat, cum ne pergeret Divinâ voce fuit impeditus.

Quare id ſenſit] Senſit ſanè Deus quod dixit, quatenus voluit id mandati dare Abrahamo; ſed non ſenſit id futurum ad quod vi illius mandati ſe accingebat Patriarcha; quia ut decreverat ei præcipere mactationem filij ſui, quo ejus probaret obedientiam, ſic decreverat impedire ne rem ipſam exſequeretur. Nec in eo uſus eſt Deus ulla obſcuritate: cùm tam perſpicuum fuerit hoc mandatum, ut ante exitum nemo aliter potuerit illud intelligere.

Confirmant idem] Agnoſco Apoſtolos, Abrahami affectum metonymicè pro ipſo effectu ponere, cùm & cingendus pro cincto in jure habeatur; ſed non inde ſequitur præceptum Dei, uti verba ſonabant, de ſolo affectu potuiſſe ab ipſo aut debuiſſe à quoquam intelligi; Nec fuiſſet præceptum probativum, niſi Deus id præcepiſſet quod revera non erat eventurum.

Quo quidem verbo] Concedo quoad affectum & voluntatem faciendi, nego quoad effectum & rem faciendam: Res enim facienda, uti verba ſonant apud Moſem, non erat duntaxat ligare Iſaacum, eumque altari imponere, & ejus jugulo gladium admovere, ſed ipſum jugulare & comburere, ideſt in holocauſtum offerre.

Sed potius, in re] Conbuſtio quidem facit partem oblationis in holocauſtis, ſed in alijs ſacrificijs ſola victimæ mactatione, ſive deſtructione peragitur, prout etiam oblatio Chriſti in illius ejus cruce ac morte ſita fuit.

Quod ad Pharaonem attinet; revera etiam Deus voluit, ut is populum dimitteret; licèt non ſtatim, quemadmodum verba præ ſe ferunt, id fieri vellet; ſed tùm demum, ubi ſuppliciis, quæ commeritus inuſitata crudelitate ac tyrannide fuerat, jam ferè eſſet confectus. Adde, quòd nihil prohibet, quominus dicamus, etiam hoc voluiſſe Deum, niſi quatenus malitia ipſius jamdudum contracta, & ſpontè ab eo ſuſcepta prohiberet. Neque enim Deus, cor ipſius indurando, malitiam aut contumaciam ei in- 251.
didit, & voluntatem populum haudquaquam dimittendi; ſed ſpontè ab eo ſuſceptam eatenus obfirmavit, ne vi ſuppliciorum, quibus frangi alioqui potuiſſet, ita laſſaretur, quin denuo ſeſe erigeret, & ſeſe Dei mandatis opponeret. Indignus enim erat, qui caſtigatione aliqua, utut duriore, ad frugem revocaretur, & ſecuturis ſuppliciis hac ratione viam quodammodo præcluderet. Quòd ſi ſuſcepta animi malitia permiſiſſet, ut Pharao animum ad Deo parendum flecteret; divinæ voluntati conſentaneum fuiſſet, ut induratio, quæ voluntariam iſtam animi malitiam præſupponebat, vim

ſuam

ſuam admitteret. Quare ne ex hoc quidem exemplo colligi poteſt, Deum aliquid præcepiſſe, quod fieri planè noluerit.

‡ *Licet non ſtatim*] Ipſum Dei mandatum, uti ſonabat, inpræſentiarum & citra moram obligabat Pharaonem, qui nequivit recuſare quod mandabatur citra reatum novi peccati: Quod ſi voluntas Dei præceptiva non erat ut *ſtatim* populum dimitteret, utique non peccavit ſtatim eum non dimittendo; nam ubi non eſt lex ibi nec peccatum eſſe poteſt; adeoque propterea puniri non potuit. O egregios interpretes Sacræ Scripturæ! Etenim juxta eos Moſes ſic alloquebatur Pharaonem, Dimitte populum, non ſtatim & in continenti, ſed poſtquam ſupplicijs quæ commeritus es, ferè confectus eris: Nos bardos & ſtupidos, qui hactenus exiſtimaveramus illis plàgis & ſupplicijs Deum vindicaſſe hujus ſui mandati de populo ſtatim dimittendo contemptum! Nonne faciliùs fuiſſet Crellio agnoſcere Deum quidem ſeriò mandaſſe Pharaoni ut ſtatim populum dimitteret, atque hoc voluiſſe voluntate præceptiva, etſi decretiva voluntate conſtituiſſet Pharaonem indurare ac permittere ut iſti mandato non obediret, quò peccata peccatis cumulans graviùs & juſtiùs puniretur.

Adde quod nihil prohibet] Hoc eſt longè abſurdius: nam mandatum Dei non erat conditionatum, ſed abſolutũ: Et ineptè Deus fingeretur velle quidem homines officio defungi, dum mandata ſua illis promulgat, ſed demum ſub hac conditione, *niſi quatenus malitia* eorum *jamdudum contracta*, *& ſponte ſuſcepta*, illos ab obediendo prohibeat: Sic enim Deus nec vellet nec præciperet hominibus officium ſuum, niſi quamdiu & quouſque ipſi ultrò obedire dignarentur; nec cenſeretur hominibus in ſtatu peccati, quicquam iſtius generis ſeriò & abſolutè mandare, eo quod nemo eorum ſit quem *malitia ipſius jamdudum contracta & ſponte ab eo ſuſcepta*, non prohibeat præſtare quod eſt ſui officij. Quis ſanæ mentis unquam exiſtimabit, Deum non ultra velle, ſive mandare nobis, ut officio noſtro defungamur, niſi quatenus ab eo præſtando per voluntariam malitiam non impediamur? Aut quis cenſebit homines corruptos & peccatores ſubduci legi Divinæ, ob malitiam jam contractam & ſponte ab illis ſuſceptam?

Quod ſi ſuſcepta] Hæc de induratione & illius modo huc nihil faciunt: & perinde hic loquitur Adverſarius ac ſi diceret, Quod ſi Pharao, cor ſuum non aggravaſſet, nulli indurationi ſubfuiſſet. Is ſanè cujus animus *ad Deo parendum* inflectitur, indurationi Divinæ non ſubeſt, ſed potiùs gratuitæ emollitioni.

Quare ne ex hoc] Imò ex eo colligitur & Deum voluiſſe, voluntate præcipiente, ut Pharao obediret, & voluiſſe, voluntate decernente, ut cor ſuum aggravaret & debita ſuæ contumaciæ perferret ſupplicia: Ad id vero non opus fuit ut Deus malitiam aut contumaciam ejus cordi inderet poſitivè; ſatis erat quod illum ſcotomate percuteret ab una parte, & ab altera indebitum auxilium obediendi & emolliendi cor ſuum illi denegaret.

Unde porrò intelligitur, quàm iniquè ex hujuſmodi exemplis colligatur, Deum hominibus generatim ea præcipere, quæ à maxima eorum parte obſervari nolit. Nam ne ea, quæ hucuſque dicta ſunt, repetamus; illud etiam ſatis liquet, hæc exempla inuſitata eſſe, & illi, quod inde concluditur, valde diſſimilia. Nam quod ad prius attinet; expreſsè ſcribitur, Deum tentaſſe Abrahamum, h. e. inſigne atque adeò inſolitum quoddam fidei ac pietatis

Digitized by Google

pietatis ejus experimentum capere voluiſſe. Hoc autem non ſemper facit Deus, cùm præcepta ſua proponit; imò eo ipſo, quòd generalia præcepta proponit, nunquam; niſi in alia vulgariori ſignificatione verbum tentandi accipias. quo modo nos tentare dici poſſit Deus, quoties qualemcunque pietatis ac virtutis effectum ac documentum à nobis requirit. Quod ad poſterius attinet; itidem ſatis apparet, rem eſſe extraordinariam, & cauſſam habere peculiarem, quæ in hominibus plæriſque locum non habet, quibus Deus legem ſuam proponit. Neque enim ullum ejus rei extat indicium, quòd Deus eorum hominum, quibus leges ſuas proponi curat, animos induret, aut indurare abſque ulla conditione, in ipſorum arbitrio adhuc poſita, velit. Cogitandum eſt, Deo illic cum tyranno rem fuiſſe, qui ob inuſitatam, in infantes etiam innocentiſſimos crudelitatem, ob tyrannidem in populum innoxium exercitam dignus fuerat, quem inuſitato quodam modo ulciſceretur.

‡ *Unde porrò intelligitur*] Ludit perpetuò adverſarius in ambiguitate vocum, volendi & nolendi. Nam quę Deus præcipit generatim hominibus, vult ſeriò ab illis præſtari, quatenus hæc ſua mandata normam continent officij ad quod tenentur; à qua nemo declinare poteſt dextrorſùm vel ſiniſtrorſùm quin eoipſo contrahat reatum mortis: Et tamen maximæ parti eorum qui ad illa officia tenentur, non vult conferre auxilium gratiæ indebitum ea præſtandi, ſed è contrario juſto ſuo judicio vult illos ſibi relinquere, ac ſuis pravis affectibus tradere & mancipare. Neque tamen ideo dicendum *nolle* Deum maximam hominum partem obſervare ea quæ præcipit; quaſi vel improbet in illis officij ſui præſtationem, vel potiùs vitijs quam virtutibus eorum delectetur.

Hoc autem non ſemper] Fateor aliam eſſe rationem hujus præcepti probativi, quam mandatorum practicorum: Interea tamen valet argumentum hinc petitum ut probetur diſtinctio voluntatis præcipientis & decernentis, uti ſuprà oſtenſum eſt.

Niſi in alia vulgariori] Nec eò deveniendum eſt, nec illa, quam hic fingit, vulgarior ſignificatio, ſatis poteſt ex Scripturis probari: neque enim Deus generalibus & practicis mandatis tentat homines, ſed vel afflictionibus & calamitatibus gravioribus, vel pſeudo-Prophetarum miraculis & prodigijs; ſi cum Scriptura ſit loquendum.

Quod ad poſterius] Sed neque id facit ad rem: Quod enim extraordinariè factum in Pharaone, propter acquiſitam & peculiarem cordis duritiem, ut Deus & mandata ſua illi proponi curaret, & decreviſset tamen cor ejus non emollire ad obſequium, ſed permittere ut ex peccato in peccatum incideret & renueret obedire, fit ordinariè in omnibus peccatoribus, propter nativam & communem eorum duritiem, quamdiu eos Deus non vult per gratiæ ſuæ efficaciam convertere, & ablato corde lapideo cor carneum illis indere, ut & officij ſui admoneantur Dei Lege, & tamen ex Dei decreto deſtituantur eo gratiæ auxilio abſque quo illos quicquam verè boni præſtare poſſibile non eſt.

Neque enim ullum] Licet eo modo Deus non agat in omnibus reprobis quo egit in Pharaone, tamen cum ſint naturâ filij iræ, eos Deus *dimittit ambulaturos ex ſententia ſui, dicens, abeant cum pravis conſilijs ſuis*

Pſal.

Pſal: LXXXI, 13. prout ante vocatos Gentiles ad communionem fœderis ſui, dicitur *præteritis ætatibus ſiviſſe omnes gentes ſuis ipſarum vijs incedere* Act. XIV, 16. & illas *tradidiſſe cupiditatibus cordium ſuorum ad impuritatem, & in mentem omnis judicij expertem, ut facerent quæ minimè conveniunt* Rom: I, 24. 28.

Aut indurare abſque ulla] Satis eſt, quod eam duritiem ultroneo ſuo lapſu omnes in Adamo contraxerunt, quam auferre & emollire in nemine Deus tenetur.

Cogitandum eſt] Sed nec illa ipſa crudelitas, aliunde quam ex nativa illa & communi omnium duritie, quæ non coercita occultam habet ſementem omnium ſcelerum, proficiſcebatur.

Adde, quòd nullam tum temporis gratiæ ac benevolentiæ erga Pharaonem ſignificationem dedit, nihil illi obtulit aut promiſit. At cùm populo Iſraëlitico v. g. præcepta daret, promiſſa ſimul addidit, & fœdus cum illis percuſſit. Cùm verò Chriſti præcepta promulgari curavit, inuſitati planè amoris erga genus humanum ſignificationem dedit, remiſſionem peccatorum ei obtulit, regnum cœlorum promiſit; filium pro iis morti impendit, ac fœdus cum illis feriit. Hæc certè non ſunt illius, qui homines ſimpliciter, ſeu abſque ulla conditione indurare velit; ſed potiùs ejus, qui loco cordis lapidei, cor carneum illis dare, & mentibus eorum leges ſuas inſcribere cupiat.

† *Adde quod nullum tum*] Verum neque hæc inſerviunt tollendæ diſtinctioni neceſſariæ inter voluntatem Dei decernentem & præcipientem: Nam I. ut omnibus Dei mandatis pœnam tacitè appoſitam paullo ante benè docebat Crellius, ita etiam omnibus illis tacita ſubeſt promiſſio, ſaltem impunitatis: quam ipſe Pharao, obediendo Divinæ voci, conſequuturus fuiſſet. II. Fœderis extrinſeca oblatio, non efficit ut omnibus externè fœderatis Deus conferat gratiam internam præſtandi conditiones ſub quibus beneficia fœderis offeruntur: Multi enim vocati, ſed pauci electi: Quare reſpectu illorum extrinſecè vocatorũ Deus ita feriò præcipit quod ſui eſt officij, etiam ſub eximijs promiſſis, ut tamen non decreverit illis dare indebitam gratiam hoc ſuo officio defungendi, quam ſolis ſuis Electis peculiarem eſſe conſtituit. III. Cùm Filium ſuum Deus non pro ſingulis, ſed demum pro ſuis electis morti impenderit, ultrò largimur Deo decretum eſse efficere in ijs omnibus pro quibus Chriſtus eſt mortuus, eam reſipiſcentiam & fidem, quam ipſis mandat & præcipit, ut Redemptionis illius quæ in Chriſto eſt fiant participes: Sed inde non ſequitur Deum, eoipſo quod prædicatione Euangelij curat mandatum fidei & reſipiſcentię ſub promiſſione remiſſionis peccatorũ & regni cœlorũ annunciari & promulgari quibuſvis promiſcuè, (licet non omnibus & ſingulis) decreviſse illis omnibus qui tale mandatum accipiunt, tali promiſſione munitum, gratiam regenerationis & lumen fidei, cujus ſolius beneficio & rem mandatam præſtare, & promiſſionis per conſequens conſortes fieri poſſunt.

Sed potius ejus qui] Ex generali illa officiorum ab hominibus debitorum promulgatione, facilè colligas, hanc eſse Dei voluntatem præceptivam, ut homines ſtudeant novæ vitæ, & prout etiam præceptivè loquitur Ezechiel XVIII, 31. faciant ſibi *cor novum & Spiritum novum*, quomodo & dixit Paulus I. Theſſ: IV, 3. *Hæc eſt voluntas Dei, nempe ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis à ſcortatione*: Verùm nunquam

inde

inde colligas id eſſe conſilij & decreti Divini, omnibus & ſingulis cor carneum loco cordis lapidei indere, & mentibus eorum leges ſuas inſcribere; quod promiſſivè enunciatum Ezech: XI, 19. 20. XXXVI, 26. ad ſolos electos debet reſtringi: Si enim hoc *cuperet* & voluntate decernente conſtituiſſet Deus in omnibus & ſingulis efficere, utique de facto, contra quam experientiâ conſtat, omnes in ſtatutis ſuis ambularent & jura ſua obſervarent; cum nemo queat ejus voluntati decernenti reſiſtere Pſal: CXV, 3. Rom: IX, 19.

Præterea diſſimilitudo eo ipſo ſe prodit, quod præceptorum iſtorum ſpecialium ſignificationem ac ſententiam aliquo modo occultavit Deus; at hîc ſententiam præceptorum non occultat. Satis enim apparet, id omnino jubere præcepta, quod nos ex verborum vi, & rerum locorumve circumſtantiis intelligimus, aut intelligere haud difficulter poſſumus. Quis namque dubitet, Dei præcepta v.g. poſtulare, ut ipſummet toto pectore diligamus, eum colamus ac revereamur; proximum perinde ac nos ipſos amemus, eique non modò non malè faciamus, ſed potiùs pro virili benefaciamus; itemque ut ſobrii, caſti, patientes ſimus? Sententia ergò hîc ſatis plana eſt. Id tantùm quæritur, utrùm id revera fieri velit Deus nec ne, quod præcepta velle liquidò conſtat. Atqui in illis exemplis id, quod verba obſcuriùs ſignificabant, fieri omnino voluit Deus: hîc ubi de verborum ſententia ſatis conſtat, dubitatur, utrùm id etiam velit Deus, quod eum jubere apertè cernimus? ubi obſcurior fuit, candidus nihilominus fuit: ubi apertus eſt, non erit?

‡ *Aliquo modo occultavit*] Occultavit quidem Deus ſuum conſilium de eventu, quod pertinebat ad voluntatem ſuam decernentem, quæ & *occulta* quandoque Scholaſticis dicitur oppoſitè ad *revelatam* ex Deut: XXIX, 29. ſed nullo modo occultavit *præceptorum* ſuorum *ſignificationem ac ſententiam*, quæ ad voluntatem ſuam præcipientem ſpectabat. *Satis enim apparet*, ut Crellio ſua verba reddam, *id omninò juſſiſſe præcepta* Abrahamo & Pharaoni data, *quod* ipſi *ex verborum vi & rerum locorum-ve circumſtantijs* intellexerunt, *aut intelligere haud difficulter* potuerunt.

Sententia ergo] Et ſatis plana erat in ijs quæ Abrahamo & Pharaoni mandabantur.

Utrum id revera] Ambiguitas eſt in voce *fieri*: Si enim Deus dicatur id velle fieri, quod præcipit & mandat hominibus ut faciant, tanquam rem ſibi gratam & acceptam, revera Deus vult hæc quæ præcipit omnibus ab illis fieri: Si vero dicatur id velle fieri, quod decrevit & conſtituit revera futurum & eventurum, nego eum velle ac conſtituiſſe omnes ſobrios, caſtos, ſanctos & patientes futuros; ideſt ſuis mandatis, ad quæ ex officio tenebantur, revera & de facto obſequuturos: Si enim id decreviſſet & conſtituiſſet, revera quoque decreviſſet & conſtituiſſet omnes & ſingulos donare gratiâ ſanctificante, abſque qua nemo ſobrius, caſtus, ſanctus, patiens poteſt evadere, & de facto nullus eſſet peccator in mundo, & qui alacriter Dei mandatis non obſequeretur: cum non poſſit non fieri, quod fieri decrevit & conſtituit Eſ: XLVI, 10.

Dubitatur, utrum id] Nemo ſanæ mentis dubi-

tus dubitat Deum id mandare ſeriò, & omnes ex officio teneri ſub graviſſima pœna ad illud præſtandum: Sed negamus inde colligi, vel illam præſtationem officij debiti eſſe virium noſtrarum, vel decreviſſe Deum omnibus gratiam ſufficientem hoc officio defungendi, ita ut præter ipſius conſilium & voluntatem decernentem eveniat quod tam multa contra ipſius voluntatem præceptivam committantur.

Denique in Abrahamo Deus non ita effectum mandati ſui vel impedivit, vel impedire conſtituit, quin is fidem ac pietatem ſuam abundè probare poſſet; ſecùs quàm in majori humani generis parte illi fieri putant, quibuſcum hîc nobis res eſt. In Pharaone quoque non virtutis actum revera, ſed coactionis potiùs effectum Deus impedivit. Id enim tantùm præcavit, ne Pharao plagis tam gravibus ad pœnitentiam quandam adactus, in ea conſtanter perſeveraret; néve id, quod vi expreſſum erat, ei aliquo modo prodeſſet. Quare firmum illud & inconcuſſum manet, quod aſſeruimus, nunquam Deum quicquam dicere aut facere, quod aliter accipi nequeat, quàm in ſententiam menti ipſius adverſam, aut ab ea prorſus alienam. Et hic quidem primus eſt ac latiſſimè patens ſinceritatis ipſius effectus.

‡ *Secùs quàm in*] Atqui revera hoc eſt vel *ſυμμαχεῖν*, vel ſυκοφαντεῖν: Nemo enim pius exiſtimat Deum in quoquam mortalium, nedum *in majori humani generis parte*, impedire *quin fidem ac pietatem ſuam* probet. Sed aliud eſt Deum impedire ne quis obediat præceptis ſuis, quod ceu falſum abominamur, aliud eſt quod hîc ſtatuimus, Deum decreviſſe 1. Non impedire, ſed permittere plurium tranſgreſſiones & peccata, contra illa ſua mandata & præcepta quibus eos ad officium præſtandū invitabat; 2. Non dare plurimis gratiam indebitam fidei & pietatis, abſque qua tamen in ſtatu peccati & nativæ corruptionis, ejus mandata ſervare nequeunt. Niſi enim probaverit Crellius hos duos actus voluntatis Dei decernentis eſſe impeditivos fidei & pietatis in ijs qui ad illam geſtirent, ſentiet ſe monſtra ſibi finxiſſe quæ debellaret.

In Pharaone quoque] Non impedivit Deus quominus Pharao ſibi obediret; Sed 1. decrevit ipſi negare auxilium ſine quo obedire nequivit. 2. Iuſto ſuo judicio ei ſubtraxit reſiduum naturæ lumen, quò ſcotomate perculſus graviùs impingeret. 3. Non ſolum non impedivit ne peccaret & reſiſteret ſuis mandatis, ſed etiam id ab ipſo fieri permiſit, tùm in pœnam præcedentium peccatorum, tùm ut compleret menſuram ſuæ rebellionis & ineluctabili pœnæ implicaretur.

Sed coactionis potiùs] Haud facilè aſſequetur Lector quid hîc ſibi velit adverſarius: Nam *virtutis* fuiſſet actus in Pharaone, ſi in ea pœnitentia, ad quam fuerat quadantenus *adactus*, *conſtanter perſeveraſſet*: Hanc verò conſtantiam & perſeverantiam in propoſito de populo dimittendo, quod formare ſubinde Rex impius videbatur, Deus non *impedivit*, poſitivo aliquo actu ſuæ potentiæ, ſed tantum negato ei auxilio gratiæ, per quod demum elici ea potuiſſet, illam promovere noluit.

Quare firmum] Hîc adverſarij ſtylus eſt mirè intricatus: Forte voluit, etſi contrarium planè ejus verba ſonent, Deum nihil unquam dicere aut facere quod accipi queat *in ſententiam menti ipſius adverſam, aut ab ea prorſus alienam*: Quod & nos libenter

benter

benter damus: Nec enim in Deo ſunt contrariæ voluntates, aut unquam cenſendus eſt aliud ore promere, aliud in pectore premere: Sed tantum ſtatuimus Deum non omnia velle eodẽ modo: Sunt enim quæ vult præcipere & approbare tanquam bona, etſi ea non velit nec teneatur efficere in omnibus: unde etiam à plurimis non fiunt: Sunt quæ etiam vult efficere & decrevit eventura; & illa ſemper eveniunt; Sunt quæ nec præcipit, nec approbat ceu bona, multò minus efficit tanquam juſta & ſua, ſed tamen permittit fieri & evenire, nempe peccata, quorum vult efficaciter ut permiſſionem, ſic etiam directionem ad bonum finem præter eorum naturam: & hæc ex hypotheſi decreti Divini permiſſivi, licet voluntati præceptivæ contraria, infallibilem futuritionem habent.

Porrò autem, ut ad alios, eoſque ſpecialiores ſinceritatis effectus veniamus; tum rerum ipſarum, circa quas ea occupari poſſit, tum ſignorum, quibus animi ſententia indicari aliis queat aut ſoleat, diſcrimen attendendum eſt. Quod ad rerum diſcrimen attinet; quarundam ea eſt ratio, ut quid de illis ſentiamus, ſalvâ ſinceritate occultare liceat, nonnunquam etiam omnino deceat; adeò ut etiam facere quædam conſultò poſſis, quæ ab animi tui ſententia cognoſcenda aliorum mentes veluti abducant; cùm nimirum 253.
non parum interſit, ut res aliquo modo celetur, ut inferiùs apparebit. Quarundam verò rerum ea eſt ratio, ut, licèt tuam de illis ſententiam aliqua ratione ſignificare velis, poſſis tamen non plenè ſignificare. Quarundam denique ea, ut apertè, quid de iis ſentias aut ſtatuas, ſignificandum ſit, ita ut ea omnia vites, quæ meritò efficere poſſint, ut ii, cum quibus tibi res eſt, aliud te ſentire exiſtiment, aliud tu ſentias. Nam, ut de prioribus duobus rerum generibus nonnihil dicamus; facilè quivis cernit, nihil in eo contra ſinceritatem agere Deum, quòd non omnia ſua conſilia, vel hominibus, vel ipſis etiam angelis patefacit, ſed quædam diu occultat, ut de myſterio Evangelico, rebuſque ad illud pertinentibus, (*vid: Rom: 16. 25. Eph 3, 5, 9.*) de die ultimi judicii, (*Mat: 24. 36.*) & aliis quibuſdam Dei decretis (*Apoc: 5. 1.*) legimus.

‡ *Vt de myſterio*] Hæc occultatio myſterij Euangelici apud Paulum, non eſt intelligenda ἁπλῶς & abſolutè, ſed κατ' τὶ ac ſecundum quid; quatenus & lux multò major affulſit per Chriſtum & Apoſtolos ſub N. F. quam olim ſub V. T per Prophetarum ſcripturas, per quas tamen utcumque manifeſtatum fuerat, teſte Apoſtolo Rom: XVI, 26. & illa ipſa lux affulſit Gentilibus, qui antea *extranei erant quoad pactorum promiſſiones* Eph: II, 12. III, 6.

Nihil etiam in eo adverſus ſinceritatis legem facit, quòd, cùm quædam prædicit, præſertim in futurum longiùs ſpectantia, obſcuriùs nonnunquam prædicit, aut ſub figuris quibuſdam ſpectanda proponit, ita ut non niſi ex parte aliqua intelligi poſſint, præſertim antequam ipſe eventus ea declaret atque in

 apertum

Digitized by Google

apertum producat. Talia non pauca apud Prophetas & in Apocalypſi occurrunt. Sed, ut ad tertium rerum genus veniamus, quod præcipuè huc pertinet; nonnulla ſunt, in quibus, ut apertè agatur, ſinceritas poſtulat. Talia ſunt inprimis fœdera, & juramenta: quamquam juramenta etiam ad ſigna, quibus animi ſententiam aliis ſignificare ſoleamus, revocari non immeritò poſſunt. Sinceritas autem in utriſque ſingularis requiritur; quia & his & illis alteri cavetur; quamquam in fœderibus non ſoli; quódque fœdera pro ſanctiſſimo contractuum ſeu pactorum genere meritò habentur; & juramentum, quod religioſa conſtat affirmatione, omnium ſanctiſſimus eſt modus aliquid confirmandi, & alteri cavendi. Itaque ſi illis aliquid ſimulati aut ficti admiſcere licet, nihil jam ſincerum, nihil ſanctum foret, nihil cui fidere tutò poſſes. Quare in utroque ita apertè agendum eſt, ut is, cum quo res eſt, quid ſentias, intelligere facilè poſſit. Nam eo ſenſu te verba tua accepiſſe, intelligendum eſt, quo eum intelligere, aut intellecturum eſſe cenſuiſti, cui juras, aut cum quo fœdus pangis. Unde facilè animadverti poteſt, Deum, cùm ad fœdera nobiſcum ferienda ſeſe demittit, juramento ſe nobis obligat, non minùs ſincerè nobiſcum agere, quàm homines cum hominibus in fœderum pactione aut jurejurando debent; imò tantò magis, quantò eſt ſanctior, & ab omni fraude alienior. Cum enim,
254. ut nobis tantò magis caveat, & ſpem noſtram reddat firmiorem, ad ſanctiſſima pactionum, aut confirmationum genera deſcendat; neceſſe eſt, ut illa etiam omnino obſervet, quæ pactorum illorum aut confirmationum ratio poſtulat, & ſine quibus illa vim ſuam genuinam eſſent amiſſura, nec plus roboris, quàm ſimplicia dicta, eſſent habitura. Aliàs fruſtra nobis fœdera, fruſtrà juramenta divina inculcarentur. Fruſtrà, ut alia nunc omittam, diceret divinus ille ad Hebr. ſcriptor eo, quem ſuperiùs alicubi ex parte citavimus loco: (*Heb: 6. 13, & d.*) *Abrahæ promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per ſemetipſum, dicens. Niſi* (Gr. *Certè*) *Benedicens benedicam te*, &c. *Homines enim per majorem ſui* (Gr. ſimpliciter *per majorem*) *jurant: & omnis controverſia eorum* (Gr. *illis*) *finis, ad confirmationem, eſt juramentum. In quo abundantiùs volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit juramentum: ut per duas res immobiles* (nempe promiſſionem, & juramentum promiſſioni additum) *in quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus*, &c. Quo quidem loco cum non ſimpliciter dicatur, *impoſſibile eſſe mentiri Deum*, licèt id alioqui veriſſimum ſit; ſed in duabus iſtis rebus, nempe promiſſione & juramento, impoſſibile eſſe mentiri Deum; non ſine cauſſa viri quidam docti exiſtimant, aliquantò latiùs verbum *mentiri*, aut Græcum ψεύσασθαι, quo utitur divinus auctor, extendi, quàm proprietas illius poſtulat, ita nimirum, ut etiam

tacitam

Digitized by Google

tacitam quandam exceptionem aut conditionem excludat, qua ceſſante eventus non ſequatur, atque ita ſpem noſtram fruſtretur; quia nimirum id non fiat, quod verba apertè præ ſe ferant. Hujuſmodi enim exceptiones, aut conditiones tacitas à juramenti religione excludi. Quicquid ſit; illud ex eo loco ſatis conſtat, non minùs ſanctum apud Deum juramentum eſſe, quàm apud homines; & ſi humana juramenta ſincera eſſe debeant, divina etiam omnino eſſe. Quare cùm Deus jurat v.g. ſe nolle mortem impii, ſed ut convertatur ac vivat; (*Ezech: 33.11.*) non dubitandum eſt, id Deum ſincerè velle, quod ſimplicitas verborum præ ſe fert. Simpliciter etiam, quia interventu mortis filii ſui fœdus cum genere humano percuſſit, in quo remiſſionem peccatorum omnibus hominibus, ſub conditione fidei ac reſipiſcentiæ offert, (ſic enim fœderis illius mediator, ejúſque miniſtri ac legati in orbem univerſum dimiſſi, ejus vice ac nomine teſtantur;) ſtatuendum etiam eſt, Deum omnino cupere, ut homines credant ac reſipiſcant, & ſic remiſſionem peccatorum conſequantur; tum demum juſtiſſimè ab hujus fœderis beneficio arcendi, ubi tantam benignitatem impiè contemſerint. Quamquam, ut ſuperiùs jam diximus, cætera quoque promiſſa ſimulationem excludunt. quod etiam de præceptis dicendum eſt. Nam juramentis ac fœderibus, in quibus apertè ſit agendum, etiam præcepta ſunt adjungenda, præſertim ſi illi, qui ea non obſervaverit, pœna propterea ſit ſubeunda. In iis enim ita loquendum eſt, ut alter intelligere haud difficulter poſſit, quid ſibi faciendum ſit, præſertim ſi animum attendere velit, & eam, quam rei gravitas exigat, diligentiam adhibere, animumque ad obſequendum componere. Aliter enim ſi quis faciat, cauſſam conſultò videtur quæſiiſſe, etiam eum, qui libenter cæteroqui paruiſſet, pœnâ atque ſupplicio involvendi, quod effugere is alioqui potuiſſet. id quod à ſinceritate prorſus alienum eſt, & à fraudis ac doli mali crimine vindicari non poteſt. Illud ſinceritati non repugnat, ſi in præcepto aliquid non exprimatur, cujus ignorantia ei, qui parere vult, nil noceat, ut in præcepto Abrahamo dato, de filio offerendo factum vidimus. Nihil etiam illud, ſi quippiam celetur eum, cujus animus ad parendum minimè compoſitus eſt, ſed ab obſequio adeo alienus, ut non niſi vi quadam ad illud pertrahi poſſit; quique diuturna improbitate eſt commeritus, non ut ſpacium atque opportunitas ei detur obſequium aliquo modo probandi, ac pœnam effugiendi; ſed potiùs ut ea illi occaſio præcidatur, utque ad ſupplicium rapiatur. quod poſterius in Pharaonis exemplo vidimus. 255.

‡ *Quare cum Deus jurat*] **Tam longo circuitu non opus erat ad illud ipſum dicendum, quod ante inculcaverat, & ſufficienter fuit à nobis explicatum: Deus ſincerè vult ut impij convertantur & vivant, quatenus ſeriò id ipſis præcipit, &**

eorum

eorum converſionem ceu rem ſanctam omninò approbat, & eâ quando fit delectatur; ut è contrario illorum morte & ſupplicio, cum eò devenit, neutiquam delectatur, quatenus eſt Creaturæ ſuæ interitus & afflictio: etſi illam ipſam mortem velit & infligat, eaque delectetur, ut ad juſtitiæ ſuæ executionem pertinet. Sed inde tamen non ſequitur Deum decreviſſe vel omnes impios convertere, vel omnibus gratiam ſufficientem quâ convertantur, ſi velint, largiri, vel nullum impium morte plectere & punire: adeo hic retinenda eſt diſtinctio quam ſuprà inculcavimus inter voluntatem præcipientem & decernentem.

Similiter etiam quia] Sed nec illud fœdus eſt pactum cum univerſo genere humano, ipſo protevangelij textu ſemen mulieris à ſemine ſerpentis tam palam diſtinguente Gen: III, 15; nec omnes & ſinguli ad illius communionem externo Euangelij præconio ſemper & ubique invitantur; nec Deus decrevit fidem & reſipiſcentiam, quam præcipit ceu officium debitum omnibus Euangelij auditoribus, etiam ſub promiſſo remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ, in illis ſingulis operari: Unde patet quibuſdam ipſius nomine ſeriò præcipi reſipiſcentiam & fidem, quibus tamen non vult gratiam eam largiri quâ reſipiſcant & credant; adeoque quos, ſi voluntatem decernentem ſpectemus, non vult ad fidem & reſipiſcentiam adducere; ſed è contrario eos vult ac decrevit in nativa ſua corruptione relinquere, juſtè tandem puniendos, tùm ob alia ſua peccata, tùm quod ſummam Dei benignitatem, ſibi Euangelica voce denunciatam, per incredulitatem & impœnitentiam voluntariam contempſerint. In eo autem nihil Deus agit ſimulatè, cùm & officium ad quod homo tenetur ipſi ſeriò inculcet, & eum propter neglectum ultrò officium juſtè puniat.

Illud ſinceritati non repugnat] Ergo Deus non agit contra ſinceritatis officium cùm dato homini peccatori mandato de reſipiſcendo & credendo, celat eum occultum ſuum conſilium, de illius nominatim reſipiſcentia & fide vel promovenda, per gratiam indebitam, vel non excitanda & promovenda, per juſtum ſuum judicium: Nam qui illam gratiam conſequitur, experimento ſuo diſcit vocem Dei imperativam extrinſecè, fuiſſe intrinſecè operativam: Qui vero illam non conſequitur, ultrò reſpuit obedire & defungi officio quod ſibi incumbebat; adeoque nequit is cenſeri *qui libenter cæteroqui paruiſſet*, ut loquitur adverſarius; cùm è contrario admodum libenter in ſua incredulitate & impœnitentia permaneat.

Nihil etiam illud] At nullius *animus ad parendum* naturâ ſuâ eſt diſpoſitus, & reproborum, quibus etiam ad officij extrinſecè demandatur & præcipitur, *animus ad parendum minimè compoſitus eſt, ſed ab obſequio adeo alienus, ut nonniſi vi quadam majori gratiæ indebitæ ad illud pertrahi poſſit*: Quare nihil impedit, quominus Deus cum illis agat ad eundem ferè modum quoad præcepta generalia & Euangelica, quo egit quondam cum Pharaone quoad ſpeciale mandatum de Iſraele dimittendo.

Non ut ſpacium atque] Sed hæc fruſtrà concedantur hominibus, niſi accedat gratia indebita efficaciter promovens eorum converſionem, obedientiam & ſalutem.

Jam ut ad ſignorum etiam diſcrimen veniamus, quibus animi ſententiam, conſilium, aut affectum aliis ſignificare poſſimus, aut ſoleamus; jam antea indicavimus, ea vel dicta eſſe, vel facta. Et de dictis quidem quid ſentiendum ſit, haud difficulter ex generali ſinceritatis divinæ effectu colligi poteſt. Nam cùm verba certam ex inſtituto ſignificationem, quamquam non ſemper

Digitized by Google

ſemper unam habeant; ſintque adeò definitarum rerum inter homines ſymbola: ſinceritatis divinæ eſt, ut, cùm iſtis ſymbolis utitur, & omninò oſtendit, ſe hac ratione ſuam nobis ſententiam aperire velle, ita verbis utatur, prout linguæ, quâ loquitur, ratio fert; non verò ad eum modum illa tacitè accipiat, ut ab iis, qui audiunt, non poſſit non aut contraria menti ipſius ſententia, aut ab ea planè aliena concipi. quod quidem fieret, ſi novas ac planè inuſitatas vocibus aut phraſibus ſignificationes inderet, deque iis homines, quibuſcum loquitur, non moneret. Nihil ſanè foret aliud, quàm homines deludere, & cùm aliquid ſignificare illis videretur, nihil tamen ſignificare, aut in errorem eos conſultò inducere. id quod à ſinceritate prorſus abhorret. 256.

Quod ad facta attinet; ea duplicem ſignificandi vim habere poſſunt: vel naturalem, vel ex inſtituto; vel partim à natura, partim ex inſtituto. Naturalem ſignificandi vim habent facta, quatenus naturalem quendam cum rebus, quas indicant, nexum habent; qualis eſt v.g. inter cauſſas & effectus, aut inter res, quarum altera alteri adjuncta eſſe ſolet. Harum enim alia aliam arguit, quamquam non ſemper ſimpliciter. Ex inſtituto autem ſignificant, quatenus vel communi conſuetudine, vel certarum perſonarum voluntate aut pacto ad quippiam deſignandum adhibentur. Naturaliter v. g. divina beneficia, præſertim ingentia, amorem ipſius erga eum, in quem conferuntur, ſignificant: uti & contrà ſupplicia gravia atque horrenda, iram. Ex inſtituto autem illa, quæ ad fœdera quædam ſancienda Deus adhibuit, aut adhiberi voluit. Talis fuit tranſitus per partes victimarum diſſectarum; (*Gen: 15. 9, & d. & verſu 17, 18.*) quo ſigno uſus eſt Deus ad fœdus cum Abrahamo pangendum: quanquam & miraculum fuit adjunctum. Notant enim præter Hebræos alii quoque viri docti, tum ex iſto loco, tum ex Jerem. 34. (*Ier: 34. 18, 19.*) hujuſmodi per partes victimarum diſſectarum tranſitu, fœdera confirmari ſolita fuiſſe. Talis fuit & aſperſio ſanguinis victimarum, quam Moſes, fœderis inter Deum & Iſraelitas mediator, ab ipſomet Deo conſtitutus, ad id ſanciendum adhibuit. (*Exo: 24. 8. Heb: 9. 18, & d.*) De utroque genere aliquid trahunt miracula, quibus Deus ea confirmare conſuevit, quæ hominibus annunciari curavit. De utroque etiam, ſed plus tamen de priori, trahit Filii Dei traditio in mortem, quâ novum fœdus inter Deum & homines fuit ſancitum. Siquidem effectus eſt & argumentum certiſſimum divini erga nos adhuc impios amoris, ex quo remiſſio peccatorum, nobis in novo fœdere propoſita, pendet. (*Mat: 26. 28. Luc: 22. 20. Heb: 9. 15, & d. c. 10. 29: 13. 20.*) Hoc pacto & ſpiritus ſanctus in fideles Chriſti effuſus, arrhabo eſt hæreditatis noſtræ. (*Epheſ: 1. 4.*)

‡ *Naturaliter*

‡ *Naturaliter v. g.*] At hîc meminiſſe oportuit verborum Auguſtini *ep.* 48. quæ referuntur Gratiano *cauſa* 5. *q.* 5. *cap.* 2. *Non omnis qui parcit amicus, nec omnis qui verberat inimicus; meliora ſunt vulnera amici quam voluntaria oſcula inimici; melius eſt cum ſeveritate diligere, quam lenitate decipere:* Item, *Utilius eſurienti panis tollitur, ſi de cibo ſecurus juſtitiam negligebat, quam eſurienti panis frangitur, ut injuſtitiæ ſeductus acquieſcat:* Item, *Noveris aliquando furem avertendis pecoribus pabulum ſpargere, & aliquando Paſtorem flagello ad gregem pecora errantia revocare.* Et quam incerta ſit illa indicina quæ ex proſperitate vel adverſitate amorem vel odium Dei colligit, patet ex Eccl: IX, 1. & piorum querelis frequentibus in Scriptura; ut Ethnicos mittam, quod bonis ut plurimum in hac vita malè ſit, malis benè. Atque hoc ipſum mox agnoſcet adverſarius.

Fœderis inter Deum &] Id nominis perperam tribuitur Moſi, cum ille μεσίτης, de quo Gal: III, 19. ſit ipſe Chriſtus, Angelus Fœderis etiam in V. T. & nullum alium Mediatorem præter ipſum agnoſcat Scriptura Act: IV, 12. 1. Tim: II, 5. 1. Ioh: II, 1. 2.

Siquidem effectus eſt] At non hoc ſolum denotat, ſed etiam juſtiſſimam Dei in peccatum, quod expiandum ſuſceperat, juſtitiam Rom: III, 25. ut non ſolum ex Dei in nos amore, ſed etiam ex ipſiusmet Chriſti merito & ſatisfactione, remiſſio peccatorum noſtrorum omninò pendeat.

Diſcrimine factorum, quod ex modo ſignificandi pendet, animadverſo, jam porrò diſpiciendum eſt, quo pacto ſinceritatis ſit, aut non ſit, his ſignis uti. Quod ergo ad facta attinet, quæ certam ex natura rei ſignificationem habent, ſive per ſe ac ſimpliciter, ſive ob certam circumſtantiam; in illis, quà talia ſunt, nullæ ſunt propriæ candoris ac ſinceritatis partes. Hæc enim ibi propriè locum habet, ubi per naturam & ſimulatio habere poſſet. Hæc autem in factis, quatenus certam ex natura ſignificationem habent,
257. locum invenit nullum. Itaque nulla habita ratione ſinceritatis divinæ, cùm ex effectis ipſius evidentibus, cauſſa eorum neceſſaria, quæ in ipſo exiſtat, colligitur, in eo errari non poteſt. Quatenus autem facta, nec ex inſtituto ullam ſignificandi vim habent, nec ex natura rei planè certam, utut fortè probabilem; eatenus quidem ſinceritas in illis locum habet, ſed non adeo arctum. Neque enim ſinceritas ſemper jubet, ut id facias, quod animi ſententiæ ac conſilio magis appareat eſſe conſentaneum, & ad id alteri ſignificandum aptius. Imò ut ſuprà jam indicavimus, cùm juſta eſt atque idonea cauſſa, cur alterum conſilia tua celes, aut operam des, ne illi ea ex tuis factis veluti pelluceant; ſinceritas non vetat, quominùs conſultò quædam facias, quæ ſententiæ tuæ ſint in ſpeciem contraria, & ab ea cognoſcenda alterius animum quodammodo abducant. Hoc pacto Paulum nonnulla feciſſe apertè videmus, & plura ex iis, quæ de ſe ipſe ſcribit, feciſſe colligimus, quæ ad ſententiam ipſius de libertate Chriſtiana apud Judæos aut Chriſtianos infirmiores occultandam facerent, & ab ea cognoſcenda illorum mentes abducerent. (*vid. Act: 16. 3. 21. 20, & d. 1 Cor: 6. 20, & d.*) nempe quia id ipſiſmet

ſibimet erat utile, & ad eorum ædificationem ſpectabat. Hinc idem & aliis in re ſimili præcipit: (*Rom: 14. 22.*) *Tu fidem habes? penes temetipſum habe coram Deo.* Loquitur enim de fide eâ, quâ quis credat, licere ſibi uti rebus omnibus, quarum uſus non eſt à Chriſto interdictus, utut à Moſe aliquando prohibitus. Hanc fidem qui habet, eum monet, ut illam premat, ac ſibi ſervet, ita ut Deus tantùm illius ſit conſcius, ſi nimirum ejus patefactio infirmiores ſit offenſura. Quamquam & aliis in rebus, aliiſque de cauſſis videas, tum ipſum Chriſtum, (*Luc: 24. 27. add: Mar. 6. 48.*) tum alios viros ſanctos, (*d. l. Act: 16. & 21. & 1 Cor: 9.*) & nonnullos quidem ipſius Dei juſſu, (*1 Sam: 16. 2. conf. verſum 1, 3, & d. 1 Reg: 20. 38.*) aliud conſultò in factis præ ſe tuliſſe, quàm revera ſpectarent. Neque tamen quiſquam auſit dicere, eos quicquam adverſùs candoris leges feciſſe. Unde jam aliquo modo colligere poſſumus, quid de divinis factis ſit ſtatuendum. Facit nempe Deus interdum quædam, quæ ſpeciem præ ſe ferant ſententiæ conſilio ipſius contrariæ; idque conſultò, ut vel fidei ac pietatis humanæ experimentum eo pacto capiat; vel homines impios ac perverſos judiciorum ſuorum, ut ita dicam, indagine cingat, eorumque caſſibus ita implicet, ut ad illa ſe duci vel non facilè, vel non niſi ſerò animadvertant. Nam quod ad prius attinet; ita nonnunquam cum ſuis agit, ac ſi eos non amaret, vel amare deſiiſſet, & eos exaudire, ac opem illis ferre nollet. qua de re divinos viros cum eo quodammodo expoſtulare videas. (*vid: Num: 11. 11, & d. Pſal: 10. 1: 13. 1, & d. 22. 1: 31. 23: 42. 10. & alibi.*) Quod ad poſterius attinet; cum impiis ita non rarò agit, ac ſi eos punire nollet. Nam non modò ſupplicium differt, gravitate aliquando tarditatem compenſaturus; ſed ipſos etiam impios opibus, potentiâ, honoribus vult florere, & omnia illis ex animi ſententia fluere, ut ſe felices exiſtiment. Tum demum ex inopinato eos aggreditur, & eam ipſam, quâ ſe extulerant, fortunam eis in ruinam vertit. (*vid Pſal: 37. & 50. 21, 22: & 73. add. Mat: 24. 38. & d. 1 Theſ. 5. 2, 3.*) Qua quidem in re nec iniquè agit Deus: ſiquidem non niſi homines id abundè commeritos ita ulciſcitur: nec contra ſinceritatem quicquam facit. Neque enim impio revera ſignificat Deus, ſe eum, ſi ita vivere pergat, punire nolle. ſed impius ſupplicii dilationem, & indulgentiam divinam, quam in occaſionem reſipiſcentiæ vertere debebat, ſtultè interpretatur tanquam impunitatis ſignum, & in licentiam ac laqueum ſuâ plane culpâ vertit. Qui enim jus puniendi habet, non cavet ſonti, dum ſupplicium differt: quanquam illi nonnunquam reſipiſcendi, ac ſupplicium hoc pacto evitandi ſpacium largitur: ſed ſæpè etiam occaſionem ulciſcendi commodiorem expectat. Quare ſi is qui pœnam eſt commeritus, aliter hoc ejus factum interpretetur, in eoque fallatur, ſibi id imputare debet, & ſuam accuſare inſipientiam, fraudem

258.

punienti adſcribere jure non poteſt. Idem ergo & de Deo cogitandum eſt; præſertim cùm indulgentia ipſius talem ſortiri ſoleat exitum, qualis illius eſt uſus; malum, ſi malus; ſi bonus, bonum. Veruntamen, quia Deus, dum homines perverſos punire vult, ſimili quodammodo ratione, quâ illi peccarunt, in illis ulciſcendis utitur; ideo à Davide, per metaphoram catachreſticam, cui antanaclaſis locum facit, & duritiem quodammodo demit, *cum perverſis perverti*, ſeu *perversè agere* dicitur. (*Pſal: 18. 26, & d.*) Sic enim Deum alloquens ait: *Cum ſancto ſanctus* (Hebr. *cum miſericorde miſericors*) *eris; & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus* (Hebr. *cum mundo mundus*) *eris; & cum perverſo pervertéris.* & rationem addit: *Quoniam tu populum humilem* (vel *afflictum*) *ſalvum facies, & oculos ſuperborum* (Hebr. *excelſos*) *humiliabis.* Significat nimirum Propheta, Deum talionis quodammodo jure cum hominibus agere, & planè dignam ipſorum factis mercedem illis perſolvere, ſive bona illa ſint, ſive mala. Itaque & in perverſis hominibus puniendis ratione ipſum uti, factis atque artibus illorum convenienti; ita ut ſi facta divina, illorum factis per ſe compares, non habita ratione juris ac honeſtatis, inter ea non exigua ſit ſimilitudo ac convenientia. Veruntamen ſi jus atque honeſtatem reſpicias, longè alia eſt horum & illorum ratio; ſiquidem non niſi commeritos ita tractat Deus. Itaque ſupplicia ab ipſo inflicta recta ſunt, utut perverſa aliquo modo videantur: Illorum facta perverſa, utut
259. fortè recta eſſe videantur.

‡ *Et planè dignam*] Et hoc cum grano ſalis eſt ſumendum; ſiquidem nec facta piorum *condigna* ſunt gloriæ futuræ in ipſis revelandæ Rom: VIII. 18. nec propriè dictam *mercedem* illis *perſolvit* Deus ceu *ex debito*; ſed impropriè ſic dictam imputat *ex gratia* Rom: IV. 4.

Sed jam tempus eſt, ut de illis etiam Dei factis dicamus, quæ ex inſtituto aliquid ſignificant; & primò quidem de miraculis, quæ, ut diximus, aliquatenus naturalem ſignificandi vim habent, quanquam generalem, reſpectu eorum, quæ Dei nomine hominibus annunciantur. Nam cùm Deus ipſe revera miracula edit, taliaque facit, quæ omnem rerum vim ita ſuperant, ut ne dæmonum quidem aſtu aut viribus præſtari ulla ratione poſſint; ea pro certiſſimis ſententiæ ipſius argumentis ſunt habenda; & ſtatuendum, ea, quibus confirmandis adhibentur approbare Deum, &, ut à nobis recipiantur, velle. Cætera prodigia non ſemper ſunt certa divinæ ſententiæ indicia; cum ea interdum Deus non tam faciat, quàm fieri permittat; imò revera non faciat, ſed, ut à Satana fiant, concedat. Et in certis quidem caſibus, de quibus populus divinus eſt ab ipſo Deo præmonitus, pro ejuſmodi rebus prodigia ſunt habenda, per quas Deus populum ſuum tentet, aut orbem ingratum

Digitized by Google

gratum atque impium puniat. Atque huc pertinent illa de quibus Moſes
in Deuter. 13. cap. (*verſu 1, & d.*) monet. Eódem & illa pertinent, quæ à
Pſeudochriſtis & Pſeudoprophetis, & nominatim ab Antichriſto edenda
eſſe, partim Chriſtus, partim Apoſtoli ejus prædixerunt. (*Mat: 24. 25, & d.
2 Theſ: 2. 9.*) Quia enim prodigia hujuſmodi magnam vim habent ad ani-
mos hominum commovendos, & admodum probabile ſit, ea divinitùs edi
ad id, quod dicitur, confirmandum; ideo divinæ ſinceritatis ac bonitatis
eſt, ne permittere quidem, ut ea edantur, niſi in certis caſibus, & ho-
minibus quidem antea præmonitis, ac ſatis præmunitis, ita ut non niſi ſuâ
culpâ ſeduci queant.

Quod ad cætera Dei facta attinet, quæ aliquid ex inſtituto ſignificant;
ut tranſitus ille in fœdere Abrahamico per partes victimarum diſſectas, non
quà miraculoſus fuit, & generalem quandam ſignificandi ac dicta confir-
mandi vim habuit; ſed quatenus ſpeciatim ad ſanciendum fœdus ex humana
conſuetudine fuit adhibitus; itemque ſanguinis aſperſio à Moſe facta; quò
& baptiſmus Johannis referri poteſt, qui ablutionem à ſordibus peccatorum
deſignavit, partim quidem ab hominibus per reſipiſcentiam, partim à Deo
per remiſſionem peccatorum, perficiendam: in his ſinceritas divina non mi-
nùs, quàm in juramentis cernitur. Quia enim hujuſmodi ritus ideo ſunt
inſtituti, ut plenam ac perfectam voluntatem, & ſincerum miniméque fuca-
tum animi aſſenſum teſtentur; nullam in illis ſimulationem aut diſſimulatio- 260.
nem ſinceritas admittit, ne talem quidem, qualis in verbis aliàs licitè non-
nunquam uſurpatur. Certiorem enim ſignificationem ſigna hujuſmodi, quàm
verba ſimpliciter prolata habere cenſentur. Ideo cùm verbis res jam teſtata
conſtitutaque eſt, nihilominus ad pleniorem rei fidem, & uberiorem conſen-
ſûs ſignificationem, facta hujuſmodi adhibentur; quæ proinde verbis vim ad-
dunt, eaque revocari non amplius patiuntur, & eo quidem ſenſu, quo in-
tellecta fuiſſe cenſentur ab eo, cum quo res fuit.

‡ *Partim quidem ab hominibus*] Fateor & *reſipiſcentiam* ſive ſanctificationem, & *remiſſione peccatorum* ſive juſtificationem, comprehendi ablutione à ſordibus peccatorum quæ in baptiſmo Iohannis & noſtro ſignificatur & obſignatur; Sed minus commodè *reſipiſcentia* tribuitur hominibus, & Deo *remiſſio peccatorum*; cùm & illa ipſa reſipiſcentia ſit Dei opus in nobis *Act:* 11, 18. nec minus noſtra ſanctificatio quam juſtificatio illi per Chriſtum ſit adſcribenda 1 Cor: 1, 10. VI, 11.

Quare ut dicta noſtra velut in ſummam colligamus; ſinceritatis divinæ eſt,
nunquam quicquam dicere aut facere, quod aliter accipi jurè nequeat, quàm
ut cum mente Dei pugnet; promiſſis aut ſignificatione benevolentiæ nemi-
nem ludificari; comminationibus fruſtrà non terrere; præceptis aliiſve di-
ctis neminem in fraudem impellere; miracula non niſi ad verum confirman-

dum

dum edere, & ne permittere quidem, ut prodigia ad mendacium confirmandum fiant, niſi in certis caſibus, populo ſuo ſatis jam præmonito; in fœderibus, eorumque confirmationibus, & in juramentis apertè agere, & id omnino velle, quod ex dictis ac factis ejus facilè intelligitur, ac probabiliter colligitur. Quòd ſi plura, quæ ſingula non vulgarem ſinceritatem poſtulant, aut etiam omnia concurrant, quid tum ſtatuendum eſſe cenſemus? Concurrunt autem plæraque in fœdere antiquo; omnia in novo, per Chriſtum nobiſcum pacto. Nam & præcepta in eo continentur ſanctiſſima, & promiſſa ampliſſima, toti mundo facta; miracula ſunt addita longè maxima & diviniſſima, & alia ſanciendo fœderi ſervientia, maximè mors unigeniti Filii Dei: quin & juramento promiſſa illi inſerta nituntur, ut ex iis intelligi poteſt, quæ ex Epiſt. ad Hebr. 6. ſub finem leguntur, ſuperiùs à nobis ex parte citata. Nónne ergo ſinceriſſimè ac candidiſſimè in illis Deus agere cenſendus eſt? Quò majorem ſanctiſſimo ipſius numini faciunt injuriam, quin & ſpem generis humani ſubvertunt, qui aſſerere audent, eum, cùm per Evangelii præcones, fœderiſque novi miniſtros, expreſſis apertiſſimiſque verbis ſalutem hominibus generatim omnibus offert, & ſignificat, ſe velle ac cupere, ut omnes credant ac reſipiſcant, & ſic peccatorum remiſſionem ac vitam ſempiternam conſequantur; interea tamen ſimplici ac prorſus abſoluto decreto apud ſe ſtatuere, aut ab omni æternitate jam ſtatuiſſe, ut eorum plærique, quibus tantam gratiam offerri curat, nec reſipiſcant, nec porrò ſalutem conſequantur, ſed æternis ſuppliciis, etiam ob
261. id ipſum, quòd non crediderint, mactentur. Unde duplicem illi voluntatem, revelatam & occultam, quarum illam ſigni, hanc beneplaciti quidam vocant, tribuunt: quarum illâ gratiam offerat, hac nolit, ut eam amplectaris, eáque potiaris. adeò mira eſt beneplaciti ratio, quod tam noxios ac peſtiferos effectus pariat. Hoc autem dum illi faciunt, id Deo adſcribunt, quo nihil ipſius judicio eſt execrabilius ac deteſtabilius, (*Pſal: 5. 7: 55. 24.*) dictuque magis horrendum, nempe os linguamque fraudulentam, & hypocriſin ſeu ſimulationem ejuſmodi, quæ verbis blandiatur, gratiam offerat, benevolentiam omnibus ſignis teſtetur, animo interea perniciem machinetur. At David cùm conqueſtus eſſet, (*Pſal: 12. 1, & d.*) veraces ac candidos inter homines defeciſſe, quemque loqui vana cum proximo ſuo labiis doloſis, corde ac corde, ſeu duplici animo; addidiſſetque comminationem graviſſimam, *Diſperditurum Dominum univerſa labia doloſa*; paulò pòſt eloquia Domini verbis hominum fraudulentis opponens, *Eloquia*, inquit, *Domini eloquia caſta*: (ſeu *pura*) *argentum igne examinatum, probatum terra*, (ſeu *excoctum in vaſe terreo,*) *purgatum ſeptulum* (ſeu *ſepties.*) ſignificans illis nihil fraudulentum, nihil fictum ac ſimulatum revera ſubeſſe. Sed de his ſatis.

‡ *Omnia*

✝ *Omnia in novo*] At ambo ſubſtantiâ & re idem ſunt, cùm idem Chriſtus ut ubique obtineat & ſalus per ipſum; Heb: XIII,8. Apoc: XIII,8. I.Cor: X,1.2.3.4. Act: IV,12. XV,11.

Toti mundo facta] Id falſum eſt: Nonniſi enim ad credentes ſive credituros pertinent, reliquis excluſis.

Quo majorem ſanctiſſimo] Sed I. Salus per Euangelij præcones nec ſemper, nec ubique, *omnibus hominibus* generatim offertur; Deo pro ſuo lubitu hoc ſuum candelabrum hinc inde movente & transferente Act: XVI, 6.7.8. & d. 11. Non pugnat cum ſinceritate Divina, ut seriò mandet & præcipiat omnibus Euangelij auditoribus ut credant & reſipiſcant, additâ etiam promiſſione certa ſalutis & remiſſionis peccatorum ſub fidei & reſipiſcentiæ conditione, & nihilominus decreverit multos ex illis in nativa ſua corruptione relinquere, nec fide & reſipiſcentiâ per gratiam indebitam donare ut electos. Nec enim tenetur id in omnibus efficere, quod illis præcipere, ceu officium ſibi gratum & ipſis perutile dignatur. III. Deus non decrevit homines reprobando, *ut non reſipiſcant*, ſed tantum eos prætereundo & in maſſa communis perditionis relinquendo, decrevit ipſis non indulgere gratiam reſipiſcendi, & per eam ſalutem quâ plane ex peccati merito indigni erant adipiſcendi: Hac vero indebitæ gratiæ negatione, non præcidit ſibi jus repetendi ab illis officium debitum fidei & reſipiſcentiæ, & eos puniendi ob illud non præſtitum: Nec enim oportet conſiderare quid potuerint in illo miſeriæ ſtatu in quem ſuâ culpâ inciderunt, ſed quid debuerint: & eò juſtior eſt eorum pœna, quod eorum incredulitas & impœnitentia ultronea & voluntaria ſit; adeoque eò ſeveriùs punienda quod seriò & ſincerè ad fidem & reſipiſcentiam etiam ſub promiſſionibus eximijs, invitari, nihilominus occalluerint, & ultrò Dei mandatum conculcarint.

Unde duplicem illi] Ut neceſſariò diſtinguamus inter voluntatem Dei præcipientem, ad quam minæ & promiſſiones pertinent, & decernentem, quę ſonat inviolabile & ineluctabile ipſius conſilium, Scriptura & ratio evidentiſſimè perſuadent: Aliàs cum tam multa committantur contra Dei mandata, ſtatuendum foret multa evenire vel invito vel inſcio Domino, quorum neutrum aſſeri poteſt. Nec duæ ſunt ideo voluntates in ipſo, ſed tantum vocis illius, *voluntas Dei*, duplex acceptio; cùm aliquando ſonet ejus mandatum, & quod præcipit hominibus ut faciant, aliquando ejus decretum & conſilium, & quod futurum & eventurum, vel effectivè, vel permiſſivè, conſtituit. Id ut exprimerent Scholaſtici, freti etiam loco Moſis Deut: XXIX, 29. diſtinxerunt voluntatem Dei in *occultam* & *revelatam*, quarum hanc *ſigni*, illam *beneplaciti*, appellarunt; quod poſterius nomen deſumpſerunt ex nonnullis Scripturæ teſtimonijs eo exprimentibus arcanum Dei conſilium quo alios elegit alios reprobavit, maximè vero ex dicto Chriſti Matth: XI, 25. 26. Sed calumnioſa eſt quam hic cudit adverſarius utriuſque explicatio: Voluntate enim præcipiente, quæ revelata aliàs & ſigni appellatur, non ſolum offert gratiam ſub conditione, ſed mandat & injungit hominibus; cùm habeat authoritatem imperij, quod eſt ex ipſorũ officio, & ſi præſtiterint, ipſis ſalutare futurum eſt: at voluntate decernente, quæ occulta & beneplaciti ab alijs dicitur, quibuſdam ex illis decrevit gratiam indebitam præſtandi hoc officium & ſalutem per illud adipiſcendi, quibuſdam vero eam non decrevit; non quod prohibitivè nolit ut beneficium oblatum amplectantur eoque potiantur, ſed quod nolit illis gratiam indebitam largiri illius amplectendi & potiundi.

Adeo mira eſt] Deus te compeſcat os impurum: Quod enim homo amplectatur gratiam oblatam eaque potiatur, id

Digitized by Google

Deo eſt adſcribendum; Quod eam non amplectatur nec eâ potiatur, ipſe in culpa eſt: Dei decretum de ipſo non illuminando & convertendo, non efficit magis ut oblatam ſalutem non amplectatur, quam Chriſti abſentia cauſa erat mortis Lazari, eo quod ſi adfuiſſet mortuus non fuiſſet Ioh: XI, 21. Negatio quidem gratiæ convertentis eſt in illis cauſa deficiens incredulitatis & impœnitentiæ, quia ſi illa gratia adfuiſſet reſipuiſſent & credidiſſent. prout ſolis occaſus eſt cauſa deficiens noctis & tenebrarum, quia ſi ſol manſiſſet ſuper horizonte tenebræ aërem non occupaſſent: ſed cauſa efficiens incredulitatis & impœnitentiæ humanæ, nativæ hominum corruptioni & voluntariæ ac liberrimæ rebellioni, qua Dei conſilium *adverſus ſeipſos aſpernantur* Luc: VII, 30. eſt adſcribenda. Hoc autem Dei decretum gratiæ indebitæ negativum, *beneplacitum* dicitur ex ſtylo Scripturæ, quia fundatur in mero illius arbitrio, juxta quod *miſeretur cujus vult & quem vult indurat* Rom IX, 18. Atque ex his ſatis ſuperque liquet quam Deo *linguam fraudulentam & hypocriſin ſeu ſimulationem* non adſcribamus. Is enim non *machinatur perniciem* alterius, qui eum ſedulò monet officij ad quod tenetur, etſi illius præſtandi gratiam penitùs indebitam & quâ ille indignus eſt, ipſi non largiatur.

Tempus enim jam eſt, ut de Veritate agamus. ea Sinceritas ſeu candor eſt, qui in dictis cernitur, quatenus illis aliquid aſſeritur, ſive affirmando id fiat, ſive negando. Ejus eſt curare, ut verba cum re ipſa conſentiant, nec aliter loquaris, quàm rem ſeſe habere ſentis. Veritatem enim hoc loco non ſumimus pro ipſo conſenſu atque convenientia, ſive intellectûs, ſive dictorum noſtrorum cum re ipſa: ſed pro virtute, quæ veritatis dictorum noſtrorum veluti cuſtos eſt. Unde veritatis ſtudium appellatur, vulgò veracitas. Quia verò cùm aliquid promittimus, verba noſtra vera eſſe non poſſunt, quin id ipſum præſtemus; ideo veritatis etiam eſt præſtare promiſſa. Itaque veritas quidem primò ac per ſe in dictis cernitur; conſequenter autem etiam in factis illis, ſine quibus veritas dictorum noſtrorum conſtare non poteſt, præſtandis. unde, ut inferiùs intelligetur, in ſacris literis pro fide ſeu fidelitate non rarò ponitur, aut tam latè extenditur, ut eam quoque in ſe complectatur. cum fides, ſi accuratiùs loqui velimus, ejus potiùs ſit effectus neceſſarius. Cum autem Veritatis, ut diximus, ſit, non aliter de re loqui, quàm eam ſe habere intelligis; neceſſe eſt, ut, quia verax eſt Deus, omnia ejus dicta cum re conſentiant: ſecùs quàm in hominibus contingit, utut alioqui veracibus. Ii enim cùm falli poſſint ipſi, poſſunt & falſum di-
262. cere, & tam conſtanter affirmare, quàm firmiter credunt. Itaque cùm homines veritatis amantes aliquid conſtanter aſſerunt, rectè quidem inde concludimus, eos ita ſentire: ſed non protinus, ita ſe rem habere; niſi tum, cùm res ita eſt comparata, ut niſi ita ſe haberet, eos fingere, ac fallere velle neceſſe foret. Itaque viri etiam boni mendacium dicere poſſunt, ſed non mentiri. & neſcio quis dixit, Boni viri eſſe non mentiri, Sapientis mendacium non dicere. Diſtinguunt enim inter mentiri, & mendacium dicere, ut hoc

ut hoc latiùs pateat, illud anguſtiùs. Nam mentiri illum tantùm dicunt, qui aliter loquitur, quàm ſentit: mendacium etiam illum, qui ita quidem loquitur, ut ſentit, atque à rei veritate aberrat. Qui mentitur, fallere vult, quod boni viri non eſt: qui mendacium dicit, ſi fallere non vult, fallitur ipſe, quod non eſt Sapientis. quanquam nulla in re falli, non hominis eſt ſapientis, ſed ſolius ſapientis Dei, & illius, cui Deus omnium rerum cognitionem dedit. Deus ergo nullo in ſermone à veritate abludit. ſiquidem nec fallitur, ob ſummam ſapientiam: nec fallere vult, ob ſummam rectitudinem ac veracitatem. Hinc in ſacris literis toties ipſius veritas celebratur; & ipſemet alicubi hominibus, qui omnes ſint mendaces, (quia nimirum plærique eſſe ſoleant) eo nomine opponitur, quòd verax ſit. (*Rom:3.4.*) Hinc & ἀψευδὴς ſeu mentiri neſcius à Paulo dicitur, (*Tit: 1.2.*) & pro magno ſcelere reputatur, ei fidem derogare, & mendacem eum facere. (*1 Ioh: 1. 10: 5. 10.*) quodque D. Auctor Epiſtolæ ad Hebr. reſpectu certorum Dei dictorum pronunciavit, (*Heb: 6. 18.*) *impoſſibile eſſe mentiri Deum*, ſi vox *mentiendi* ſimpliciter accipiatur, ad omnia ejus dicta, ob cauſſam paulò antè allatam, extendi jurè poteſt ac debet. Quare ſive de rebus præteritis, ſive de præſentibus, ſive denique de futuris loquitur Deus, ſemper vera loquitur, eique ſine ulla hæſitatione credendum eſt.

‡ *Omnia ejus dicta cum re*] Ergo non ϛοχαϛικῶς & conjecturaliter Deus dicit & prædicit futura, ut capite ſuperiori pertendebat adverſarius, ſed certò & infallibiliter, cum nec *mentiri* nec *mendacium dicere* queat.

Quia nimirum plærique] Imò quia nemo eſt, cui ſaltem ex infirmitate & ſubreptione ſæpè non contingat *mentiri*, ſive aliter loqui quam ſentit, & contra mentem ſuam ire.

Sive denique de futuris] Ergo futurorum contingentium prædictiones Divinæ, veræ, certæ & infallibiles ſunt.

Etſi autem veritas Dei ad omnia ejus dicta pertinet, quibus aliquid aſſerit; ſacræ literæ tamen omnium creberrimè eam ad promiſſa ipſius referunt, & ſic fidelitatem ipſius hoc nomine comprehendunt. Res facilè patebit ſacrum codicem evolventi. In Pſalmis quidem, cùm Dei veritas celebratur, ad fidem ipſius potiſſimùm reſpicitur. (*Vide inter alios Pſal: 89. & 119.*) Quanquam videtur interdum latiùs adhuc extendi, ut quicquid æquum rectumque eſt, complectatur: ut cùm Lex Domini, aut omnes viæ ejus veritas eſſe dicuntur. (*Pſal: 19. 10: 119. 86, 142, 151. add. Neh: 9. 33.*) Sed, ut diximus, fidem Dei potiſſimùm deſignare ſolet. Ideo Apoſtolus Rom: 3. cap: promiſcuè uſurpat veritatem, fidem, & juſtitiam Dei. (*Apoc: 15. 3: 16 7. Rom: 3. 3. & d.*) & cap. 15. (*cap: 15. 8.*) ait, *Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis* (hoc eſt, circumciſorum, quatenus iis Evangelium annunciarit) *propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones Patrum.* Ubi quidem Veritatem Dei aliquo 263.
modo op-

Digitized by Google

te Dei egimus, quæ in pœnis remittendis cernitur, partim in ſequentibus uberiùs declarabimus.

‡ *Quomodo autem*] Quin hinc liquet pœnitentiam propriè dictam Deo non convenire, contra quam pertendebat Crellius capite ſuperiori, & denunciatam peccatoribus pœnam ex Dei conſtantia & veritate, vel ab ipſis perſonaliter, vel ab aliquo expromiſſore qui ſe in eorum locum ſubſtituerit luendam eſſe.

Veniendum enim tandem eſt ad explicationem divinæ conſtantiæ, cujus in Bileami verbis modò adductis fit mentio, dum negat Deum eſſe ſimilem 264. filio hominis, ut mutetur. Eſt autem conſtantia virtus, quæ in tuendo animi propoſito cernitur. Quare & Dei conſtantia ea eſt rectitudinis ipſius pars, quam & virtutem appellare licet, quæ in tuendo propoſito conſervandiſque decretis cernitur: propter decreta autem etiam in dictis ac factis occupatur. Opponitur mutabilitati, levitati, ac inconſtantiæ. De ea loquitur & Samuel: (*1 Sam: 15. 29.*) *Triumphator in Iſrael* (Hebr. *Iſraelis*) *non parcet*, (Hebr. *non mentietur*,) *& pœnitudine non flectetur. Neque enim homo eſt, ut agat pœnitentiam.* & ipſe Deus apud Malachiam: (*Mal: 3. 6.*) *Ego Dominus* (ſeu *Iehova*) *& non mutor.* Hebraicè quidem eſt, *non muto*: ſed eodem ſenſu. Perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet, non muto ſententiam, quemadmodum & viri docti annotârunt. (*vid: Bibl: magna Rob: Stephani.*) Huc & illa Apoſtoli pertinent: (*Rom: 11. 29.*) *Sine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei*, h. e. Deum non pœnitet ſuorum donorum, nec, ſi cui gratiam obtulerit, verba ſua revocat.

‡ *Perinde enim eſt ac*] Conſtat tamen immutabilitatem Dei latiùs patere hac morali conſtantiâ, etſi commodiſſimè ad eam is locus Malachiæ extendatur. Et quam latè pateat Dei immutabilitas paucis ſumus comprehenſi *Syſtem. noſtri Theol. loco 2. §. 35.*

Huc & illa Apoſtoli] His verò Apoſtoli verbis perſeverantia Sanctorum, quam impugnant Sociniani, luculenter comprobatur: Quos Deus ſemel amat ſemper amat, & eum ſemper amant, ſaltem habitualiter, qui eum ſemel ſeriò amare in Chriſto incœperunt: nam verus amor nunquam perit: conſtantiâ enim probatur, ut docet Ambroſius *epiſt.* 40. & *quos amor verus tenuit tenebit*, inquit Seneca in *Thyeſte, act.* 3.

Interim tamen ſemper obſervandum eſt, quo pacto Deus quippiam decreverit, aut pronunciaverit, vel ſaltem dicta ſua intelligi voluerit; an cum conditione, an ſine conditione. Nam ſi ſine conditione quippiam decrevit, id ut omnino etiam eveniat, conſtantia ipſius poſtulat. ſi cum conditione; non poſtulat conſtantia, ut res eveniat, conditione non extante, ſed tum demum, ſi hæc extiterit. Conſtantia enim non in parte aliqua decreti per ſe ſumta, ſed in toto decreto tuendo cernitur. pars autem decreti conditionalis, eſt & conditio. Et etiamſi Deus nonnunquam, cùm decreta ſua enunciat, conditiones non apponat; non tamen protinus conditionem nullam

Digitized by Google

vult ſubaudiri; quemadmodum jam ſuprà oſtendimus, de ea divinæ poteſtatis parte diſſerentes, quæ in pœnis remittendis, relaxandiſque comminationibus cernitur. Exempla hac de re aperta extant de Abimelecho, (*Gen: 20. 3, & d.*) de Ezechia, (*4 Reg: 20. 1, & d. Eſa: 38. 1, & d.*) de Ninivitis: (*Ion: 3. 4, 10.*) quorum illis mors ſimpliciter fuerat denunciata, his urbis ſubverſio quadrageſimo die ſecutura. Et tamen eventus non fuit ſubſecutus, ob cauſſas quaſdam, quæ Deum ad mitigandam aut tollendam comminationis vim flexerunt. Quid, quòd generalia etiam hac de re apud Prophetas Dei effata extant? Ita enim apud Jeremiam loquitur: (*Ierem: 18. 3, & d.*) *Repente loquar adverſus gentem, & adverſus regnum, ut eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit* (vel *converſa fuerit*) *gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam,* (vel potiùs, *adverſus quod locutus ſum:*) *agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitavi ut facerem ei. Et ſubitò loquar de gente, & de*
265. *regno, ut ædificem, & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, pœnitentiam agam ſuper bono, quod locutus ſum ut faciam ei.* Unde eodem loco (*verſu 11.*) dicit, ſe adverſus Iſraelitas fingere malum, & cogitare cogitationes contra ipſos, & nihilominus à via ſua mala ipſos jubet reverti; ſignificans, illis adhuc ſpem veniæ ſupereſſe. Sic & apud Ezechielem: (*Ezech: 33. 14, & d.*) *Si dixero juſto, quòd vita vivat* (Hebr. *vivet*,) *& confiſus in juſtitia ſua fecerit iniquitatem; omnes juſtitiæ ejus oblivioni tradentur, & in iniquitate ſua, quam operatus eſt, in ipſa morietur. Si autem dixero impio, Morte morieris; & egerit pœnitentiam* (vel *converſus fuerit*) *à peccato ſuo, feceritque judicium & juſtitiam:* &c. *vita vivet, & non morietur.* Ex quibus clariſſimè apparet, hujuſmodi ſive promiſſiones Dei, ſive comminationes, licèt ſimpliciter prolatas, tamen cum tacita conditione, in futurum reſpiciente, intelligendas eſſe. Quare non evertit Deus decreta ſua, cùm conditione non extante, aut ceſſante, id non implet, quod ſub ea decreverat.

‡ *Si cum conditione*] Agnoſco promiſſionibus & comminationibus Divinis ſuas apponi conditiones, quibus ceſſantibus, nec illæ ſuum effectum ſortiuntur: Sed nego dari decreta Dei conditionata, quæ ſuſpendantur ex incerta aliqua & dubij eventus conditione, & eoipſo exitus ſint incerti & dubij.

Exempla hac de re] Nullum hic præceſſerat decretum de Abimelechi & Ezechiæ morte, aut everſione Ninives: Sed potius decretum erat abſolutum ſive infallibile de eorum conſervatione, per media convenientia & certò etiam futura, quæ Deus elicuit & effecit ijs comminationibus, quibus tacitam conditionem annecti ipſi ſatis intellexerunt. Nulla ergo hic mutatio Deo adſcribenda: nullæ concipiendæ cauſſæ ex inopinato ſuccedentes, *quæ* ipſum *ad mitigandam aut tollendam comminationis vim flexerint*: cum è contrario per illas comminationes conditionatas id ipſum exſequutus ſit, quod antea abſolutè decreverat, nempe eos traducere ad deprecationem pœnæ denunciatæ & reſipiſcentiam.

Ita enim apud Ieremiam] Quam Deus hîc ſibi tribuit pœnitentiam, ἀνθρωποπαθῶς eſſe

eſſe intelligendam, ipſa loca Num: XXIII, 19. 1. Sam: XV, 29. Mal: III, 6. ſuperiùs Crellio citata ſatis indicant. Et quæ de comminationibus Divinis dicuntur Ier: XVIII, 11. ad decreta Dei trahi non debent.

Ex quibus clariſſimè] Id verùm quoad *promiſſiones* & *comminationes* Dei, ac voluntatem ipſius præceptivam; ſed non debet extendi ad illius decreta, quæ ſemper certum & indubitatum ſuum effectum conſequuntur.

Interim tamen cùm non implet, pœnitere eum illius dicitur, & ſic ſententiam quodammodo mutare cenſetur. nempe quia id non ampliùs vult facere, quod facere, licèt ſub conditione, conſtituerat, & in quod jam vehementer etiam propendebat. Sic olim vehementer in pœnam Iſraëlitarum inclinabat, cùm diceret Moſi, (*Exod: 32. 10.*) *Dimitte me ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos.* & nihilominus tamen precibus Moſis *placatus fuit Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adverſus populum ſuum.* (*ib: verſu 14.*) Enimverò conſtantis eſt perſiſtere in animi propoſito, niſi quid intervenerit, cujus ratio non immeritò haberi poſſit, quódque in aliam ſententiam flectere voluntatem jurè queat, & maximè in mitiorem. Hoc enim clementiæ eſt. Clementia autem conſtantiæ non adverſatur. ſiquidem cum rectitudine penitus conſpirat. Iſtud inconſtantis eſt, vel id, quod ſimpliciter, & rectè quidem decreveris, reſcindere; vel nulla aut levi de cauſſa propoſitum mutare, in re præſertim magni momenti, utut tandem ſimplex de ea decretum non interceſſerit. Nihil iſtorum Deus unquam facit. Nam non tantùm conſtantiæ, ſed & ſapientiæ perfectæ laudem amitteret. Etenim qui aliquid iſtorum facit, vel non omnia novit tum, cùm quippiam ſibi proponit, quæ vel in hanc, vel in illam partem aliquid habere queant momenti; vel non ſatis ea expendit. unde ea nunc majoris, nunc minoris ipſi videntur eſſe ponderis; ſiquidem à ſententia eum nunc deducant, à qua antea non abduxerant. Hoc verò ipſum aliquam ignorantiam arguit. Non enim totam rei rationem ſemper exactè novit, cui ea nunc majoris, nunc minoris eſſe videtur ponderis. Alterutra in parte errorem aliquem verſari neceſſe eſt. Cum ergo 266.
Deus ſit omniſcius ac perfectè ſapiens, talis mutabilitas in eum minimè cadit. Omnia in illius conſpectu ſunt, quæ aliquid habere poſſent ad rem, quam decernit, momenti. Itaque ſi ſimplex decretum facit, apparet, nullam unquam extituram cauſſam, quæ id mutare cogat. unde nec unquam ob conſtantiam mutat. Si verò ſub conditione quippiam ſibi proponit; non niſi eas ob cauſſas mutat, quas evenire poſſe tum vidit, cùm decretum fecit, & quibus extantibus decretum vim ſuam habere noluit. Itaque nihilominus ſibi ſemper conſtat, &, licèt ſententiam aliqua ratione mutet; non mutat tamen eatenus, quatenus eam immutabilem eſſe ab initio voluit, ſed quatenus voluit eſſe mutabilem.

Digitized by Google

‡ *Et ſic ſententiam quodammodo*] At illa mutatio non eſt in Dei ſententia & conſilio, ſed in rebus ipſis extra ſe, quas per hujuſmodi comminationes adducit ad eam mutationem quam certò futuram decreverat. Itaque non eſt propriè cenſendus, *non ampliùs velle facere, quod antea facere, licet ſub conditione, conſtituerat, & in quod jam vehementer etiam propendebat*; Id enim ab ejus perfectione & immutabilitate eſt planè alienum: nam qui priùs vehementer in id propenderit, quod poſtea amplius nolit facere, is aliquam in ſe mutationem experitur, ex cauſa aliqua ſibi antea improviſa. Sed eo ipſo quod Deus per aliquam comminationem aut alia aliqua ratione efficit ut præſtetur ea conditio ſub qua comminatio facta fuerat, teſtatur ſibi decretum fuiſſe non exſequi eam comminationem, ſed potius id ipſum conſequi & efficere, quod eventus ipſe comprobat.

Sic olim vehementer] Vehementes illæ inclinationes in illius contrarium quod reverâ evenit & facit, Deo non poſſunt propriè convenire: Et cum decreviſſet parcere populo ad Moſis interceſſionem, etiam illam comminationem Moſi propoſuit, quo per illam Moſem permoveret ad eas preces ſibi fundendas quibus populi conſervationem indulgere conſtituerat.

Niſi quid intervenerit] At Deo omniſcio nihil poteſt novi & inopinati intervenire, cujus intuitu deſiſtat à priori animi propoſito, *quodque in aliam ſententiam flectere voluntatem ejus jure queat*: Quare quod ſemel voluit voluntate decernente ſemper vult, & cubo firmior, manet conſtans in ſuo conſilio.

Hoc enim Clementiæ eſt] Clementiæ non eſt mutare conſilium; cum ipſa ſupponat conſtans propoſitum miſerendi & ignoſcendi ubi & quando dabitur occaſio. Sed cum Clementiæ humanæ exercendæ, occaſiones aliunde naſcantur, Deus ſuæ demonſtrandæ occaſiones ſibi ipſi ſuppeditat, idque juxta æternum ſuum decretum & in illius executionem.

Sed & ſapientiæ perfectæ] Quia igitur laus illa Deo non debet abrogari, nihil poteſt ei intervenire novi, cujus intuitu in aliam abeat ſententiam.

Omnia in illius conſpectu] Ergo nihil decrevit ſub dubia conditione; cum maximè prævideat non modo quid poſſit evenire, ſed ex omnibus poſſibilibus quid ſit eventurum.

Quas evenire poſſe] At cùm Deus decretum aliquod fecit, non modò vidit quid poſſet evenire, incertus & dubius quid futurum eſſet, ſed certò prævidit quid evenire deberet; adeoque nullum decretum fecit quod mutabile eſſe vel debuerit, vel ipſe voluerit: cum citra inconſtantiæ & ignorantiæ labem, nequeat velle ullam ſententiam ſuam mutabilem eſſe.

Cùm autem Deus in propoſito, ut vidimus, conſtans ſit; neceſſe eſt etiam, eum in dictis & factis, quæ propoſiti ipſius effecta ſunt, aut teſtimonia, conſtantem eſſe. Cæteroquin ubi ullum adhuc decretum extat, & res liberæ ipſius poteſtati penitus eſt ſubjecta, Deus interdum ob id ipſum, ut liberrimam illam poteſtatem ſuam exſerat, aliter atque aliter agit. Nam nec eadem in omnes beneficia confert, eadémve menſura diſpenſat. quamquam ita in illis progredi ſolet, ut ab imis ad ſumma tendat, niſi hominis malitia eum beneficentiæ curſum interrumpat. Similiter & leges quaſdam fert, quas poſtea abrogat. Sic leges ceremoniales populo Iſraelitico, pueritiam adhuc veluti agenti, præfixit, ut ſub iis, tanquam ſub pædagogo, ad pu-

bertatis

Digitized by Google

bertatis annos, aut virilem etiam ætatem proficeret. (*vid: Gal: 3. 24, 25: 4. 1, & d.*) Ab eodem igitur jam ad virilem ætatem progreſſo pædagogum hunc amovit, nec rudimentis, pueritiæ ejus convenientibus, mancipatum ampliùs voluit, ſed legibus his refixis in libertatem emiſit. Qua in re nulla Deo tribuenda eſt inconſtantia, ſed ſumma potiùs ſapientia, cum abſolutiſſima poteſtate conjuncta.

‡ *Cæteroquin ubi nullum*] Sed hoc gratis fingitur: cùm de omnibus futuris & eventuris in tempore, certa, conſtantia & immutabilia Dei decreta præextiterint ab æterno, uti liquet ex Act: xv, 18. Quare etſi Deus *aliter atque aliter* agat, hominum reſpectu, pro ſua libertate, quia licet ipſi facere de ſuo ut lubet Matth: xxi, 13. nunquam tamen aliter agit quam agere apud ſe ab æterno conſtituit.

Quamquam ita in illis] Neque hoc univerſaliter eſſe verum, liquet evidenter ex Act: xiv, 16. 17. Nam etiam quo tempore *ſinebat omnes gentes ſuis ipſarum vijs incedere*, non tamen patiebatur *ſe eſſe expertem teſtimonij* apud illas, *dans illis cœlitùs pluvias ac præſtituta tempora fructibus perferendis, implens cibo & delectatione corda* earum: Tantum enim abeſt ut tum *ab imis ad ſumma* tenderet, ut quo tempore conſtituerat ſumma illis denegare, ima tamen liberaliter largiretur. Nec quia largitur quibuſdam quod minus eſt in externa vocatione, per id cenſendus eſt intendere quod majus eſt, nempe gratiam internam, eam etiam largiturus, *niſi hominis malitia eum beneficentiæ curſum interrumpat.* Quamvis enim non negem homines prioribus & minoribus beneficijs malè utendo, ſe indignos eo ipſo præſtare majoribus, tamen cum etiam imis & minoribus indigni ſint, poteſt Deus pro ſua libertate ſic ima illis indulgere, ut nullam habeat conditionatam intentionem tendendi plus ultra & ad ſumma progrediendi.

Similiter & leges quaſdam] Sed cum illas primùm non tulerit, niſi ſuo tempore abrogandas, eidem conſtanti & immutabili decreto earum abrogatio accepta ferenda eſt, ex quo primùm latæ & conſtitutæ fuerant.

Poſtquam ergo de Sanctitate Dei ſatis videmur dixiſſe; reſtat, ut uſum ejus doctrinæ ſubjiciamus. Primùm autem plurimùm ea res pertinet ad amorem ac venerationem divini numinis in animis noſtris excitandam atque alendam. Etenim vel amare Deum non ſatis poſſemus, vel non ita, uti dignus eſt, venerari, ſi eum aliqua pravitate laborare, aut ulla impuritatis labe contaminatum eſſe crederemus. Crudelitatis certè, iniquitatis, infidelitatis,
fraudulentiæ opinio, omnem erga ipſum ex animis noſtris amorem facilè e- 267
velleret; ſimul autem & ſpem fiduciamque noſtram, quam in ipſo collocamus, perimeret. Hæc enim fide ac veritate Dei nititur.

Deinde ſanctitatis divinæ conſideratio, ut nos quoque ſanctitatem ſummo ſtudio ſectemur, efficit. primò quia convenit ut Deum imitemur, nos præſertim, qui pro filiis ipſius nos gerimus, haberique volumus. (*Eph: 5. 1.*) Unde quemadmodum ſuprà ex parte vidimus, ſacræ literæ nos hortantur, ut ſancti ſimus, ſicut & Deus ſanctus eſt; (*Lev: 11. & 19. & 20. & 1 Pet: 1.*) ut

Digitized by Google

in luce ambulemus, quemadmodum & ipſe in luce eſt: *(1 Ioh: 1. 7.)* ut, purificemus nos ipſos, ſicut ipſe purus eſt. *(ib: c. 3. 3.)* ut, cum ſciamus eum eſſe juſtum, noſimus, eum demum ex eo genitum eſſe, qui juſtitiam faciat. *(ib: c. 2. 29.)* Deinde quia ex tanta Dei ſanctitate facilè cernere eſt, Deum non modò nos ad peccata non impellere, *(Iac: 1. 12, & d.)* ſed contrà ab iis nos penitus abſtractos velle. ſiquidem tanta Dei ſanctitas facit, ut impietatem in aliis vehementer oderit; pietatem contrà, & ob eam etiam homines illi deditos amet, iiſque delectetur. Unde conſequitur, non-niſi hos communionem cum Deo habere, ſempiternâque felicitate potituros eſſe: impios contrà, ni reſipuerint, ipſi perpetuò fore abominabiles, graviſſimaſque pœnas daturos. Pulchra hac de re ſunt Pſaltæ verba, quæ ita in Hebræo leguntur: *(Pſal: 11. 7, 8, 9.) Dominus juſtum probat; & impium,* (ſeu *impium autem,*) *& eum, qui diligit iniquitatem, odit anima ejus. Pluet ſuper impium laqueos, ignem & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum. Quoniam juſtus Dominus, juſtitias diligit; rectum videbunt facies ejus,* hoc eſt, homines probos libenter reſpicit. Sed hac de re plura videbimus ibi, ubi de amore & odio, quo Deus homines proſequatur, agemus. *(inf: cap: 30.)* Quod autem de ſanctitate ac juſtitia Dei in univerſum dicimus, id etiam de ſingulis ejus partibus intelligendum eſt. nempe cum Deus injuriam nemini faciat, nec nos facere debere. cum perſonas non accipiat, nec nos fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti cum perſonarum acceptione habere debere, ut monet Jacobus. *(Iac: 2. 1, & d.)* quod præceptum judicibus inprimis obſervandum eſſe ſac. literæ monent. *(Deut: 19. 15. Lev: 1. 17.)* cùm fidelis ſit, verax, ac ſincerus, nos quoque tales eſſe debere, & porrò ab omni perfidia, mendacio, fraude, hypocriſi quàm longiſſimè abeſſe: & qui contrà fecerint, iis vindicem Dei iram metuendam eſſe. Quò accedit, quòd cum Deum non eſſe proſopolepten audiamus, ſed juſtum judicem, qui ſecundùm uniuſcujuſque opera cuique reddere & velit, & ſoleat; *(Rom: 2. 11, & d. conf: & præced. 1 Pet: 1. 17: add: Deut: 10. 16, & d.)* nobis omnino cogitandum eſt, in timore vitæ noſtræ tempus exigendum, & in bonorum operum ſtudio perſeverandum eſſe, ut coram ipſius tribunali conſiſte-
268. re aliquando poſſimus. Inſignitè etiam illis id expendendum eſt, qui cæteris eminent, ut dominis ac magiſtratibus, ne inferiores injuriâ aliquâ afficiant, cogitantes, ſe in cœlis habere judicem, apud quem nullus ſit perſonarum reſpectus. *(Eph: 6. 9, 10.)*

Tertiò vehementer prodeſt juſtitiæ divinæ conſideratio ad animi modeſtiam, ad obſequii, quod Deo debemus, promtitudinem, & malorum, quæ illius voluntate nobis immittuntur patientiam. Si enim Dei ſententiam juſtiſſimam ſemper eſſe cogitemus, fiet, ut adverſùs eam ne hiſcere quidem ac mutire audeamus; ac porrò mandatis ejus ſine ulla tergiverſatione parendum cen-

dum cenſeamus; quicquid nobis calamitatis impoſuerit, id, ni deprecari poſſimus, æquo animo feramus. ſimiliter autem & in aliis divina judicia factaque reprehendere, aut illius ea iniquitatis inſimulare horreamus; ſcientes, nullam nec nobis, nec cuiquam ulla in re fieri à Deo injuriam. Itaque ſi ſententiæ divinæ æquitatem non ſatis capiamus, de noſtri potiùs judicii, quàm de divini æquitate dubitemus; & ignorantiam potiùs noſtram, aut culpam, ſive noſtram, ſive alienam, quæ ſæpè occulta eſt, non Deum accuſemus. De æquitate mandatorum divinorum vide inprimis Deut. 4. Pſal. 19. & Pſal. 119. De judiciis autem aliiſque ſententiis ac factis divinis, vide inter cætera, quæ apud Ezechielem leguntur cap. 18. & 33. & in libro Jobi non uno loco. adde & illa, quæ medio ferè cap. 9. Rom. extant.

‡ *Itaque ſi ſententiæ*] Quod ſi hujus axiomatis ſatis meminiſſent Sociniani, nollent ad decempedam ſuæ rationis exigere quæ de Myſterio Prædeſtinationis leguntur in Scriptura.

Abutuntur autem divinâ juſtitiâ, vel potiùs ejus rationem non ſatis intelligunt, quicunque arbitrantur, eâ impelli Deum ad quodvis delictum, ſive in eo ipſo, qui id commiſit, ſive in alio, qui vices ejus ſubeat, puniendum. Unde porrò concludunt, neceſſe omnino fuiſſe, ut Chriſtus juſtitiæ divinæ, pœnas omnium peccatorum noſtrorum perſolvendo, pleniſſimè ſatisfaceret. Cum innocentem, qualis vel maximè Chriſtus fuit, punire, tum per ſe juſtitiæ planè adverſetur, tum propterea, quòd etiam divinis decretis atque effatis repugnat. (*Ezech: 18. 20.*) qua de re alibi in hoc opere agetur. (*vid: inf: lib: 5. cap: 22.*) Solent autem illi homines ferè juſtitiam miſericordiæ opponere, & contrarios eis effectus tribuere; juſtitiæ quidem punire, miſericordiæ autem peccata condonare. Cum ſacræ literæ non tantùm alteram alteri non opponant, ſed etiam remiſſionem peccatorum ac juſtificationem noſtram, aliaque miſericordiæ effecta, juſtitiæ divinæ adſcribant. (*Rom: 8. 25, 26. 1 Ioh: 1. 9. 2 Pet: 1. 1. Pſal: 31. 2: 71. 2, 19, & d. 24: 89. 17: 143. 1.*) Nulla enim Dei actio, ſive puniat, ſive pœnam condonet, juſtitiâ vacare poteſt: licèt non ad quamvis actionem juſtitiæ vi impellatur: ſed ad illas tantùm, quæ ſine pravitate omitti non poſſent. quales ſunt eæ, ad quas ſe aliqua ratione obſtrinxit. in quo numero eſt & remiſſio peccatorum reſipiſcentibus propoſita, & alia multa miſericordiæ effecta, quæ Deus vel ante Chriſtum, vel per Chriſtum demum hominibus promiſit. 269.

‡ *Abutuntur autem divinâ*] Illam juſtitiam Dei punitivam & vindicativam, quæ non patiatur peccato impune eſſe. ſatis ſuperque varijs in locis adſtruximus: Tam enim ei repugnat nocentem impunitum abire, quam plecti innocentem, niſi ſe ultrò in nocentium locum ſubſtituerit; prout in victimis quas pro ſe olim peccatores

tores offerebant, legaliter plectebatur quod commiſerant ipſi: quod cum non caperet Ethnicus διςιχόγραφος, dixit

Cùm ſis ipſe nocens moritur cur victima pro te?

Vnde porrò concludunt] Et hanc concluſionem adſtruit univerſa Scriptura, quæ docet, Chriſtum nos pretij Deo exhibiti interpoſitione redemiſſe Matth: xx, 28. 1. Cor: VI, 20. Eph: I, 7. 1. Tim: II, 6. Seipſum obtuliſſe in oblationem propitiatoriam & ſacrificium piaculare pro peccatis Eſa: LIII, 10. Rom: III, 19. 2. Cor: V, 21. Eph: V, 2. Heb: IX, 24. 1. Pet: II, 24. 1. Ioh: II, 2. Peccata noſtra tuliſſe, & propter illa vulneratum, traditum, mortuum fuiſſe Eſa: LIII, 4. 5. Rom: IV, 25. 1. Pet: III, 18. Adeoque omnem pœnam illis debitam pertuliſſe & exhauſiſſe Ioh: I, 28. Sed non eſt hîc locus fuſiùs per hunc campum decurrendi.

Cum innocentem, qualis] Antea tamen pertendebat Crellius Deum *filium ſuum pro peccatoribus morti impendiſſe*, quod fieri non potuit quin ipſorum vice & loco ſubſtitueretur. Nec Chriſtus hanc pœnam ſubijt quà innocens, ſed prout per voluntariam ſuam ſubſtitutionem, fiebat *peccatum pro nobis ut efficeremur juſtitia Dei in eo* 2. Cor: V, 21. Voluit ſummus hîc Iehoſchuah indui noſtris *veſtibus ſordidis*, ideſt noſtrum reatum aſſumere, & ita *ſtare* coram Deo Zach: III, 3. ut poſſemus viceverſâ indui veſtibus illius puris & odoratis, ideſt ejus merito, ſatisfactione & obedientiâ, atque ſic ſtare coram Domino & paternam ejus conſequi benedictionem, ut factum à Iacobo cùm primogeniti ſui odoratas veſtes induiſſet Gen: XXVII, 17. 29.

Etiam divinis decretis] Id falſum eſt. Locus enim Ezech: XVIII, 20. ſpectat ἀκεκβοδίκαιον Legis, juxta quod Caput noxa ſequitur; nec poteſt quis invitus & innocens ſubſtitui in locum nocentis & rei; imò nullus merus homo, cum non ſit Dominus membrorum ſuorum, poteſt pœnam capitalem alteri debitam ejus loco ſuſcipere: Sed id non impedit quominus per ἐπιείκειαν in locum peccatorum ſubſtituatur talis innocens, qui & velit ex ſumma charitate eorum pœnam ſuſtinere, & poſſit ad id, ceu membrorum ſuorum Dominus, quod Chriſtus ſibi tribuit Ioh: X, 18. vitam ſuam oppignerare. Sed de eo plura dicenda erunt *lib.* 5. *cap.* 22. quò nos remittit adverſarius.

Solent autem illi] Hæc vero oppoſitio Miſericordiæ & Iuſtitiæ vindicativæ, nititur ſtylo ordinario Scripturæ: Nam ita opponuntur *vaſa iræ compacta ad interitum, vaſis miſericordiæ quæ* Deus *præparavit ad gloriam* Rom: IX, 22. 23. Ita dicitur *judicium ſine miſericordia futurum ei qui non præſtiterit miſericordiam* Iac: II, 13. Nec dubium quin æquè ſit juſtitiæ vindicativæ peccatum punire Rom: I, 18. 32. 2. Theſſ: I, 6. ac miſericordiæ peccatum remittere & condonare.

Cum ſacræ literæ] Ludit adverſarius in vocabulo Iuſtitiæ: Plerumque enim juſtitiæ Dei adſcribitur remiſſio peccatorum, ſumpto hoc nomine pro juſtitia univerſali, & prout fidem, veritatem ac conſtantiam in promiſſis denotat: quo ſenſu ſuprà volebat ſumi dictum 1. Ioh: I, 9. & ſumi videtur 2. Pet: I, 1. item pleriſque ijs Pſalmorum locis quæ huc voluit congerere, ut Pſal: XXXI, 2. LXXI, 2. 19. LXXIXX, 17. CXLIII, 1. Quamvis hæc omnia loca de remiſſione peccatorum non agant, & Pſal: LXXI, 24. juſtitia Dei punitiva & coercitiva impiorum celebretur. Sed etiam aliquando in negotio remiſſionis peccatorum fit mentio juſtitiæ Divinæ, quatenus illi per ſanguinem Chriſti planè & plenè fuit ſatisfactum, quo maximè pertinet locus Rom: III, 25. 26. & ſuprà inſinuavimus eodem ſpectare locum 1. Ioh: I, 9. Nec ſanè dubium quin Deus juſtitiam illam particularem peccati neceſſariò vindicativam voluerit demonſtrare, cum illum *præſtituit placamentum per fidem in ſanguine ipſius*, ut

Digitized by Google

ſius, ut Paulus loquitur. Et jam ante 1400. annos Origenes, juſtitiam hanc Dei apud Paulum interpretabatur *juſtam peccati vindictam, quâ Deus noluit gratis remittere peccata, ſed pro peccato voluit juſtum pretium ſibi perſolvi*; ut hanc Origenis eſſe interpretationem refert Cornelius à Lapide *ad* 3. *Rom.* 9.176. Quare non repugnat & juſtitiā peccati punitivam opponi utcunque miſericordiæ peccati condonativæ, & tamen ipſam condonationem ac remiſſionem peccati arceſſi etiam à juſtitia Divina, partim ut ſumitur generaliùs pro Dei Fide, Conſtantia, Veritate, imò & Benignitate, eo ſenſu quo illa apud Terentium dicebat viro ſuo, *Meæ ſtultitiæ in juſtitia tua ſit aliquid præſidij*; partim ut ſpecialiùs uſurpatur de juſtitia vindicativa, quam Deus demonſtrat exigendo à Chriſto, in quo remittit nobis noſtra peccata, pœnam eorum.

Sed ad illas tantum] At talis eſt peccatorum punitio & vindicta, quæ à bono Rectore, citra culpam officij ſui neglecti omitti non poteſt. Nec minus Deus ſe obſtrinxit ad peccata ulciſcenda, ſanctione ſuæ Legis, quam ad eadem remittenda reſipiſcentibus & credentibus in Chriſtum, promiſſione Euangelij.

Quæ Deus vel ante] Verum cum *non ſit in alio quoquam ſalus, nec aliud nomen ſub cælo datum hominibus per quod oporteat* eos *ſervari* Act: IV, 12. etiam quæcunque *miſericordiæ effecta* promiſſa fuerunt hominibus ante manifeſtationem Chriſti in carne, *per Chriſtum* tamen promiſſa fuiſſe oportet: nec enim miſeris aditus alius eſt ad Patris miſericordiam, quam per Filium, juxta illud Auguſtini, ipſum ſic loquentem introducentis, *Non eſt quò eas niſi ad me, non eſt quà eas niſi per me*, imò ipſummet Chriſtum dicentem Ioh: XIV, 6. *Ego ſum via, veritas & vita; nemo venit ad Patrem niſi per me.*

CAP. XXVI.

De Beatitudine Dei.

Reſpondente ad hoc & ſequens Caput RODOLPHO CRANS, *Zwollâ-Tranſiſſulano.*

POſtquam de perfectione tum intellectus divini, tum voluntatis propria diximus; ſequitur, ut de ea etiam loquamur, quæ ex omnibus, quæ hucuſque conſideravimus, Dei attributis neceſſariò reſultat. Ea verò eſt Beatitudo Dei. Dicitur autem Deus beatus ab Apoſtolo in priori ad Timotheum Epiſtola, primo & ultimo capite. *(1 Tim: 1. 11: 6. 15.)* primo quidem, dum Evangelium gloriæ ſeu glorioſum beati Dei commemorat; ultimo verò, dum ait, beatum illum ac ſolum Potentem, nempe Deum, oſtenſurum ſuis temporibus Chriſtum, ejúſve illuſtrem apparitionem. Utrobique autem ideo Deum hoc epitheto deſcribere videtur, ut eum non tantùm in ſeipſo beatum intelligamus, ſed etiam beatitatis noſtræ fontem eſſe cogitemus, quam in Evangelio quidem omnibus hominibus obtulit, in adventu autem Jeſu Chriſti piis reipſa largietur. Facilè verò cuivis patet, omnino neceſſarium eſſe, ut Deus ſit beatus. Etſi enim non inter omnes eruditos convenit, quanam in re beatitatis natura ſit collocanda; quamcunque tamen earum ſententiarum receperis, quæ non ſunt ab omnibus jamdudum exploſæ; agnoſ-

cendum tibi erit, non modò beatum Deum, ſed & beatiſſimum eſſe. Sunt qui beatitudinem definiant, ſecretis malis omnibus cumulatam bonorum omnium complexionem, ſeu ſtatum omnium bonorum aggregatione perfectum. (*Cic: Tuſcul lib: 5. Boëth: 4. de Conſol: Philoſ.*) Quamquam bona illa ſunt intelligenda omnia, quæ naturæ cuique intelligenti (in hanc enim ſolam beatitudo cadit) conveniant: ſiquidem alia Deo, alia angelis, alia hominibus conveniunt. Sunt rurſus alii, qui beatitatem in actione naturæ intelligentis optima ac perfectiſſima, eademque maximè ſtabili ac firma, putent conſiſtere. Sunt denique, qui in ea vitæ ſuavitate ſeu voluptate collocent, quæ ſive ex cumulata bonorum aliorum complexione, ſive ex hujuſmodi actione, qualem modò diximus, naſcatur. Et harum quidem ſententiarum aliquam neceſſe eſt veriſſimam eſſe. Quamquam prima & ultima, quatenus hæc beatitatem in ea vitæ ſuavitate collocat, quæ ex cæterorum bonorum
270. omnium conplexione proficiſcatur, populari loquendi conſuetudini, quam ſacræ literæ ſequi ſolent, magis eſt conſentanea; nec altera ab altera multùm diſtat, ſed eódem tandem recidit. Sed quamcunque tandem harum ſententiarum admiſeris, neceſſe eſt, ut Deum beatiſſimum eſſe ſtatuas. Nam ſi primam ſpectes; & ab omni malorum contagione ſecretus eſt Deus; & bona ei adſunt omnia, quæ perfectiſſimæ naturæ intelligenti conveniant. Si alteram; actio intelligenti naturæ conveniens, primò quidem eſt intellectio ac contemplatio; tum actio inde manans, aut operis alicujus effectio. Et contemplatio quidem, quæ & in rebus diviniſſimis cernitur, & liquida claraque eſt, nec ullis errorum nebulis impedita, naturâ ſuâ inſpectâ, non immeritò principem obtinere locum cenſetur: licèt in humanis actio operiſve effectio neceſſitatis cauſſâ illi non rarò ſit prævertenda. Neque enim ſemper quæ per ſe omnium præſtantiſſima ſunt, tractare poſſumus: ſiquidem neceſſitas aliò nos vocat: pluribus autem ſimul intenti eſſe non poſſumus. At in Deo & perpetuò durare poteſt, duratque contemplatio, nec actione, operiſve effectione impeditur, verſaturque circa diviniſſima omnia, quamquam nec aliorum cognitionem excludit, quæ vel ad operum effectionem, vel ad rerum procurationem ac gubernationem faciunt. Eadem autem liquidiſſima eſt ac clariſſima, omnique errore vacat. Si tertiam ex enumeratis ſententiis ſpectes, eâ quoque poſitâ Deum beatiſſimum eſſe, modo dicta evincunt. Siquidem vel ex infinito illo bonorum, quæ Deo inſunt, cumulo, vel ex actione illa præſtantiſſima, quam Deo propriam ac perpetuam eſſe diximus, perennem, nullaque vera dolorum admixtione perturbatam voluptatem manare neceſſe eſt. Jucundiſſimus illi ineſt ſui, ut ita dicam, ſenſus. Nihil ille in ſe, niſi valde bonum atque expetendum invenit; nihil etiam in actionibus ſuis reperit verè pœnitendum. Omnis ab illo abeſt mutationis

tationis

Digitized by Google

rationis in deterius metus; nullus illi timendus eſt hoſtis, qui ipſi nocere aut vim inferre queat: cum, quicunque ipſi adverſantur, toti in ipſius ſint manu, nec quicquam, niſi ipſo ſciente, cogitare, nihil, niſi illo permittente, facere, ac ne loco quidem movere ſe poſſunt; nedum ut Deo, cujus natura vim noxamque omnem repellit, nocere queant.

1 *Omnibus hominibus obtulit*] Imò potius *quibuſvis*; quatenus ſyncategorema *omnes*, non de ſingulis generum, ſed de generibus ſingulorum debet intelligi, ut liquet præſertim ex 1. Tim: 11, 4. Nec interea vitio & fraude caret, quod pijs *reipſâ* demum in adventu Chriſti promiſſam beatitatem conferendam ſtatuit Crellius: quò ſic ab ea excludantur ante diem judicij, & error Thnetopſychitarum magis inſinuetur; cùm tamen eam beatitatem adeptus fuerit latro converſus ſtatim poſt ſuum obitum Luc: XXIII, 43. ut alia prętercam argumenta ex Scripturis huc facientia.

Alia angelis, alia] Imò utrorumque beatitudo, in Dei viſione & fruitione ſita eſt; unde homines beati ἰσάγγελοι dicuntur Luc: xx, 36.

Nullaque vera dolorum] Quin etiam nec apparenti: & ſi quæ loca Scripturæ pœnitentiam, dolorem, aut triſtitiam Deo tribuunt ἀνθρωποπαθῶς, illa debent θεοπρεπῶς intelligi.

Neque verò dictis noſtris quicquam obſtat, quòd multa videat Deus fieri, quæ fieri nollet; quódque ſcriptura eum alicubi ob ſcelera hominum in corde ſuo contriſtatum eſſe, iratum autem ſæpiſſimè teſtetur; non ſemel etiam eum pœnituiſſe conſiliorum quorundam ſuorum referat; alicubi & metum quendam ei adſcribat, ut infrà docebimus, ubi de affectibus ipſi tributis 271.
agemus. Nam quominus illa, ut ita dicam, diſplicentia factorum humanorum, contra voluntatem ipſius ſuſceptorum, beatitudinem ipſius turbet, duo potiſſimùm obſtant: alterum eſt, quòd quicquid hujus eſt, ab immenſa bonorum in ipſo exiſtentium copiâ ac magnitudine obruatur; & non ſecùs ac gutta aquæ ingenti flaminæ adſperſa, abſumatur atque evaneſcat. alterum, quòd ea ipſa, quæ cæteroqui peſſima ſunt, & cum optima Dei voluntate maximè pugnantia, novit Deus ad nominis ſui gloriam, pro ſumma ſua ſapientia ac potentia, convertere. Itaque licèt res ipſæ Deo per ſe ſint ingratæ ac minimè jucundæ; tamen ob finem, in quem ea dirigere ſemper & poteſt & ſolet, ejus, ut ita dicam, voluptati ſervire coguntur. Quòd verò & triſtitia, & ira, & pœnitentia, & metus in ſacris literis eidem adſcribuntur; tum improprietas vocibus ſubeſt, ut inferiùs loco ſuo dicetur; (*cap: 29, & ſeqq.*) tum quicquid illis vocibus ſubeſt, quod cum earum proprietate conſentiat, id ejuſmodi eſt, ut beatitudinem perennemque Dei voluptatem non modò non intercipiat, aut abrumpat, ſed nec revera perturbet, ob cauſſas paulò antè explicatas. Quare ut breviter rem omnem complectamur; nihil quod ad ſummam perfectiſſimamque felicitatem pertineat, Deo deeſt.

Digitized by Google

ſiquidem tum mala ab eo abſunt omnia, nec quicquam ei revera nocere poteſt: tum ex adverſo bona ei adſunt immenſa, ſtabilia ac perpetua. Adde, quòd à nullo planè pendet, nullius opis, ut Apoſtolus in Actis docet, indigus: (*Act: 17. 25.*) cùm ipſe potiùs omnibus omnia ſuppeditet. Quare verè αὐταρκὴς eſt, ac ſeipſo contentus, id quod beati tantùm eſſe, ſapientes docent; habetque in ſe illud, quod in beatiſſimo requiritur, ut, quemadmodum ille ait, (*Cic: in Paradox:*) totus ſit aptus ex ſeſe, atque in ſe uno ſua ponat omnia.

‡ *Quæ fieri nollet*] Quatenus ea damnat & prohibet in verbo ſuo; licet non fiant ſimpliciter ipſo invito: uti fuſiùs docui capite præcedenti.

Eum alibi ob ſcelera] Sed triſtitia, ira, pœnitentia, quę illi ἀνθρωποπαθῶς tribuitur in Scripturis, θεοπρεπῶς eſt intelligenda, ut jam ante monui, & ipſe agnoſcit Crellius.

Alterum eſt quod quicquid] At ſi *diſplicentia* propriè dicta, ut ſonat tædium & animi ægritudinem, caderet in Deum, non poſſet ita obrui magnitudine bonorum quæ poſſidet, quin aliquid delibaret de illius beatitudine, prout *gutta aquæ ingenti flammæ adſperſa*, etiam aliquid & aliquantillum, ſaltem ad momentum, agit in illam.

Alterum quod ea ipſa] Imò hoc unicum hîc ſufficit, quod ea ipſa quæ fiunt contra Dei voluntatem præcipientem, non fiant tamen præter ejus voluntatem decernentem: quatenus permittit ut fiant, & prout ſuam lucem ex tenebris ſolet educere, illa dirigit ad bonum fidem.

His ita breviter explicatis, uſus hujus doctrinæ paucis itidem oſtendendus eſt; quanquam is per ſe facilè cuivis liquet. Nam primùm ad reverentiam numinis majorem in animis noſtris ſive excitandam, ſive fovendam facit, ſi eum beatiſſimum eſſe intelligamus. Minoris enim, quàm par eſt, à nobis fieret Deus, ſi eum miſerum vel jam eſſe, vel eſſe poſſe intelligeremus, & contemtibilior ipſius majeſtas in animis noſtris evaderet. Adde, quòd tantò majoris cogimur ipſius beneficia æſtimare, quantò rectiùs intelligimus, eum ſine nobis beatiſſimum & fuiſſe ſemper, & in omnem ævorum perennitatem eſſe potuiſſe, nullius externæ opis ad perfectiſſimam voluptatem indigum. quin ex uberrimo illo, vel potiùs immenſo beatitudinis divinæ Ocea-
272. no, omnem in nos felicitatem derivari; & quicquid nobis boni evenit, utut maximum ſit, & vota animi noſtri non impleat modò, ſed & ſuperet, id beatitudinis illius inexhauſtæ rivulum tantùm eſſe in nos deductum.

Sed præterea conſideratione beatitatis divinæ ipſa beatitudinis noſtræ ſempiternæ ſpes fulcitur ac ſuſtentatur; quæ protinus concideret, niſi ipſummet Deum perpetuò felicem eſſe ac fore noſſemus. Quis enim ab eo, qui miſer ipſe eſſe poſſit, vel ſaltem non perpetuò felix, certam ſibi ac perennem felicitatem polliceri poſſit? Quare ut ab initio diximus, ideo Deum beatum eſſe prædicat Apoſtolus, ut inde & noſtræ eum beatitudinis fontem eſſe, vel eſſe ſaltem poſſe, intelligamus.

CAP.

Digitized by Google

CAP: XXVII.

De Magnitudine, Immenſitate, & Omnipræſentia Dei.

SUbjungenda nunc eſt doctrina de magnitudine, atque immenſitate, Deo in ſacris literis attributa, quæ ex attributis ſuperiùs explicatis, atque imprimis ex potentia, poteſtate atque imperio, ac ſapientia, veluti reſultat, & ſummam tum ipſorum, tum operum ab illis profectorum amplitudinem ac perfectionem deſignat: quemadmodum patebit, ſi eos ſacrarum literarum locos aliquantò penitiùs inſpicias, quibus magnitudo, aut immenſitas Deo tribuitur. Et quia cum immenſitate aliquo modo cohæret omnipræſentia eidem tributa, de hac etiam nonnihil dicemus.

‡ *Veluti reſultat*] Tantùm abeſt ut ex potentia, poteſtate ac ſapientia Dei, ejus immenſitas reſultet, ut è contrario ejus ſapientia, quâ omnia quæ ſunt perſpectiſſima habet, potentia per quam omnia ſuſtentat, & poteſtas in omnia, in immenſitate ac omnipræſentia quadantenus fundentur & eam præſupponant; nec aliter quam per conſequentiam, tum eorum, tum operum ab illis profectorum, amplitudo & perfectio deſignatur ijs Scripturæ locis quæ de magnitudine & immenſitate Dei directè & propriè agunt.

Aliquo modo cohæret] Imò neceſſariò poſitis Creaturis ex illa reſultat; eò quod propter immenſitatem & infinitatem Dei, nihil fingi poſſit quod diſtet ab ipſo, & cui per conſequens intimè præſens non ſit.

Quod ergo ad magnitudinem attinet; ea Deo ſat frequenter in ſacris literis adſcribitur. Paſſim enim magnus appellatur, ſive ſimpliciter, (*1 Paral: 16. 25. Eſd: 5. 8: Iob: 36. 26, & alibi ſæpè.*) ſive comparatè, ut cùm magnus ſupra omnes Deos dicitur; (*Exod: 18. 11. 2 Par: 2. 5. Pſal: 77. 14.*) aut cum adjectione aliqua, ut cùm magnus Rex, (*Pſal: 37. 3.*) aut Deus (*Deut: 3. 2.*) vocatur; aut cùm genus illius magnitudinis exprimitur, & qua in re cernatur, apertè indicatur. Dicitur enim apud Nahumum (*Nah: 1. 3.*) magnus *fortitudine* ſive *potentiâ*; quod etiam apud Jobum extat, (*Iob: 37. 23.*) ubi ſimul vocatur *magnus judicio, ac multitudine juſtitia*: apud Jeremiam autem (*Ierem: 32. 19.*) *magnus conſilio, & multus* (ſive excellens) *opere*; in quo poſteriore magnitudo potentiæ ipſius comprehenditur. Etenim magnitudinis vox ad Deum relata, ex vulgari loquendi conſuetudine, eminentiam ſeu excellentiam ſignificat, & eam maximè, quæ vel in imperio, vel in potentia, & operibus inde profectis, conſiſtit. Ob quam poſteriorem cauſſam libenter in eodem verborum contextu Deus magnus ſimul & terribilis dicitur. (*Deut: 7. 21: 10. 17. 1 Par: 16. 25. Neh: 1. 5: 4. 14. Pſal: 47. 3: 89. 8. Dan: 9. 4.*) Eſt enim

Digitized by Google

273. Deus terribilis potentiâ atque opere, præſertim ſi iratus vindictam ſumere velit. ſiquidem David ait: (*Pſal: 66. 3.*) *Dicite Deo, quàm terribilia ſunt opera tua, Domine: in multitudine virtutis tuæ* (ſeu *magnitudine potentiæ tuæ*) *mentientur* (hoc eſt, blandientur, & quaſi adulabuntur) *tibi inimici tui.* & iterum: (*ib: verſu 5.*) *Venite & videte opera Dei: terribilis in conſiliis ſuis* (Hebr. *opere*) *ſuper filios hominum.* Nonnunquam autem & magnus & potens & terribilis ſimul appellatur, (*Deut: 10. 17. Nehem: 9. 32. Eccleſ: 43. 31.*) vel ut potentiæ voce magnitudo explicetur, vel ut hujus adjectione illa amplificetur, & magis inculcetur. Mitto alia, quibus itidem ſignificatur, magnitudinem Dei ad potentiam ipſius potiſſimùm referri.

‡ *Aut cum genus illius*] At in ejuſmodi locis non magnitudo & immenſitas Dei per ſe ac directè exprimitur, ſed tantum magnitudo hujus vel illius attributi aut operis Divini.

Eſt autem hæc Dei magnitudo, ut ex iis intelligi poteſt, quæ de potentia ac poteſtate Dei, itemque de Sapientia ejus dicta ſunt, infinita, & incomprehenſibilis. Unde Pſaltes ait: (*Pſal: 145. 3.*) *Magnus Dominus & laudabilis nimis* (Hebr. *valde:*) *& magnitudinis ejus non eſt finis* (Hebr. *inveſtigatio.*) De magnitudine autem potentiæ, & operum admirabilium ab eo perfectorum Pſaltèn loqui, ſatis indicant ſequentia, ubi magnitudinem illam laudare pergit, & aliqua ratione explicat: *Generatio,* inquit, *& generatio laudabit* (Hebr. *Generatio generationi narrabit*) *opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt: magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur,* (Hebr. *decorem gloriæ magnificentiæ tuæ loquar,*) *& mirabilia tua narrabunt: & virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt.* quibus verbis & illa, quæ paulò inferiùs leguntur, aliquo modo reſpondent, cùm ait: *Gloriam regni tui dicent* (*Sancti tui,*) *& potentiam tuam loquentur.* Huc etiam reſpicitur Pſalmo ultimo, (*verſu 2.*) cùm *multitudo magnitudinis* Deo tribuitur, & nos, prout illâ dignum eſt, Deum laudare jubemur. Poſſis ad hanc Dei immenſitatem jure etiam referre illa Jobi verba, quanquam de ſapientia Dei, quam perfectionem appellat, prolata, quæ quidem ita in Hebræo leguntur: (*Iob: 11. 7, 8, 9.*) *Num inveſtigationem Dei invenies? an uſque ad perfectionem omnipotentis invenies? altitudinibus cœli quid facies? profundior eſt inferno, quomodo cognoſces? longior eſt terrâ menſura ejus, & latior mari.* Non de ipſo autem Deo, ſed de re in ipſo exiſtente ſermonem eſſe, nomina & particulæ affixæ fœminini generis in Hebræo indicant. Dicitur enim *profunda* ab inferno, ſeu præ inferno, & *lata* à mari, ſeu præ mari; & cùm menſura ejus commemoratur, particula *ejus* itidem eſt fœminini generis.

‡ *Infinita*

‡ *Infinita & incomprehenſibilis*] Sed quod hic unâ manu dat hæreticus, altera mox eripiet. Quam enim non bonâ fide credant Sociniani infinitatem & immenſitatem eſſentiæ Divinæ, mox apparebit ex ijs quæ venient diſputanda.

De magnitudine autem potentiæ] Sed primùm illa ipſa *ſequentia* quæ urget Crellius, potiùs indicant Davidem tranſire ab immenſitate eſſentiali & magnitudine perfectionis, ad magnitudinem potentiæ, virtutis & operum Dei. Deinde cùm virtus, ſapientia & potentia Divina, ſolâ ratione ab ejus eſſentia diſtinguantur, eò quod in Deo nihil ſit quod non ſit Deus, non poteſt ſapientia, potentia, virtus Dei immenſa & infinita conſtitui, quin eo ipſo eſſentiæ ipſius infinitas & immenſitas adſtruatur. Nec malè Bellarminus *in hunc Pſal.* confert dictum Davidis cum loco Pauli Eph: III, 18. & monet eſſentiam Divinam eſſe magnam *quoad latitudinem, quia eſt immenſa; quoad longitudinem, quia æterna; quoad ſublimitatem, quia altiſſima; quoad profunditatem, quia incomprehenſibilis.*

Huc etiam reſpicitur] Imò *multitudo magnitudinis*, debet complecti magnitudinem eſſentiæ, potentiæ, ſapientiæ, operum. In eo enim eximia eſt ejus magnitudo, quod ſimpliciter & abſolutè, quocunque modo conſideretur, magnus ſit.

Poſſis ad hanc Dei] At quamvis imperveſtigabilis & incomprehenſibilis hoc loco Dei ſapientia ſtatuatur à Tzophare Nahamathite, tamen meritò illius verba ad immenſitatem eſſentiæ Divinæ trahuntur à Theologis, uti etiam factum à Vulgato interprete, quod ſapientia Dei ab ipſius eſſentia nonniſi ratione diſtinguatur, nec poſſit proprietas infinitæ perfectionis, naturæ finitæ convenire. Nec mirum foret ſi ideo Sapientia Dei imperveſtigabilis ſtatueretur, quod ipſemet Deus, ut habet Vulgatus interpres, *ſit excelſior cœlo & profundior inferno, & longior terrâ menſura ejus & latior mari.*

Non de ipſo autem] Infirmum planè argumentum: tum quia nulla res eſt in Deo quæ non ſit ipſe Deus, tum quia *nomina & particulæ fœminini generis in Hebræo*, referuntur ad vocem תכלית *Thaclith*, quæ fœminina eſt, & *perfectionem* ſignificat: ut mens ſit loci, Omnipotentis perfectionem altiorem eſſe cœlo, inferno profundiorẽ, largiorem terrâ & latiorem mari. Illa autem Dei perfectio, non accidentalis eſt, ſed eſſentialis; adeoque infinita cum ſit, eſſentialem immenſitatem ejus comprobat.

Spectatur autem hæc immenſitas magnitudinis divinæ, partim in perfectione, ratione habita gradûs, partim in amplitudine ratione objectorum; quarum illam intenſivam licet appellare, hanc extenſivam. Atque hæc poſterior omnipræſentiam illam in ſe complectitur, aut ex ſe parit, quæ Deo in ſacris literis tribuitur. Quia enim Dei & potentia & ſapientia ad res omnes extenditur, uti & poteſtas ſive imperium; ideo ubique præſens, omniaque numine ſuo complere dicitur. Nam cum in humanis inſpectio non niſi à præſente homine fieri ſoleat, & agentia cum illis, in quæ agunt, aliquo modo jungi neceſſe ſit; inde fit, ut verbis ab homine ad Deum tranſlatis, quæ Deus inſpicit, curat, & circa quæ actio ejus verſatur, illis adeſſe dicatur: quemadmodum & venire, cùm ad opus aliquod, præſertim illuſtre, inter homines perficiendum veluti accedit. (*vid: Pſal: 80. 3: 96. 13: 98. 9: 101. 2: Eſa: 3. 14: 30. 17: 35. 4: 36. 17: 40. 10, & alibi:*) Maximè autem illis adeſſe rebus dicitur 274.

dicitur Deus, quas fovet, ſuſtentat, ac juvat. Hinc orti ſunt diverſi illi præſentiæ divinæ gradus, qui etiam vulgò ab iis explicantur, qui de Deo agunt. Nam generali ſua providentia omnibus adeſt rebus à ſe creatis; & in his inferioribus inprimis homini, qui & cæteris rebus eſt præſtantior, & majori indiget cura atque ope, ac majori quodammodo ſapientia gubernandus eſt. Deinde inter homines ſpecialiori & inſigniori quadam ratione adeſt populo ſuo, (*Levit: 26. 11, 12. Deut: 23. 14. 2 Cor: 6. 16. Gen: 26. 3: 39. 2, 3, 21, 23. Pſal: 145. 18. Eſa: 55. 6.*) & inprimis iis, qui ſunt verè pii: adeò ut ad hunc tam perfectum præſentiæ divinæ modum habito reſpectu, impiis atque à ſe alienis non adeſſe, aut eos, ſi aliquando adfuerit, deſeruiſſe dicatur. (*Num: 14. 42. Ioſ: 7. 12. 1 Sam: 26. 15. 2 Par: 25. 7.*) quamquam & à piis rogatur, ne ab ipſis diſcedat. (*Pſal: 22. 12: 35. 22: 38. 22.*) quin etiam cùm illis præſentem opem non fert, ſed in calamitates aliquas eos vel incidere, vel in iis hærere diutiùs patitur, receſſiſſe ab iis Deus, eóſque dereliquiſſe nonnunquam dicitur. (*Pſal: 10. 1: 22. 1. Mat: 27. 46.*) Quo pacto & homines dicuntur aliis aſſiſtere, aut contrà eos deſerere, cùm vel opem illis ferunt, vel ferre nolunt. Itaque & hîc iterum diverſi ſunt præſentiæ divinæ gradus aut modi, quorum alii latiùs patent, alii anguſtiùs, & alii alios præſtantiâ ſuperant.

‡ *Spectatur autem hæc*] Quod ſi magnitudo eſſentiæ Divinæ debeat conſiderari partim *intenſivè* partim *extenſivè*, prior conſideratio pertinebit ad immenſitatem Dei *abſolutè* ſic dictam, poſterior ad eandem *relativè* conceptam, quæ Vbiquitas, vel Omnipræſentia vulgò dicitur: & cujus reſpectu celebratur illud tritum ſub nomine Triſmegiſti, *Deus eſt ſphæra intellectualis, cujus centrum ubique, circumferentia nuſquam*; de quo & poſtea.

Quia enim Dei &] Imò *Dei & potentia & ſapientia ad res omnes extenditur*, quia per ſuam eſſentiam & præſentiam omnibus rebus intimè adeſt, & *Iovis omnia plena*, ut etiam Ethnicus Poëta agnovit; adeo ut *non ſolum in oculis ejus, ſed & in ſinu vivamus*, teſte ex veteribus Minutio Felice *in Octavio*. Et ſanè cum nihil agat in diſtans, ut agnoſcit ipſe Adverſarius, Deus autem potenter *operetur omnia in omnibus*, I. Cor: XII, 6. neceſſe eſt illum omnibus rebus præſentiſſimum adeſſe. Ideo dicitur Auguſtino *lib. 7. de Civit. Dei cap. 30. implens cœlum & terram præſente potentiâ, non abſente naturâ.*

Nam cum in humanis] Verumenimvero omnipræſentia non convenit Deo ἀνθρωποπαθῶς, ut τὸ *venire, aſcendere, deſcendere*, quæ cum mutationem loci importent, Deo nequeunt propriè convenire, ut pote qui ſtabilis & immotus manens dat cuncta moveri, & in quem nulla ſpecies mutationis cadere poteſt; Sed propriiſſimè quatenus ubique eſt enter, præſenter & potenter, & ut loquitur apud Ieremiam XXIII, 24. *cœlum & terram implet*, nec *longè abeſt ab unoquoque noſtrûm, eo quod in ipſo vivamus & moveamur & ſimus* Act: XVII, 27. 28. Quod ſi daretur aliquod ſpatium quod Deus eſſentiâ ſuâ non repleret, citra confuſionem tamen & permixtionem cum rebus creatis, deberet ejuſmodi ſpatio Deus excludi, & eo ipſo finiri & determinari, quod infinitæ illius perfectioni planè repugnat.

pugnat. Perperam ergo Crellius, τὸ rebus *adeſſe*, & τὸ *venire*, cùm Deo tribuuntur, habet eodem loco: nam iſtud poſterius illi tribuitur tantùm figuratè, quatenus venit Deus citra mutationem loci, cùm extraordinarium aliquod præſtat teſtimonium ſuæ præſentiæ, potentiæ, vel gratiæ; at prius ſenſu proprio debet ſumi, quatenus Deus & nullo includitur loco & nullo excluditur, quod luculenter docet David Pſal: CXXXIX, 7. neque latuit ipſos Ethnicos, quorum unus dixit, *Quò fugis Encelade, quaſcunque acceſſeris oras, Sub Iove ſemper eris.*

Maximè autem] At cum omnia foveat, ſuſtentet, ac juvet, eo ipſo illum omnibus rebus præſentem adeſse oportet.

Hinc orti ſunt] Fateor dari varios gradus præſentiæ Divinæ; Sed primus & communiſſimus is eſt, per quem eſsentiâ & notitiâ & potentiâ ſuâ intimè adeſt omnibus rebus quæ ſunt extra ſe, ut & *nuſquam ſit & ubique ſit*, prout loquitur Chryſoſtomus *in cap. 2. ep. ad Coloſſ.* Reliqui ei ſuperaddi ſoliti, non tam variant communiſſimam hanc & neceſſariam Dei præſentiam, quam illius varios & diſtinctos effectus exprimunt.

Nam generali ſua] Sed eo ipſo quod res omnes creatæ ſubſunt Regimini & Providentiæ Dei, debent jugi & intimo illius concurſu ſuſtentari in ſuo eſſe & in ſuo operari; Nequit autem adeſſe intimè concurſus Dei rebus creatis, ſi ipſe eſſentiâ abfuerit: maximè cum vis illa ineffabilis quam exerit in iſto ſuo concurſu ab ejus eſſentia nec realiter diſtingui, nec ſeparari queat.

A ſe alienis non adeſſe] Quibus Deus non adeſt per favorem & gratiam, adeſt tamen per eſſentiam & potentiam: & dum ſubducit quibuſdam ſuæ præſentiæ effecta favorabilia, per id tamen non eſt cenſendus loco diſcedere ab illis, aut præſentiam ſuam eſſentialem ipſis auferre. Non illicò putandum ſolem noſtrum deſeruiſſe horizontem, ſi vel per corporis lunaris interpoſitionem eclipſim pati videatur, vel per interpoſitas nubes ejus radijs & jucundo aſpectu fruſtremur.

Inter cæteros autem, qui piis hominibus mortalem hîc vitam agentibus vel eſt, vel eſſe poteſt communis, is eſt omnium præſtantiſſimus, cùm per Spiritum ſanctum in quopiam habitat, & cum eo, ut pater cum filio, intimo charitatis affectu jungitur, de quo ſacræ literæ non uno loco diſſerunt. (*1 Cor: 3. 16: 14. 25. Eph: 2. 22: 4. 6. 1 Ioh: 3. 24: & c. 4. 13.*) Denique perfectiſſima ratione Deus Chriſto ipſi olim adfuit, & in ipſo, licèt in terris degente, habitavit; de quo præſentiæ gradu loquitur Chriſtus, cùm ait, Patrem in ſe, & ſe in Patre eſſe, idque ex operibus ſuis ac dictis vult agnoſci. qua de re vide Johannem cap. 10. & 14. (*cap: 10. 38: 14. 10, 12.*) adde etiam verba Petri Act. 2. & 10. (*Act: 2. 22, 24. & 10. 38.*) Neque enim nunc vel locus eſt, vel animus iſta explicandi; quæ ideò tantùm attigimus, ut quæ de generali illo 275.
præſentiæ divinæ modo, & omnibus rebus creatis communis diximus, tantò faciliùs intelligerentur.

‡ *Vel eſſe poteſt*] Imò neceſſariò communis eſt omnibus pijs: cum nulla pietas vel actualis vel habitualis poſſit cuiquam ineſſe, abſque gratia, præſentia, & operatione Spiritus Sancti, quâ homo πνευματικὸς à ψυχικῷ diſtinguitur 1. Cor: 11, 12. 13. 14. 15. 16.

Denique perfectiſſima] Ergo in Chriſto

Digitized by Google

Immanuele noſtro longè ſpecialiori modo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* Col: II, 9. quam quo pij quilibet *Dei templum* ſtatuuntur, ipſeque in illis *inhabitare & inambulare* dicitur 2. Cor: VI, 16. Nec poteſt alius concipi modus Divinæ illius habitationis in Chriſto, diſtinctus ab habitatione per gratiam & Spiritũ Sanctum, quam hypoſtaticus per incarnationem, quâ λόγος *caro factus eſt & habitavit inter nos* Ioh: I, 14. qui demùm longè ſuperior eſt & perfectior *præſtantiſſimo* cæteroquin illo præſentiæ Divinæ gradu & modo qui *pijs* hominibus communis eſt.

De quo præſentiæ] Sanè cum Chriſtus ait *Patrem in ſe & ſe in Patre eſſe*, idque vult colligi à poſteriori per opera ſua, Divinæ omninò potentiæ, ſuam cum Patre conſubſtantialitatem luculenter comprobat, adeoque & id ipſum quod habet Ioh: X, 30. *Ego & Pater unum ſumus.* Illa enim ἐμπεριχώρησις & reciproca inhabitatio Filij in Patre, & Patris in Filio, propter quam qui vidit Filium Patrem vidit, cujus perſonæ *character* eſt & *ſplendor gloriæ* illius Heb: I, 3. ſolis perſonis Divinis, in una ſingulari eſſentia convenientibus propria eſt; unde fit ut nunquam talis reciprocatio mutuæ inhabitationis per circuminceſſionem, (ut illam Græcorum ἐμπεριχώρησιν Scholaſtici Latini ſunt interpretati) inter Deum & perſonam aliquam creatam, in Scripturis commemoretur.

Adde etiam verba] Quamvis hæc Petri verba de eodem Chriſto uſurpentur, non tamen ſunt exegetica præcedentium verborum ipſiuſmet Chriſti, aut eodem modo & reſpectu illi conveniunt: Si enim conſideretur quà λόγος, ut filius Dei unigenitus & proprius, ipſe erat imago Dei inviſibilis, eouſque Patri ὁμοούσιος, ut ipſe eſſet in Patre & Pater in ipſo; at ſi conſideretur quà homo & Miniſter circumciſionis, merito dicitur Petro Act: II, 22. 24. fuiſſe *Vir à Deo approbatus virtutibus, prodigijs, & ſignis quæ fecit*, & quod Deus *ſuſcitavit* ipſum *ſolutis doloribus mortis.* Sed quemadmodum ſigna illa & prodigia quibus Chriſtus tempore carnis ſuæ inclaruit, in genere conſiderata, Divinam illius approbationem & vocationem comprobabant, ita eo quod fierent propriâ ipſius virtute, (ſecus ac prodigia & ſigna Moſis & Prophetarum, quæ faciebant non ſuâ propriâ virtute, ſed nomine & virtute Dei; nec principaliter, ſed tantum inſtrumentaliter, idque non phyſicè, ſed moraliter duntaxat, ad illorum productionem concurrebant:) ejus Divinitatem & naturæ identitatem cum Patre evidenter adſtruebant. Sic autem Petrus eò loci quæ ſunt hominis in Chriſto commemorat, ut non obſcurè ejus divinitatem inſinuet, cùm addit com. 24. *impoſſibile* fuiſſe illum à morte detineri; quod illi demum convenire poteſt qui *habet vitam in ſeipſo* Ioh: V, 26. penes quem eſt *fons vitæ* Pſal: XXXVI, 10. & qui eſt ipſiſſima *reſurrectio & vita* Ioh: XI, 25. In alio autem Petri dicto Act: X, 38. ita Chriſtus dicitur fuiſſe *unctus* à Deo *Spiritu Sancto & virtute*, & beneficentiâ ac multiplici ſanatione inclaruiſse, ut ex utroq; colligeretur ὅτι θεὸς ἦν μετ' αὐτοῦ, *quod Deus erat cum illo*; non utique communi eo modo, quo fuerat olim cum Moſe, Gedeone, Samſone, Davide & ſimilibus, ſed longè ſpecialiori, & proprio ſoli Meſſiæ qui & inde Immanuel appellatur Matth: I, 23.

Quæ ideo tantum] Imò hac vafritie utitur Crellius, ut quoties ſe offert ulla occaſio, Theomachiam ſuam exerceat, & ex indirecto ſaltem impugnet æternam Chriſti divinitatem, eumque redigat in cenſum reliquorum hominum.

De generali autem illo divinæ præſentiæ modo loquitur David loco ſuperiùs citato, cum de Omniſcientia divina ageremus, qui quidem extat Pſalmo 139. (*verſu 7, & d.*)

Digitized by Google

(verſu 7, & d.) illic inprimis, ubi ait: *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades: ſi ſumſero alas auroræ, & habitavero in extremis maris, etiam illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* In quibus Dei tum ſcientia, tum efficacia, quam ſpiritûs, manûs, & dexteræ nomine complectitur, nullo loco excludi, ſed ad omnia penetrare ac pertingere dicitur. quò docuimus etiam illa Dei apud Jeremiam verba pertinere, quibus aſſerit, *ſe cœlum & terram implere*, (*Ierem: 23.24.*) quemadmodum & alii viri doctiſſimi animadverterunt, (*Auguſtin: Steuchus, Ioh: Calvinus, Mart: Bucerus, Phil: Marnixius.*) qui noluerunt illa, ſive Davidis, ſive Jeremiæ verba, de infinitate eſſentiæ divinæ, & per loca reſque omnes diffuſione accipi. alii, licèt hoc etiam fieri poſſe crediderint, ita tamen, ut modò diximus, accipi poſſe ſtatuerunt. in qua ſententia non poſtremi nominis Scholaſtici fuerunt. De eſſentiæ autem divinæ per omnia diffuſione Jeremiæ verba non loqui, illa ſunt indicio, quæ ibidem præcedunt: *Putáſne Deus è vicino ego ſum, dicit Dominus, & non Deus de longè?* quibus verbis docet, ſe non eſſe ejuſmodi Deum, qui è vicino tantùm cernere, aut operari, & vel juvare, vel punire queat; ſed talem, qui è longinquo etiam omnia præſtare poſſit. quæ oratio ejus non eſt, qui ſignificare vult, ſe eſſentiæ ac perſonæ ſuæ ratione habita omnibus rebus præſentem adeſſe.

‡ *In quibus Dei tum*] At cùm ſcientia & efficacia Dei, inſeparabilis ſit ab illius eſſentia, hæc eo ipſo, *nullo loco excludi, ſed ad omnia penetrare ac pertingere dicitur.* Quin Davidi nullus occurrit locus, in quo Deus non ſit: nec enim efficaciæ tantum aut potentiæ & ſcientiæ Divinæ meminit, ſed tum *Spiritus* Dei, tum *faciei* ejus, tum ipſiuſmet *Numinis*, dicendo, *Ades, Illic es*: prout & idem dicitur Eſa: XL, 22. *inſidere ambitui terræ, & cœlos extendere.*

Quò docuimus etiam] Imò ibi Deus de ſeipſo disertè loquitur, non de aliquo duntaxat ſui attributo, cum ait, *An Deus è propinquo ſum ego, dictum Iehovæ? ac non Deus è longinquo? An delitescere poteſt quiſquam in latebris, ut ego non videam ipſum dictum Iehovæ? annon cœlos & terra EGO impleo, dictum Iehovæ.* Vbi videmus perſpicuè probari ideo neminem poſſe abſcondi Deo, quod ſit ubique præſens, & repleat cœlum & terram; ac ſi diceret, Theodoreto Paraphraſte, *Si ubique præſens ſum, quo pacto arbitrantur homines ignorare me quippiam eorum quæ geruntur?*

Quemadmodum & alij] Auguſtini Steuchi authoritate parum movemur, ut porte cujus, licet Itali Natione, communionis Romanæ Religione, & Dignitate Epiſcopi, opera accenſentur libris prohibitis ſecundæ Claſſis ab ipſis Inquiſitoribus Romanis, tum in indice addi ſolito Concilio Tridentino, tum maximè & fuſiùs in Indice Expurgatorio edito Madriti anno 1612. Quàm Calvinum perperam eò traxerit Vorſtius, oſtenſum fuit à Matthæo Slado Anglo-Britanno in ſua *diſceptatione cum Vorſtio, part. 1. cap. 1. §. 64. 65. 66. 67. 68.* Is ſanè *ad Ieremiam 23.* & *in Pſal. 139.* ſic negat utrumque dictum reſtringendum eſſe ad theoreticum illud dogma de infinitate & omnipræſentia eſſentiæ Divinæ, cum potiùs deſtinetur ad praxim pietatis, quò cogitemus nos ſemper ver-

Digitized by Google

per verſari ſub oculis Dei, ut tamen illam immenſitatem & omnipræſentiam ſubſtantialem Dei propugnet & conceptis verbis *verum* ſtatuat, *extendi eſſentiam Dei per cœlum & terram ut eſt infinita*; Quin ad id ipſum, citat hunc locum Ieremiæ, tum *ad Ierem. 51. v. 18.* tum *in Act. 7. v. 47.* Bucero injuriam fecit Vorſtius, *in App. 1. Reſponſ. ſuæ ad Sladum §. 103.* cùm id tantum habeat Bucerus *in Pſal. 139. 10. Canit præſentem eſſe ubique Spiritu, virtuteque ſuâ Deum*: quibus verbis fruſtrà finxit Vorſtius ineſſe *tacitam antitheſim, virtutis & ſubſtantiæ*; cum è contrario poſſit dici Bucerum hinc præſentiam Dei & ſubſtantialem & virtualem comprobare, quod Deum faciat ubique præſentem & *Spiritu & virtute*. Marnixius quidem in Epiſtola ſua ad Bezam *quæ 6. eſt inter epiſt. Bezæ*, ſcrupulum ſibi & Eccleſijs Belgij eximi vult circa dogma Sebaſtiani Franci, ex Michaele Serveto hauſtum & à Libertinis & Enthuſiaſtis adoptatum, de omnium rerum Deificatione propter eſſentialem Dei præſentiam, quatenus vir admodum tunc juvenis, non videbat quî hac poſitâ, quam agnoſcit veteres etiam Theologos propugnaſſe, & Didymum & Baſilium & aliquot præterea alios *Spiritus S. Divinitatem* inde collegiſſe, illa ſatis dextrè & commodè poſſet refutari. Sed Beza in ſua reſponſione, eum ſufficienter & plenè, hac in parte edocuit: Nec pigebit verba illius hîc adſcribere: *Cæterùm quod ad illam quæſtionem attinet de præſentia Dei, reperies illam verè ſimul & eruditè apud Auguſtinum multis locis explicatam, & quomodo Libertini perverſè illam explicent, D. Calvinus noſter, copioſè adverſus illos expoſuit. Dicam autem paucis quod res eſt: Deum immenſum infinitum eſſe, nemo unquam niſi communis ſenſus expers dubitavit. Cœlum & terram impleo, dicit Dominus apud Ieremiam: Et David, Quo fugiam (inquit) à facie tua? Et quum Deus ſit Iehova, ubicunque eſt, (ideſt, ubique) eſſentialiter eum eſſe, neceſſe eſt fateamur. Sit hoc igitur extra controverſiam: Sed longè aliud fuit Serveti delirium, quod cum Manichæis habuit commune, ut qui ſic exiſtimaverit Deum eſſe eſſentialiter in omnibus, ut eſſet omnium pars eſſentialis; quod ita eſt ridiculum, ut ne refutatione quidem egeat, & ita execrandum, ut ne cogitari quidem ſine flagitio poſſit. Sic enim omnia continet Deus ut à nullo contineatur; neque in hac præſentia concipi poteſt aut debet vel ullum loci ſpatium, vel quicquam ejuſmodi quod finitis & creatis ſubſtantijs competat: Multo minus autem imaginandum eum rebus commiſceri, aut earum partem fieri, cum ſit prorſus immutabilis, nec quicquam ejuſmodi ferat ipſius natura.* Et paullò poſt; *Sit igitur hoc apud te certiſſimum, Dei eſſentiam ubique eſſe eſſentialiter, non tamen ullis locorum ſpatijs terminatam, neque ut rerum partem, ut quæ ſit infinitiſſima; τὸν λόγον autem præterea peculiari modo cum aſſumpta illa carne, ideſt humana natura hypoſtaticè eſſe unitum. Qui enim hæc non tenet nec Deum, nec Chriſtum tenet.* Et poſtea; *Non rectè autem putas veteres longiùs quam par eſſet realem Divinæ eſſentiæ præſentiam extendiſſe, quùm Spiritus Sancti Divinitatem inde collegerunt. Imò verè & aptè ſunt ita argumentati, quoniam ubique eſſe, ac proinde nullo loco comprehendi, ſic eſt Deitatis proprium, ut uni ſolique Deo ſemper conveniat, ut qui ſolus ſit infinitus.* Hæc prolixiùs paullò referre volui ex Beza Marnixium ceu Diſcipulum ſuum informante, & in quibus hic poſtea proculdubio acquievit, quo conſtet quam iniquè Vorſtius & ex illo Crellius, illum voluerit in ſuas partes pertrahere. Imò qui legerit ejuſdem Marnixij *tractatum de Sacra Cœna, partis 4. cap. 8.* videbit eum penitùs admiſiſſe hanc veritatem; nam ibi diſputat *realem & ſubſtantialem* multipræſentiam ac omnipræſentiam ſoli *infinitæ eſſentiæ Divinæ* competere; *adeo ut optimo jure maxima pars veterum probaverit divinitatem Spiritus S. hoc argumento, ceu ratione omninò irrefragabili & invincibili, ſcilicet quod ſimul & eodem tempore, fuerit in diverſis locis. Optimè enim* (inquit) *conſiderabant, quod ſit impoſſibile alicui eſſe ſimul diverſis in locis & eodem*

tempore,

Digitized by Google

tempore, quin ſit infinitus, ideſt quin ſit Deus: & ad marginem laudat Auguſtinum, Ambroſium, Didymum, Cyrillum, Hieronymum, Caſſiodorum, Vigilium, & plures alios.

Non poſtremi nominis] Impoſuit Vorſtius Crellio hac in parte: nam Scholaſtici potiùs ſolliciti fuerunt de argumentis probativis immenſitatis ac omnipræſentiæ Dei eſſentialis, & illius fundamento, quam de ipſamet, ut videre eſt apud Suarezium *tom.* 2. *Metaph. Diſput.* 30. *ſect.* 7. & Puteanum *in* 1. *Th. q.* 8. *dubit.* 2. Si Pontificiæ communionis Doctores Scholaſticos & alios conſulamus, haud difficile erit negotium conficere: Becanus, his ipſis argumentis & Scripturæ teſtimonijs ex profeſſo refutat Vorſtium *Theol. Schol. p.* 1. *cap.* 6. *q.* 1. Lombardus Scholaſticorum parens *lib.* 1. *diſt.* 37. ita pertendit *lit.* F. non poſse *intelligi ab humano ſenſu quomodo Deus totus ubique ſit per eſſentiam*, citato ad id Chryſoſtomo dicente, *Quod ubique Deus eſt ſcimus & dicimus, quomodo autem ubique ſit intellectu non capimus*, ut rem ipſam ponat extra omne dubium, ſtatim initio illius diſtinctionis; *Sciendum eſt* (inquit) *quod Deus incommutabiliter ſemper in ſe exiſtens, præſentialiter, potentialiter, eſſentialiter, eſt in omni natura, ſive eſſentia, ſine ſui definitione; & in omni loco ſine circumſcriptione; & in omni tempore ſine mutabilitate.* Pſalcis & Ieremiæ dicta quod attinet, non aliter vulgus interpretum intelligit in communione Romana. Bellarminus *in Pſal.* 138. *ſive* 139. *juxta Heb. com.* 6. *& ſeq.* ſic loquitur; *Addit aliud argumentum ad probandum neminem eſſe qui poſſet latere ſcientiam Dei, quia videlicet Deus ubique eſt & omnia penetrat.* Et Cornelius à Lapide *in Ier.* 23. 23. ſic introducit Deum loquentem, *Vbique præſens ſum; ubique vicinus per præſentiam, inſpectionem, potentiam, imò & per eſſentiam: quia cælum & terram ego impleo; ita* (inquit) *S. Hieron. Raban. Theodor. Lyran. Sic David pulchrè Dei omni in loco præſentiam deſcribit Pſal.* 138. 7. *& Amos c.* 9. *v.* 2. *Sic & Virgilius eclog.* 3. *canit, Iovis omnia plena: & Lucanus lib.* 3.

Eſt quæ Dei ſedes niſi terra & pontus & aer?
Eſt cælum et verſus ſuperos, quid quærimus ultra?
Iupiter eſt quodcunque vides, quocunque moveris.

Et Thales dixit omnia eſſe plena Deorum: *atque Heraclitus invitabat amicos ad humilem ſuam domum, Quia (inquit) neque huic loco deſunt dij immortales, uti refert Ariſtot: lib.* 1. *de part. anim. c. ult.*

De eſſentia autem] Equidem nuſquam Deo tribuitur ejuſmodi *diffuſio per omnia*, quæ debeat concipi per modum extenſionis quantitativæ; cùm ſit Deus immaterialis & impartibilis, æquè magnus ſine quantitate, ac bonus ſine qualitate; ſed Ieremiam loqui tamen de actuali & ſubſtantiali Dei omnipræſentia, ex qua velit colligi nihil eſſe quod ipſum lateat, quæ ſuprà diximus ſatis evincunt: Vnde etiam ex verſione Græca ita refertur hic locus apud Euſebium *lib.* 7. *de Præpar. Evang. cap.* 4. *Deus appropinquans ego ſum, dicit Dominus, & Deus de longè. Quid faciet occultè homo quod non cognoſcam? nonne cælum & terram ego impleo?* Et illud *ego impleo*, non aliter poteſt hìc intelligi quam de repletione ſubſtantiali, juxta quam Philoſophi diſtinguunt ubi circumſcriptivum, quod eſt corporum, tum à definitivo Angelorum, tum à repletivo Dei: Inter eos vero Sennertus eleganter docet *lib.* 1. *nat. ſcientiæ cap.* 5. quid ſit diſcriminis inter *occupare* & *replere*, ut illud ſit corporeæ molis, hoc vero rerum incorporearum, adeo ut *quò res magis à dimenſionibus, materia & corporea mole eſt libera, eò magis replet:* Hinc, inquit, *videmus ſonum majus ſpatium replere quam odorem; majus hoc colores; majus adhuc ignis lumen, et hoc etiam majus cæleſtium corporum lumen: Denique* Deus *Optimus Maximus, infinitè ab omnibus dimenſionibus atque omni materia liber, in infinitum omnia replet; imo eſt ipſa infinita plenitudo, nulli rei abſens, à nulla excluſus, nulli incluſus vel permixtus, ſed*

mixtus, ſed in mundo hoc ubique totus, et extra mundum hunc itidem ubique totus exiſtens: Quamvis enim omnibus adeſt, non tamen aliud et aliud (ut ita dicam) replentiæ et plenitudinis, alij et alij rei adeſt, ſed omnibus totus. Mundus denique hic in atomo ſeu centro ejus plenitudinis factus eſt. Quam autem non obſit huic noſtræ explicationi de eſſentiali Dei præſentia, particula quam urget Crellius, *Putaſne Deus è vicino ego ſum, dicit Dominus, et non Deus de longè?* patet ex antè dictis: Si enim retineatur verſio Græca ut extat apud Euſebium, utrumque Deus ſibi videbitur tribuere, & longinquitatem, quod inhabitet *lucem inacceſſam* 1. Tim: vi, 16. & propinquitatem, quod *non procul ab unoquoque noſtrûm exiſtat* Act: xvii, 27. prout etiam interpretes Belgæ monent ad Ieremiæ verba Deum utrumque ſibi vindicare, quod ſit Deus & vicinus ſive è propinquo, & è longinquo ſive remotus. Quin ceſſante interrogatione, hoc poſterius potiſſimum diceret, ut etiam exprimitur in ea quæ nunc extat Græca interpretatione, & quam ſequitur Theodoretus, quæ ita ſonat, *Deus enim propinquus ego ſum, et non Deus è longinquo.* Sed dato quod Deus profiteatur ſe Deum eſſe de longè, non de vicino, primò hoc poſſet intelligi juxta eorum mentem quibuſcum agit, qui cœlo Deum includentes, arbitrabantur ipſum ex loco tam diſſito nec videre quæ fierent in terris, nec illis providere, quod & ſatis palam præ ſe ferunt impij Pſal: xciv, 7. ac ſi diceret, Etiam ex illo loco à vobis tantopere remoto, poſſum perſpicere occultiſſima veſtra: Quod etiam Lyranus obſervavit his verbis; *Hoc non inducitur* (inquit) *ad excludendam Dei præſentiam ubique, ſed ad excludendam doctrinam falſam aliquorum ſacerdotum qui dicebant Dei Providentiam attingere tantum ad ſuperiora et non ad iſta inferiora; qui error incœpit à tempore Sancti Iob; unde in perſona ſic errantium dicitur Iob. 22. 14. Circa cardines cœli perambulat, nec noſtra conſiderat.* Secundò, totum id poſſet ſumi, ut factum à Vatablo & Caſtallione, de longinquitate non loci ſed temporis, id eſt de ipſius Dei duratione & æternitate. Hinc Vatablus ad illud, *Annon Deus de propinquo, inquit Dominus, et non Deus de longinquo?* ita annotat, *Sub. tempore; numquid ſum Deus novitius et recens, et non potius Deus æternus? q. d. Non ſum ſimilis Idolis nuper inventis; Gallicè nouvellement forgés.* Et certè Idola recentia & novitia dicuntur Deut: xxxii, 11. eadem adhibitâ voce מקרוב *Mikarob*, quæ extat apud Jeremiam, quâ Deus ſe negat eſſe *de propinquo.* Caſtallio vero ita reddit hanc pericopam; *Recens-ne Deus ego, inquit Iova; ac non Deus longinquus?* & illud *longinquus* ſic explicat in margine; *antiquus, et cujus omnium rerum cognitio et majeſtas, vobis nota eſſe debeat.* Favet huic interpretationi Chaldæus interpres qui ſic habet, *Ego orbem creavi à principio, ego in fine eum renovabo.* Imò & Emanuel Sà interpretationem eandem ſequutus eſt. Tertiò tantum abeſt ut Deus ſe loco diſſitum & longinquum faciat quoad præſentiam ſubſtantialem & eſſentialem, quocunque demum ſenſu illa pericopa ſumatur, ut è contrario hanc adſtruat verbis ſequentibus cum ait, *Ego impleo cœlum et terram.* Prout in oramate Eſaiæ vi, 1. viſus eſt illi Iehova *inſidens ſolio celſo et elato, ſic ut fimbriæ ejus replerent templum*, quo ita ſignificaretur eſſentiæ & majeſtatis Divinæ immenſitas, cujus vel extremæ fimbriæ ſufficiunt replendo Templo Vniverſi.

Idem autem, quod duobus illis ſcripturæ locis intelligi diximus, ſignificat & Salomon, cùm ita Deum alloquitur: (*3 Reg: 8. 27.*) *Ergóne putandum eſt verè,* (Hebr. *verúmne eſt,*) *quòd Deus habitet ſuper terram? Ecce cœlum & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quantò magis domus hæc, quam ædificavi?* ſcilicet te non capiet.

capiet. de immenſitate nimirum Dei, ratione efficaciæ, ſcientiæ, ac providentiæ loquitur. Nam cum templum id demum ſit, in quo numen habitet, ſaltem virtute ac providentiâ ſuâ, quâ fiat, ut iſtic ſeſe adorantes benignè reſpiciat, & opem ſuam implorantes exaudiat; videri poterat Salomon, extructo templo, in quo uno Deus optimus maximus perpetuò ſolennibus ritibus colendus eſſet, ejus virtutem & providentiam ei loco quodammodo includere voluiſſe. Itaque ut huic rei occurrat, & longè auguſtiùs ſe de Deo ſentire doceat, affirmat, eum, ratione nimirum virtutis ac providentiæ, ne ab ampliſſimis quidem cœlorum omnium ſpaciis comprehendi, nedum ut ejus, quod extruxerat, templi anguſtiis concludi poſſit. Interim tamen 276.
peculiari quadam ratione eum templo illi cupit eſſe intentum, & in eo ſingularem providentiæ ſuæ vim exſerere, ut ex ſequentibus intelligitur.

‡ *Idem autem, quod*] Revera idem hoc tertio loco Scripturę docemur quod duobus præcedentibus, videlicet Deum ita eſſe immenſum, ut ejus præſentia eſſentialis, nequidem ſummo cœlo, nedum Templo Ieroſolymitano includatur.

De immenſitate nimirum] Imò potiſſimum ratione eſsentiæ & ſubſtantialis præſentiæ: Vult enim Salomon oſtendere ſe ædificando Templum hoc Deo procul fuiſse ab errore eo quem Xerxes ibat in Græcis vindicatum, qui videlicet arbitrabantur, ſe numina ſua ita præſentia quoad eſsentiam, in Templis quæ illis conſtruxerant, conſtricta tenere, ut nuſquam certiùs quærerentur, vel infallibiliùs reperirentur: Hunc ipſum errorem carpit Apoſtolus in Gentilibus Act: XVII, 24. dum negat Deum in *Templis manufactis habitare*; non quò neget Dei Providentiam & virtutem ad Templa Nomini ſuo legitimè extructa extendi; cùm, fatentibus adverſarijs, virtualis Dei omni præſentia extra controverſiam ſemper fuerit; ſed quò affirmet Dei eſsentiam & præſentiam ſubſtantialem nullo loco vel Templo includi poſse. Ergo Salomon oſtendit ſe *extructo templo*, noluiſse præſentiam Dei eſsentialem *ei loco includere*, quam nequidem cœli cœlorum capiant, ſed tantum optaſse, ut favoris ſui præſentiam ibi ſpeciatim explicaret: Cùm itaque negat Deum habitare *ſuper terram*, non abrogat terræ præſentiam Dei eſsentialem, ſed tantum negat eam ullo loco in terra includi poſse: Nec poteſt de Dei *Virtute et Providentia*, ſed demum de illius eſsentia intelligi, quod dicitur à Salomone, *Ecce cœlum et cœli cœlorum* TE *capere non poſsunt*: Nam Dei virtus, efficacia, & operatio potens ultra cœlos cœlorum actu non extenditur, cùm extra illos nulla ſit Creatura in quam agat, & quam regat ſuâ Providentiâ, imò nullum ubi vel ſpatium, in quo ad extra operetur; ſed cum Dei eſsentia ceu infinita, ambitu cœli extimi, quod finitum eſt, non contineatur, merito dicitur Deo quod cœli cœlorum non capiant ipſum: Itaque *per hoc* Salomon, ut benè monet Lyranus, *excludit errorem illorum qui putaverunt Deum habere formam corporalem* & finitam.

Non longè ab his abeunt illa Dei apud Eſaiam verba: (*Eſa: 66.1.*) *Cœlum ſedes mea* (ſeu *ſolium meum*,) *terra autem ſcabellum pedum meorum, quæ eſt iſta domus, quam ædificabitis mihi? & quis eſt iſte locus quietis meæ?* Ut enim magnitudinem atque amplitudinem potentiæ, imperii, & providentiæ ſuæ exprimat, quâ in

Digitized by Google

quâ in cœlis reſidens, etiam ad terrena pertingat, ſibi tantam ſtaturæ molem per metaphoram tribuit, ut in cœlis tanquam ſolio ſedens, pedibus terram ſibi ſubjectam contingat. Regibus longas dicimus eſſe manus, quia illorum potentia longè protendatur. Non abſimili ratione ſtaturam corporis tam grandem, atque adeò immenſam ſibi tribuit Deus. Quia verò in cœlo reſidere paſſim dicitur, cui terra & loci & dignitatis ratione ſubjecta eſt; ut ad hanc etiam ſuam potentiam, imperium, ac providentiam protendi oſtendat, eam ſcabellum vocat, ad quod pedes ipſius porrigantur, & cui veluti inſiſtant.

‡ *Non longè ab his*] Nempè Deus per Eſaiam oſtendit ſe eſſentiæ infinitæ, nullo loco includi, nullo excludi poſſe; (quod etiam ex Iudæis agnoſcit Mæmonides, in *More Nevochim lib. 1. cap. 9*) adeoque fruſtra Iudæos cenſuiſſe Deum Templi Hieroſolymitani muris retinere, nec auguſtius palatium illum inhabitare poſſe.

Vt enim amplitudinem] Non tam hic agit de Potentia, Imperio & Providentia ſua, cùm Iudæi, quos carpit, non negarent Potentiam & Providentiam Dei ultra Templum Ieroſolymitanum ſe extendere, quam de ſua præſentia eſſentiali, quam homines iſti Anthropomorphitæ Templo ſuo perperam illigabant.

Regibus longas] At nec Dei potentia poteſt ab illius eſsentia ſeparari; Et Reges illam ſuam potentiam nequeunt exercere in diſtans, niſi per ſubjecta ſibi media, quod indigentiæ & virtutis finitæ eſt: ſed Deus, nullius rei indigus, & ſimpliciter infinitus, omnia in omnibus operatur immediatè, immediatione, uti Scholæ loquuntur, & virtutis & ſuppoſiti; cùm ipſius virtus ab eo ſeparabilis non ſit.

Non abſimili] Staturam talem ſibi tribuit Deus ἀνθρωποπαθῶς, non tantum quoad potentiam, ſed etiam quoad eſsentiam, quatenus ubique præſens eſt, ut ubique poſſit præſenter operari: Regibus longæ ſunt manus, quod etiam ubi non ſunt per ſuos miniſtros & ſubditos poſſint agere: at longæ ſunt manus Deo, quod ubique cùm ſit, ubique etiam poſſe agere pro lubitu.

Quia vero in cœlo] Dicitur in cœlo reſidere, non quò ejus præſentia eſsentialis cœlo includatur, ſed quò cœlo aſſignetur ſpecialis ſedes majeſtatis & gloriæ ſuæ, quam etiam velit ibidem ad ſuorum beatitudinem luculentiùs explicare: Terra vero *ſcabellum* pedum ipſius appellatur, non tam Potentiæ, Imperij, ac Providentiæ reſpectu, quam immenſitatis, majeſtatis & omnipræſentiæ, ne videlicet eum ita cœlo locemus, ut terrâ abeſse ſuſpicemur, aut finitam illi, cum Vorſtio & Socinianis, affingamus eſsentiam, quæ alicujus magnifici Templi limitibus concludi poſſit.

Ad hæc loquendi genera referendum eſt & illud Chriſti apud Matthæum, (*Mat: 6. conf: verſu 4, 6, 18.*) cùm dicit, *Patrem noſtrum eſſe in abſcondito*, per *abſconditum* intelligens occultum, in quo oremus, locum. Pro eodem enim ſumit, *eſſe in abſcondito*, & *videre in abſcondito*, ut ex verborum inter ſe collatione apparet. Nec mirum; cùm eadem ſcriptura & de hominibus dicat, vel ipſos, vel ipſorum cor aut ſpiritum ibi eſſe, quò vel animo tantùm ac cogitatione

gitatione

Digitized by Google

gitatione reſpiciunt, vel eorum pertingit notitia. Sic in eodem apud Matthæum loco paulò poſt (*verſu 21.*) ait Chriſtus: *ubi eſt theſaurus tuus* (Gr. *veſter,*) *ibi eſt & cor tuum* (Gr. *veſtrum.*) & Eliſæus olim, qui viderat ſpiritu Prophetico abſens, quid inter ſervum ipſius & Naamanum actum eſſet, (*4 Reg: 5. 26.*) ait: *Nónne cor meum in præſenti erat, quando reverſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui?* Idem autem ſenſus eſt verborum Hebræorum: *nónne cor meum ivit*, ſcilicet *tecum?* Sic & Paulus ait, (*1 Cor: 5. 3, 4.*) ſe Corinthiis præſentem eſſe ſpiritu, & congregatum iri cum Corinthiis ſpiritum ſuum ſignificat. ſimiliter & ſpiritu Coloſſenſibus ſe adeſſe ait, (*Col: 2. 5.*) gaudentem & videntem (ſeu cum gaudio videntem) ordinem ipſorum, & firmamentum ejus, quæ ſit in Chriſto, fidei ipſorum. At longè rectiùs id de Deo dicitur, qui perfectiſſima ratione omnia, perſpicaci ſimul & efficaci ſua providentia pervadit, & in occultiſſima quæque penetrat.

‡ *Pro eodem enim*] Optimè; quia nemo poteſt in abſcondito videre qui ibi non ſit.

Nec mirum cum eadem] At hæc non debent confundi; Nam I. aliud eſt eſſe præſentem alicubi amore, ſtudio, ſpiritu, cogitatione, prout anima magis eſt ubi amat quam ubi animat, & quo ſenſu *cor noſtrum eſt ubi eſt theſaurus noſter*; aliud eſt alicubi præſentem abſolutè ſtatui, ut de Deo abſolutè dicit Chriſtus quod *ſit in occulto*. II. Revera Spiritus Dei, qui erat in Eliſæo, & per quem ipſi conſtitit quid feciſſet Gehaſi, actu præſens erat & huic & Naamano, cum ab eo duo talenta argenti & duo veſtimenta mutatoria conſequutus eſt: Ita Spiritus Chriſti qui erat in Paulo præſens erat actu & ſubſtantialiter ipſis Corinthijs & Coloſſenſibus, ut per illum reſciret Paulus quid inter eos ageretur, & inde vel triſtitiæ vel gaudij materiam conſequeretur. III. Elizæus & Paulus cum ita loquuntur, ſe abſentes corpore profitentur, quod hic etiam diſertè dicit: Sed nuſquam Scripturæ excludunt Dei præſentiam eſſentialem ab ijs locis, quibus eum virtualiter præſentem faciunt.

At longè rectiùs] Nempè quia ubique eſſentialiter præſentiſſimus eſt, ideſt, nec affectu tantum, ut homines corde præſentes ſunt ſuis theſauris; nec duntaxat virtute alienâ, etiam eſſentiali negatâ præſentiâ, ut Elizæus & Paulus corpore abſentes, præſentes erant Spiritu Dei.

De hac denique præſentia divina, quæ divinâ ipſius virtute ac providentiâ continetur, loquitur & Paulus in Actis, (*Act: 17. 27, 28.*) cùm ait: *Deum non longè eſſe ab unoquoque noſtrûm. In ipſo enim*, inquit, *vivimus, & movemur,* 277.
& ſumus. In ipſo autem idem eſt hoc loco, quod per ipſum, ſeu ipſius efficaciâ, curâ, providentiâ. Indicant id ſequentia, quæ probationis cauſſâ ſubjiciuntur: *ſicut & quidam veſtrorum Poëtarum dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus*, hoc eſt, à Deo originem trahimus, generiſque noſtri ortum ducimus. quæ verba non docent, nos in ſubſtantiæ divinæ, ut ita dicam, amplitudine nos undique amplectente, moveri, vivere, & eſſe; ſed ejus virtute atque efficaciâ & extitiſſe, & porrò vitam ac movendi facultatem

Digitized by Google

habere, ac tanquam prolem quandam ipſius, ejuſdem curâ ac providentiâ perpetuò foveri.

† *De hac denique*] Verùm Dei Virtus & Providentia nuſquam ſe exerit abſente illius eſſentia, adeoque illius præſentia hac ſecluſâ concipi nequit.

In ipſo *autem idem eſt*] At cum inde probet Apoſtolus *Deum* ipſum, non utique ejus duntaxat efficaciam, curam, Providentiam, ceu realiter ab ipſo diſtinctam, nobis eſſe proximum, ſanè illud *in ipſo*, non poteſt non una ejus eſſentiam includere: ut ille ipſe nobis præſentiſſimus ſit, in quo & per quem vivimus & ſumus; non tantum originaliter, quatenus *ipſius & genus ſumus*, ſed etiam actualiter, in quantum jugi illius concurſu, vita, eſſe, & motus ſingulorum noſtrorum conſervatur, fovetur & promovetur, ut etiam docemur Pſal: CIV, 29. 30. Exponatur ergo illud *in ipſo* ita ut ſit *per ipſum* tanquam cauſam efficientem nobis intimè præſentem: Ipſe enim nobis magis intimus eſt quàm nos ipſi; At cùm noſtrum vivere, moveri & eſſe, ab illius jugi efficacia pendeat, hæc vero cum illius eſſentia, ut ſæpiùs monui, identificetur, eo quod operari in diſtans & per ſuppoſita media, ſit agentis finiti & alienæ opis indigi ad ſuam efficaciam exerendam, neceſſe eſt agnoſcamus eum non virtualiter tantum, ſed etiam eſſentialiter, nobis præſentem eſſe.

Sed ejus virtute] Inepta hæc eſt oppoſitio inter virtutem & ſubſtantiam Divinam, cùm illa hanc præſentem præſupponat, eò quod Deus nuſquam operetur, niſi eſſentialiter præſens fuerit: quo ſenſu dictum fuit quamlibet herbam Deum præſentem indicare.

Facultatem habere] Atqui & vita ipſa jugi Dei concurſu debet conſervari, & facultas movendi quam ab ipſo ſumus conſequuti, non poteſt exeri in actum niſi ipſo excitante, adjuvante & concurrente, prout fornacis Babylonicæ ignis vim uſtivam in tres Danielis ſocios exerere non potuit, quia Deus tantiſper ſuum illi ad urendum concurſum denegabat: Ita etiam Deo non concurrente cum nativa gravitate corporis Petri, is aquæ tutus inambulabat, nec gravitabat aut mergebatur.

Hæc Dei immenſitas atque omnipræſentia ut omnium confeſſione eſt certiſſima, & ſacris literis teſtatiſſima: ita nobis creditu utiliſſima, & maximè neceſſaria: quemadmodum ex iis conſtare poteſt, quæ ſuprà de omniſcientia Dei, itemque de omnipotentia, & infinita imperii ipſius amplitudine diximus. Nam & metum numinis quovis loco præſentis nobis ingenerat, & porrò ab omni peccato, quo ipſius oculos offendere poſſemus, nos avocat; & fiduciam noſtram, quam in ipſo collocavimus, fulcit ac ſuſtentat: ſiquidem ejus potentiam ac providentiam nuſpiam nobis deeſſe, nullam loci diſtantiam ipſius auxilium excludere, nec quicquam mali, niſi ipſo ſciente ac volente, ac ſimul etiam moderante, nobis contingere poſſe ſciamus. Ejus autem eſſentiam in quovis pulviſculo atque atomo totam latere, ac in locis quibuſvis ſpurciſſimis non minùs, quàm in auguſtiſſimo cœlorum domicilio extare, & porrò obſcœniſſimis etiam atque impuriſſimis actionibus planè mediam intervenire, & cum rebus intimè jungi, à quibus

Digitized by Google

quibus vel cogitatio abhorret; id de Deo ſanctiſſimo atque auguſtiſſimo omnino ſentiendum eſſe, & ſine certiſſima ſalutis jactura ignorari non poſſe, nondum ex ſacris literis diſcere potuimus. Nec eſt credibile, hoc eum de ſe credi juſſiſſe, qui olim ex Iſraelitarum caſtris, quicquid fœdum eſſet, amoveri, & abſcondi præcepit, hac additâ ratione: (*Num: 5. 2, 3. Deut: 23. 10. ib: verſu 14.*) *Dominus enim Deus tuus ambulat in medio caſtrorum tuorum, ut eruat te, & tradat tibi inimicos tuos: Sint itaque caſtra tua ſancta, & nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te.* ut taceam eum aliàs quoque, cùm in angelis, aut per angelos apparuit, (*Exod: 3. 5, & d. 19. 10, & d. Joſ: 5. 16.*) locum re impura ne contingi quidem voluiſſe. quò minùs credibile eſt, glorioſiſſimam ipſius ſubſtantiam in medio impuriſſimarum rerum ac ſordium latere.

1 *Ejus autem eſſentiam*] Quod unâ manu dederat adverſarius, altera conatur eripere: Sed fruſtrà eſt: Nam ſi Deus revera eſt omnipræſens, non eſt excludendus *locis ſpurciſſimis*; aliàs in illis tutò peccari poſſet, & poſſent peccatores *obſcœniſſimis & impuriſſimis ſuis actionibus*, ſe Numinis præſentiæ ſubducere. Itaque cum Dei virtus ab illius eſſentiâ non ſeparetur, illa vero fatente adverſario, adſit *in quovis pulviſculo*, ac *in locis quibusvis ſpurciſſimis*, & interveniat *impuriſſimis actionibus* peccatorum, non eſt quod hujus abſentiam per ſubjecti tenuitatem aut fœditatem nobis imaginemur; aut hoc prætextu ejus immenſitatem reſtringamus. Quod ſi radij ſolares influendo in lutum & cadavera, per id nihil ſordium contrahunt, metuimus-ne Deum magis fœdatum iri ſi eſſentialiter quam ſi virtualiter duntaxat præſens fuerit vel ijs locis, vel rebus & actionibus, quæ ſenſus noſtros ſolent offendere? Porrò eſſentia Dei non ita *latet tota* in quolibet pulviſculo, ut ibi deliteſcat, nec alibi ſit; ſed cum nullo excludatur loco magis quam ejus virtus, neceſſe eſt illam totam eſſe ubicunque eſt, quia eſt inextenſa, indiviſibilis & impartibilis; prout ipſi Philoſophi ſtatuunt vulgò animam eſſe totam in toto corpore & totam in qualibet illius parte. Et licet Dei eſſentia ubique tota ſit, quia nuſquam eſſe poteſt per partes, tamen alium gradum præſentiæ habet *in auguſtiſſimo cœlorum domicilio*, quam in alijs locis: His enim præſens eſt duntaxat per eſſentiam & concurſum ordinarium; in cœlo vero præſens eſt quoque per majeſtatem & gloriam. Nec ideo eſſentia Divina *media* intervenit *impuriſſimis actionibus*, cum nequidem ſanctiſſimis actionibus inſtar *medij* interveniat: ſed illis duntaxat ſi in genere moris conſiderentur, præſens eſt ut teſtis & judex, prout ſuâ virtute ipſum agentem, etiam dum malè agit, ſuſtentat & conſervat immediatè; cùm nullum ſecundarium agens poſſit agere niſi dependenter à Deo, ſaltem in genere entis.

Nondum ex ſacris] Cunctanter hic loquitur Crellius, & animo potius excuſandi quam defendendi Vorſtium: Sed fruſtrà eſt: Nam I. aliud eſt de veritate alicujus dogmatis agere, aliud eſt diſſerere de illius neceſſitate ad ſalutem. II. Etſi non ſit neceſſarium omnibus Chriſtianis diſtinctè & explicitè noſſe hæc quæ explicavimus de omnipræſentia Divina, tamen neceſſarium eſt omnibus, primò nihil iſtorum expreſsè negare aut rejicere; deinde credere in genere Deum non eſſentiâ finitum eſſe magis quam potentiâ & virtute, & ubique ſic eum eſse præſentem ut nullo loco, quantumlibet

Digitized by Google

nobis obſcuro & abdito, vel excludatur, vel includatur. Id enim qui non crediderit, Deum ipſum quoad ſe ſtudebit abnegare. III. Illud revera *nondum ex ſacris literis diſcere potuimus*, virtualem Dei præſentiam, ut ſemper iſti ſupponunt, latiùs patere præſentiâ illius ſubſtantiali.

Nec eſt credibile] Pari ratione concludas Dei notitiam & virtutem ad ea loca non extendi, in quibus aliquid eſset ſordium: Sed hujus mandati, partim cæremonialis, partim politici, ratio eſt in promptu; nempe quod ita Deus voluerit Iſraelitas ſui reverentiâ ad veræ & internæ Sanctimoniæ ſtudium excitare: Quin eo ipſo quod dicatur Deus *ambulare in medio caſtrorum* Iſraelis, non virtualiter tantum, ſed etiam ſubſtantialiter, illis præſens adeſse ſtatuitur.

Vt taceam eum aliàs] Primò iſtæ apparitiones non fuerunt Angelorum creatorum, ſed ipſiuſmet Iehovæ & Angeli increati, qui adeo, non derelicto tamen cœlo, ibi ſubſtantialiter præſens fuit. Deinde extraordinariæ & viſibiles apparitiones Dei, certo loco factæ per miraculoſa ſigna & ſymbola ſuæ præſentiæ, non excludunt omnipræſentiam ejus ordinariam & inviſibilem. Adhæc ſi ſubſtantialiter præſens non fuit iis in locis quos *re impura ne contingi quidem* voluit, nec etiã virtualiter ijs aderit aut adeſſe debebit quibus aliquid *fædum* ineſse deprehendetur. Denique nemo neſcit mandatum illud de calceis exuendis factum Moſi & Ioſuæ, cæremoniale duntaxat fuiſse, ad ſignificandum quod ſanctè & reverenter ad Deum oporteat accedere.

Quo minus credibile] Quidni dixeris pariliter *minus credibile* eſse potentiſſimam & ſanctiſſimam Dei virtutem *in medio impuriſſimarum rerum latere*? Quaſi vero magis ab illis rebus Dei eſsentia, quam illius virtus, pollui & inquinari poſſit; aut præſens mundo huic inferiori Deus nequeat eſse, quin ſordium quæ in eo ſunt, contactu phyſico contaminetur & offendatur?

Itaque ignoſcendum ſaltem iis eſt, qui ob ſummam Dei majeſtatem, ac ve-
nerationem numinis illius, iſta de eo cogitare non audent, & malunt ſim-
278. pliciùs, quàm à plæriſque Theologis fieri ſolet, & vulgari loquendi con-
ſuetudini accommodatiùs accipere & credere id, quod toties tamque apertè inculcant ſacræ literæ: nempe Deum in cœlo, in alto, in excelſis eſſe aut habitare; (*Iob: 16. 19: Pſal: 2. 4: 113. 6: 115. 3: 123. 1. Eccle: 5. 1. Dan: 2. 28. Mat: 5. 16, 45: 6. 1, 9: 7. 11. 21, & alibi ſæpè. Luc: 2. 14: 19. 18.*) cœlum ipſius eſſe habitaculum, ſedem, domum; (*Deut: 26. 11. 1 Reg: 8. 30, 39, 43, 49. Pſal: 33. 14: 103. 29. Eſa: 63. 15: 66. 1. Mat: 5. 24: 23. 22. Iob: 14. 2.*) è cœlo illum attendere, exaudire, reſpicere; (*dict: Il. Deut: 26. 3 Reg: 8. ſæpiùs, Eſa: 63. 2 Par: 7. 14. Pſal: 20. 7: 57. 4: 10. 15: 102. 20. Thren: 3. 50.*) proſpicere ſuper filios hominum; (*Pſal: 14. 2: 33. 13: 113. 6.*) eum inacceſſam lucem inhabitare; (*1 Tim: 6. 16.*) in templis manufactis non habitare; (*3 Reg: 8, 27. Eſa: 66. 1. Act: 7. 49; 17. 24.*) & ſi quæ ſunt his ſimilia, quibus habitaculi, & loci (nam & hac voce utuntur ſacri ſcriptores de Deo loquentes) diſtantia ſignificatur, quâ Deus ab hominibus diſtinguatur. (*3 Reg: 8 30, 39, 43, 49. Eſa: 18. 4: 26. 21. Oſe: 5. 15. Bar: 3. 24, 25.*)

‡ *Itaque ignoſcendum*] Scilicet, quia nullum placere ſolet ingenium abſque

venia,

venia, veniam volunt Sociniani dari ijs qui ſub *ſimplicitatis* majoris prætextu eunt everſum immenſitatem & omnipræſentiam Dei: Et qui tamen rigidi ſolent eſſe cenſores alienæ ſententiæ, ſuorum gregalium fœdiſſimis erroribus ignoſci humaniter petuut: Ita *Dat veniam corvis vexat cenſura columbas.* Etiam Anthropomorphitæ & Vadiani, qui Deum faciebant corporeum, volebant videri *ſimpliciùs quam à pleriſque Theologis fieri ſolet & vulgari loquendi conſuetudini accommodatiùs accipere & credere id quod toties tamque apertè inculcant ſacræ literæ*, nempe Deum manu ſua ferire, ore loqui, oculis tueri, aure audire & exaudire &c. Ignoſcant ergo illis hac in parte miſericordes Sociniani, & pertendant in tetro illo dogmate, dicat licet Scriptura Deum eſse Spiritum, corporis expertem & inviſibilem, nihil periculi ſubeſse.

Nempe Deum in cælo] At nullus eſt Scripturæ locus qui dicat vel inſinuet Deum eſse tantum in cœlo, vel nobis ſubminiſtret diſtinctionem præſentiæ Dei ſubſtantialis à virtuali: Quod ſi Deus ſubſtantialiter tantum eſset in cœlo, eſset naturæ ac eſsentiæ finitæ & circumſcriptæ, contra quam fert ejus perfectio: Et cum omnis plenitudo divinitatis σωματικῶς, non τυπικῶς tantum, ut quondam in Tabernaculo, habitaverit in Chriſto, adeo ut in Patre eſſet & Pater in ſe, ut ante viſum, ſaltem in ipſo debuit Deus eſſe ſubſtantialiter præſens, etiam dum verſaretur in terris, & cum ſuos diſcipulos docebat precari Patrem noſtrum qui in cœlis eſt. Rationes autem ſunt in promptu cur *toties tamque apertè id inculcant ſacræ literæ*; Primò quò ſic nihil humile, nihil craſſum aut terrenũ, nihil corporeum, Deo affingamus: Eò quoquè pertinuit ritus ille veterum ſacra Deo faciendi in montibus & excelſis. Secundò quò acceſſuri ad Deum, cogitationes noſtras ab hiſce rebus inferioribus abducamus, & nihil de Deo niſi magnum, ſublime, & cœleſte meditemur. Tertiò, quò ex diſtantia cœli à terra in qua repimus, colligamus diſtantiam eſſentialem & perfectionis quæ intercedit inter ipſum & nos; juxta quam ipſe eſt τὸ πᾶν, & is qui eſt, homo vero σκιᾶς ὄναρ. Quartò, quia cœlo ſpecialia & evidentiſſima teſtimonia ſuæ potentiæ & majeſtatis & magnitudinis impreſſit; adeo ut ipſius cœli cogitatione & aſpectu, nonniſi ſumma de ipſo eſſe cogitanda & concipienda admoneamur. Quintò, quia revera in tertio cœlo ſpeciale eſt habitaculum gloriæ & majeſtatis ſuæ, in quo etiam ſe exhibet Angelis ac Sanctis videndum & fruendum ad beatitudinem æternam. Eſt igitur Deus *in cælo*, ſed ita ut cœlum & terram impleat; ideſt ita in cœlo ut non excludatur ex terra; ſicut anima ita eſt in cerebro & capite, ut non excludatur ex corde. Habitat *in excelſis* per gloriam, ſed etiam habitat per gratiam in medio noſtri, & ubique eſt per ſuam eſſentiam: Cœlum dicitur ipſius *habitaculum, ſedes & domus*, non quod cœli ambitu circumſcribatur præſentia ejus ſubſtantialis; cur enim id potius ſtatuas de cœlo, ex illis nominibus, quam vel de Templo & Sanctuario Ieroſolymitano, vel de Eccleſia in communi, quæ ijſdem nominibus ſæpè appellantur? ſed quod ibi velit à nobis quæri in hac vita, & poſſideri in futura ad fœlicitatem æternam. *Inacceſſam lucem inhabitat*, non præſentiæ ſuæ ſubſtantialis reſtrictione ad certum locum, ſed Majeſtatis, immenſitatis, & incomprehenſibilitatis ſuæ reſpectu, & eodem modo, quo Dominus dicitur *habitaturus in caligine* 1. Reg: VIII, 12. & ponere *tenebras latibulum ſuum* Pſal: XVIII, 12. Quod è cœlo exaudit, reſpicit, attendit, proſpicit, non magis alligat cœlo ejus pręſentiam ſubſtantialẽ quam Sanctuario mundano, è quo etiam audire exaudireque preces ſuorum, illiſque propitiari, placari, reſpondere, quandoque dicebatur. *In templis manufactis non habitat*,

Digitized by Google

habitat, nempe circumſcriptivè aut definitivè, ut Græci & Gentiles & craſſiores Iudæi autumabant; Fruſtrà vero fueris, ſi ideo eum realiter præſentem fuiſſe neges Templo illi ſuo ſancto, quod tam ſæpè palatium, & habitationis ſuæ locum appellat.

Nam & hac voce] At ſanè *locus* phyſicus & propriè dictus ſive ſumatur definitivè, qualis eſt Angelorum ſive circumſcriptivè, qualis eſt corporum, nequit convenire Deo, qui ſua immenſitate & infinitate eſt planè illocabilis: Meminit quidem Scriptura locis hic Crellio citatis, *loci habitationis* Dei; Sed I. non ſolum cœlum hoc nomine inſignitur in Scripturis, ſed etiam ipſum Templum ſive Sanctuarium Hieroſolymitanum, ut videre eſt Pſal: XXIV, 3. & XXVI, 8. II. Cœlum dicitur locus Dei vel habitationis Divinæ, non adæquatus & totalis, excluſivè ad reliquos univerſi partes, cum impleat cœlum & terram, ſed duntaxat principalis & partialis. III. Quibuſdam in locis adverſario citatis ut Eſa: XXVI, 21. Oſeæ V, 15. dicitur Deus *exredi* è ſuo loco & *reverti* ad ſuum locum; unde colligitur eum non eſſe totalem & adæquatum; cum extra talem locum Deus nunquam eſſe poſſit. IV. Ipſummet Baruchi, libri cæteroquin Apocryphi, teſtimonium, jugulum petit illius cauſæ ad quam profertur, cùm ita ſonet; O *Iſrael, quam magna domus Dei & prolixus locus poſſeſſionis ejus. Magnus eſt & non habet finem; excelſus & immenſus; ibi fuerunt gigantes* &c. Vbi ſanè locum Dei facit immenſum & infinitum, eumque extendit ad omne ſpatium quod concipi poteſt, nequidem ſecluſo hoc inferiori orbe in quo vixêre Gigantes: V Cœlum poteſt dici locus Dei, non quod ipſius Dei eſſentiam definitivè aut circumſcriptivè contineat, ſed quod ſit ille locus in quo ſpecialiùs explicat majeſtatem ſuam & gloriam, ſeque fruendum exhibet electis Angelis & hominibus. VI. Non ſolum notat Mæmonides *in More Nev. p. 1. cap. 8.* quod quoties מקום *Makom* ideſt locus dicitur de Deo, *revera intelligitur gradus eſsentiæ ipſius immenſæ & incomparabilis*, ſed eruditi inſuper obſervant ipſum Deum apud Rabbinos hoc nomine *Makom* inſigniri per antiphraſim, quod ſit *illocalis & infinitus, qui nullo loco capitur, ſed omnibus rebus locum dat*, ut obſervat Buxtorfius *in Lexico.* Quamvis idem *in Lexico Thalmudico* citet Aben Eſram dicentem ideo Deum ſic appellari, *propterea quia omnis locus eſt plenus gloriâ ejus*; & Medraſch Tehillim ubi dicitur Deum ſic nominari quod *omnis locus totius mundi in ipſo ſubſiſtat.* Quæcunque autem rationum iſtarum obtineat, corruit adverſariorum cauſa.

Diſtantia ſignificatur] Agnoſco diſtantiam eſsentiæ & perfectionis infinitam inter Deum & nos: Agnoſco quoque diſtantiam localem maximam inter cœlum, in quo Deus ſpeciali modo habitare dicitur, & hanc terram quam incolimus: Sed nego dari ullam loci diſtantiam inter Deum & nos, cum ſit nobis præſentiſſimus, ubicunque fuerimus, per indiſtantiam loci. Vnde Seneca, Ethnicus licet, multò magis Chriſtianè quam Crellius vel Vorſtius ſic de Deo loquitur; *Quocunque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem: nihil ab illo vacat; opus ſuum ipſe implet; lib. 4. de Benef. cap.* 8.

Tantò autem minùs iſta ſententiæ ſimplicitas damnanda eſt, quod ipſa quodammodo natura omnes terrarum populos monere videatur, ut in cœlis Deum quærant, aut eſſe intelligant, cum ipſi etiam barbari orantes in cœlum oculos, aut etiam manus attollant; quod idem & Davidem, & Salomonem, & alios, & ipſum denique Chriſtum feciſſe legimus. (*Pſal. 123. 1. 3 Reg: 8.*

Digitized by Google

3 Reg: 8. 22, 54. Thren. 13. 41. Luc: 9. 16. Ioh: 17. 1. vide etiam libros Maccab: paſſim.) Unde & Hebræi veteres, & Philoſophi plærique, certè præſtantiſſimi, in cœlo Deum locarunt; quòd iſtic digniſſima Deo ſit ſedes, & locus incorruptibilitatis, quemadmodum viri quidam doctiſſimi teſtimoniis eorum prolatis docuerunt; qui iidem ex Chriſtianorum quoque tum veterum, tum recentium ſcriptis ea collegerunt dicta, quæ vulgarem ſententiam de diffuſione eſſentiæ divinæ per res univerſas, vel penitùs refellunt, vel non parùm labefactant: quin & contradictiones varias, quæ in vulgari dogmate lateant, oſtenderunt. (*vid: Conr: Vorſtij Appendices ad 1. partem Reſp: ad Matth: Sladum: & Apolog: Exegeſ: cap: 16, & ſeqq.*)

‡ *Vt in cœlis Deum*] Fateor id ita fieri occulto naturæ impetu, non quod Deus non ſit omnipræſens, ſed quod cum Deum adire & de ipſo cogitare incipimus, nihil niſi ſublime & magnum de ipſo concipiamus: Nec magis ex manuum vel oculorum ſublatione in cœlos cùm Deus venit invocandus, colligas ipſius eſſentialem præſentiam cœlo includi, quam ſi quis ſtatuerit ideo Sanctuario Hieroſolymitano incluſum fuiſse ſubſtantialiter Deum, quod ſolerent pij ſub V. T. precari verſus illud Pſal: XCIX, 5 9. Sic Daniel apertis ſuis feneſtris precabatur verſus Ieruſalem ter de die Dan: VI, 10.

Vnde & Hebræi] Non negamus quoſdam ex Ethnicis, ac inter eos ipſum fortè Ariſtotelem, minus benè de Deo ſenſiſse, & eum certo alicui loco definito adſtrinxiſſe; Sed veteres Hebræos, procul ab iſto errore fuiſse, conſtat ex Philone Iudæo *lib. 2. Alleg. legis*, ſic loquente; ἄκουσον παρὰ τοῦ ἐπισταμένου θεοῦ ῥῆσιν ἀληθεστάτην, ὅτι ὁ μὲν θεὸς οὐχὶ ποῦ. οὐ γὰρ περιέχεται, ἀλλὰ περιέχει τὸ πᾶν. τὸ δὲ γενόμενον, ἐν τόπῳ: περιέχεσθαι γὰρ αὐτὸ, ἀλλ᾽ οὐ περιέχειν ἀναγκαῖον. *Audi à Sapiente Deo verbum veriſſimum, quod Deus quidem nuſquam eſt: Non enim continetur, ſed continet univerſum. Quod autem factum eſt, in loco eſt: Etenim illud contineri, non continere oportet*: Idem poſset probari ex Moſe Ben Mæmon, qui tam *in More Nevochim p. 1. cap. 9. 10. 18. 21. 51.* quam *in Conſtitut. de fundam. legis cap. 1. §. 5. & 12.* ſollicitè removet à Deo omnem localitatem; Inter ea quæ ante diſputavimus, nonnulla retulimus teſtimonia Ethnicorum pro eadem veritate. Euſebius etiam *lib. 3. de præp. Ev. cap. 3.* quædam Orphei carmina refert in quibus Deus dicitur, *æternus ſemper ſimul* eſse ac *totus ubique*. Et qui ex veteribus cœlum Deo locarunt, hoc feciſse potuerunt, non abſolutè, ad ejus præſentiam ab alijs locis arcendam, ſed ſecundum quid, & eodem ferè modo quo Scripturæ ſacræ Deum in cœlo eſse & habitare dicunt: Aliàs quî ſtaret antiquum illud ſive Triſmegiſti, ſive Empedoclis, ſive utriuſque, *Deum eſse circulum cujus centrum ubique, circumferentia nuſquam?* Eſto cœlum *digniſſima ſedes* gloriæ & majeſtatis Divinæ, & verus *locus incorruptibilitatis* in quo Deus ſe vult ſuis communicare ad fœlicitatem æternam; quid hoc ad eſſentiam Divinam circumſcribendam & certò includendam loco pertinebit? Imò ſanè *ſi ſpatium vacat ſuper caput Creatoris, & ſi Deus ipſe in loco eſt*, ut loquar cum Tertulliano *adverſus Marc. lib. 1. cap. 15. erit jam locus ille major & Deo & mundo: nihil enim non majus eſt id quod capit illo quod capitur.*

Quemadmodum viri quidam] Ita muli mutuò: Vorſtius ex Socino didicit θεολογεῖν & nunc à Socini diſcipulis & gregalibus apotheoſim conſequitur. Verum non

pluris

pluris hic facimus Vorſtium, quam Crellium: Teſtimonia quæ ille corraſit locis hic citatis, poſſent maxima ſui parte in ejus caput retundi; nec difficile nobis foret oſtendere, ſi huic rei nunc vacare liberet, peſſimâ illum uti fide in ejuſmodi citationibus, & ſuum affingere errorem plurimis authoribus, tum veteribus tum recentioribus, qui ipſum diſertis verbis rejiciunt. Sed huic rei non auſpicavi hodie, ut cum iſto Vertumno me committam; quem jam olim Blaſphemiarum, Hæreſeôn plurium, & Atheiſmorum reum proclamavit Rex ſapientiſſimus Iacobus M. B. & cujus doctrinam meritò nigro thetâ notavit Synodus Dordracena Nationalis *ſeſſ. 52.* Satis eſt quod ipſe Crellius agnoſcat plurimorum ex illis teſtimonijs infirmitatem, cum illis ſubdubitanter tribuit, quod *vel penitùs refellant, vel non parũ labefactent* doctrinam Orthodoxam, non *de diffuſione eſſentiæ Divinæ per res univerſas,* ut loquitur Adverſarius, cùm propriè loquendo, nec diffuſio, nec extenſio cadat in eſſentiam Dei, ſpiritualem, ſimpliciſſimam, & molis quantitativæ expertem, ſed de eſſentiali Dei omnipræſentia & ubiquitate: Et quò magis conſtet Vorſtium hic vel αὐτοκατάκριτον, vel ἀσύστατα loquutũ fuiſſe, non pigebit nonnullas ejus propoſitiones hic adſcribere, ad quas etiam quandoque provocat ut probet ſe noluiſſe à doctrina Catholica hoc in capite recedere. Is igitur *cap. 16. Apolog. Exeg.* profitetur ſe ſæpiùs affirmaſſe, *Deum non modò virtute & potentiâ, ſed etiam eſſentiâ ſuâ immenſum, atque adeo reſpectu noſtri infinitum, ſimpliciterque nobis incomprehenſibilem eſſe;* ac *præterea etiam eſſentialiter ubique præſentem eſſe, h. e. cælum ac terram implere, omneſque creaturas quaſi manu ſua continere &c.* Et *in præfat. reſponſ. ad partem* 1. *Sladi; Quod iſti objiciunt, Eſſentialem* Dei *Omnipræſentiam abſolutamque infinitatem, à me negatam eſſe, aut ſaltem in dubium vocatam, horum priùs uti ſemper negavi ita conſtanter adhuc nego* &c. Et ſtatim poſt eam præfationem, exhibet ſyllabum locorum *ex libro* ſuo *de* Deo excerptorum *pro Infinitate & Vbiquitate ſive Omnipræſentia Dei, tum virtuali tum eſſentiali.* Et in *brevi confeſſione* quam præfixit *Reſponſ. ad partem alteram Sladi* §. 4. ita habet; *Credo Deum verè immenſum atque infinitum eſſe, idque non modò virtualiter, ſed & eſſentialiter, ſuæque Deitatis præſentiâ cælum & terram implere: & quamvis glorioſè in cælis altiſſimis & gratioſè in ſanctis ſuis habitet, verè tamen ipſum generali Deitatis ſuæ præſentiâ ubique adeſſe* &c. Iſta ſane talia ſunt quæ nec cum Vorſtio ipſo, nec cum Crellio hoc loco, ejus authoritate ſe tuente, conciliari poſſint. Quas vero *contradictiones* hic ruſpantur, facilè concidere mox ad illas oſtendemus.

Primùm Deum infinitum eſſe, & nihilominus in minimo quovis pulviſculo, aut ſpatio, quod oculorum etiam noſtrorum aciem fugiat, totum conſiſtere, totumque puncti inſtar eſſe. Deinde eidem rei ſimul & æqualem & inæqualem, infinities majorem, & minorem eſſe. Æqualem; quia in toto aliquo corpore ita exiſtat, ut nulla ſit ejus corporis pars, quæ Deo plena non ſit; nec viciſſim quicquam ſit eſſentiæ divinæ, quod in eo corpore non ſit. Hoc autem non eſſe niſi æqualium. Infinities rurſus majorem eſſe; quia ſit infinitus. Infinitum enim quovis finito infinities majus eſt. Minorem denique, quia in atomo etiam totus conſiſtat, & in minima quavis corporis particula, cujuſmodi vel innumeræ in eodem toto contineri poſſuut. Addi poteſt, Deum ſeipſo etiam fore & infinities majorem & minorem, & nihilominus æqualem: quia & totus in re minima exiſtat, & nihilominus ultra rem

quamvis

Digitized by Google

quamvis in infinitum pateat, & ſic ſeipſum totum infinities in ſe contineat. æqualem nihilominus ſibi ipſi eſſe; ſiquidem idem ſeipſo nec majus nec minus eodem tempore eſſe poſſit.

‡ *Primum Deum infinitum*] Hic nihil eſt contradictionis; cùm Deus non ſit infinitus *quantitativè*, ſed *eſſentialiter* & *perfectivè*. Quare ut propter infinitatem eſſentialem & perfectionis eſt ubique, ſic propter remotionem quantitatis, extenſionis & diviſibilitatis, (quo demum reſpectu naturam puncti aliquatenus imitatur, non quatenus punctum habet eſſe imperfectum & incompletum, ut eſt principium lineæ,) neceſſe eſt eum totum eſſe ubicunque eſt; licet in nullo ubi particulari totus ſit totaliter, ſive excluſivè ad alia.

Deinde Deum eidem] Sed hoc longè abſurdius: cùm Deus, ut pote quantitatis expers, nulli rei extenſæ, finitæ & quantæ, vel æqualis, vel inæqualis dici queat. Quod ſi nequidem anima poteſt dici æqualis corpori cui ineſt & quod animat, licet extra illud nec ſit nec operetur, quoniam nulla eſt commenſurabilitas inter ſpiritum & corpus, nec poteſt comparatio æqualitatis, majoritatis & minoritatis inſtitui, niſi inter ſubſtantias materiales finitas & extenſas, prout in extenſione & dimenſionibus ſuis vel convenire vel diſcrepare deprehenduntur; quanto minus Deus poterit comparari cum rebus materialibus & extenſis quibus adeſt, cùm ſit inextenſus & indiviſibilis, & inſuper totus ſit extra illas? Locorum quidem & corporum ſingulorum quibus Deus præſentialiter adeſt, comparatio fieri poteſt, ut quædam ſint æqualia inter ſe, quædam alijs majora, vel minora; Sed inter Deum & illa, tali comparationi æqualitatis vel inæqualitatis, ob illius ſpiritualitatem & immenſitatem locus eſſe nequit. Ita licet cor ſit mole & quantitate minus capite, nemo tamen arbitrabitur animam eidem rei æqualem & inæqualem eſſe, quod ſit tota in capite & tota in corde: cùm neutrobique ſit per quantitativam coextenſionē, ſed tantum per præſentiam ſuam indiviſibilem.

Addi poteſt, Deum] At cum totus ſit in ſingulis rebus, quæ comparatæ ad ſe mutuo, vel æquales, vel majores, aut minores cenſentur, & nemo præterea cum ſeipſo debeat comparari, ſed tantum cum alio, nihil ineptius hoc Vorſtiano & Crelliano ſophiſmate excogitari poteſt. Anima rationalis non eſt ſeipſâ major & minor, & ſimul ſibi æqualis, eo quod corporis partes, in quarum ſingulis tota eſt ſed non totaliter nec excluſivè ad alias, ſint aliæ alijs majores vel minores: Nemo credetur eſſe ſeipſo major ac minor & ſibi ipſi nihilominus æqualis, eo quod ſingula fruſta ſpeculi, quarum alia alijs ſunt majora, totam illius faciem repræſentabunt, quam ſimiliter totam conjunctim in ſpeculo integro exprimebant. Et ſemper meminiſſe oportet tam præpoſterè æqualitatem aut inæqualitatem tribui ſubſtantiæ immateriali & ſpirituali, nedum immenſæ & infinitæ, cujuſmodi Deus eſt, quam ineptè tribueretur ſono figura, vel color Angelo. Longè major ſive procerior erat Goliath Davide, ſi corporis ſtaturam ſpectemus; animæ tamen eorum nec æquales nec inæquales propriè erant, cum dimenſionis & extenſionis naturæ ſpirituales expertes ſint; Vt enim à qualitate res dicuntur ſimiles vel diſſimiles, ita à quantitate, quæ non cadit in naturam ſpiritualem, æquales appellantur, vel inæquales.‡

Adhæc, Deum reſpectu ejuſdem planè rei, & ſecundùm eandem rei cujuſ- 179.
vis partem, totum extrà & intrà, ſuprà & infrà, antè & pòſt, ad dextram

& ad ſini-

& ad ſiniſtram eſſe; imò non tantùm reſpectu aliarum rerum, verum etiam reſpectu ſui ipſius: quæ omnia cùm oppoſita ſint, tacitam contradictionem in ſe continent. Præterea omnia corpora, licet extra ſe invicem poſita, ac longiſſimè à ſe mutuò diſtantia, ſecundùm omnes tamen partes ſimul juncta eſſe. Jungentur enim ſecundùm omnes partes Deo indiviſibili: ac porrò etiam inter ſe jungentur ſecundùm omnes partes, ubicunque illa res indiviſibilis exiſtit. Quæ enim eidem ſecundùm idem junguntur, etiam inter ſe junguntur. Quæ autem Deo junguntur, ſecundùm idem ei jungi neceſſe eſt, non ſecundùm diverſa membra ſeu partes. ſiquidem tota toti jungantur. Hæc & alia ſi quis conciliare non poſſit, nec ab aliis conciliari poſſe credat; num tanquam impius damnabitur, utut cæteroqui Dei numen nuſpiam abeſſe credat, & ſe in ejus oculis perpetuò verſari, in ipſius manibus totum eſſe poſitum, firmiter ſibi perſuadeat, eaque de cauſa ipſi confidat, eum reverenter colat, ei placere in omnibus ſtudeat? Qui hunc damnare auſit, is nondum ſe Deum & Chriſtum ſatis noſſe oſtenderit. Sed pergamus ad alia.

‡ *Adhæc Deum reſpectu*] Hæc adverbia loci, inferunt rerum locatarum & finitarum reſpectum mutuum, non propriè Dei ad illas: Nec abſurdum eſt ſtatuere Deum eſſe totum in hoc loco, & totum extra, ſupra, & infra hunc locum, quia ut totus eſt in toto mundo, ſic totus eſt in ſingulis mundi partibus, quæ ita extra ſe mutuo ſunt poſitæ, ut aliæ ſitum inferiorem aliæ ſuperiorem obtineant: Liquet quod dico exemplo animæ in microcoſmo, quæ tota eſt in toto corpore & tota in qualibet parte. Id videtur urere adverſarios, quod ubicunque Deus eſt totus eſſe dicatur: Verum cum partes quantitativæ in ipſum non cadant, adeoque nuſquam poſſit eſſe per partes coextenſas ſpatio, neceſſe eſt eum totum eſſe ubicunque fuerit.

Verum etiam reſpectu] Id falſum eſt; cùm Deus hac ratione non ſit extra ſe, vel ſuprà ſe, aut infra ſe; ſed ſolum ſit etiam in loco aut re, quam videmus eſſe ſupra, vel infra, vel ante, vel poſt locum illum vel rem illam, cui præſentiâ indiviſibili eum adeſſe concipimus: eò quod hic locus, vel hæc res, ut pote capacitatis finitæ, nequeat ita includere infinitam & immenſam Dei eſſentiam, ut eo quod illi adſit tota, propter ſuam indiviſibilitatem, debeat quoque illi adeſſe totaliter & excluſive ad alia loca & alias res.

Præterea omnia corpora] Quæ diſputavimus ſuo loco de Æternitate Dei indiviſibili reſpectu temporis & partium illius ſucceſſivarum, poſſunt adhiberi in ſolutionem hujus ſophiſmatis de Omnipræſentia Dei indiviſibili, reſpectu ſpatij creati & partium illius extenſarum: Nego itaque magis ſimul loco eſſe omnia corpora, propter intimam Dei præſentiam ſingulis illis, ubicunque nempe exiſtunt, quam ſimul momento & tempore eſſe omnes partes temporis ſucceſſivas propter indiviſibilem Dei æternitatem illis coexiſtentem, quando videlicet exiſtunt. Quæ conveniunt in uno tertio debent inter ſe convenire, ſed demum illius tertij reſpectu, non ultrà; In eo igitur conveniunt omnia corpora, quod licet à ſe mutuo diſſita ſint, intimè ſint Deo præſentia; ſicut in eo conveniunt omnes noſtri corporis partes, licet extra ſe mutuo poſitæ, quod ab eadem anima humana eaque tota, ſingulæ informentur: At ſicut

non debent

Digitized by Google

non debent convenire ſitu ſingulæ partes noſtri corporis, eo quod ſingulæ ab eadem anima vivificentur & informentur; ita non debent convenire loco omnia corpora, eo quod ſingulis illis Deus totus præſens eſt. Non neceſſe eſt jungi caput pedibus, eo quod caput & pedes ſecundum omnes ſuas partes junguntur animæ indiviſibili & per illam ſuſtentantur. Non oportet lineas quæ in centro junguntur & confunduntur, jungi & confundi in circumferentia. Etſi univerſa terra, juxta Mathematicos, habeat rationem puncti indiviſibilis & omni proportione careat ſi comparetur ad cœlos, non tamen ideo non diſtat Europa ab India, vel Italia ab ultima Thule. Pariliter manet corporibus omnibus in rerum natura ſua diſtantia à ſe invicem, etſi comparatè ad Dei Immenſitatē & Omnipræſentiam, minutiſſimi puncti habeant rationem. Adhæc ludit adverſarius in vocabulo *junguntur*: Nam I. Deus ſic eſt præſens omnibus & ſingulis corporibus ac rebus creatis, ut tamen nullam phyſicam cum illis habeat conjunctionem, vel compoſitionis, vel commixtionis, vel continuitatis, vel contiguitatis. Quare Theologi non dicunt Deum *conjungi* omnibus rebus, ſed tantum illis ſingulis totum adeſſe, enter, præſenter & potenter. II. Corpora creata non poſſunt nec debent ſibi jungi localiter per Omnipræſentiam Dei, ſed per ſuam vel continuitatem vel contiguitatem in eodem communi & proximo ſpatio, in quo tamen habeant reſpectivè partes extra partes & extenſionem ſibi debitam. Denique idem incommodum urgebit adverſarios in ea ſententia quā ſtatuunt præſentiam Dei eſſentialem adſtringi ſummo cœlo: Vel enim Deus aliquam duntaxat cœli ſupremi partem replebit, vel totum cœlum: Si prius dixerint, ergo ſtatuent & cœlum majus eſſe Deo, & ipſius cœli ſummi magnam partem præſentiā Dei eſsentiali carere, & Deum ipſum finitum eſse & corporeum, qui certum & determinatum cœli ſpatium occupet. Si poſterius, ut nulla pars cœli careat præſentiā Dei ſubſtantiali, oportebit vel Deum fingere coextenſum ipſi cœlo, ut per ſui partes occupet partes cœli, quo abſurdo nihil poteſt concipi abſurdius; ſic enim Deus foret materialis & molis quantitativæ, non Spiritus nec Pater Spirituum; vel ſtatuere Deum totum, ceu indiviſibilem in ſe, coexiſtere & præſentem eſſe ſingulis cœli partibus, utut extra ſe mutuo poſitis & ſeparatis. Annon verò tunc Deus reſpectu ejuſdem partis cœli, totus erit extra & intra, ſupra & infra, ante & poſt, ad dextram & ad ſiniſtram? Et num inde ſequetur jungi & confundi omnes partes diſtinctas cœli in puncto indiviſibili, eo quod ſingulis illis Deus totus & indiviſibiliter adſit, propterea quod quæ eidem ſecundum idem junguntur etiam inter ſe jungi conveniat? Adeo nullis alijs argumentis iſti Titanes impugnant eſſentialem Dei omnipræſentiam, niſi quibus Athei ipſum cœlum ſtultitiā petant, & Deum de ſolio ſuo deturbare conentur. *Si quid enim ineſt ponderis his Sophiſmatis* ad Dei realem & eſſentialem præſentiam terrā eliminandam, tantundem valebunt ad eum ejiciendum cœlo.

Num tanquam impius] Non tanquam impius damnabitur, qui omnes ſtrophas & elenchos Sophiſtarum reſolvere non poterit; ſed pro impio & Theomacho habebitur, qui hos nodos ſibi & alijs contra Dei immenſitatem nectere voluerit, ut carpat quod non capit, & rem ipſam protervè neget, quia ejus modum aſſequi non poteſt.

Dei numen nuſpiam] At hoc nemo Vorſtianus & Socinianus credere unquam cenſebitur, quamdiu tam procul Deum à ſe diſtare & abeſſe crediderit, quam diſtat cœlum à cœno: Quod ſi *nuſpiam Dei numen* abeſt, neceſſe eſt Dei numen eſſe ubique; & per conſequens vel Deum eſſentia-

eſſentialiter ubique præſentem eſſe, vel Dei numen ad Dei eſſentiam non pertinere.

Is nondum ſe Deum] Sed quam revera & Dei & Chriſti ſit neſcia Schola Socini, ex decumanis illius quos hic profligamus erroribus luculenter evincitur. Nec Deus erit, ſi immenſus & omnipræſens non fuerit; Nec Chriſtus, ſi non fuerit verus θεάνθρωπος, cui etiam dum in carne verſabatur vera æternaquè divinitas adfuerit, non modò virtualiter, ſed etiam ſubſtantialiter.

CAP. XXVIII.

De Benignitate ac Clementia Dei, & huic oppoſita Severitate Dei.

‡ *Reſpondente* PETRO LAMBERMONTIO, *Sedanenſi.*

VEniendum nunc eſt, ex ordine ſuperiùs conſtituto (*cap: 24.*) ad illa Dei attributa, quæ ad Sapientiæ ac Sanctitatis normam ſeſe veluti attemperant; & primò quidem ad ea, quæ habituum nomina ſortiuntur, licèt interdum & affectuum appellationes illis accommodentur. Ea verò ſunt, Benignitas, & quæ illius ambitu continetur, Clementia, & huic oppoſita Severitas. De quibus hoc capite ſimul agemus; quia oppoſita ſibi invicem lucis aliquid afferunt; nec facilè cognoſci poteſt, quouſque clementia extendatur, niſi cognoſcatur, qui ſint ſeveritatis veluti cancelli ac fines, intra quos ſeſe contineat; & contrà.

Quod ergo ad benignitatem attinet; ea in ſac. literis crebrò admodum Bonitatis nomine appellatur: atque adeò, licèt alicubi ſanctitas quoque Dei, nomine bonitatis comprehendi queat; jurè tamen affirmari poteſt, ubicunque Deus in ſacris literis bonus prædicatur, benignitatem ejus comprehendi, frequentiùs ſolam deſignari: quamvis ea interim ſanctitatem veluti præſup-
280. ponat. Nam nec verè benignus eſſe poſſet, niſi ſimul eſſet juſtus ac rectus. Hinc illud ſolenne in ſacris literis, ac præcipuè in Pſalmis: (*1 Par: 16. 34. 2 Par: 17. 3. 1 Eſd: 3. 11. Pſal: 106. 1: 107. 1: 118. & alibi. vid: etiam 25. 7, & d. 34. 4.*) *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſecula miſericordia ejus.* ubi poſteriora verba explicatio ſunt priorum. Ex quibus illud quoque intelligitur, etiam Miſericordiæ nomine hoc Dei attributum venire. Licet enim miſericordia affectûs ſit nomen; ſæpè tamen pro ipſa benignitate ſeu beneficentia ſumitur, ſive de Deo, ſive de hominibus efferatur, & non certum aliquem miſerendi actum, ſed potiùs miſerendi conſuetudinem conſtantemque voluntatem ſignificat. Unde Deus miſericors eſſe dicitur, ejuſque exemplo & nos miſericordes eſſe jubemur. (*Luc: 6 36:*) Miſericors autem non dicitur, qui tantùm ſemel atque iterum miſeretur; ſed qui facilè, qui frequenter, conſtanterque miſeretur. Licèt autem ſuâ naturâ paulò anguſtius eſſe videatur miſericordiæ, quàm benignitatis nomen: quandoquidem

Digitized by Google

quidem miſericordia propriè exercetur erga miſeros atque afflictos tantùm, uti & nomen ipſum indicat; benignitas autem exerceri poteſt etiam erga eos, qui miſeri non ſunt, modò beneficii adhuc alicujus ſint capaces: tamen nonnunquam ita latè videtur extendi miſericordiæ vox, ut univerſam benignitatem ambitu ſuo comprehendat. Hoc ſanè modò accipiendum videtur illud Pſalmi, (*Pſal: 145. 9.*) *Suavis* (vel, ut eſt in Hebræo, *bonus*) *Dominus univerſis, & miſerationes* (ſeu *miſericordiæ*) *ejus ſuper omnia opera ejus*, h. e. Deus miſericordiam exercet in omnia ſua opera, reſve omnes à ſe creatas. ubi itidem poſteriora verba ſunt epexegeſis quædam priorum, & per miſericordias Domini, bonitas ſeu benignitas ejus explicatur. Similiter autem, & Gratiæ nomine Dei beneficentia deſignatur; vel ſaltem nihil impedit, quominus eo nomine, cùm Deo tribuitur, creberrimè intelligatur, & tunc quidem inprimis, cùm Deus Hebraicè Channun, q. d. gratioſus, &, ut nonnulli vocem vertunt, gratificus vocatur. (*Exo: 22. 27: 34. 6. Neh: 9. 17. Pſal: 86. 15: 103. 8, & alibi*) quia nimirum ad gratiam, favorem, ac benevolentiam hominibus præſtandam ſit valde propenſus, atque adeò eam libenter facileque præſtet. licèt aliàs gratia quoque affectum propriè ſignificet. de quo genere divinorum attributorum capp. ſeqq. agetur. Vidimus ſuprà (*cap: 25.*) & Juſtitiæ & Veritatis nomine benignitatem appellari aut comprehendi. Sed de nominibus ſatis.

Quod ad rem ipſam attinet, Benignitas Deo in ſacris literis attributa, voluntaria eſt ad benefaciendum propenſio, ſeu conſtans benefaciendi voluntas, ac conſuetudo. Non ſemel enim, cùm Dei beneficentia, quocunque tandem doctorum nominum elata, commemoratur, non ſolùm ad benefa- 281
ciendum propenſio, ſed & ipſa benefaciendi conſuetudo ſignificatur. Voluntariam autem propenſionem eſſe diximus: quia ea demum beneficentia vera eſt, ad quam non neceſſitas adigit, ſed quæ libera voluntate ſuſcipitur. Itaque licèt benignitas naturæ divinæ admodum ſit conſentanea, eâque digniſſima: non tamen ſimplici atque immutabili neceſſitate ei eſt alligata. Alioqui non poſſet non Deus benignè agere: nec unquam ira ac ſeveritas, quæ bonitati ſeu benignitati ejus apertè in ſacris literis opponitur, in illum caderet, aut in ullo ejus opere cerneretur. Neque enim naturalibus Dei proprietatibus quicquam poteſt in Deum cadere contrarium, aut in ullo ejus opere cerni. Sic cum ſapiens naturâ ſit Deus, nec inſipientia in illum cadere, aut inſipienter quicquam agere poteſt: cùm naturâ ſanctus juſtúſque, nulla impuritas, nullum injuſtitiæ genus in ipſo extare; aut in ullo ipſius opere verſari poteſt. Quòd ſi nonnulla, quæ benignitati repugnant, in eum nullo modo cadere poſſunt, ut invidia, crudelitas, ἐπιχαιρεκακία, ſeu lætitia ex innocentium malis profecta; non ideò non cadunt, quia cum benefi-

Digitized by Google

centia ſola pugnent; ſed quia ſimul cum ſanctitate. ſic quòd credentibus in Chriſtum non poteſt non dare vitam æternam; id propterea fit, quòd fides ac juſtitia ipſius poſtulet: quanquam ut ea id poſtularet, ex benignitate divina primò fuit profectum. Etſi autem voluntaria eſt hæc Dei benignitas, ac liberè ab ipſo ſuſcepta; conſtans tamen eſt: tum quia eâ frequentiùs libentiuſque utitur Deus, quàm ira ac ſeveritate: unde longanimis, ſeu tardus ad iram, ſed multæ miſerationis eſſe prædicatur: (*Exo: 34. 6. Neh: 9. 17. Pſal: 86. 15: 103. 8: 145. 8. Ioël: 2. 13. Ion: 4. 2.*) tum quia, cùm ſemel aliquem benignitate proſequi inſtituit, eâ illum proſequi non deſinit, niſi is ſeipſum eâ indignum reddat.

‡ *Itaque licet benignitas*] Eſt quidem libera in actu exercito, ut loquimur in Scholis, ideſt quoad actualem beneficiorum ſuorum hoc & illo modo, in hos & illos diſpenſationem; ſed tamen neceſſaria eſt & ſimpliciter naturalis in actu ſignato, & prout notat propenſionem & inclinationem ad benefaciendum: Nam omne bonum eſt ſui diffuſivum & communicativum; Deus autem eſt ſummè bonus, imò nemo bonus eſt præter ipſum Matth: XIX, 17. Et quemadmodum qui verè liberalis eſt, *non poteſt non* liberalitatem exercere, quoties prudens rerum, occaſionum & circumſtantiarum conſideratio exigit; nam exercitio virtutum moralium, moderatur & præeſt prudentia; ita ſanè Deus *non poteſt non benignè agere*, quoties id expedire pro ſumma ſua ſapientia judicat.

Nec unquam ira & ſeveritas] Falsò ſupponit Crellius Dei ſeveritatem & iram ſic opponi ejus benignitati & miſericordiæ, ut ſimul ei nequeant convenire: nam cum diverſa habeant objecta optimè inter ſe conſentiunt: quod docet Paulus Rom: XI, 22. Imò poteſt Deus & benignitaté ſuâ exercere erga nos ſalvâ ſuâ ſeveritate & juſtitiâ, cui jam ſatisfactum ſit per Chriſtum; & ſeveritatem ac juſtitiam in peccatores, multiplici adhuc longanimitate, ἐπιεικείᾳ & benignitate temperatam, prout docent Scholaſtici Deum ſemper infra condignum punire. Sed hæc eſt aſtutia hæretici, I. Vt *ſeveritatem* potius nominet & *iram* Dei, quam illius juſtitiam vindicativam & punitivam; cùm tamen Scriptura ſeveritatis & iræ divinæ nomine hanc demum intelligat. II. Vt neget benignitatem Deo eſſe naturalem, quo minus juſtitia vindicativa & punitiva peccati naturaliter illi ineſſe credatur.

Neque enim naturalibus] Sed primò cùm benignitas, etſi naturaliter Deo ineſſe negaretur, (quaſi aliquid ſit in Deo quod Deus non ſit, aut contra quam fert ſimpliciſſima ejus natura, componeretur ex ſubjecto & accidentibus variis,) ſaltem debeat ipſi competere per modum *habitus* boni & virtutis commendandæ, neque etiam illo reſpectu quicquam illi contrarium in Deum cadere poteſt, aut in ullo ejus opere cerni: prout verax & ſincerus cùm ſit, nulla poteſt mendacitas vel hypocriſis in eum cadere, aut quicquam falsò & fucatè facere. Deinde hoc eſt Crellij πρῶτον ψεῦδος, quod Severitatem faciat contrariam Benignitati, eodem ſenſu quo ſapientiæ inſipientia, & juſtitiæ injuſtitia opponitur: Nec enim Severitas magis Benignitati adverſatur quam Parſimonia Liberalitati; & Philoſophi morales, utramque illam virtutem, Benignitatem inquam & Severitatem, iræ, ut affectus eſt, regendæ & moderandæ deſtinarunt, ut videre eſt apud Heiderum *Syſt. phil. mor. p. 2.* ubi agit *de Manſuetu-*

Digitized by Google

Manſuetudine, Imò utramque expreſſit Ariſtoteles *lib.* 4. *Eth. ad Nicom. cap.* 11. nomine πραότητος, quam ait eſſe μεσότητα περὶ ὀργάς, *mediocritatem quæ in iris verſatur*; vultque illius eſſe quoque iraſci, ἐφ' οἷς δεῖ, καὶ οἷς δεῖ, ἔτι δὲ καὶ ὡς δεῖ, καὶ ὅτε καὶ ὅσον χρόνον: Etenim ut loquitur *in magnis mor. lib.* 1. *cap.* 23. οὔτε παντὶ δεῖ ὀργίζεσθαι, οὔτ' ἐπὶ πᾶσιν, οὔτε πάντως καὶ ἀεί: οὐδ' αὖ πάλιν οὕτως ἔχειν δεῖ, ὥστε μηδενὶ μηδέποτε· καὶ γὰρ οὗτος ψεκτὸς ἀνάλγητός γε ὤν: Cui doctrinæ Ariſtotelicæ conſentit illud Pauli Eph: IV, 16. *Iraſcimini & nolite peccare.* Itaque benè conveniunt & in una ſede morantur benignitas & ſeveritas, ut utrique ſit locus ubi & quando oportet: Vir bonus hac in parte erit api ſimilis, conjungendo mel Lenitatis cum Severitatis aculeo: Qui benignus volet eſſe lupis, ovibus crudelis deprehendetur; nam *Invitat culpam qui peccatum præterit*, & *Bonis nocet quiſquis pepercerit malis:* Nec minus eſt vitij in ἀοργησίᾳ & lentitudine, quæ benignitatem ſive manſuetudinem mentitur, quam in ὀργιλότητι ſive iracundia nimia, quæ ſub prætextu ſeveritatis juſtæ, ad ſævitiam & crudelitatem propendet. *Iuſtus ut ſis*, inquit Seneca, *non ſolum non nocebis, ſed etiam nocentes prohibebis.* Non ergo contraria eſt benignitati ſeveritas, quandoquidem nullæ virtutes ſibi mutuo adverſantur, nec contrarij ſunt effectus utriuſque, ſed tantum diverſi, pro diverſitate objectorum & circumſtantiarum.

Non ideo non cadunt] Abſurdè omninò: tùm quia ſanctitas & juſtitia univerſalis Dei benignitatem ac miſericordiam ejus, ceu virtutem particularem, complectitur; tùm quia proxima, immediata ac ſpecifica oppoſitio hic à Crellio commemoratorum vitiorum, eſt cum benignitate; remota vero, mediata & generica cum juſtitia & ſanctitate; quare dicendum eſt illa vitia in Deum non cadere, & quia ejus benignitati ſpecificè, & quia ejus ſanctitati genericè repugnent.

Ac juſtitia ipſius] Scilicet tùm univerſalis, tùm etiam particularis, ob ſatisfactionem illi præſtitam Chriſti merito & obedientiâ; *quanquam ut ea id poſtularet ex benignitate Divina fuit profectum*, quâ videlicet Filium ſuum nobis in ſponſorem largiri dignatus eſt, & quam in nos de jure exercere potuiſſet ſeveritatem, in illum derivare.

Etſi autem voluntaria] Sic voluntaria eſt *effectivè* & quoad ſui exercitium, ut tamen *affectivè*, & quoad ipſam propenſionem ad benefaciendum, ſit naturalis & neceſſaria, nec minus talis eſſe debet quam ſeveritas & *ira*; Hanc autem eo ipſo naturalem Deo facit Crellius, quod illi ineſſe ſtatuat per modum *affectus*: nam juxta Philoſophos habitus morales in nobis ſunt acquiſiti; ſed affectus naturaliter inſunt.

Tum quia frequentiùs] Rarior aut frequentior ille uſus, non efficit quo minus utraque ſit Deo naturalis: prout ipſi naturalis eſt & eſſentialis Omnipotentia, etſi liberè & pro ſuo arbitrio illâ utatur & eam exerat in operibus ſuis.

Niſi in ſeipſum] At benignitas Dei in ſuos per Chriſtum, id inſuper illis præſtat, ut impediat quominus ſe eâ reddant indignos; 1. Pet: 1, 5.

Patet autem Dei benignitas latiſſimè, atque adeò in res omnes ſenſu aliquo præditas ſeſe diffundit. ſiquidem, ut ſuprà vidimus, *miſericordia Domini ſuper omnia ejus opera* eſſe dicuntur à Pſalte, (*Pſal:* 145. 9.) qui aliquot locis inſignem ejus, tum in homines, tum in brutas animantes beneficentiam ce-

lebrat.

Digitized by Google

lebrat. *Tu* enim, inquit alicubi, Deum alloquens, (*Pſal: 36. 9.*) *homines & jumenta ſalvabis*, h. e. conſervas, alis, tueris. & alibi: (*Pſal: 145. 16. vid: & Pſal: 104. 11, & d.*) *tu aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione*, ſeu *pro benigna tua voluntate*. Veruntamen præcipua in homines (ut de rebus inferioribus nunc tantùm loquamur) extat Dei benignitas, atque ad iis benefaciendum propenſio. Unde eam etiam peculiari φιλανθρωπίας nomine ali-
282. cubi deſignat Apoſtolus. (*Tit: 3. 4.*) Neque enim ibi φιλανθρωπία ſimplicem quandam humanitatem ſeu comitatem ſignificat, ut aliàs apud Græcos ſolet, ſed vim majorem, & naturæ ſuæ propiorem habet. Significat autem propriè, ut notum eſt, amorem ſeu charitatem erga homines. Etiamſi autem amor affectus ſit, ac porrò φιλανθρωπία ad illud attributorum genus referendum videatur, quæ affectuum inſtar Deo inſunt: tamen quia conſtantem Dei erga homines benevolentiam, atque ad benefaciendum promptitudinem ſignificat, habitus cujuſdam inſtar eſt, & idem reipſa cum beneficentia, ſed ad certum objecti genus, nempe homines, reſtricta. Quanta autem illa ſit, quamque perfecta; ſatis explicuit Paulus eo ipſo, quo vocem illam de Deo uſurpavit, loco. Verumenimverò licèt benignus ſit Deus erga univerſos homines, atque adeò etiam erga malos, ut præter ſacras literas (*d. l. Pſal: 145. 9. Luc: 6. 35.*) etiam ipſa teſtatur experientia: nominatim tamen bonus ſeu benignus in pios ac fideles eſſe prædicatur: (*Pſal: 73. 1. Thren: 3. 25.*) non quòd in cæteros planè non ſit, ſed quòd in illos maximè. Nam & longè majora in pios, quàm in impios, conferre ſolet beneficia, ſi non terrena & ad corpus ſpectantia, ſaltem ſpiritualia & cœleſtia: & longè conſtantiùs illis, quàm his, benefacit. Nam impios, cùm ipſius benignitate ad frugem adduci ſe non patiuntur, tandem omnibus ſuis beneficiis excluſos, graviſſimè punit, & à facie ſua in æternum abjicit. Pios autem amare nunquam deſinit, eoſque poſt mortem etiam novit, nominibus ipſorum in vitæ librum relatis. Unde meritò ſacræ literæ, (*Rom: 11. 28.*) Deum bonitate in fideles, ſeveritate in infideles ac contumaces uti aſſerunt.

‡ *Eoſque poſt mortem*] Verum neque demum poſt mortem retulit eorum nomina in vitæ librum, ſed ante jacta mundi fundamenta Eph: 1, 4. Neque illos ſolos novit, ſi cognitio theoretica intelligatur, poſt mortem, ſed etiam impios & peccatores; Neque pij poſt mortem habent ſolum eſſe cognitum in mente Divina, ſed eſſe ſuum reale & fœlix in ſeipſis, juxta promiſſionem factam latroni in cruce Luc: XXIII, 43. *Hodie mecum eris in Paradiſo.*

Unde meritò ſacræ] Sed & eædem docent, quod ex eadem maſſa alios faciat vaſa miſericordiæ, alios vaſa iræ, Rom: IX, 21. 22. adeo ut quod iſti fiant fideles, pertineat ad ſingularem Dei benignitatem, ad juſtam vero ſeveritatem, quod hi fide non donentur.

Ex dictis

Ex dictis autem jam aliqua ex parte proprietates benignitatis divinæ apparent. Eſt enim ea primùm ampliſſima: cum ad omnes res creatas beneficii alicujus capaces, quales ſunt res ſenſu prædita, extendatur; & reſpectu hominum ita univerſalis, ut nemo niſi peccatis ſuis id fuerit commeritus, ab ea excludatur; & plærique non protinus, ſed diu tolerati, diu ad frugem vocati.

‡ *Et reſpectu hominum*] Benignitas Dei eſt multiplex; alia communis & temporalis. circa beneficia hujus vitæ, cujus etiam impij effecta conſequuntur, quandoque uberrima; alia ſpecialis & ſpiritualis, ſpectans ad vitam & ſalutem æternam: Hæc *univerſalis reſpectu hominum* fuit in Adamo, qui illius promiſſiones ſibi & ſuis poſteris omnibus acceperat: ſed poſtquam omnes in ipſo defecerunt & lapſi ſunt, reſtricta fuit per Dei beneplacitum ad eos demum quos ex illa lapſorum multitudine erigere & ad ſalutem per Chriſtum eligere dignatus eſt.

Niſi peccatis ſuis] Vt nemo excidit benignitate Divinâ, niſi peccator, adeoque repugnat innocentem apud benigniſſimum Deum abſquè reſpectu peccati, graviſſimis ſubjici tormentis, (ut falſò ſtatuunt adverſarij) ita benignitatis ſalutiferæ in Chriſto hæc eſt efficacia, ut eos ad quos extenditur cuſtodiat in fide 1. Pet: 1, 5. & bonum quod in illis cœpit opus perficiat & compleat uſque ad diem Chriſti Phil: 1, 6.

Sed diu tolerati] At etiam dicitur tolerare ἐν πολλῇ *μακροθυμίᾳ* vaſa iræ quæ coagmentavit ad interitum Rom: IX, 12. Vt ex tali tolerantia, benignitatis ſalutiferæ extenſio univerſalis nequaquam veniat colligenda.

Deinde & uberrima eſt: cum maxima donorum copia ſemper ab ea promanet. Ubertatem hanc divinæ benignitatis, cum ejus amplitudine conjunctam, tum alibi prædicat ſcriptura, tum Pſaltes non ſemel prædicat, atque inter alia pſalmo ſuprà notato 36: (*verſu 6, & d.*) ubi licèt etiam *veritatis* ac *juſtitiæ* faciat mentionem; tamen & illis vocibus benignitatem aliqua ratione comprehendit. quandoquidem fidem illam deſignat, quâ Deus promiſſa ſua, & quicquid illis eſt conſentaneum, præſtat, qua in re & benignitas ejus continetur. adde, quòd, ut ſuprà docuimus, (*cap: 25.*) & juſtitiæ vox beneficentiam nonnunquam denotat, & veritas ſinceram benevolentiam. Ita 283.
ergo ait: *Domine in cœlo* (ſeu *uſque ad cœlos*) *miſericordia tua*, *& veritas tua uſque ad nubes. Iuſtitia tua ſicut montes Dei: judicia tua abyſſus multa. Homines & jumenta ſalvabis*, (ſeu *ſervare ſoles,*) *filij autem* (Hebr. *& filij*) *hominum in tegmine* (Hebr. *umbrâ*) *alarum tuarum ſperabunt. Inebriantur ab ubertate* (Hebr. *pinguedine*) *domus tuæ*; & *torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* q. d. tanta eſt tua benignitas, tanta fides, quâ promiſſa tua, quæque iis ſunt conſentanea, præſtas, ut ad cœlos nubeſque pertingere videatur, & montes altiſſimos æquet; ita ubique eminet, ſéque conſpiciendam præbet. Opera providentiæ tuæ (hæc enim *judiciorum* divinorum

Digitized by Google

norum nomine hoc loco cum viris quibuſdam doctis accipimus) tam ſunt multa, ut inſtar profundiſſimæ ſint abyſſi. Nam tu & homines & bruta conſervas, alis, ac tueris. & inprimis homines ſub tua tutela ſecuri ſunt, in eaque fiduciam ſuam tutò collocare queunt. Tu es inſtar locupletiſſimi patrisfamiliâs, in cujus domo beata rerum eſt copia, quâ omnes fruuntur, omnes replentur: à te profluunt omnis generis beneficia, quibus vita noſtra exhilaratur. Nam à te uno manat vita, & quicquid ad illam conſervandam pertinet. Te opem nobis ferente, & beatitatis veluti radiis nos colluſtrante, diſcuſſis calamitatum ac curarum tenebris nebuliſque, læti ac beati vivimus. Et hæc quidem ratione terrenorum beneficiorum revera de benignitate divina dixit David. Quid nunc dicturus eſſet, poſtquam nos Deus ditavit omni benedictione ſpirituali in rebus cœleſtibus per Chriſtum? ·

‡ *Et hæc quidem ratione*] Verum nulla ſubeſt ratio, cur David non intelligatur de beneficijs ſpiritualibus, quæ credentes & verâ fiduciâ ſe recipientes ſub umbram alarum Dei,. ex illo conſequuntur; Abſit enim ut vir ſanctus & ſecundum cor Dei, nihil aliud ſpectarit ex benignitate illius aut ab ea exſpectarit, quam terrena beneficia, ſic communia pijs & impijs, ut ſæpè hi potiora & pinguiora conſequi videantur; aut fidem & fiduciam ad cœleſtia & æterna non ſuſtulerit: Imò ad iſta quoque extendi, & de his potius quam de illis intelligi debet hæc pericopa; *Inebriantur ab ubertate domus tuæ, & torrenti voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te eſt fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen.* Nec enim tam ventris quam mentis ſaturitatem ſpectabat Propheta, & Scripturæ tralatitium eſt per ejuſmodi metaphoras à cibo & potu deſumptas, ſpiritualem Dei gratiam & fœlicitatem æternam exprimere, ut Pſal: XVI, 11. XVII, 15. LXIII, 6. LXV, 5. Eſa: XXV, 6. LXV, 13. LXVI, 11. Ier: XXXI, 14. Matth: VIII, 11. Apoc: VII, 17. XXI, 23. 24. XXII, 2. 5.

Quid nunc dicturus] Nec ſanè ſimpliciter David illarum benedictionum ſpiritualium expers fuit, cum etiam in terrenarum umbris illas contemplaretur, mathematicos imitatus qui ex umbris terræ ſyderum magnitudinem metiuntur.

Itaque non mirum, in ſac. literis Novi fœderis divitias benignitatis, aut gratiæ ejus non ſemel celebrari. (*Eph: 3. 1.*) Animadvertendum enim eſt, licèt divina benignitas adeò ſit dives, eam tamen reſpectu diverſorum objectorum & temporum, diverſos habere effectus, graduum ratione inter ſe diſtinctos. Ratione objectorum; quia majoribus olim cumulavit beneficiis Iſraëlitas, quàm Gentes extraneas: majoribus item cumulat pios, quàm impios; & inter pios iterum eos, qui virtutem majori ſtudio colunt. quamquam liberrimæ Dei poteſtatis eſt, etiam inter pares diſcrimen facere, ut ſuperiùs eſt explicatum. Quò pertinet illud, quòd Deus miſereatur, cujus vult miſereri. (*Exo: 33. 19. Rom: 9. 15, 16, 18.*) Ratione diverſorum temporum; quia major ipſius benignitas eluxit ſub Novo Fœdere, quàm ſub Veteri.

Unde

Digitized by Google

Unde illud Johannis: (*Ioh: 1. 16, 17. conſ: verſu 14.*) *De plenitudine* Sermonis, h. e. Chriſti, qui plenus fuit gratiâ & veritate, *nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia: quia Lex per Moſen data eſt; gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* & illud Pauli: (*Rom: 6. 14, 15.*) *non ſumus ſub Lege, ſed ſub gratia.* & 284. quòd idem alibi publicati Evangelii tempora ita deſcribit: (*Tit: 3. 4.*) *Cùm benignitas & humanitas* (vel potiùs *amor erga homines*) *apparuit Salvatoris noſtri Dei.* Sic & reſpectu ejuſdem hominis diverſo tempore diverſa ſunt divinæ benignitatis effecta. Solet enim Deus, ut ſuprà etiam alicubi monuimus, à minoribus beneficiis ad majora progredi, niſi hunc beneficiorum curſum hominis peccata, & ingrati animi crimen impediat. Denique æterna eſt divina benignitas, tum univerſim conſiderata, tum in ſpecie, reſpectu piorum. Nam & in univerſum benignitate ſemper uſus eſt Deus, ex quo creaturæ extiterunt: ſiquidem nec exiſtere, nec conſervari ſine benignitate divina potuerunt: & porrò eâ utetur. Unde Miſericordia Dei nunc à ſeculo fuiſſe dicitur, (*Pſal: 25. 6.*) nunc in ſeculum. (*Pſal: 106. 1: 107. 1: 118. 1, 2, 3, 4, 29.*) Sed nominatim reſpectu piorum æterna dicitur à Davide, cùm ait: (*Pſal: 103. 17.*) *Miſericordia Domini ab æterno & uſque in æternum ſuper timentes eum, & juſtitia ejus* (h. e. benignitas promiſſis ejus conſentanea, ſeu fides liberaliſſime promiſſa præſtans) *ſuper filios filiorum, his qui ſervant teſtamentum ejus, & memores ſunt mandatorum ipſius ad faciendum ea.* Id autem veriſſimum eſt non tantùm generatim, quatenus nimirum Deus hominibus piis quovis tempore ſolitus eſt benefacere, ac porrò benefaciet; ſed ſigillatim de unoquoque eorum, qui in pietate ad extremum uſque ſpiritum perſeveraverint. ſiquidem eorum etiam poſt mortem Deus eſt, ad immortalem eos vitam aliquando reſuſcitaturus.

‡ *Etiam inter pares*] Vt revera per gratiam diſcriminantem facit 1. Cor: IV, 7.

Sed ſigillatim de] At nemo verè pius, non perſeverat in pietate; Verus amor nunquam perit: & *qui cecidit ſtabili non erat ille gradu.*

Siquidem eorum etiam] Non tantum quod eos ſit aliquando reſuſcitaturus, ſed quod illicò *poſt mortem*, eos recipiat in tabernacula ſua æterna Luc: XVI, 9. & ſic aggreget illos panegyri atque Eccleſiæ primogenitorum in cœlis conſcriptorum, *& ſpiritibus juſtorum conſecratorum* Heb: XII, 23. Sed ita ſubinde Crellius atheiſmum ſuum de animæ humanæ mortalitate conatur inſtillare, & ridere eum etiam ex Ethnicis qui dixit, *Sunt aliquid manes, lethum non omnia finit.*

Cernitur autem Dei benignitas in omnibus cujuſcunque generis beneficiis, quæ rebus creatis impertit, ſive malum tantùm aliquod ab illis avertat, ſive inſuper boni aliquid in eas conferat. Sed tamen ea beneficentiæ pars, quæ cernitur in malis, & malis quidem commeritis avertendis, ſpeciali nomine Manſuetudo aut Clementia dicitur. Manſuetudo enim eſt, quæ iram

 temperat;

Digitized by Google

temperat; & Clementia pridem propriè manſuetudo eſt ſuperioris erga inferiorem, potentioris erga imbecilliorem. Tribuitur autem Deo in ſacris literis ira, h. e. voluntas, ſeu (ſi ita de Deo loqui fas eſt) affectus puniendi. Ea ergo benignitatis divinæ pars, quæ iram illam vel exoriri, cùm meritò poſſet, non ſinit, vel eandem differt, vel jam exortam mitigat, aut penitùs extinguit, manſuetudo eſt ac clementia, quæ Deo in ſacris literis tribuitur. quanquam interdum generaliùs χρηςότητος ſeu benignitatis nomen retinet. (*Rom:* 2. 4.)

‡ *Tribuitur autem Deo*] Sed neque Severitas, Philoſophicè loquendo, debet cum ira conjungi, ſaltem in hominibus; cùm illa virtutis, hæc paſſionis & affectus habeat rationem; nec poteſt negari ab adverſarijs Deo naturalem eſſe juſtitiam vindicativam, ſi ſeveritas & ira, ideſt *voluntas puniendi*, per modum *affectus* illi convenit: cùm ſervatâ analogiâ inter Deum & hominem, tam neceſſe ſit naturaliter Deo ineſſe quæ illi per modum affectus conveniunt, quam ipſimet affectus noſtri nobis naturaliter inſunt.

Ea ergo benignitatis] Sed illa manſuetudo ac clementia Dei, *quæ iram illam vel exoriri cùm meritò poſſet, non ſinit*, vel *penitùs extinguit*, primùm non debet confundi cum illa quæ *vel eandem differt*, quod enim differtur non aufertur; vel illam *jam exortam mitigat*; quia mitigatio hæc pœnæ & iræ, pertinet demum ad calamitates hujus vitæ, & præſertim ad eas quæ magis ſunt medicinales & emendatoriæ, quas παιδείας nomine exprimunt Græci, quam ad eas quæ ſpecificè pœnales & ſatisfactoriæ dicuntur, & quas ijdem per τιμωρίαν ſolent exprimere: quo ſenſu Deus eſt πρᾶος & mitis erga ſuos filios, adeoque, ut verba Ariſtotelis *lib. 4. Eth. ad Nic. cap. 11.* uſurpem, magis συγγνωμονικὸς, quam τιμωρητικός: quod & David inſinuat Pſal: CIII, 10. 13. Deinde ſic removet iram & ſeveritatem ab eo cui parcit, ut tamen Deus illorum ipſorum peccatorum quæ per illam condonat, jam repetijſſe pœnas à ſuo Filio Electorum Sponſore & Expromiſſore ſit concipiendus: Nec enim hæc clementia & manſuetudo exercetur cum juſtæ ſeveritatis diſpendio; ſed illam Deus citra hujus læſionem vel imminutionem, pro ſua ſumma Sapientia ſic exſerit in ſuos, ut & Severitati ſuæ ſatisfiat per Chriſtum, & largè ſuam Benignitatem effundat in miſeros peccatores.

Intelligitur autem hinc, clementiæ divinæ effectum non eſſe uniuſmodi,
285. ſed nunc perfectiorem ac pleniorem, nunc minùs perfectum. Præcipuus eſt, peccatorum remiſſio ſeu condonatio, h. e. gratuita liberatio à reatu ac pœnis peccatorum. Minùs perfectus eſt, pœnarum mitigatio, aut dilatio. Et ea quidem manſuetudinis pars, quæ pœnam differt, & peccantes diu tolerat, ἀνοχὴ ſeu patientia ac tolerantia ſpeciali nomine dicitur: appellatur & μακροθυμία. (*Rom:* 2. 4: 3. 26: 9. 22.) quanquam hæc vox latiùs etiam extenditur, & univerſam Dei manſuetudinem ac clementiam interdum complectitur, reſpondetque illi Dei epitheto, quo ſacræ literæ Veteris Teſtamenti eum inſigniunt, dum eum Hebraicè *erech appajim*, h. e. *longum irarum*, ſeu ad iram tardum appellant. (*Exod:* 34. 7. *Num:* 14. 18. *Pſal:* 86. 15: 103. 8.) ſiquidem &

Digitized by Google

dem & Græci interpretes τῦ μακροθύμυ voce Hebræum illud Dei elogium exprimunt; uti & tum, cùm idem de hominibus effertur. (*Prov: 14. 29: 19. 18: 16. 32.*) Id autem epitheton univerſam manſuetudinem complecti videtur. cùm cæteroqui Græca μακροθυμίας vox nonnunquam à πραότητι in ſacris literis diſtinguatur, (*Gal: 5. 22.*) ita nimirum, ut μακροθυμίας ſeu longanimitatis officium ſit, iram diu cohibere atque differre, &, utut ſæpè diúque offendaris, noon irritari tamen, aut ad vindictam progredi: πραότητ☉ autem, nec graviter iraſci, & iram facilè deponere, placabilémque eſſe.

‡ *Non eſſe uniuſmodi*] Optimè: Nam pœnarum dilatio, pertinet ad Providentiam communem; ad Gratiam vero liberatricem in Chriſto, earundem totalis ablatio per remiſſionem peccatorum: imò & illarum mitigatio, ut plurimum; cum ſit potius pœnarum medicinalium, quibus Deus ſuorum ſanctificationem & ſalutem ſolet promovere, quam aliarum.

Utitur autem Deus priori clementiæ effectu, qui in remiſſione peccatorum cernitur, erga omnes, qui reſipiſcunt, & vitam ad normam divinorum mandatorum emendant, ut ex ſac. literis cuivis liquet. Quanquam hæc Dei benignitas novo potiſſimùm fœdere eſt incluſa, & promiſſis illius comprehenſa. Nam quæ ante Chriſtum de remiſſione peccatorum extiterunt promiſſiones, fœderi præſertim antiquo inſertæ, eæ non uno modo reſtrictæ fuerunt. (*vid: Ier: 31. 34, conſ: cum anteced. Heb: 8. 12. conſ: verſu 6, & d. & c. 10. 16, 17. Mat: 12. 31, 32. Act: 13. 38, 39.*) Nam primùm ad ſolos Iſraëlitas revera pertinebant. deinde de remiſſione pœnarum temporalium revera loquebantur: liberationem ab æterna pœna ita ſignificabant, ut ipſum fœdus antiquum ſignificabat novum, & populus Iſraeliticus Chriſtianum; atque adeo reſpectu illius temporis Deum ad pœnam iſtam ab hominibus auferendam non obligabant. Denique reſpectu peccatorum condonandorum limitatæ erant promiſſiones illæ, præſertim ſi habeatur ratio ſingulorum ex populo, non populi generatim conſiderati. (*vid: d. l. Act: 13. conſ: Levit: 18. 29. conſ: anteced. c. 20. 9, & d. 24. 15, & d. Num: 15. 30, & d. Deut: 27. 15, & d.*) qua de re nunc non eſt fuſiùs dicendi locus. Apud Prophetas ampliorés quodammodo extant promiſſiones: ſed in iis divinus ſpiritus ad novi fœderis tempora magis reſpexit. quatenus autem eædem ad Veteris tempora ſpectant, ita ſunt accipiendæ, ut ſeveritatem quidem illius aliquatenus relaxent, ſed non penitus tollant, & ſic ipſam fœderis rationem evertant. 286.

‡ *Utitur autem Deus*] Dicit quidem author quibusnam remittuntur peccata; ſed cauſa illius remiſſionis meritoria & impulſiva, non in hominū reſipiſcentia & ſtudio novæ vitæ, ſed in Chriſti ſanguine, obedientia & redemptione quærenda eſt.

Novo potiſſimum fœdere] Cùm novum fœdus ſumatur bifariàm, vel oppoſitè ad Legale & operum, vel oppoſitè ad Leviticum & cæremoniarum, benignitas pec-

tas peccatorum remiſſiva, pertinet ad Novum fœdus priori ſenſu abſolutè, cùm Lex nihil aliud quam exactam urgeat obedientiam, adeo ut qui vel in minimo ex illius mandatis impegerit damnas ſit omnium Iac: II, 10. altero ſenſu ſecundum quid, quatenus longè clariùs, uberiùs & diſtinctiùs, remiſſio peccatorum nobis proponitur ſub Euangelio, quam ſub œconomia cæremoniali, quæ ſic habebat *umbram futurorum bonorum* Heb: x, 1. ut etiam multo plus accederet ad Legis auſteritatem, quam ad lenitatem Euangelij, quod vel colligas facilè ex Gal: IV, 1. 2. 3.

Nam quæ ante Chriſtum] Sed etiam in Chriſto venturo fundabantur illæ ipſæ promiſſiones, de remiſſione peccatorum antiquo fœderi inſertæ, uti colligimus ex Act: xv, 11. 1. Cor: x, 1. 2. 3. 4. Heb: XIII, 8. Apoc: XIII, 8. Licet nihil juris ad illas habuerint Gentiles ſtante intergerino pariete, quem Chriſtus disjecit ſua morte Eph: II, 12. 13. 14. & longè obſcuriùs tunc proponerentur quam nunc ſub N. F.

Deinde de remiſſione] Verùm quoniam *ita ipſum fœdus antiquum ſignificabat novum*, ut hoc in illo velatum, ac illud in iſto revelatum, meritò dixerit Antiquitas; *Quid eſt enim quod dicitur Teſtamentum vetus, niſi occultatio novi? & quid eſt aliud quod dicitur novum, niſi veteris revelatio?* inquit Auguſtinus *lib. 16. de Civit. Dei cap. 26.* non ſolum ſignificabatur, ſed etiam obſignabatur in illo, illa ipſa plena peccatorum remiſſio, quæ in hoc per Chriſti ſanguinem credentibus perſpicuè & diſtinctè proponitur.

Atque adeo reſpectu] Id ut molliſſimè loquar perambignè dicitur: Licet enim Deus non obligaretur reſpectu ſacrificiorum illius temporis in ſeipſis conſideratorum, ad pœnam auferandam; attamen & per promiſſiones ſuas illis ſacrificijs adjectas, & per rem illis ſignificatam, nempe Chriſti ſacrificium & mortem ſuo tempore futuram, verè ſe obſtringebat ad pœnarum quarumcunque ablationem, reſpectu credentium, & in illis ſuis umbris, non tam quid eſſent, quam quid ſignificarent conſiderantium: prout quotquot in manna Chriſtum intellexerunt, eum etiam manducarunt. Sic enim illæ promiſſiones *de remiſſione pœnarum temporalium loquebantur*, ut ſub illam & per illam etiam ablationem æternarum ſignificarent & obſignarent.

Denique reſpectu peccatorum] At ſatis eſt quod toti populo omnium ſuorum peccatorum remiſſio & promittebatur, & ſignificabatur & obſignabatur in feſto Propitiationis: Eodem pertinebat ſacrificium juge quod veſperi & mane offerebatur. Equidem pro gravioribus illis peccatis, quæ Moſi recenſentur locis Crellio citatis, nullum ſingulare & ſpeciale ſacrificium erat conſtitutum, quod intereſſet Reip. tam atrocia crimina inulta non manere; Sed tamen nec illorum remiſſione caruiſſe penitùs V. T. liquet exemplo Aaraonis Idololatriæ vexillum in vitulo aureo populo erigentis, & Davidis homicidæ & adultori; utrumque enim peccati ſui propitiationem & remiſſionem fuiſſe conſequutum, eamque illis ſignificatam & obſignatam fuiſſe in ſacrificijs communibus pro toto populo offerri ſolitis, dubitari non poteſt. Quod ſi veteres illi plenam remiſſionem peccatorum ſuorum non fuiſſent conſequuti, idque ſignificativè quidem in ſuis victimis, meritoriè vero in Chriſti ſanguine per illas ſignificato, nullum jus haberent ad gloriam futuri ſæculi & ſalutem communicandam pijs. Quod vero Act: XIII, 38. 39. dicimur conſequi in Chriſto remiſſionem peccatorum & eorum omnium à quibus non potuimus juſtificari in Lege Moſis, nihil huc facit: Nam primò juſtificationem eam conſequimur per Chriſtum quam lex Moſis moralis non potuit præſtare Rom: VIII, 3. Deinde revera juſtificamur ſanguine

Digitized by Google

Chriſti ab ijs, à quibus juſtificari nemo poterat per ſacrificia legalia in ſe conſiderata & citra σχέσιν & relationem ad ſanguinem Chriſti, quorum eo ſenſu nullam ad id fuiſſe efficaciam, docemur luculenter Heb: x, 1. 2. 3. 4.

Apud Prophetas] Abſurdè feceris Prophetas mediæ conditionis inter vetus & novum Teſtamentum: Et illæ quas habent promiſſiones remiſſionis peccatorum ſic reſpiciunt beneficium redemptionis Novi fœderis tempore exhibendum, ut eas tamen indicent ſignificari & obſignari per ritus legales & Leviticos; unde ſæpè eas terminis à cultu Levitico deſumptis ſolent exprimere. Quæ ergo hic inſerit Crellius de relaxatione aut everſione Veteris fœderis per eos, planè ἀπροσδιόνυσα ſunt: Manſit enim illud fœdus in ſuo vigore, donec Chriſtus apparuit, & rem illo ſignificatam & adumbratam plenè exhibuit.

Quod ad poſteriorem clementiæ partem effectúmve attinet, qui in differendis pœnis cernitur; eo creberrimè quidem utitur Deus, hodie præſertim, ubi tam benignè cum genere humano agere ipſi placuit; nec tamen ſemper. Nam interdum divina vindicta ſat celeri gradu hominum flagitia conſequitur, nec reſipiſcentiam eorum expectat. Quamquam dubium non eſt, illos ipſos homines aliquando longanimitatem divinam in aliis delictis, utut minùs gravibus, fuiſſe expertos.

‡ *Quod ad poſteriorem*] Sed ſuprà monuimur hanc Clementię & Benignitatis Divinæ partem alterius eſſe ordinis à præcedenti: Præcedens enim fundatur in Chriſti redemptione & ſanguine; Hæc vero communis eſt Providentiæ, juxta quam ſolet vindicta Divina lento gradu ut plurimum procedere & cum pedibus laneis, ſic tamen ut manus ferreas adhibeat, & gravitate pœnæ compenſet tarditatem illius: Et quamvis alios alijs celeriùs oppprimat juſta Nemeſis, nunquam tamen fulminat quin tonaverit: & nemo eſt adultorum qui benignitate Dei ad reſipiſcentiam multifariàm non deducatur Rom: 11, 4.

Animadvertendum autem eſt, cum clementiæ divinæ effectis alios beneficentiæ fructus creberrimè ſolere conjungi. Nam cùm pœnas aufert Deus, præſertim penitùs, beneficia earum loco reponit. quod in iis maximè conſpicitur, quibus ſub N. fœdere peccata condonantur. Nam in hoc quidem ſeculo, præter alia bona, ſpiritus ſancti donum illis largitur; in futuro autem, loco mortis ſempiternæ, vitam illis donabit immortalem, perpetuis gaudiis affluentem. Cùm verò differt pœnas, variis ſæpè modis illorum hominum, quibus parcit, reſipiſcentiam quærit; & iis quidem, qui veritatis agnoſcendæ occaſionem nondum habuerant, eam præbet: à cæteris, ſi nec veritatem nec animum reſipiſcendi abjecerint, & virtutibus quibuſdam ipſi valde gratis, ut charitati ac beneficentiæ, operam adhuc dent, eam non aufert, ſed eorum converſionem ac ſalutem curæ ſibi habet, præſertim ſi aliorum precibus juventur. Aliàs, ſi quis animum adverſus pietatem aut ipſam etiam veritatem obfirmet, ab ipſo quoque Deo indurari ſolet.

‡ *Quod*

Digitized by Google

‡ *Quod in ijs maximè*] Sed utrumque pertinet etiam ad fideles V. T. Nam illi ſuo modo fuerunt participes Spiritus Sancti, licet non ea largitate & copia qua nobis ſub N. F. nunc confertur: Patet quod dico exemplo Davidis Pſal: LI, 12. 13. Nec ſimiliter caruerunt promiſſis vitæ æternæ, quod ex ſexcentis Scripturæ teſtimonijs facilè poteſt comprobari; unde etiam Iudæi in hunc uſque diem articulum XIII. ex ſuis Ikkarim, faciunt de reſurrectione mortuorum.

Cum vero pœnas differt] Agnoſco quod eos quorum Deus pœnas non aufert, ſed differt, varijs interdum afficiat beneficijs, quò magis inexcuſabiles reddantur; Sed I. impropriè Deus dicitur Crellio eorum *reſipiſcentiam quærere*: Nam præterea quod τὸ *quærere* ſit propriè neſcientis, nec poſſit propriè Deus quærere eorum reſipiſcentiam, quos non neſcit ad reſipiſcentiam non venturos; ineptè cenſebitur quærere propriè eorum reſipiſcentiam, quorum pœnam ex ſpeciali decreto *differt*; cum hoc decretum pœnæ dilatorium ſupponat abſolutum decretum ob impœnitentiam prævisſam jam factum, de pœna infligenda; ut cum ſententiâ jam pronunciatâ à judice in reum, executio ejus ſonticâ de cauſâ tantiſper ſufflaminatur: Si quæ interea beneficia conſequuntur quæ ex parte rei deberent illis eſſe pro ſtimulis ad reſipiſcentiam Rom: II, 4. ijs tamen Deus nihil propriè intendit quam eos reddere ἀναπολογήτους. II. Nec verum eſt Deum ſemper ijs quorum pœnam differt præbere occaſionem veritatis cognoſcendæ, ſi nondum eam habuerint: Nam & omnibus in genere τὸ γνωστὸν Dei ſatis innoteſcit ex libro naturæ Rom: I, 19. 20. & veritatis ſalutaris cognitionem diutiſſimè denegavit Gentilibus quos in vijs ſuis ſinebat ambulare Act: XIV, 16. 17. Pſal: CXLVII, 19. 20. Rom: XVI, 25. 26. III. Fruſtra accenſentur illis quorum pœnas Deus non aufert ſed differt, qui *nec veritatem, nec animum reſipiſcendi abjecerint, & virtutibus quibuſdam ipſi valde gratis operam adhuc dent*: Qui enim tales ſunt revera ad eos pertinent erga quos utitur Deus priori illo Clementiæ effectu, qui non in dilatione, ſed in ablatione pœnæ & remiſſione peccatorum conſiſtit: Nec enim conterit arundinem quaſſatam, aut extinguit linum fumigans Matth: XII, 20. ſed prout ipſius virtus in infirmitate perficitur 2. Cor: XII, 9. etiam bonum opus quod in illis cœpit perficit uſque ad diem Domini Phil: I, 6. Vbi enim ſupereſt ſtudium veritatis & animus reſipiſcendi, ubi etiam ſunt ullæ virtutes Deo valde gratæ, ibi quoque illa fides eſt abſque qua impoſſibile eſt ipſi placere Heb: XI, 6. Et qui poſt diligens & accuratum ſui ſcrutinium talia γνωρίσματα in ſe repererit, id ſibi dictum debebit certò ſtatuere, *Confide, fili, remiſſa ſunt tibi peccata tua* Matth: IX, 2. Nec video qui Crellio, illi quorum Deus *converſionem ac ſalutem ſibi curæ habet*, poſſint annumerari ijs quorum pœnæ magis differuntur quam auferuntur; aut quid amplius fieri poſſit ex parte Dei in Schola Sociniana ad eorum converſionem, qui & veritatem in corde & animum reſipiſcendi retinent, atque bonis operibus præſertim miſericordiæ, & charitatis vacant ex animo; aut cur illi, converſis, reſipiſcentibus & credentibus non ſint annumerandi.

Hæc quò meliùs intelligantur, jam de Severitate quoque divina nobis eſt agendum. Reperitur autem Severitatis vox de Deo uſurpata in illo Epiſt. ad Rom. loco, quem ſuprà indicavimus, (*c. 11. 22.*) ubi ait Apoſtolus: *Vide ergo bonitatem, & ſeveritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, ſeveritatem: in te autem*

Digitized by Google

in te autem bonitatem [*Dei,*] *ſi permanſeris in bonitate.* quamquam eo in loco ſeveritas non conſuetudinem ſeverè agendi, aut quippiam habitui analogum, ſed actum tantùm ſeveritatis certum denotat. Alibi autem nec ſeveritatis vocem de Deo uſurpatam, nec ipſum Severum fuiſſe appellatum, uſpiam animadvertimus. Nec mirum: cùm is demùm Severi nomen verè mereatur, qui pœnam libentiùs exigit, quàm condonat, & rarò aut vix quicquam de ſupplicio remittit.

‡ *Reperitur autem*] Severitas hoc loco, quæ Græcè ἀποτομία dicitur, non ea eſt quæ opponitur τῇ ἐπιεικείᾳ, & ſonat τὸ ἀκριβοδίκαιον; quo ſenſu *mitior* & *ſeverior* ſententia opponuntur *l.* 2. *Cod. Ex quibus cauſis*; & etiam κρίσις ἀπότομος commemoratur authori Sapientiæ VI, 5. Multò minùs ea quæ aliàs Græcis σκληρότης & τραχύτης dicitur, prout Suidæ τὸ ἀπότομον, idem eſt quod σκληρὸν, & ἡ ἀποτομία idem quod τραχύτης, ideſt tetrica quædam aſperitas & ferocitas: ſed ea demum quæ ἀοργησίαν & vitioſam lentitudinem expugnat, & juſtam exercet iram, in quæ & quos & quando & quamdiu oportet; prout ipſi Calepino Severitas dicitur, *Gravitas & conſtantia in judicando & imperando*; quam Carolus Paſchaſius *lib. de Virt. & vit. cap.* 17. perpetuum cum Clementia comitem facit Iuſtitiæ, & quæ, inquit, *ſi nulla ſit, aut remittatur contra improbitatem*, planè *invalidæ ſint leges, quas una ſeveritas facit ratas, ſicuti eas impunitas reddit irritas.*

Quamquam eo in loco] Quaſi vero æquè non ſit conſueta Deo ἡ ἀποτομία & ſeveritas hæc in impœnitentes & incredulos, ac ei oppoſita χρηστότης erga reſipiſcentes & fideles: Et cùm videantur adverſario ſynonyma eſſe *Severitas* & *Ira*, Dei reſpectu, eo penitiùs illa debet Deo convenire quam quilibet habitus, quod pertinet ad affectus, qui habitibus naturaliores & tenaciores eſſe cenſentur. Et cùm χρηστότης Paulina, non *actum tantùm* benignitatis denotet, ſed *conſuetudinem* benignè agendi, nulla ſubeſt ratio, cur ei contradiſtincta ſeveritas ad merum actum ſeveritatis reſtringatur, nec extendatur ad *conſuetudinem ſeverè agendi*, quando nempe & quoties id tempus poſtulat & res.

Alibi autem nec] Primò poſſent in contrarium quædam loca auctoris Sapientiæ proferri, niſi liber eſſet Apocryphus. Deinde agnoſcit Adverſarius Severitatem, non minus ad attributa Dei pertinere quam Benignitatem & Clementiam: etſi falſò ſupponat inter eas oppoſitionem contrarietatis, quæ nulla eſt inter virtutes, cùm tantum diverſitatis diſtinctionem, ab objectorum ſuorum diverſitate conſequantur. Tertiò quod Deus *Severus* nuſpiam dicatur, ideo fit quod illud nomen plerumque in ſequiori ſenſu ſumi ſoleat, & aliquid vitij notare quod crudelitati affine eſt: Vnde Valerius Maximus *lib.* 6. *cap.* 3. *de Severitate* dicturus ſic auſpicatur; *Armet ſe duritiâ pectus neceſſe eſt, dum horrida ac triſtis ſeveritatis acta narrantur, ut omni cogitatione mitiori ſepoſitâ, rebus auditu aſperis vacet.* Quartò ſi illius vocabuli prima ſpectetur origo, dubium non eſt quin apprimè Deo conveniat; Severus enim dicitur quaſi *ſemper verus*, ideſt conſtans in ſubditorum regimine, & ita ſibi ſimilis ut nullâ gratiâ, nullis illecebris, ſit mutabilis: quo maximè pertinere poteſt illa Iuſtitiæ imago quam ex Chryſippo refert Gellius, nobis aliàs laudatus 14. *Noct. Att. cap.* 4. Eam enim faciebat *formâ atque filo virginali; aſpectu vehe-*

menti & formidabili; luminibus oculorum acribus; neque humilis neque atrocis, sed reverendæ cujuſdam triſtitiæ dignitate.

Nec mirum: cùm is] Iam veram rationem reddidi, quod nempe id nominis plerumque ſumatur in malam partem, & ideo rariùs de Deo uſurpetur; aliàs is ſeverus Princeps & Reip. Rector dicitur cum laude, non qui *libentiùs* pœnam exigat quam condonet, ſed qui exactus eſt legum cuſtos, & tam aſſuetus *parcere ſubditis* quam *debellare ſuperbos*; etſi nihil revera faciat illibentiùs quam ſontes plectere, quos maluiſſet in legum obſequio perſeveraſſe, nec ſe eo adegiſſe neceſſitatis, ut *immedicabile vulnus, enſe* recidere deberet, *ne pars ſincera trahatur.* Hoc ſenſu ipſa ſeveritas ſolet annumerari boni & ſapientis Principis virtutibus: prout jam olim ſcripſit Cicero *lib.* 1. *Ep. ad Brutum, ep.* 2. *Salutaris ſeveritas vincit inanem ſpeciem Clementiæ.* Non ergo is ſeverus, qui *raro aut vix quicquam de ſupplicio remittit*, cùm & hæc ſeveritas temperamentum & ἐπιείκειαν admittat; ſed is qui in Reip. adminiſtratione, leges ſic curat obſervari, ut pœna quandoque ad paucos, ſed exemplum ad omnes perveniat.

At Deus ad parcendum atque ignoſcendum, abſolutè loquendo longè pro-
287. penſior eſt, quàm ad puniendum; & rariſſimè, imò fortaſſe nunquam ſummo jure in ſupplicijs exigendis utitur. Unde ut ſuprà jam vidimus, non ſemel tardus ad iram, ſed multæ miſerationis eſſe dicitur, & punire ac perdere opus Dei alienum, ſervare ac benefacere proprium ipſius opus cenſendum eſt. præſertim habita ratione populi ipſius, cum quo ipſi peculiare fœdus eſt. quò non immeritò à viris quibuſdam doctiſſimis pertinere cenſentur illa Eſaiæ verba, qui poſtquam populo graves pœnas Dei nomine denunciaſſet, addit: (*c. 21. 21.*) *ut faciat opus ſuum, alienum opus ejus: ut operetur opus ſuum, peregrinum* (ſeu *alienum*) *eſt opus ejus ab eo.* q. d. Deus, ut opus ſibi proprium facere queat, facturus eſt opus alienum, h. e. populum ſuum graviter puniet, ut eum hoc pacto ad frugem revocatum ſervare, ac variis beneficiis cumulare queat. Quin & illud indicat, quàm ad puniendum non ſit propenſus Deus, quod apud Jeremiam legitur in Threnis: (*cap: 3. 33.*) *Non humiliavit* (ſeu *afflixit*) *ex corde ſuo, & abjecit* (vel *nec dolore affecit*) *filios hominum.* q. d. non ſolet Deus homines ex animo affligere, ſed quodammodo invitus, & ipſorum peccatis coactus. quamquam id ad populum divinum potiſſimùm pertinet, nec ita extendendum eſt, quin & illis ſac. literæ dictis locus relinquatur, qui aſſerunt, Deum hoſtium ſuorum vindictâ quodammodo gaudere: de quibus infrà (*cap: 31.*) ſuo loco agetur.

‡ *At Deus ad parcendum*] Fateor quod comparatè loquendo gratiora ſint Deo opera miſericordiæ quam juſtitiæ ſuæ, eo quod illa cum Creaturæ ſalute & conſervatione conjuncta ſint, hæc vero cum illius perditione & miſeria: & illa ſupponant ſatisfactionem præſtitam vel præſtandam ſuæ juſtitiæ, adeoque duarum virtutum combinationem; hæc vero miſericordiam eliminent & uni vacent ſeveritati: Etiam haud gravatè conceſſero quod ſemper puniat infra condignum, ut Scholaſtici loquuntur, & *fortaſſe nunquam ſummo jure in ſupplicijs exigendis utatur*, ideſt non

Digitized by Google

ideſt non ſectetur in ipſa debita ſeveritate, quod ſeveriſſimum fuerit; & eo ſpectare agnoſco quod dicatur *tardus ad iram & magnæ miſerationis*: Sed I. cùm non cadat in Deum & quoad naturalia ipſius attributa plus & minus, ſi ἀκριβῶς velimus loqui, non poteſt Deus cenſeri *propenſior* ad parcendum quam ad puniendum, ſive ad clementiam & manſuetudinem quam ad ſeveritatem & juſtitiam: Sicut vir bonus & ſapiens qui omnium Virtutum habitû contraxerit, ad Parſimoniam, quam ad Liberalitatem propenſior eſſe non debet, ſed pariter ſe habere ad utramque. II. Poſita majori Dei propenſione ad Clementiam quam ad Severitatem, inde tamen non ſequeretur, quod maximè intendunt adverſarij, hanc ut notat juſtitiam vindicativam naturaliter Deo non ineſſe: Non deſinebat enim Heraclitus eſſe naturâ ſuâ riſibilis, etſi propenſior eſſet ad gemitus & lachrymas quam ad riſum. III. Etſi Deus ſemper adhibeat aliquam ἐπιείκειαν & moderationem *in ſupplicijs exigendis*, id non probat ipſum ſuâ naturali propenſione non ferri ad peccatorum ſupplicia exigenda, & pœnas ab ijs repetendas qui leges ſuas tranſgreſſi fuerint. IV. Proclivitas illa major Dei ad parcendum peccatoribus quam ad eos puniendos, ſi quæ ſit, non demonſtrat naturaliter Deo ineſſe Benignitatem, neutiquam vero ſeveritatem & juſtitiam vindicativam; ſed aliunde omninò erit arceſſenda: Cùm enim Deus nulli peccatori condonet, niſi ſuppoſitâ præviâ ſatisfactione præſtitâ vel præſtandâ ſuæ juſtitiæ, in tali opere varia ejus attributa concurrunt; miſericordia nempe, ſapientia, juſtitia &c. At cum punit, id facit ex unica ſeveritate & juſtitia: Quare mirum non foret, eum proniorem eſſe & propenſiorem ad id faciendum in quo plura ejus attributa concurrerent, quam ad id quod uniùs duntaxat attributi eſſet; ſic ut comparatè loquendo hoc *alienum* ejus opus, illud opus ejus *proprium* cenſeretur: Quamvis nunquam ita loquatur Scriptura; & per prius magis Deo proprium ſit *punire* quam *condonare*: tum quia peccatorum impunitas ejus rectitudini, ſanctitati ac veritati adverſatur; *Iuſtus ut ſis*, inquit Seneca, *non ſolum non nocebis, ſed etiam nocentes prohibebis*; tùm quia nulla condonatio peccati & pœnæ ablatio ab eo proficiſcitur, niſi ſub conditione ſatisfactionis præſtitæ vel præſtandæ juſtitiæ ſuæ. Injuſtitiæ non potuiſſet Deus accuſari ſi devoviſſet omnes homines in Adamo lapſos æterno exitio, abſque ulla miſericordia, cum Angelis qui ſuam originem non ſervarunt; ſed ut citra læſionem ſuæ juſtitiæ miſericordiam ſuam in nos exerceret, Chriſtum propoſuit ἱλαστήριον per fidem in ipſius ſanguine *ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ*, inquit Paulus Rom: III, 25.

Et punire ac perdere] Revera utrumque eſt Dei opus *proprium*, & perdere & ſervare: niſi quatenus in hominibus ſuæ perditionis cauſa meritoria eſt, nulla vero ſuæ ſalutis: Ipſi peccatores ſubdunt faces iræ Divinæ, & ex tetris ſcelerum ſuorum vaporibus formantur quadantenus fulmina quæ Deus tandem in ipſorum capita torquet: Sed cauſas miſerendi & ignoſcendi, nullas reperit in miſeris aut extra ſe Oſ: XIII, 9.

Præſertim habitâ ratione] Ergò ſaltem non fœderatorum reſpectu, etiam proprium non alienum erit Dei opus, eos ut meriti ſunt perdere & punire. Deinde cum fœderati Dei illi ſint, quibus offert redemptionem & propitiationem in ſanguine fœderis, quid mirum ſi Deus ab eorum perditione abhorreat, in quos miſericordiæ ſuæ divites theſauros effundere dignatur?

Quò non immeritò] Et pauci ſunt interpretes qui eò trahant dictum Prophetæ, & vis fit illius verbis per interpretationem Crellij: Nam I. *alienum* opus hoc loco Deus non opponit proprio & ſuo, cum & illud *ſuum* diſertè nuncupet, ſed

Digitized by Google

ſolito & ordinario: Hinc Iunius ita reddit eum textum, *Ad faciendum factum ſuum, extraneum factum ſuum; ad operandum opus ſuum, alienum opus ſuum*: & illud *alienum*, in notis interpretatur, *inſolens & ſumme admirabile.* Tigurina verſio, *Vt faciat opus ſuum, alienum opus ſuum; & ad operandum operationem ſuam, alienam operationem ſuam*: Vbi itidem Vatablus ita ad vocem *alienum*, annotat: *videl. inſolitum, inſuetum: nam Deus ſolet adeſſe Iſraeli, tunc autem contra eum ſtabit.* Caſtallio ſimiliter, *Ad ſuum facinus, inſuetum ſuum facinus, faciendum: ad ſuum opus, inauditum ſuum opus operandum*: & in margine To *inſuetum* explicat per *ingens & mirabile.* II. Nemo eſt interpretum, mihi ſaltem viſus, qui in hac Prophetæ pericopa duplex Dei opus diſtinguat cum Crellio, quorum unum ſuum *proprium* vocet, alterum *alienum*, aut Deum introducat ſibi proponentem facere opus alienum, quo *ſibi proprium* poſtea facere queat. Hæc enim omnia verba ſunt comminatoria, & nulla in illis promiſſio latet.

Quin & illud indicat] Hic locus Threnorum non oſtendit Deum naturâ ſuâ non propendere ad vindictam poſito peccato, ſed tantum illum non delectari morte, calamitate & miſeriâ Creaturarum, niſi quantum id exigit vel eorum ſalus vel ejus juſtitia. Ita ex Stobæo monent Politici, moderati Magiſtratus eſſe, ſi quis morte addicendus ſit, potius cum Biante lachrymas fundere, quam cum tacitâ animi voluptate ejus ſe paſcere ſupplicio: Et ſanè bonus Rector nonniſi *quodammodo invitus*, & ſubditorum criminibus *coactus* expedit ſecures, & longè gratius ipſi fuiſſet omnes in obſequio permanſiſſe.

Quamquam id ad populum] Quare eo minus quod de pœnis emendatorijs & medicinalibus filiorum Dei dicitur in Scripturis, debet trahi ad pœnas propriè dictas, quæ non ex amore Dei paterno & ſalutis humanę ſtudio, ſed ex juſtitia ipſius vindicativa proficiſcuntur.

Nec ita extendendum eſt] Non autem poſſet Deus illâ *vindictâ* gaudere, quin opus in ea ſuum & proprium eo ipſo agnoſceret.

Ex quibus intelligitur, Deum quidem Severum ſinpliciter dici vix poſſe: interim tamen ſceleribus hominum ad ſeveritatem quandam adduci, atque adeo quodammodo adigi. Etenim nec ſanctitas, nec majeſtas ipſius uſquequaque fert, ut impunè mandata ipſius violentur; & ordinis communis ac publici boni ratio exemplum nonnunquam poſtulat: & denique ut poteſtatem ſuam, aut etiam vires ac potentiam declaret, nominique ſuo gloriam ac venerationem tantò majorem conciliet, conſentaneum eſt, ut jure ſuo, quod ad pœnam infligendam habet, utatur. Et hæc eſt cauſſa, cur ſacræ literæ ea etiam de ipſo pronuncient, quæ quandam ſeverè agendi conſuetudinem ſignificent, imò & conſtantem quodammodo puniendi voluntatem; ſed quæ ad certa ſive hominum peccantium, ſive ipſorum facinorum genera ſit reſtringenda.

† *Simpliciter dici vix poſſe*] Imò ſuo ſenſu poſſe & debere, jam ante monui; ſi *ſeverus* ſtatuatur juſtus & exactus Rector & Moderator univerſi, qui ad peccata & ſcelera connivere nequit, eſtque redditurus ſingulis ſecundum ſua opera; Nec Deus *quodammodo adigeretur* ſceleribus hominum ad ſeveritatem exercendam, niſi ejus naturæ eſſet & juſtitiæ, ut ſcelera diſſimulare & impunita relinquere non poſſit

poſſit Habac: 1, 13.

Etenim nec ſanctitas] At ita loqui, ô Crelli, quid aliud eſt quam confiteri, juſtitiam vindicativam ſic Deo convenire neceſſariò, ut peccatorum impunitas cum illius ſanctitate & majeſtate, & ordinis communis conſervatione conſiſtere nequeat? Neque debuiſti reſtrictionem quærere in voce *nonnunquam*; cum ſemper abſoluta impunitas ejus ſanctitati & majeſtati repugnet. Quare ſi quas vitioſas partes ſanare mavult, quam exſecare, illis ſanandis adhibet unguentum ex vino juſtitiæ & miſericordiæ oleo temperatum, quo etiam in ipſo miſericordiæ exercitio oſtendat quantopere peccatum deteſtetur, & quam nolit illi, etiam quoad ſuos electos & filios, impune eſſe.

Ut jure ſuo] Aliàs monui, quam hoc non tam *jus* ſit Dei quam officium, eo quod ex Majeſtatis, Sanctitatis, Poteſtatis ſuæ lege ad pœnas peccatorum reposcendas naturaliter teneatur.

Quæ quandam ſeverè] At hæc conſuetudo ſeverè agendi, illa conſtans puniendi voluntas, Deo tribui nequit, quin ejus juſtitia vindicativa pleniſſimè adſtruatur. Fruſtrà verò eam reſtrinxeris ad certa genera vel *hominum peccantium*, cùm Deus non ſit προσωπολήπτης; Act: x, 34. vel *ipſorum facinorum*, cùm omnis transgreſſio apud eum juſtam retributionem referat Heb: 11, 2. Abſurdè diſtinguas ubi lex ipſa non diſtinguit & Scriptura tam univerſaliter loquitur; Deut: XXVII, 26. Iac: II, 10. Rom: II, 6. 8. 9. Quod ſi quidam homines, vel quædam peccata ab hac lege excipiuntur, erunt utique quoad homines, pij & fideles, & quoad peccata, illa ipſa quorum peccatores ſeriò pœnituerit: Verumenimvero neque piorum ac reſipiſcentium peccata quoad ſe illi ſeveritati abſolutè ſubducuntur: Nam ſic condonantur pijs reſipiſcentibus propter Chriſtum, ut ipſe eorum loco ſeveritatem illis debitam diſtrictè ſuſtinuerit; Eſa: LIII, 4. 5. Rom: IV, 25. VIII, 31.

Huc referri poteſt id, quod Deus ſæpè zelotes, ſeu æmulator dicitur; quamquam eam inprimis ob cauſſam, quòd æmulum honoriſque rivalem ferre nolit, & de idololatris vindictam ſumat, quemadmodum infrà explicabimus: veruntamen id ad affectum cæteros etiam peccatores puniendi, extendi jurè poteſt. Siquidem ita Deus in Decalogo loquitur, poſtquam falſorum Deorum atque imaginum cultum prohibuiſſet: (*Exod: 20. 5, 6. Deut: 5. 9, 10.*)
Quia ego ſum Dominus Deus tuus fortis (vel *Deus*) *zelotes*, *viſitans iniquitatem patrum* 288
in filios, *in tertiam & quartam generationem eorum*, *qui oderunt me.* quamquam ſtatim, ut majorem in ſe benignitatem eſſe declaret, ſubjicit: *Et faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me*, *& cuſtodiunt præcepta mea.* Pertinet huc & illud, quod apud Nahumum legitur, qui pluribus ſeveritatem divinam deſcribens ait: (*cap: 1. 8.*) *Deus æmulator*, *& ulciſcens Dominus*, *ulciſcens* (inquam) *Dominus*, *& habens furorem*, (Heb. *dominus iræ*:) *ulciſcens Dominus in hoſtes ſuos*, *& iraſcens ipſe* (Hebr. *reſervans* ſcil. iram) *ipſe inimicis ſuis.* *Dominus patiens* (ſeu *longanimis*,) *& magnus fortitudine*, *& mundans non faciet innocentem.* Ubi quidem clementiæ quoque divinæ non fuit oblitus, licèt ſeveritatem præcipuè deſcribere vellet, de qua & in ſequentibus plura dicit. Quòd verò ultimo

Digitized by Google

loco in verbis citatis ad ſeveritatem Dei deſcribendam ait, Deus *mundans non faciet innocentem*, quod in Hebræo eſt *innocentem faciendo non faciet innocentem*, vel *abſolvendo non abſolvet*; id etiam extat apud Moſen in illuſtri Exodi loco, ubi poſtquam Dei benignitas inprimis ac clementia his verbis fuiſſet deſcripta: *Dominator Domine*, (Hebr. utrobique eſt *Iehova*) *Deus*, *miſericors*, *& clemens*, *patiens* (ſeu *long animis* aut *tardus ad iram*,) *& multa miſerationis*, *ac verax* (ſeu *veritatis*,) *qui cuſtodis miſericordiam in millia*, *qui aufers iniquitatem*, *& ſcelera* (ſeu *prævaricationem*;) *& peccata*; additur, *nullusque apud te per ſe innocens eſt*, (Hebr. *& innocentem faciendo non facies innocentem*, ſeu *abſolvendo non abſolves*,) *qui reddis iniquitatem patrum in filiis ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem.* Eadem ferè leguntur & cap. 14. Numer. (*verſu 18.*) Eorum autem verborum, quibus aſſeritur, Deum *abſolvendo non abſolvere*, quæ in Latina interpretatione tribus iſtis locis triplici modo verſa legas, ita rectè viri nonnulli docti explicant, quòd Deus impios, ſeu reſipiſcere neſcios, omninò non ſoleat abſolvere, ſed eos tandem aliquando ſit puniturus, etiamſi fortè ſupplicium diutiùs differat. Neque enim eſt, quòd quis putet, verba illa ſimpliciter eſſe accipienda, quia ſimpliciter ſint prolata; quaſi nimirum Deus neminem, qui nocens ſit, abſolvat. Quemadmodum enim in utroque loco apud Moſen ſimpliciter dicitur, *Deum auferre iniquitatem*, *& ſcelera*, *& peccata*, non addita ullâ ſive conditione, ſive deſcriptione ejus hominum generis, à quo peccata auferre Deus ſoleat; quod etiam alibi in ſacris literis (*vid: Mat: 12.30,31. 2 Cor:5.19.*) fieri videmus: ita nec in illis verbis, de quibus nunc agimus, eos commemorat, quos Deus planè non abſolvat. Utrobique nempe ſubaudiendum relinquitur, tanquam aliunde ſatis notum,
289. quinam illi ſint, à quibus Deus auferre ſoleat peccata: aut contrà illi, à quibus non auferat, quóſque omnino abſolvere non ſoleat. Docent autem & exempla, & alia divina teſtimonia, & ex parte ipſa ratio, Deum à reſipiſcentibus auferre peccata, ſeu peccatorum pœnas; ab iis autem, qui non reſipiſcunt, non auferre. Quòd ſi quis neutrobi limitationem aliquam admittere velit, omnino pugnantia loquentem faciet divinum ſpiritum, & ſibi iiſdem in locis contradicentem.

‡ *Veruntamen id ad affectum*] Is vero *affectus*, qui conſtantem infert puniendi voluntatem, & in conſuetudinem abit, ac ad omnes peccatores extenditur, fruſtra foret in Deo, ſi peccata quædam remitteret abſque prævia ſatisfactione pro illis, & pœnarum quas ſunt commerita exactione: Niſi fingant Sociniani Deum eo caſu vim ſibi ipſi inferre, & conſtanti ſuæ voluntati, imò affectui naturaliter inſito, per actum liberum voluntatis ſuæ reluctari; quod fingi vel dici abſque ſumma abſurditate nequit.

Quamquam ſtatim ut majorem] Sed propriè loquendo plus & minus non cadit in Deum: & quæ comparatio inſtituitur in lege inter quartam generationem ad ſummum pro ira & ſeveritate continuanda &

da & milleſſimam pro miſericordia & benignitate, ſic ſpectat ad utriuſque effecta, ut nullam inæqualitatem ponat inter Dei attributa & virtutes, ſi in ſe, ex parte Dei & affectivè conſiderentur. Vt taceam quod jam ante monui, in operibus Miſericordiæ Divinæ etiam ſuæ juſtæ ſeveritatis haberi rationem, ſed non Clementiæ etiam viceverſâ in operibus ſeveritatis: Quare mirum non eſt, Deum magis delectari exercitio duarum iſtarum virtutum ſimul cum ſalute & conſervatione ſuæ Creaturæ, quam unius tantum ex illis cum Creaturæ ſuæ interitu & deſtructione.

Vbi quidem clementiæ] Id non tam ad Clementiam propriè pertinet quę aufert pœnam, quam ad patientiam quæ illam differt; illius vero meminit Propheta ut oſtendat illam Dei longanimitatem, non obfuturam ejus juſtitiæ vindicativæ. Sic enim Deus *longanimis* ſtatuitur, ut tamen ſit magnus fortitudine, & qui nolit eſſe impune peccatori, ſive ut reddidit illa ultima verba Iunius, qui *nullo pacto* eum *abſolvat*, & Leo Iudæ clariùs, *Dominus longanimis & pollens viribus, at neutiquam impunita ſcelera dimittens*: ideſt Vatablo interprete, *Etiamſi non ſtatim punit improbum, non tamen abſolvit, ſed tandem de eo pœnas ſumit.*

Ita rectè nonnulli viri] Agnoſco Deum illâ legali declaratione quâ proteſtatur ſe nocentem pro innocente non habiturum, ſibi ipſi non abſtuliſſe facultatem abſolvendi peccatores & eorum peccata remittendi ſub quibuſdam conditionibus, quas inter ex illorum parte ſunt fides & reſipiſcentia; adeoque nolim rejicere ſimpliciter Chaldæum Paraphraſtem, qui apud Nahumum eam particulam ſic reddidit, *Dimittet pœnitentibus, non pœnitentibus vero non dimittet.* Sed I. cùm reſipiſcentia per ſe non mereatur remiſſionem peccatorum, quæ cæteroquin actus eſt juriſdictionis Divinæ, ut aliàs notavi, unde & juſtificatio dicitur, ſitque conditio reſipiſcentiæ Euangelica non Legalis, neceſſe eſt remiſſionem quam reſipiſcentes conſequuntur, cauſam habere in ſatisfactione pro ipſis præſtita vel præſtanda; eo quod clauſula illa legalis ſit æternæ veritatis, quod Deus non ſit abſoluturus nocentem, ſed pœnas repoſciturus vel ab ipſo, vel ab illius vade: Hinc eſt quod Scriptura promittit remiſſionem peccatorum, non reſipiſcentiæ modò, ſed primo & per ſe fidei, quæ videlicet recumbit in Chriſti meritum & ſatisfactionem; imò ſimul eam arceſſit à Chriſti redemptione & ſanguine Matth: XXVI, 28. Eph: 1, 7. II. Quod ſi ſupponat Crellius in illo Dei dicto, ſubaudiendam eſſe hanc conditionem, Niſi peccatores reſipuerint, licet Lex, uti dixi, reſipiſcentiam non cognoſcat, ſed exigat perfectam & accuratam obedientiam in omnibus ſub maledictionis pœna, quanto facilius nobis erit dicere Deum conſtanter non abſoluturum nocentem & peccatorem, niſi pro illo ſatisfactum fuerit juſtitiæ Divinæ? Etenim cum vox נקה *Naka*, quâ tribus locis Crellio citatis Deus utitur, ſignificet & *innocentem eſſe* & *eſſe impunitum*, ideſt *vacare culpâ* vel *pœnâ*, is demum impunis poteſt eſſe apud Deum juſtiſſimum, qui revera innocens & ἀθῷος fuerit, vel Legaliter per omnis peccati carentiam, vel Euangelicè, ex ſatisfactione & merito Chriſti pro ſe. III. Saltem non poterit per Dei juſtitiam, conſtantiam & veritatem, concedi impunitas contumacibus & impœnitentibus: adeoque horum ſaltem reſpectu juſtitia Dei vindicativa non arbitraria erit, ſed neceſſaria & naturalis.

Neque enim eſt] Imò ut ad Legalem ſanctionem pertinent, omninò ita ſunt accipienda: Nam cum id ipſum teſtetur abundè ſua cuique conſcientia, & hæc ſit prima in unoquoque peccatore *ultio, quod ſe Iudice nemo nocens abſolvitur, improba quamvis, Gratia fallacis prætoris vicerit urnam*,

ut etiam

Digitized by Google

ut etiam loquitur Poëta Ethnicus, cur audebimus Dei verba quibus illud abundè teſtatur, circumſcribere & limitare pro lubitu? Annon æquè erit à Dei juſtitia alienum nocentem ſimpliciter citra ullam ſatisfactionem pro ipſo abſolvere, ac ſimpliciter innocentem punire citra ullam peccati ſaltem alieni imputationem?

Quemadmodum enim] Imò hæc obſervatio plurimùm facit pro noſtra cauſa: Hæc enim duo Deus ſimul ſibi tribuit, & quod auferat peccatum, & quod nocentem impunitum non dimittat, quò conſtet eum ſic miſericordiam ſuam exercere in auferendo peccato ſuorum, ut id faciat citra ſuæ juſtitiæ læſionem, quæ nunquam patietur impune eſſe ulli peccato: Quin id ipſum quod Deus dicitur in textu נשא עון *Noſe gnauon*, *Ferens iniquitatem*, confirmat amplius noſtram ſententiam: importat enim reſpectu Dei talem remiſſionem culpæ, quæ fiat per pœnæ tranſlationem in alium: quandoquidem verbum ipſum נשא *Naſa* cum de peccato dicitur, utramque habet ſignificationem apud Hebræos, & remittendi, & luendi ſive pœnas dandi: Hinc illud *ferre iniquitatem*, non tantum Deo remittenti tribuitur, ſed etiam & ipſi peccatori luenti Levit: v, 1. Num: xiv, 33. Ezech: xviii, 20. & Sacerdoti expianti Exod: xxviii, 38. Levit: x, 17. Num: xviii, 1. & victimæ piaculari Levit: xvi, 22 Quo demum reſpectu Chriſto Servatori noſtro tribuitur Eſa: LIII, 12. Ioh: 1, 29. 1. Pet: II, 24. Igitur Deus dicitur נשא עון *Noſe gnauon*, *Ferens iniquitatem*, vel auferens, quatenus condonaturus peccatori, pœnas illi cæteroquin perſonaliter luendas, victimæ piaculari per Sacerdotem idoneum imponit; quia videlicet ſic vult condonare peccata, ut nihilominus maneat in ſalvo illa juſtitiæ ſuæ indeclinabilis regula, quod nocentem pro innocente non ſit habiturus.

Quod etiam alibi] Non fert omnia omnis tellus; nec debet in omnibus Scripturæ locis qui agunt de remiſſione peccatorum per Deum, explicari modus & ordo quo peragitur. Interea tamen ex duobus locis hîc Crellio citatis, poſterior ex 2. Cor: v, 19. confirmat hanc peccati ablationem fieri à Deo, per idoneam ſatisfactionem juſtitiæ ſuæ præſtitam, & victimæ piacularis, ſubſtitutionem in locum peccatorum: *Deus enim*, juxta Paulum, *erat in Chriſto reconcilians ſibi mundum, nec imputans illis peccata ſua*, quatenus nempe, ut habet comma 21. *eum qui non novit peccatum, pro nobis fecit peccatum*, ideſt victimam piacularem Lev: XIX, 2. adeoque & maledictionem in cruce Gal: III, 13. *ut eſſemus juſtitia Dei in ipſo.*

Vtrobique ſubaudiendum] Concedo & à reſipiſcentibus auferri, & contumaces ac impœnitentes plecti; & utrobique id poſſe ſubintelligi, ſic tamen ut utrorumque reſpectu maneat id axioma Legale, quod apud Deum nequeat eſſe ſimpliciter impune peccato: Itaque poenas exigit quoad impoenitentes & contumaces ab ipſiſmet; ſed intelligitur quoad reſipiſcentes & credentes eas transferre in victimam piacularem eorum loco admiſſam & ſubſtitutam.

Quod ſi quis neutrobi] Fateor utrobique limitationi locum eſſe, ſed tali, quæ quoad ablationem & condonationem peccati, cùm ſit Euangelica & gratiæ, ex fœdere gratiæ & Euangelico deſumenda veniat; & quoad neceſſitatem puniendi peccatum, cùm ipſa ſit Legalis, cum legis ſanctione poſſit conciliari; Dicatur ergo Deus miſericorditer auferre peccata per Chriſtum & ſanguinem fœderis Zach: IX, 11. reſipiſcentibus & credentibus: quia per Euangelium ad hos ſolum non alios pertinet Chriſti beneficium & redemptio in ſanguine illius: Sed viceverſâ dicatur omninò velle punire peccatum, ubicunque illud fuerit, ſive in perſonis ipſorum peccatorum, ſecundum ἀκριβοδικαίαν Legis, ſive per

quandam

quandam ἀντάλλαγμα in victima piaculari, quæ eorum loco offeratur & admittatur. Hac ratione videre eſt, quam nullo modo *pugnantia* Spiritus Dei loquatur.

Ad eandem autem Dei ſeveritatem deſignandam & illud pertinet, quòd à Davide *Deus ultionum*, (*Pſal: 94. 1. bis.*) à Jeremia *Deus ultor*, ſeu, ut eſt in Hebræo, *Deus retributionum* appellatur; (*Ier: 51. 56.*) & à Moſe (*Deut: 4. 24.*) dicitur eſſe *ignis conſumens*; quod etiam ab Auctore Epiſtolæ ad Hebræos repetitur, (*Heb: 12. ult.*) qui propterea monet, *ut ſerviamus placentes Deo cum metu* (Gr. *pudore*) *& reverentia* ſeu *timore*. quemadmodum & Moſes ideo eum ignem conſumentem vocat, ne quis eum offendere atque irritare audeat. Non appellat autem ignem conſumentem ideo, quòd ſemper iraſcatur: nam id apertè ſac. literis repugnat: ſed quòd iraſci illis, qui ipſum offendunt, ſoleat, & ſæpè quidem graviter, ita ut eos ignis inſtar conſumat ac perdat, præſertim qui graviùs in ipſum peccant, ut paulò inferiùs explicabitur. Aliàs Deus potiùs charitas eſt, uti à Johanne appellatur; (*1 Ioh: 4. 16.*) maximè ſub Novo fœdere.

‡ *Non appellat autem*] Hæc tamen *ignis* appellatio, indicat Deum conſtanter, & iis lucere eoſque calefacere ac vegetare qui ſui ſunt; quò revocari poſſet quod *charitas* dicitur 1. Ioh: IV, 16. ſuus etenim ignis ineſt dilectioni & amori Cant: VIII. 6: & eos è contrario conſumere & devorare qui dant operam peccato.

Severitatis autem divinæ primus atque ordinarius, ſeu mavis perpetuus effectus eſt ille, de quo & Moſen & Nahumum loqui ſuperiùs vidimus, nempe iis, qui non reſipiſcunt, veniam non concedere, ſed eos punire ac plectere, ſive in ipſorum perſonis, ſive in perſonis conjunctis, ut liberis aliiſque poſteris, ſive in utriſque. Alter effectus eſt, quòd nonnunquam peccatores, eorum reſipiſcentiâ non expectatâ, è medio tollit, & ſic omnem illis veniæ ſpem præcidit. quo pacto non paucos olim Iſraëlitas, qui in deſerto, ipſius majeſtatem oculis ſubjectam non reveriti, ei obloqui, aliaque in ipſius conſpectu flagitia committere non horruerunt, in ipſis propè facinoribus oppreſſit ac perdidit. (*Num: 11. 33, conf: cum verſu 1, & ſeqq. & c. 16. toto. & c. 21. 5, & d. & c. 25. 1, & d.*) Quamquam nonnunquam homines contumaces non ſtatim quidem perdit, ſed tamen, ne pœnam effugiant, aut effugere facilè queant, eos indurat, & velut in vincula conjectos ad majorem pœnam aſſervat, ut ſuperiùs eſt à nobis explicatum. (*cap: 25.*) Quò referri poteſt & illa pœna, quam hominibus ad claram veritatis lucem oculos ſponte claudentibus, & ſalutis occaſionem negligentibus infligit, dum lumen illud veritatis aliqua ratione abdit, iiſque ſubtrahit, & Satanæ fraudibus eos exponit; ne fortè oculis videant, & corde intelligant, & convertantur,

Digitized by Google

290. tantur, & Deus illos ſanet, ut ex Eſaia Chriſtus docet. (*Mat: 13. 16, & 1. Eſa: 6. 9, & d. vid: & 2 Theſ: 10. & d.*) Itaque hic tertius eſt ſeveritatis effectus, ſecundo aliqua ratione contrarius, ſed eódem tamen tendens.

‡ *Severitatis autem divinæ*] In effectibus Severitatis Divinæ enumerandis bifariàm peccatur à Crellio: Primò quod nullas aliàs pœnas hic commemoret quam temporales & hujus vitæ; cùm tamen potiſſimum Severitas Divina in morte & maledictione æterna impiorum, tormentis gehennæ mancipatorum, appareat. Secundò quod inter effectus Severitatis Divinæ in peccatum, non recenſeat acerbiſſimas calamitates, quibus maluit proprium Filium ſuum ſubjici, quam peccatum, etiam ſuis condonandum, ſine pœna relinquere. Si enim ita ſeverè egit cum dilecto ſuo Filio ob peccata aliena, ut nullà ratione ei parcere voluerit Rom: VIII, 31. quid ijs eveniet à quibus propriorum ſuorum peccatorum pœnas repoſcet ſuo tempore? Si ita actum in ligno viridi, quid fiet in arido? Luc: XXIII, 31. Et ſi juſti vix ſervantur, tantæque fuit molis Chriſtianam condere gentem, ubi comparebunt impij & peccatores? 1. Pet: IV, 18.

Reſipiſcentiâ non expectatâ] Igitur illa ſanctio Legalis de nocente pro innocente non habendo, non habet tacitam illam ſive exceptionem, ſive conditionem adjectam, quam fingit Crellius, Niſi reſipuerit: Nec enim Deus illo caſu ante condemnare & punire quemquam poſſet, quam ubi videret ſe fruſtrà illius pœnitentiam expectaſſe.

Quamquam nonnunquam] Atqui illa ipſa *induratio* & luminis gratiæ *ſubtractio*, inter diriſſimos effectus Severitatis Divinæ in hac vita debet annumerari, utpote quæ ſit initium perditionis æternæ ex rigidiſſimo Dei decreto in reprobis.

Quo quidem loco non ſunt prætereunda illa Moſis verba, quæ leguntur Deuteronomii cap. 7. 10. quæ videri poſſent tertio huic ſeveritatis divinæ effectui obſtare; ſed multò magis illi clementiæ divinæ parti, quæ in pœna differenda cernitur, ac longanimitatis ac patientiæ nomine propriè ſignificatur. Nam apud Veterem interpretem ad hunc modum d. l. legimus: *& reddens* (Deus) *odientibus ſe ſtatim, ita ut diſperdat eos, & ultrà non differat, protinus eis reſtituens quod merentur.* Sed primùm animadvertendum eſt, non de omnibus, qui quacunque ratione delinquunt, ſermonem hìc eſſe, ſed de iis tantùm, qui Deum oderunt. Ii autem Deum odiſſe cenſentur, qui pietatem oderunt, & nefariis ſeſe ſceleribus contaminant, præſertim ſi poſt perpetrata facinora, nullam doloris ac pœnitentiæ dent ſignificationem. Deinde pro vocibus *ſtatim* & *protinus*, in Hebræo legitur *ad faciem*; quod variè ab interpretibus accipitur. Significare autem poteſt, Deum ita hoſtium ſuorum impietatem ulciſci, ut ipſi pœnam manifeſtè cernant, aut prævidere facilè poſſint; quaſi ante ipſorum faciem, ante ipſos eorum oculos ſupplicium collocaret. Quòd verò legitur, eum *ultrà non differre*, quod in Hebræo eſt, *eum non tardaturum*; id non ſignificat, Deum, ſimul ac quiſpiam ſcelus aliquod commiſerit, eum ad ſupplicium rapere, ac perdere: ſed ultrà, quàm conveniat,

Digitized by Google

conveniat, ſupplicii tempus non prorogare, nec ita cunctari, ut non immeritò dici queat, hominem ſceleratum pœnam effugiſſe. Quòd ſi quis verba hæc contulerit cum præcedentibus, & aliis apud Moſen in eandem ſententiam ſcriptis; haud difficulter animadvertet, ea nihil aliud revera ſignificare, quàm Deum punire iniquitatem patrum, qui ipſum oderunt, in tertiam & quartam generationem. Eſt enim hîc oppoſitio inter miſericordiam, quam Deus præſtet *diligentibus ſe, & cuſtodientibus præcepta ſua, in mille generationes*, & inter mercedem, quam Deus *reddat odientibus ſe ſtatim*, ſeu *ad faciem*: cum alibi miſericordiæ illi, quam Deus diligentibus ſe, in mille generationes præſtet, opponi ſoleat viſitatio iniquitatum patrum in filiis in tertiam & quartam generationem. Et rectè ſanè dici poteſt, Deum ad faciem reddere odientibus ſeſe, nec tardare, ſeu nimiùm differre pœnam, etiamſi ad tertiam, nonnunquam ad quartam uſque generationem, h. e. ad abnepotes, eam differat. quia ad abnepotum conſpectum pertingere poteſt humana ætas. quam cauſſam fuiſſe cenſent viri doctiſſimi, (*vid: Hug: Grotium De jure belli & pacis lib: 2. cap: 21. paragr: 14.*) cur Lex minas iſtas ultra abnepotes 291.
non extendat. Quòd ſi non eò uſque provivunt; tamen ſupplicium non adeo multò pòſt ſecuturum metuere coguntur, idque non ſemel prævident; quod ipſis quoque haud leve ſupplicium eſt. Quòd ſi verba illa non prohibent, quominùs Deus ad tertiam aut quartam uſque generationem pœnam differat; nihil ea dictis noſtris, ſive de longanimitate, ſive de ſeveritate obſtant. & his quidem tantò minùs, quòd quem Deus indurat, eum jam punire incipit, licèt eum ad gravius adhuc ſupplicium reſervet. Denique quod à Moſe illorum temporum ratione habita dictum eſt, de pœnis non differendis, id non protinus ad Novi fœderis tempora trahendum eſt. idque duplicem ob cauſſam: partim quidem, quia hæc gratiæ ac clementiæ tempora ſunt, illa potiùs ſeveritatis: partim verò, quia per Chriſtum demum patefactum eſt ultimum illud judicium, quod non de vivis, tantùm, ſed etiam de mortuis habendum ſit. Itaque non mirum eſt, Deum nunc ita non rarò differre ſupplicia ſua, ut ſcelerati pœnam effugiſſe videantur, quam tamen in magno illo judicii die perſolvent. Olim autem, cùm non niſi temporalia ſupplicia Deus hominibus apertè comminaretur, aut infligere ſoleret, licèt æternum interitum ſecum in impiis traherent; non ita conveniebat, ut Deus nimis diu pœnas differret.

‡ *Quæ videri poſſent tertio*] Verum nec dilatio pœnæ, propriè ad Clementiam Dei ſpectat, ſed potius ad juſtam illius Providentiam, juxta quam nolit pyrum decidere antequam maturum ſit, prout nec chirurgus apoſtemati adhibet novaculam antequam judicet jam pus eſſe factum & benè concoctum; nec video quî illud Moſis dictum, etiam juxta V. V. ſumptum, poſſit in ſpeciem opponi induratione

rationi & execœcationi peccatorum, quam Crellius facit tertium effectum ſeveritatis Divinæ; cum illa induratio & excœcatio, pars ſit illius pœnæ, quæ illicò talem culpam conſequitur.

Sed primùm animadvertendum] Hæc prima obſervatio eſt nullius momenti: nam cum opponantur à Moſe ij qui Deum oderunt, illis qui ipſum amant & ſervant ejus mandata, quorum fit mentio commate præcedenti, ſanè ut ille cenſetur Deum odiſſe qui ipſum non amat, eo modo quo amandus eſt, ita Dei oſoribus debet annumerari qui Dei legem transgreditur nec obſequitur ejus mandatis; unde Paulus Rom: I, 30. deſcribens peccatores, eos inter cœtera vocat θεοστυγεῖς, ideſt tam exoſos Deo quam Dei oſores: prout omne φρόνημα carnis eſt inimicitia adverſus Deum Rom: VIII, 7. & Exod: XX, 6. in genere oſores Dei cenſentur vel qui oderunt facere quæ præcepit & amat, vel qui delectantur ea facere quæ odit & averſatur. Imò omne peccatum aliquod Dei odium interpretativè ſaltem complecti, inde ſaltem liquet quod ſit averſio à bono incommutabili & ad bonum commutabile converſio. Quare fruſtra Crellius Dei odium ad odium pietatis & impoenitentiam in ſceleribus reſtringit: quamvis non diffitear utrumque hoc κατ' ἐξαίρετον odij Divini nomine poſſe inſigniri.

Deinde pro vocibus] Hæc obſervatio bona eſt; ſed illius particulæ *ad faciem*, ſive potius *in faciem*, Crelliana interpretatio eſt coactior: Nec enim ſignificat propriè vel punire protinus & incontinenti, vel ſic punire, ut qui punitur poenam ſuam coram cernat & ſe punire videat: Quis enim punitur à Deo quin tandem ſentiat ſe puniri, & debitas ſcelerum ſuorum poenas luere? Ita ſanè ferit peccatorem Dei miles, ut ſe mori ſentiat: Sed potius ſignificat, ut etiam obſervarunt cum Deodato Belgæ interpretes, Deum poenas repoſciturum à peccatore, non clanculum & à tergo, ſed coram & apertè, citra ullum metum vel reſpectum dignitatis, divitiarum, potentiæ ipſius: quod & video ipſum Caſtalionem expreſſiſſe his verbis: *Atque hoc ſcitote Iovam Deum veſtrum Deum eſſe, Deum fidelem &c. rurſumque ſui oſores apertâ pernicie ulciſcentem, eiſque ſine dubio coràm digna factis præmia rependentem*: Et qui contulerit hanc phraſim cum dicto Satanæ ad Deum Iob: II, 5. nec non loco Pauli Gal: II, 11. facilè deprehendet hunc illius eſſe ſenſum quem aſſignamus.

Quod ſi quis verba] Similia non ſunt eadem: Aliud enim dicit Deus cùm ait ſe reddere odientibus ſe *in faciem*; aliud cùm minatur ſe oſores ſuos puniturum in tertiam & quartam generationem. Nam prius deſignat modum quo Deus ſit improbos puniturus, nempe non clanculum & à tergo ſed palam & apertè, ut ſolent facere qui nullo metu, nulla-ve reverentiâ ducuntur eorum de quibus ſtudent ſe ulciſci; poſterius vero denotat, non dilationem ſed extenſionem illius poenæ quam Deus imperterritè ſit repoſciturus ab improbis: Neque hîc eſt *oppoſitio*, ut fingit Crellius, inter *mille generationes & in faciem*, ſed duntaxat inter miſericordiam diutiſſimè prorogandam, & vindictam ſeveriſſimè ac palàm exercendam.

Et rectè ſanè] At clauſula Legis de tertia & quarta generatione, non pertinet ad dilationem poenæ, quaſi Deus ſignificet ſe quandoque dilaturum poenas in tertiam & quartam generationem; non ultrà tamen, quò peccatores ſe in ſuis nepotibus vel abnepotibus puniri vel videant, vel poſſint aut videre aut metuere, ut perperam poſt Grotium adſtruere Crellius annititur; ſed pertinet ad extenſionem illius, quò ſignificetur, numero certo pro incerto poſito, eam longiſſimè extendendam, ſic ut eam ſentiant, *Et nati natorum & qui naſcentur ab illis*; Quod nec inobſervatum Ethnicis; Notum enim oraculi reſponſum apud Ælianum;

ἀλλὰ

Digitized by Google

ἀλλὰ κακῶς ῥέξασι δίκης τέλος οὐχὶ
χρονιστὸν,
ἠδ᾽ ἀπαραίτητον, εἰ καὶ Διὸς ἔκγονοι
εἶεν
καὶ αὐτῶν κεφαλῆσι, καὶ ἐν σφετέροισι
τέκεσσιν
εἰλεῖται, καὶ πῆμα δόμοις ἐπὶ πήμασι
βαίνει.

Quod Grotius loco citato Crellio ita exponit;

At ſcelerum ſontes Divinum perſequitur jus,
Nec pote vitari; non ſi genus ab Iove ducant:
Sed capiti ipſorum quique enaſcuntur ab ipſis
Imminet, inque domo cladem ſubit altera clades.

Hinc ipſe Grotius *ad Decal.* obſervat eſſe Proverbialem loquutionem, juxta quam etiam Plato dixerit εἰς τετάρτην γενεὰν διαβιβάζειν τὴν τιμωρίαν, prout etiam dicunt Poëtæ, univerſam poſteritatem ſignificaturi;

καὶ παῖδες παίδων καὶ τοί μετόπισθε γένωνται.

Itaque notatum ab Auguſtino *lib. 6. cont. Iul. cap. 12.* quod iſte *numerus* (tertiæ & quartæ generationis) *etiam pro univerſitate accipi poteſt*, ideſt pro omnibus poſteris impiorum; quo pertinet comminatio Legis Deut: XXVIII, 45. 46. & exemplum Guehazi 1. Reg: V, 27. Non ideo igitur Lex non progreditur ultra tertiam & quartam generationem, quod ibi ſemper ſubſiſtat vindicta Divina; cùm exemplis Cananæorum & Amalekitarum, ut cœtera mittam, contrarium conſtet; ſed partim quod, uti dixi, numerus certus pro incerto ponatur, partim quod hominum memoria non ſoleat longiùs protendi; ut ſic intelligamus tamdiu continuaturam ſeveritatem Dei in impios & eorum poſteros, quamdiu inter homines ſupererit memoria impietatis & ſcelerum quæ commiſerint.

Denique quod à Moſe] Verum cum Deus ſemper ſit idem, & juſtitia hæc puniens ſive vindicativa quam Moſes deſcribit, ipſi ſit naturalis, non eſt quod aliud hac in parte ipſi ſub Novo Fœdere, quam ſub Veteri tribuamus: Sunt quidem Novi Fœderis tempora, *gratiæ ac clementiæ tempora*, ſed demum erga credentes, non vero erga omnes: Nam ſuper incredulis *manet ira Dei* Ioh: III, 36. Nec *per Chriſtum demum patefactum eſt ultimum illud judicium, quod non de vivis tantum, ſed etiam de mortuis habendum ſit*, tùm quia de illo vaticinatus eſt Enoch ſeptimus ab Adamo, ut notatur in epiſtola Iudæ com. 14. & plurima de eodem extant in Prophetijs V. T. ut nominatim Deut: XXXII, 34. & d. Pſal: 1, 5. 6. L, 2. 3. Eccl: XII, 16. Eſa: LXVI, 16. 24. Dan: VII, 9. 10. XII, 2. 3. Vnde fit ut nec Iudæi, ex Moſe & Prophetis haurientes, ignorent fore *diem judicij* bonorum & malorum, de quo agit Menaſſes Ben Iſrael Iudæus *lib. 3. de la reſurreccion, cap. 7.* tùm quia extenſio pœnæ parentum ad tertiam & quartam generationem ac ultra, pertinet ad judicium quod etiam *de mortuis* habetur; ſiquidem ea ratione impij poſt ſuum obitum etiam in ſuis poſteris puniuntur. Fallitur autem ſummoperè Crellius quod putet hanc comminationem, pœnæ in tertiam & quartam uſque generationem extendendæ temporalem duntaxat, non vero æternam pœnam ſpectare: Qui enim ex hac Legis ſanctione ſubſunt maledictioni Divinæ, eam ſuſtinent & in hac vita & in futura.

Olim autem, cùm] Hîc multa falſa & abſurda in unum faſciculum colliguntur: Primùm non benè cohæret quod ſtatuit Crellius tempus N. F. eſſe tempus *gratiæ ac clementiæ*, Veteris contra *potiùs ſeveritatis*, cum hoc altero illius aſſerto, quod æterni ſupplicij comminatio & judicij ultimi denunciatio pertineat ad N. F. non ad Antiquum. Præterea plures extant mortis æternæ comminationes in V. F.

 Nam

Nam denunciatio facta Adamo Gen: II, 17. mortem non modò temporalem ſpectabat ſed æternam; ac ſicut vita Lege promiſſa, erat etiam æterna, uti liquet ex Matth: XIX, 16. 17. ita mors & maledictio denunciata per Legem ſuis transgreſſoribus Deut: XXVII, 26. XXX, 10. non temporalis modò, ſed ſpiritualis & æterna fuit, uti etiam colligere eſt ex Gal: III, 10, 13. ubi dicitur Chriſtus factus fuiſſe *maledictio* pro nobis, juxta legis ſanctionem *Maledictus qui non permanſerit* &c. quò benedictionem ſpiritualem & æternam conſequeremur. Adhæc valde abſurdè diceretur Deus comminando duntaxat *apertè* temporalia ſupplicia impijs, nihilominùs *æternum interitum* illis inflixiſſe: Convenit enim Dei beneficentiæ ut plus boni præſtet nobis quam promiſiſſe videtur; ſed neutiquam ejus convenit juſtitiæ & benignitati ut acerbiora infligat ſupplicia quam apertè fuerit comminatus. Nec video quî dicatur *nonniſi temporalia ſupplicia hominibus* olim vel *apertè* comminatum, vel *infligere* ſolitum fuiſſe, ſi nihilominus temporalia illa ſupplicia quæ comminabatur & infligebat, *æternum interitum ſecum in impijs trahebant.* Debuit Crellius ebrius fuiſſe cum ita ſcriberet. Igitur ſtatuendum eſt non diutiùs nunc pœnas Divinas differri quam ſub V. T. ſive medicinales & caſtigatoriæ illæ fuerint, ſive judiciales & vindicativæ.

Poteſt autem tribus hiſce, quos conſtituimus, ſeveritatis effectibus addi quartus, qui tamen cum clementiæ effectu conjunctus, eoque veluti temperatus eſt. Is verò eſt, quod Deus nonnunquam iis, quibus graviſſimam peccatorum pœnam remiſit, aut remittere conſtituit, alias non leves pœnas infligit, ut vel ipſi, vel alii, vel utrique ſimul, majeſtatem ipſius magis revereri, & cum timore ac tremore ipſi ſervire diſcant; &, ſi quæ ignominiæ labes ipſorum peccatis fuit divino numini aſperſa, ea ipſorum pœnis eluatur. quò pertinet inter alia Davidis exemplum: (*2 Sam: 12. 14, & d. & c. 15, & tribus ſeqq. conf: cum c. 12. 11.*) pertinet etiam illorum, de quibus loquitur Paulus 1. Cor: 11. 30, & d. Sed in caſtigationibus hujuſmodi ſæpè plus clementiæ, quàm ſeveritatis, plus amoris, quàm iræ eſt. Unde ſacræ literæ ab amore eas proficiſci aſſerunt. (*vid: Prov: 3. 12. Heb: 12. 6, & d. Apoc: 3. 19.*)

‡ *Qui tamen cum clementiæ*] At ſi quis talis ſeveritatis Divinæ effectus cum clementia temperatus, quærendus eſt, nuſquam certiùs apparet quam in Redemptione noſtri per Chriſtum, in quem Deus phialas iræ & ſeveritatis ſuæ effudit, ut nos ad clementiæ & deliciarum ſuarum fluvios deduceret.

Is vero eſt, quod] Verùm non eſt quod hîc ſibi imaginentur iſti homines commutationem pœnæ gravioris in minorem & leviorem: Etenim ubicunque eſt peccati Divina remiſſio, ibi quoque eſt pleniſſima ablatio reatus & obligationis ad pœnam, quod docet Paulus Rom: VIII, 1. Et notum vetus illud diſtichon, ante Socini tempora in Eccleſia Chriſtiana celebratum,

Larga Dei pietas veniam non dimidiabit,
Vel nihil, vel totum te lachrymante dabit.

Et ſi quæ pijs, poſt remiſſionem peccatorum divinitùs conceſſam, calamitates immittuntur, illæ non pertinent ad vindictam & pœnam judiciariam, quæ τιμωρία Græcis dicitur, ſed ad παιδείαν, correctionem & medicinam. Hac ratione Deus

Digitized by Google

Deus promovet ſanctificationem ſuorum, & reparationem aliquam ſcandali quod dederint ſuis peccatis, non vero ſatisfacit ſuæ ſeveritati & juſtitiæ: Huic enim ſatisfactioni locus eſſe nequit poſt remiſſionem peccati; quandoquidem per illam, ut ſcitè Auguſtinus *ad Pſal.* 31. *cooperta ſunt peccata & tecta ſunt, abolita ſunt*; *ſi* vero *texit peccata Deus, noluit advertere, noluit animadvertere; ſi noluit animadvertere, noluit punire; noluit agnoſcere, maluit ignoſcere*: Et ſi Deus ex rigore ſeveritatis ſuæ ageret cum hominibus, eorum retineret, non remitteret peccata; nec quibuſcunque pœnis temporarijs eos caſtigaret ad emendationem; ſed illos ſubjiceret pœnis æternis ad internecionem. Nec cenſentur fideles minus hic à Deo obtinere quam petunt ſuis precibus: petunt autem non commutationem aut mitigationem poenæ, ſed abſolutam impunitatem & plenam remiſſionem culpæ, cum ajunt *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Ignoſcere*, Cicerone finitore *epiſt. ad Brutum* 15. eſt *ſceleris pœnam prætermittere*; & *Ignoſcere*, inquit Seneca, *eſt quæ judicas punienda non punire*; *Venia debitæ pœnæ remiſſio eſt*: non mera permutatio.

Quo pertinet inter alia] At David plenam non dimidiatam peccati ſui remiſſionem fuerat conſequutus, dicente illi Nathane, quod Dominus tranſire fecerit peccatum ipſius 2. Sam: XII, 13. Mors filioli ſui & inſequutæ calamitates, ad diſciplinam paternam pertinuerunt, non ad vindictam proprie dictam & judicialem poenam. Ferulis verberantur filij, non tam ut multam delictorum perſolvant, licet inde caſtigationis naſcatur occaſio, quam ut ad reſipiſcentiam proficiant; proinde potius in futurum tempus, quam in præteritum, ejuſmodi caſtigationes paternæ reſpiciunt.

Pertinet etiam illorum] At hos remiſſionem peccati illius quo profanaverant Euchariſtiæ Sacramentum, jam fuiſſe conſequutos, antequam vel decumberent, vel morerentur, facilius erit dicere quam probare. Deinde his ipſis morbis & mortibus, potuit Deus ſic caſtigare abuſum Sacræ Coenæ apud Corinthios, ut eas tamen calamitates non tam ordinaret in vindictam judicialem, quam in diſciplinam paternam, deſtinatam promovendæ reſipiſcentiæ & emendationi illorum.

Sed in caſtigationibus] Dat in his verbis adverſarius quod volumus, & tacitè admittit noſtram diſtinctionem poenarum *in judiciarias & medicinales*; quarum illæ retentionem peccatorum ſupponunt, iſtæ eorundem remiſſionem, ut Dei filijs qui eam ſunt benignè & plenè conſequuti, nocumenta in documenta, παθήματα in μαθήματα abeant; quod & docet Paulus 1. Cor: XI, 32. pios in ſuis caſtigationibus, quas cæteroquin meritò ſuſtinebant, efficaciter conſolaturus.

Ex dictis autem intelligi poteſt, ut clementiæ, ita & ſeveritatis divinæ effectus gradibus quibuſdam inter ſe diſtinctos eſſe. Et ad ſummum quidem hujus gradum, ad quem progredi jure ſuo poſſet, nunquam adſcendit Deus. Is verò eſt, nullum planè peccatum in quoquam impunitum dimittere. Hoc enim pacto clementia, quâ libentiùs utitur Deus, quàm ſeveritate, prorſus excluderetur. Requi ſunt cæteri ſeveritatis divinæ gradus, qui infra il- 292.
lum ſubſiſtunt, & aliquod clementiæ temperamentum admittunt, alii magis, alii minùs. Differunt autem inter ſe, prout vel gravior eſt per ſe pœna, vel major eam ſubeundi neceſſitas. Ad gravitatem autem & temporis rationem

Digitized by Google

rationem hîc revocamus, quâ nunc intenditur pœna, nunc remittitur; quin etiam multitudinem eorum, quos ſupplicium comprehendit, aut paucitatem. Solet autem Deus eos graviùs punire, qui graviùs peccaverint: licèt liberrimæ ipſius poteſtatis ſit, etiam inter eos, qui pœnam æquè ſunt commeriti, diſcrimen facere, & alium alio mitiùs tractare. Neque enim cuiquam facit injuriam, ſi ab illo quidem commeritas pœnas exigat, ab illo non exigat, vel haud paulò mitiores repetat, quàm commeritus fuerat. Quamquam ſine peculiari ratione id Deus facere non ſolet.

‡ *Et ad ſummum quidem*] Sed primò etſi in hac vita Deus ſemper homines peccatores puniat infrà condignum, ut Scholaſtici loquuntur, non tamen inde ſequitur vel non æquivalentes fuiſſe pœnas Chriſto inflictas peccatis noſtris, vel non proportionari, tam intenſivè quam extenſivè apud inferos, ſceleribus impiorum: Illis enim deſtinatur *κρίσις ἀνίλεως*, *condemnatio ſine miſericordia* Iac: II, 13. Adde locum Pſal: XVIII, 27. Ergo ſummus ſeveritatis gradus, quantum quidem illius capax eſt creatura. Secundò is non eſt propriè loquendo ſummus ſeveritatis Divinæ gradus, *nullum planè peccatum in quoquam inpunitum dimittere*; ſed potius in ijs quos vult punire, pœnas quas fuerint commeriti, juxta Legis ſuæ *ἀκριβοδίκαιον* exigere. Tertiò non tam ad Severitatem, ut ea agit ſummo jure, quam ad juſtitiam neceſſariam & Deo naturalem pertinet, quod nulli peccato ſimpliciter impune eſſe patiatur: ſed illud puniat ſemper, vel in perſona propria peccatoris, vel in illius Sponſore & Expromiſſore, nempe Chriſto: Sic autem *clementia* non *prorſus* excluditur; ſed è contrario cum ipſa juſtitia vindicante ſic exercetur, ut nec peccatis debita deſit pœna, nec peccatoribus indebita miſericordia.

Et aliquod clementiæ] Iam ante monui nec dilationem pœnæ, imò nec commutationem ſive qualemcunque imminutionem illius, clementiæ propriè tribui debere: cum pœnæ commutatio pertineat potius ad *ἐπιείκειαν* in jure dicundo, quam ad clementiam: nec iſtius ſit propriè pœnam differre, ſed penitùs auferre. Quare propriè ſi quis ſeveritatis Divinæ gradus *clementiæ temperamentum* admittit, is demum eſt qui in noſtra Redemptione per Chriſtum venit obſervandus. Vt taceam quod illud clementiæ temperamentum vix poſſint demonſtrare adverſarij in pœnis damnatorum, ut modò dixi.

Differunt autem] Quid opus hoc intricato circuitu? Sic differunt pœnæ improborum, pro ratione peccatorum quæ commiſerint Matth: XI, 22. 24. Luc: XII, 47. 48. ut tamen omnis tranſgreſſio juſtam ſibique debitam ex lege retributionem conſequatur Heb: II, 2.

Solet autem Deus] Et meritò; quia id exigunt ejus conſtantia & juſtitia.

Licet liberrimæ] Poteſt quidem nonnullis peccatoribus veniam indulgere per Chriſtum; ſed juſtitiæ ſuæ ratio non patitur ut æqualibus tribuat inæqualia; & eos *mitiùs* puniat apud inferos, qui æquè graviter ac cœteri impegerint. Quin ſi ex æquè peccatoribus nonnulli videntur in hac vita mitiùs haberi, dum juxta Catonis querelam fures publici in auro atque purpura, privati in nervo & compedibus ætatem agunt, id proculdubio compenſabitur in futura, & eorum acerbiores erunt pœnæ in ſæculo futuro, qui in præſenti indulgentiùs habiti videbantur.

Neque enim cuiquam] Id nihil ad rem:

Nam exactio

Digitized by Google

Nam exactio pœnæ non fundatur in jure tertij, uti aliàs fuſiùs diſputavi, ſed in officio & munere Rectoris & νομοφύλακος, cujus eſt juxta Leges conſtitutas earumque ſanctiones, duabus hiſce rebus, præmio & pœnâ, Remp. continere. Eſſet itaque Deus qui ſibi ipſi eſt pro lege, in ſeipſum injurius, ſi boni Rectoris munere in univerſo non fungeretur, & vel abſolutam impunitatem ſceleribus concederet, vel ejuſdem criminis reſpectu alter crucem, alter præmium apud ipſum referret. Nemini Deus faceret injuriam, ſi etiam incredulis, contumacibus & impœnitentibus, veniam largiretur: Id tamen alienum eſſe ab ejus juſtitia, ſanctitate, voluntate, adeoque ſub illius poteſtatem non cadere, nec ipſi diffitebuntur hæretici.

Quamquam ſua peculiari] Peculiaris vero hæc ratio quâ Deus condonat peccata nonnullis, nec commeritas exigit pœnas ab ijs, in ſatisfactione Chriſti potiſſimum ſita eſt, ſi iſta remiſſio peccatorum abſolutè conſideretur; at ſi comparatè quæratur, cur ſatisfactio Chriſti huic potius quam illi ex duobus æquè peccatoribus deſtinetur & imputetur ad veniam, adeoque ille fide & reſipiſcentiâ donetur, hic non, tunc ad Dei liberrimam poteſtatem, juxta quam miſeretur cujus vult & quem vult indurat, omninò recurrendum eſt.

Cum verò gravitas delictorum non tantùm ex ipſa factorum natura ac qualitate æſtimetus, ſed etiam ex varijs rerum circumſtantiis, atque inprimis ex animo, itemque ex cauſſis, quæ vel ad peccatum impellere, vel ab eo avocare quempiam poterant; ideo, ut de aliis taceam, iis etiam inprimis metuenda eſt divina ſeveritas, quibus uberior divinæ voluntatis notitia contigit, aut qui aliàs majoribus ſunt à Deo cumulati beneficiis. Plures enim cauſſas habent, quæ à peccando eos avocant. Similiter & illi, qui res ſanctiores tractant, & propiùs quodammodo ad Deum accedunt. Majori enim religione tractandæ ſunt res ſacræ, quàm profanæ; & ad divinum numen propiùs accedenti, majori utendum eſt erga illud reverentia, & cautè agendum, ne ab illo conſumaris. Docet hoc tum exemplum duorum Aaronis filiorum, igni divino extinctorum, eò quòd auſi eſſent ignem alienum, ſeu vulgarem, in ſacrarium inferre, eoque thura adolere: (*Levit: 10. 1, & d.*) tum Moſis verba, quæ ſuper ea re habuit ad Aaronem: (*ib: verſu 3.*) *Hoc eſt quod loquutus eſt Dominus: Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi, & in conſpectu omnis populi glorificabor.* quod viri quidam docti ita explicant: (*vid: Bibl: Magna Rob: Stephani.*) *Sanctus apparebo, q. d. ſumam pœnam de his, qui propinquiores ſunt mihi.* quin & ipſe Moſes aliquod hujus rei exemplum præbet. Sed accuratior horum explicatio ad operum divinorum tractationem pertinet.

‡ *Cum vero gravitas*] Quamvis gravior pœna incumbat iis quos Crellius enumerat, nemo ſanus inde colligat, ergo aliis omninò impune futurum.

Illud nunc reſtat, ut uſum hujus doctrinæ paucis aperiamus. Eſt autem

Digitized by Google

is longè maximus atque uberrimus. Benignitatis enim ac clementiæ divinæ notitiâ univerſa noſtra in Deum ſpes ac fiducia nititur: illâ ſubtractâ hanc corruere neceſſe eſt, præſertim in tanta noſtra, non modò naturæ vilitate, ſed etiam, ſi facta noſtra ſpectes, indignitate, tantâque peccatorum
293. noſtrorum magnitudine ac multitudine. Solam, ut apparet, vilitatem naturæ noſtræ reſpiciens Pſaltes, exclamat: (*Pſal: 8.*), *Quid eſt homo, quòd memor es ejus? aut filius hominis, quoniam viſitas eum?* Ad facta autem noſtra oculum referens, (*Pſal. 130. 3.*) *Si iniquitates obſervaveris, Domine, quis ſuſtinebit?* & alibi, (*143. 2.*) *Ne intres in judicium cum ſervo tuo: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Quid ergo eſt, quod animos noſtros ad ullam beneficii divini ſpem erigat? quid eſt, quod miſeriam noſtram ſoletur, præter immenſam benignitatem, & ineffabilem Dei clementiam? Ex hac profluunt, hac nituntur omnes Dei promiſſiones, & maximè illæ, quæ ſunt omnium maximæ, nobis per Jeſum Chriſtum factæ, de remiſſione omnium peccatorum ſcelerumque noſtrorum, de vita æterna nobis danda. Subdue benignitatem ac clementiam divinam, concident; ſubduc nobis illius notitiam, ſpes noſtra protinus collabetur. Quæ cauſſa una eſt è præcipuis, cur toties in ſacris literis inculcetur celebreturque Dei benignitas ac clementia, &, quæ cum ea conjuncta ſunt, amor, gratia, ac miſericordia: adeò ut nullum aliud Dei attributum videatur commemorari frequentiùs; ipſeque Deus Moſi ſeſe aliqua ex parte videndum præbens, (*Exod: 34. 6, 6.*) iſtis ſe potiſſimùm epithetis deſcribat, quæ ſummam ipſius benignitatem arguunt, ut ſuprà vidimus. Adde, quòd nihil ſit, quod ad Deum amandum ac colendum, ad nomen ejus celebrandum, & laudes alacri animo lætoque ore prædicandas magis alliciat, vehementiuſque impellat, quam tantæ ipſius beneficentiæ, manſuetudinis ac clementiæ conſideratio. Quis enim tam benignum, tam clementem patrem non amet, non laudet? quis non colat ac veneretur? quis tam impius eſſe audeat, ut eum offendat, ac maleficia pro beneficiis ipſius innumeris atque immenſis reponat? Ut autem incitamento nobis eſt contemplatio divinæ benignitatis, ut ei gratias perpetuò agamus, ita etiam ad opem ejus perpetuò implorandam allicit. Quis enim adeò ſuæ felicitatis erit incurioſus, imò ei inimicus, ut tam largum, tam munificum patrem, tam liberaliter ſua nobis dona offerentem, non libenter adeat, &, cùm is precibus ſua munera impetrari velit ac cupiat, eum orare ceſſet?

‡ *Ex hac profluunt*] Quatenus nempe Benignitatis eſt & quod Filium ſuum ſponſorem nobis dare dignatus ſit, ut lueret quod debebamus; & quod Filii ſui obedientiam & ſatisfactionem, ad quam ex rigore Legis perſonaliter tenebamur, pro nobis dignetur admittere, eamque credentibus in ſe ad juſtitiam imputare.

Facit

Digitized by Google

Facit etiam conſideratio divinæ benignitatis ad patientiam in nobis excitandam firmandamque. Ex ea enim liquet, nec plura gravioraque nobis imponere aut impoſiturum eſſe Deum, quàm vires noſtræ ferant, quod & fidem ejus aliqua ratione poſtulare ſuprà vidimus, (*cap*: 25.) & omnes calamitates ad lætum tandem exitum perducturum.

‡ *Ex ea enim liquet*] Id non liquet ſimpliciter ex Dei Benignitate in ſe conſiderata, ſed ex promiſſionibus factis ſuis filiis de illa ſua benignitate propter Chriſtum in eos exercenda.

Quam vires noſtræ] Quas tamen ab ipſo, cujus virtus in infirmitate perficitur 2. Cor: XII, 9. priùs acceperimus; cùm ſimus naturâ omnibus viribus ad benè agendum deſtituti Rom:v,6. 2. Cor:III,5.

Præterea Dei exemplo monemur, ut & nos, qui illius filii eſſe cupimus, ejus benignitatem, lenitatem ac manſuetudinem imitemur. *Diligite*, inquit Chriſtus, (*Luc*: 6. 35, *& d*.) *inimicos veſtros: benefacite & mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos*: ſeu, ut eſt apud Matthæum, (*Mat*: 5. 45.) *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos: & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Sic & alibi Patris noſtri cœleſtis manſuetudinem ac clementiam in alienis delictis condonandis, vindictaque injuriarum prætermittenda, imitari jubemur. (*ibid*. 18. 22, *& d. Eph*: 4. *ult*: *& c*. 5. 1.) 294.

‡ *Sic & alibi*] Hæc imitatio debet eſſe in re, ut ex animo condonemus, omnemque memoriam & ſenſum acceptarum injuriarum, & omne vindictæ ſtudium ac deſiderium deponamus: Non tamen in modo rei: Cum enim condono quod in me alter deliquit, exerceo duntaxat actum charitatis & lenitatis; cùm cæteroquin nec pœnæ exactio mihi ex officio incumbat, nec propriè ad pœnam agere poſſim; ſed ſolum ad reſtitutionem damni; nec mea condonatio ullam præſtet impunitatem ei à quo ſum offenſus, in foro Divino vel humano. Sed cum Deus nobis condonat noſtra delicta, exercet actum jurisdictionis, uti aliàs obſeruavi, ex eo quod vocabulo forenſi, remiſſio peccatorum Iuſtificatio appellatur: Quare cùm in hoc judicio Deus ſit judex, homo reus, lex actor, neceſſe eſt interveniat ad hominis rei abſolutionem & juſtificationem, ſatisfactio præſtita Legi, cujus intuitu & vi liberetur homo ab obligatione ad pœnam, ad quam aliàs ex Lege tenebatur, & abſolutam impunitatem apud Rectorem univerſi conſequatur.

Magnam autem ſummæ atque inexhauſtæ benignitati divinæ faciunt injuriam, & præcipuum ejus in nos beneficium, quantum in ſe eſt, convellunt, qui contendunt, Deum non niſi pleniſſimâ acceptâ ſatisfactione ac compenſatione, nobis peccata remittere; imò nullum peccatum, ne minimum quidem ita prætermittere, quin vel in ipſo nocente, vel ſaltem in alio, puniat ac vindicet. quod quidem nil aliud eſt, quàm ipſam peccato-

Digitized by Google

rum remiſſionem ſeu condonationem, ac porrò præcipuum benignitatis divinæ effectum in nos manantem, funditus tollere. qua de re non eſt nunc fuſiùs dicendi locus.

‡ *Magnam autem ſummæ*] Sed magnam juſtitiæ & ſanctitati Divinæ faciunt injuriam Sociniani, quod illam expungere satagunt ex numero & cenſu attributorum quæ Deo neceſſariò & naturaliter inſunt: Magnâ quoque afficiunt injuriâ ſapientiam Divinam, quaſi nequiverit rationem inire peccata noſtra nobis remittendi, citra juſtitiæ ſuæ manifeſtam læſionem. Nam & juſtitia Dei id exigit ut nulli peccato ſit impune, teſtante Chriſto quod qui violaverit minimum ex Dei mandatis, minimus vocabitur in regno coelorum, ideſt, nullus ibi erit Matth: v, 19. 20. & Deus nobis benignè noſtra peccata condonaturus, eorum pœnas tranſtulit in Chriſtum, quò ſimul & debitam vindictam de peccatis noſtris ex inviolabili Legis ſuæ ſanctione ſumeret, & benignitatem ac clementiam ſummam erga nos exerceret: inſtar illius ſagittarij Cretenſis, qui uno ictu & transfixit ſerpentem immanem filiolo ſuo circumvolutum & jam jam eum devoraturum, & dilectum ſuum infantem præſenti illi peſti & morti eripuit. Et tantum abeſt ut hac ratione *funditùs* tollatur ipſa peccatorum remiſſio, ac porrò præcipuus benignitatis Divinæ effectus, ut è contrario efficaciſſimè conſtabiliatur, ac πληροφορία noſtra de illius certitudine eo magis corroboretur, quod ad tantum beneficium ex aſſe concurrant Dei clementia & juſtitia, ut nobis ad illius aram acceſſuris, ab hujus framea nihil amplius ſit metuendum, ut pote quæ in Chriſti ſanguine quoad nos extincta ſit.

Verùm ne contrà, quàm fieri debet, tanta Dei benignitate ac longanimitate ad peccandi licentiam ac ſecuritatem abutamur, eamque contemtui habeamus, divina nos ſeveritas monet. Hinc Apoſtolus: (*Rom: 2. 4, & d.*) *An*, inquit, *divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te ducit? Secundùm autem duritiem tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundùm opera illius.* quò pertinent & illa, quæ ſuperiùs ex eadem epiſtola (*cap: 11. 22.*) citavimus, ubi monet Apoſtolus, ut Gentes ad Chriſtum converſæ, tum benignitatem, tum ſeveritatem Dei conſiderent; & illis dandam eſſe operam ſignificat, ut in benignitate perſeverent, eáve ne excidant. *alioquin*, inquit, *& tu excidéris.* Videndum nempe eſt ei, qui ſtare videtur, ne cadat, ut alibi idem Apoſtolus monet. (*1 Cor: 10. 12.*)

‡ *Divina nos ſeveritas*] At hæc non tantum à peccandi licentia & ſecuritate nos deterret, ſed etiam ut Lege denunciatur, à quolibet peccato; cum qui impegerit in minimum ex mandatis Divinis, eo ipſo damnas ſit omnium Iac: II, 10. niſi miſericordiam & redemptionem in Chriſto conſequatur.

CAP:

CAP: XXIX.

De illis, quæ affectuum inſtar Deo inſunt.

‡ *Reſpondente ad hoc & ſequens Caput:* PHILIPPO JENOTEAU, Sedanenſi.

TRanseundum nunc eſt ad illa Dei attributa, quæ ut actus quidam revera ſunt, ita & eorum nomina ſortiuntur. Ea verò ſunt voluntatis divinæ 295.
actus, in ipſo Deo reſidentes, ſeu actiones voluntatis immanentes, ut vocant. Nam etſi intellectûs quoque actus ſint immanentes: de iis tamen nihil ampliùs dicere neceſſe eſt. quandoquidem quid de illis ſtatuendum ſit, ex tractatione de Intellectu & Sapientia Dei perſpici ſatis poteſt. Actus verò illi voluntatis divini, de quibus hîc nobis agendum eſt, duplicis ſunt generis. Alii enim affectuum ſimilitudinem inprimis referunt, eorumque nominibus in ſacr. literis præcipuè deſignantur: alii decreta ſunt. Illi ſunt voluntatis divinæ, ut ita dicam, commotiones, præſertim vehementiores, ſeu actus ejuſmodi, quibus voluntas vehementiùs vel in objectum ſuum fertur, vel ab eo refugit atque abhorret; utut fortè res, ad quam affectus incitat, nondum ſit firmiter concluſa. Decreta verò ſunt ſententiæ à voluntate firmiter concluſæ, & pleno quodam aſſenſu comprobatæ.

‡ *Alij enim affectuum*] Hic meminiſſe oportet quod ea quæ ἀνθρωποπαθῶς Deo tribuuntur, & exprimuntur nominibus affectuum humanorum, debent θεοπρεπῶς intelligi: cum perturbationes affectuum noſtrorum in Deum non cadant, quas nequidem Stoici in ſuo ſapiente admittunt, & quæ in nobis, omnem ſuam originem ducunt à corpore, ſi credendum ſubtilioribus hujus ævi Philoſophis, ſpeciatim Carteſio in ſua *Pathologia*. Adhæc plerique ex ijs affectibus vel quaſi, qui Deo tribuuntur, ipſi non conveniunt per modum affectuum, ſed per modum virtutum: ut nominatim *Miſericordia* & *Ira*: Illa enim non ſignificat commotionem & dolorem internum ex aliena miſeria, ſed conſtantem voluntatem miſerendi & benefaciendi miſeris, quantum libuerit per ſuam juſtitiam, ſapientiam & libertatem: Hæc vero non denotat brevem illum furorem, qui plerumque juſtitiæ adverſatur ejuſque rectam adminiſtrationem impedit; ſed è contrario firmam & conſtantem voluntatem ſuum cuique peccatori tribuendi & ulciſcendi ſcelera Creaturarum; quo ſenſu etiam Ira tribuitur Magiſtratui in muneris ſui legitimo exercitio Rom: XIII, 4. Præterea ineptè ad *actus* voluntatis referuntur affectus: cum affectuum propria ſedes in nobis ſit facultas animæ ſenſitiva, ut Peripatetici ſtatuunt, vel ut malunt Platonici, animæ pars inferior, quæ Iraſcibilem & Concupiſcibilem complectitur: Voluntas vero pertinet ad facultatem ſuperiorem, quæ Platoni *Hegemonice*, Ariſtoteli *Rationalis* vel *Intellectiva* dicitur.

Alij decreta ſunt] Sed & hoc abſurdum eſt: Nam *decreta* Dei, I. Non ſunt attributa ſimplicia, cujuſmodi illa ſunt de quibus hactenus videtur egiſſe Crellius, ſed complexa. II. Non ſunt actus tan-

tum *voluntatis* Divinæ, ſed etiam *intellectus*. unde nomine *Conſilij*, *Prætognitionis*, *Prædefinitionis* aut *Prædeſtinationis* &c. ſolent exprimi in Scripturis. Adhæc tantum abeſt ut *quaſi-affectus* in Deo, ejus decretis veniant opponendi, vel ab illis contradiſtinguendi, ut è contrario, odium ejus & amor, ira & miſericordia, ad nullum objectum ſpeciale determinentur, & circa nullam Creaturam nominatim exerceantur, adeoque Deo non conveniant, ſaltem in actu ſecundo, niſi ex ſingulari ipſius beneplacito & decreto.

Illi ſunt voluntatis] Hic multa abſurda veniunt obſervanda: Nam 1. abſurdè tribuas voluntati Divinæ *commotiones vehementiores*, quæ nequidem cadunt in virum ſapientem; multo minus in Deum ſapientiſſimum & conſtantiſſimum, cujus thronum circundat mare cryſtallinum Apoc: IV, 6. nulli planè tempeſtati, vel undarum commotioni obnoxium. 2. Abſurdè tribuas voluntati Divinæ *actus ejuſmodi quibus vehementiùs vel in objectum ſuum fertur, vel ab eo refugit atque abhorret*, antecedenter ad omne decretum illius; cùm vehementer demum id velit aut nolit Deus, vel quod improbat aut approbat, vel quod decrevit futurum aut non futurum. 3. Abſurdè tribuas vehementem proſecutionem vel fugam in voluntate Divina, rei *forte* nondum *firmiter* concluſæ: Quaſi vero aliquis, nedum Deus ſapientiſſimus, poſſit vehementer amare vel odiſſe rem, de qua nondum firmiter apud ſe concluſerit, eam eſſe amandam & proſequendam, vel deteſtandam & fugiendam: Nec mirum quod hîc Crellius interſeruerit particulam *forte*, quia citra Pyrrhoniſmum, tam ineptum Paradoxon proponi non potuit. 4. Abſurdè diſtinguas *ſententias à voluntate* (Divina) *firmiter concluſas, & pleno quodam aſſenſu comprobatas*, ab ejuſmodi actibus voluntatis ejuſdem, *quibus vehementiùs vel in objectum ſuum fertur, vel ab eo refugit atque abhorret*; cùm vehementior tendentia voluntatis in objectum, vel ejus averſio, non poſſit eſſe evanida velleitas, ſed volitio plena & deliberata, quæ ſententiam firmiter concluſam & plenum aſſenſum dicit.

Affectus illi (ut eos nunc ſimpliciter hoc nomine appellemus) etiam iis in rebus locum habent, quas voluntas naturæ neceſſitate aut amplectitur, aut refugit: decreta propriè loquendo in iis tantùm, in quibus libertati aliquatenus ſaltem locus eſt. In illis magis patitur ſeu movetur voluntas, quàm agit: in his agit potiùs, quàm patitur; ſtrictiùs nimirùm agendi verbo ſumto, ut non potentiæ tantùm, ſed & paſſioni opponatur. Nam aliàs etiam affectus diximus eſſe actus, verùm laxiùs ſumta voce, ita ut potentiæ tantùm, non paſſioni opponatur. Patitur autem voluntas vel à ſolo objecto, quia nimirum id per ſe vim habeat, voluntatem in hanc aut illam partem inclinandi, ut in odio atque ira cernitur; vel ab objecto quidem, at non ſolo: quia per ſe vim talem non habeat, ſed ob decretum antecedens, liberè factum; ut in gratiæ affectu videmus.

‡ *Affectus illi*] Benè eſt quod Crellius etiam res quaſdam agnoſcit *quas voluntas naturæ neceſſitate aut amplectitur aut refugit*: Sic enim debet confiteri non eam eſſe *voluntatis* & *neceſſitatis* oppoſitionem quam aliàs paſſim urget, per quam id nequeat eſſe voluntarium ullo modo, quod aliquomodo neceſſarium fuerit. Sed cum affectus illi Divini, ut amat loqui adverſarius, ſi concipiantur decretis præcurrere, de-

Digitized by Google

rere, debeant illis eſſe pro belice, ad quam reſpiciant & fundamento cui innitantur, non video qui decreta Divina non poſſint etiam eſſe & fieri iis de rebus, in quibus affectus illi locum habent.

In illis magis patitur] At in Deum qui eſt actus puriſſimus, nulla cadit potentia paſſiva; Et ſi datur aliquid quo Deus proprie moveatur, deſinit ipſe eſſe primum movens; & id à quo patietur fortius erit illo, cùm omne patiens ſit agente debilius: Et cum voluntas, quoad omnes ſuos actus tam elicitos quam imperatos, nunquam agat niſi acta, prout eſt appetitus rationalis & ab intellectu determinatur, quod & agnoſcere Crellium ſuo loco viſum eſt, non video quî magis voluntas Divina agat quam patiatur in ſuis decretis, aut viceverſa magis patiatur quam agat in ſuis affectibus: Vndecumque enim moveantur & excitentur iſti affectus in illa, ſaltem negari nequit, quin cum mota & excitata vehementer tendit in objectum, aut illud averſatur, tendentia illa & illa fuga, ſint actiones propriè dictæ quæ ab ipſamet eliciuntur. Poteſt quidem moveri voluntas ut velit: ſed tamen illa ejus volitio, ut ab ea elicitur, actio, non paſſio dici debet. Agnoſco quidem latiùs patere nomen *actus* quàm *actionis*, adeo ut illud ad paſſiones poſſit extendi: Sed tamen pertendo quod illæ ipſæ paſſiones ſive affectus, quæ Græcis πάθη dicuntur, non minus ſint actiones voluntatis, reſpectu volitionum vel nolitionum quæ ex illa manant, quam illius paſſiones, reſpectu impreſſionis quæ fit in illa ut tales volitiones vel nolitiones ex ſe eliciat.

Patitur autem voluntas] Hæc paſſio voluntatis ab *objecto*, eſt potius moralis quã phyſica; maximè in ſchola Socinianorum, in qua voluntas ita libera eſt & ſui domina, ut a nulla cauſa extrinſeca, nequidem ſuprema, efficaciter permoveri & determinari poſſit. Nec objectum agit immediatè in voluntatem, ſed tantum mediatè per intellectum & prout illud judicaverit vel conveniens & appetibile, vel ſecus. Et mirum eſt Crellium fingere, dari objecta quæ *per ſe vim habeant voluntatem in hanc aut illam partem inclinandi*; ſiquidem juxta Pelagij hodiernas reliquias omnes, inter quas & Sociniani primas tenent, liberum arbitrium facultas dicitur naturalis per quam poſitis omnibus ab agendum prærequiſitis, poſſit tamen homo agere vel non agere, ideſt vel actum ſuſpendere, vel ſe determinare in oppoſitum: Si enim objectum ſolum per ſe vim habet voluntatem in alterutram partem *inclinandi*, poſitâ objecti impreſſione quæ requiritur ad agendum, eo ipſo inclinata erit voluntas in alterutram partem, & ſic illi ſublata facultas lancem flectendi in contrarium. Sed quod hîc palmarium eſt, nullum poteſt fingi vel concipi objectum extra Deum, quod per ſe vim habeat ejus voluntatem in hanc vel illam partem inclinandi: inclinatur enim per iram & odium peccati ad puniendum peccatorem, non per aliquod objectum extra ſe, ſed per ſuam ipſius naturalem ſanctitatem & juſtitiam; prout viceverſâ inclinatur per gratiam & amorem ad benefaciendum electis, per ſuam ipſius φιλανθρωπίαν, benignitatem & bonitatem naturalem. Interea tamen ſi *in odio atque ira* Dei id obtinet ut per ſolum objectum voluntas ejus in hanc aut illam partem inclinetur, hinc ſequetur naturale Deo eſſe, ut poſito peccato illi iraſcatur & illud odio habeat; quod aliàs nolunt admittere adverſarij.

Sed ob decretum] Primùm dicere nequibit Crellius quodnam ſit illud objectum, quod ſaltem cum decreto præcedenti affectum gratiæ moveat in Domino: *Nec gratia Dei erit gratia ullo modo, niſi gratuita fuerit omni modo*, ut loquar cum Auguſtino *lib. 2. contra Pelag. & Celeſt. cap. 24.* Non autem erit gratuita omni modo, ſi pendeat non

deat non ſolum ex libero Dei decreto, ſed inſuper ex ipſomet objecto ſocialiter cum eo. Præterea ſi gratiæ Divinæ *affectus* cietur ob *decretum antecedens liberè factum*, ceſſabit illa differentia quam modò proponebat Crellius inter Dei affectus & illius decreta, quod hæc ſint ſententiæ à voluntate firmiter concluſæ, illi vero vehementes duntaxat voluntatis inclinationes in re *nondum firmiter concluſa.* Quis enim negabit eum affectum qui nititur decreto præcedenti, verſari circa rem jam firmiter concluſam & pleno aſſenſu comprobatam? Adeo ſimiles ſunt diſtinctiones iſtæ Crellianæ aranearum telis, in quibus plurimum eſt ſubtilitatis, uſus & ſoliditatis nihil.

Et in eo quidem rerum genere, in quo decreta revera locum habent, firmiora ſunt decreta, certioremque effectum habent, quàm ſimplices affectus. Affectuum enim vis decretis impediri ac penitus tolli poteſt: ut vis iræ, cùm decretum puniendi non eſt ſubſecutum, præſertim abſolutum: at decreti abſoluti vis tolli affectu nullo poteſt: ſed illud potiùs impedit, ne affectus ei quodammodo contrarius oriatur. quin nullum planè decretum, ſi integrum ſumatur, h. e. incluſa etiam conditione, quæ ei fortè ſubeſt, irritum fit, ut ſuprà declaravimus, cùm de conſtantia divina ageremus.

‡ *Et in eo quidem*] At primò nullum eſt rerum genus extra Deum, in quo decreta revera locum non habeant. Deinde non videmus quid majoris firmitatis ſit in decretis Dei, quam illis affectibus Divinis, ſive, ut definiuntur Crellio, vehementioribus voluntatis Divinę commotionibus, *quibus* illa *vehementiùs vel in objectum ſuum fertur, vel ab eo refugit atque abhorret.* Nam ſi quid inſit firmitatis vel certitudinis decretis Dei, id omne oritur ex eo quod rem decretam velit: Non poteſt autem aliquid magis velle quàm cum ejus voluntas in ſuum objectum ſolito *vehementiùs* fertur. Nec video qui ſe hinc Crellius expediat, niſi ſtatuat affectus in ſua commotione deſtitui judicio, decreta vero cum judicio fieri: ſed blaſphemum foret brutam affectuum commotionem Deo tribuere & quæ non ſit ſedati judicij.

Affectuum enim vis] Sed cum *affectus illi*, ut ante ſtatuebat adverſarius, *etiam ijs in rebus locum habeant quas voluntas naturæ neceſſitate aut amplectitur aut refugit, decreta propriè loquendo in ijs tantum in quibus libertati aliquatenus ſaltem locus eſt*, an poterit etiam vis eorum affectuum qui circa naturalia & neceſſaria verſantur, per decreta merè libera impediri ac penitùs tolli? Non video qui ſanæ mentis homo hæc opinionum portenta velit aut queat admittere. Imò cùm mox dicturus ſit adverſarius quod *decreta* Dei *cum affectibus quibuſdam veluti coaleſcunt, ut decretum puniendi cum ira, decretum juvandi cum miſericordia*, eo ipſo agnoſcet non omnium affectuum vim decretis impediri ac penitùs tolli poſſe. Qui enim tollatur vis illius affectus decreto Divino, quod cum illo coaleſcit, nec tam ex illo enaſcitur, quam identificatur cum eo?

Vt vis iræ, cùm] At decretum puniendi cum ipſa ira in actu ſecundo coaleſcit & identificatur; & per conſequens ut non datur decretũ hunc vel illum puniendi abſque ira, ita non datur ira in hunc vel illum abſque decreto puniendi: cum ipſa ira nihil aliud ſit quam firma & vehemens voluntas plectendi peccatores. Et ſi daretur in Deo iræ commotio, abſque decreto puniendi, tunc de illo poſſet dici, *Vana ſine viribus ira.* Non eſt quod ſibi

caveant

Digitized by Google

caveant Sociniani Deum ad iram provocare, quia irâ ejus poſitâ, non ſtatim ſubſequetur decretum puniendi.

Præſertim abſolutum] Sed ſuo loco videbimus nullum eſſe Dei decretum quod tale non ſit, ideſt immutabile & infallibilis eventus; & abſurdam eſſe diſtinctionem decretorum Dei in abſoluta & conditionata, quorum hæc ex conditione dubia, poteſtativa & eventus incerti ſuſpendantur.

Tolli affectu nullo] Verum nullus unquam affectus poteſt dari vel concipi in Deo, ipſius decretis *contrarius*, prout nullum eſt Dei decretum contrarium ſuis affectibus: Etenim *Conſentiet nulli qui ſecum diſſidet ipſe.* Quare cum decrevit miſereri noſtri, ſimul voluit iræ & juſtitiæ ſuæ ſatisfieri per Chriſtum.

Sed illud potius impedit] Scilicet juxta hos Theologos, Deus naturam ſuam furcâ ſtudet ejicere, & frænum decretorum ſuorum ſuis affectibus injicere, ne ebulliant. Quis abſurdius unquam de Deo vel loquutus vel philoſophatus eſt?

Quin nullum planè] At primùm nullum eſt decretum conditionatum adverſariorum ſenſu: Deinde ſi ad integritatem alicujus decreti ulla pertinet conditio, ex illa decretum non ſuſpendetur, ſed potius ipſamet ſimul decreta adeoque certò extitura intelligetur. Et mira eſt illa decretorum divinorum *conſtantia*, quam novi hi non tam Theologi quam Matæologi comminiſcuntur, per quam videlicet nunquam irrita fieri cenſeantur, ſive res decreta eveniat, ſive non eveniat: Quamvis enim veritas propoſitionis conditionatæ ſemper ſit in vado, ſive conditio ponatur in eſſe, ſive non, tamen non debet ideo firmitas adſtrui & conſtantia eorum decretorum quæ ex incerta conditione penderent, quaſi ſemper fiat ea ratione quod Deus decrevit, ſive conditio ponatur ſive non: Nam longè alia eſt ratio veritatis alicujus conditionalis in enunciatione hypothetica, quæ demum pendet ex legitimo & neceſſario nexu conditionis & conditionati, quam firmitatis & conſtantiæ in aliquo decreto de re futura, quæ æſtimari debet ex rei decretæ futuritione & eventu. Negatâ enim & remotâ, aut non præſtitâ conditione ſub qua decretum aliquod factum fuerit, eo ipſo *irritum fit* illud decretum, quod res decreta non ſuccedit; nec conſtans ac firmum cenſeri poterit, ſi illius executioni, conditionem non præſtando, intercedere poſſum.

Non arbitramur autem, ita decreta ab affectuum ratione abhorrere, ut nullam planè cum illis ſimilitudinem habeant, & interdum illorum nominibus non deſignentur aut comprehendantur. Siquidem & decreta quâdam voluntatis inclinatione ac propenſione conſtant. Omnis autem voluntatis 296. propenſio cum affectibus ſimilitudinem habet; quamquam alia majorem, alia minorem. Itaque non fruſtrà antea illos voluntatis actus, quos decretis oppoſuimus, affectuum ſimilitudinem inprimis referre diximus; ſignificantes, & alios voluntatis actus, eos nimirum, qui decreta conſtituunt, eorum ſimilitudinem quandam referre. Adde, quòd decreta cum affectibus quibuſdam veluti coaleſcunt; ut decretum puniendi cum ira; decretum juvandi cum miſericordia. Ideo non mirum eſt, hujuſmodi decreta eorum affectuum nomina ſortiri, iiſvé comprehendi, quorum naturam ac rationem quodammodo æmulantur, aut cum quibus veluti coaleſcunt. Ex quibus etiam in-

Digitized by Google

tiam intellligi poteſt, cur benignitas ac clementia, charitatis, gratiæ, aut miſericordiæ nomina, quæ affectuum ſunt, ſortiantur; ut ſeveritas, iræ atque indignationis. nempe quia iſta Dei attributa ex affectibus illis, & decretis eorum naturæ rationi conſentaneis, quamquam generalibus ac latè patentibus, conſtant.

1 *Non arbitramur autem*] Ita evertit quadantenus his verbis, quod antea tam operoſè conſtabilire ſtuduerat. Si enim ea ſit & nominis & rei convenientia inter affectus & decreta quam confitetur, nulla ratio ſuberat, cur in præcedentibus tam ſollicitè eorum diſtinctionem adſtrueret.

Siquidem & decreta] At ſanè nec decreta merâ *propenſione* voluntatis conſtant; cùm propenſio & inclinatio dicat tantum, maximè ſenſu Crelliano, proclivitatem aliquam voluntatis, non vero ipſius determinationem: decretum vero, ut ipſe adverſarius ante ſtatuebat, ſit ſententia à voluntate firmiter concluſa & pleno quodam aſſenſu comprobata; Nec omnis voluntatis propenſio in actu exercito & ut ſonat actualem volitionem, *cum affectibus ſimilitudinem habet*, ſi vel modò ſtetur Crellij principijs, juxta quæ omnis affectus habet rationem paſſionis: Quare cum ſaltem pleræque voluntatis propenſiones in actu exercito, ideſt actuales voſitiones & appetitiones, actionibus propriè dictis debeant annumerari, tam falſũ erit omnes illas habere aliquam ſimilitudinem cum affectibus, quam verum eſt nullam ſimilitudinem intercedere inter actiones & paſſiones, in ſuo formali conſideratas.

Itaque non fruſtra] Verum id non potuiſti velle, quin ſummam τῆς διανοίας ἀῤῥωςίαν eo ipſo proderes. Si enim illi ipſi actus voluntatis qui & quà decretis opponuntur, affectuum ſimilitudinem referunt, tam neceſſe eſt decreta procul eſſe ab illa ſimilitudine, quam neceſſe eſt illa opponi ijs actionibus quibus hæc ſimilitudo convenit: Aliàs tolletur diſcrimen decretorum & aliorum illorum actuum, per eam regulam quæ ſtatuit ea inter ſe convenire, quæ in uno tertio conveniunt.

Adde quod decreta] Iam aliquid ante de hoc ſubmonui; fruſtra enim ea opponas quæ ſunt eadem & in unum coaleſcunt.

Ideo non mirum eſt] Sed quam non eſt mirum eadem iiſdem appellari nominibus, tam nobis mirum eſt realem ab adverſario fingi diſtinctionem & oppoſitionem inter ea quæ & re identificantur & nomine conveniunt.

Ex quibus etiam] Hæc eſt abſurdorum iſtorum conceptuum coronis, ceu dignum patellâ operculum. Nam primò abſurdum eſt, benignitatem, clementiam, ac ſeveritatem, ſive juſtitiam punitivam, facere attributa compoſita ex affectibus & decretis Divinis: Si enim conſiderentur præciſè & in idea, ſunt naturales Dei proprietates ipſi coeſſentiales & convenientes ab æterno, & quæ in actu ſignato & ſigno rationis, licet non tempore, Deo inerant priuſquam ullum decretum feciſſet de illis in hos & illos exercendis; Si vero conſiderentur determinatè ad certas Creaturas & in actu exercito, ab ipſiſmet decretis diſtingui non poſſunt. Nec decreta ingrediuntur compoſitionem attributorum ſimplicium, ceu partes illorum; ſed ipſamet ab attributis ſimplicibus, ceu compoſita & involuentia actus diſtinctos tum intellectus tum voluntatis, diſtingui debent. Secundò ex eo quod per illa affectuum noſtrorum nomina iſtæ Divinæ perfectiones in genere morum exprimuntur, patet illis vocibus *amoris*, *gratiæ*, *miſericordiæ*, *iræ*, *odij*, non tam affectus vel quaſi in Deo deſignari, quam

quam virtutes & perfectiones morales, adeoque illas ipſas voces non tam affective, quam perfectivè eſſe ſumendas; prout etiam inter homines ſunt aliquot virtutes quæ affectuum nominibus enunciantur: ut miſericordia, pudicitia, audacia &c. Quin apud Paulum Rom. XIII, 4. 5. exacta & ſevera juſtitia, cujus adminiſtratio incumbit Magiſtratui, *iræ* nomine exprimitur. Quominus vero hæc nomina, affectus denotent in Deo, multa efficiunt: Nam affectus ſunt morbi & ægritudines animi, quibus Deus nullo modo eſt obnoxius: Et ſi præciſè conſiderentur affectus, ad vitium & virtutem ſe habent indifferenter, & turpitudine ac honeſtate adhuc carentes, utriuſque ſunt capaces: Sed nihil in Deo concipiendum eſt quod ſit indifferens ad turpitudinem & honeſtatem; & cum illius amor, gratia, miſericordia, ira, odium &c. neceſſariò honeſtatem & ſanctitatem adjunctam habeant, eo ipſo non in affectuum, ſed in virtutum ſive perfectionum moralium ordine cenſeri debent.

Viſâ differentiâ, quæ inter affectus & decreta Dei intercedit; ſequitur, ut utrorumque genera diſtinctiùs conſideremus, initio ab affectibus facto. Mirari autem nemo debet, nos ita abſolutè Affectûs nomen Deo tribuere; cum ſpecialia affectuum nomina illi in ſac. literis abſolutè tribui innumeris in locis omnes cernant. Eodem enim tropo, nempe metaphorâ, quam in hoc rerum genere ἀνθρωποπάθειαν appellari ſuprà non ſemel monuimus, actus illi divinæ voluntatis generale affectuum nomen ſortiri poſſunt, quo ſpecialia ſortiuntur: præſertim quia minùs in generali Affectûs voce videatur eſſe improprietatis, cùm ea ad Deum transfertur, quàm cùm ſpecialia illa iræ, imò furoris, pœnitentiæ, aliaque ſimilia nomina illi accommodantur; quod tamen toties faciunt ſac. literæ. Satius quidem eſt propriè loqui, quàm impropriè, in accuratiori præſertim rerum explicatione: ſed cùm propria deſunt, quibus rotundè, ſeu abſque circumlocutione rem exprimere queas, impropriis uti nemo prohibet, præſertim ſi de improprietate apertè moneas, & veluti cum venia alienis vocibus, ut propriis, utaris. Itaque nil prohibebit, quominus illos, de quibus loquimur, voluntatis divinæ actus, *affectus* jam porrò ſimpliciter nominemus. Interim illud non modò libenter agnoſcimus, ſed etiam ultrò monemus, non cadere in Deum perturbationes ejuſmodi, quales in hominum aut brutorum affectibus cerni ſolent; ſejungendaque eſſe ab his voluntatis divinæ actibus omnia, quæcunque ſunt impura, quæcunque terreni corporis concretionem, quæcunque imperfectionem aut imbecillitatem reſipiunt: cætera, quæ in natura cernuntur affectuum illorum, quorum nomina Deo tribuuntur, eſſe relinquenda. 297. Itaque ex natura affectuum humanorum, à quibus ipſe Dei ſpiritus ob analogiam ac ſimilitudinem voces ad Deum transfert, aliqua ratione æſtimanda nobis erit natura illorum, de quibus agimus, voluntatis divinæ actuum.

z *Non ita abſolutè*] At vel ſecundum teipſum hæc dicuntur de Deo per *ἀνθρωποπάθειαν*; adeoque illi tribui *abſolutè* non poſſunt.

Cum ſpecialia affectuum] Sed jam paullò ante monui, *ſpecialia* illa *nomina*, cum Deo tribuuntur, non affectuum, ſed perfectionum & virtutum eſſe: Adhæc eorum omnium ſpecialium nominum ab affectibus deſumptorum, non par eſt ratio: Quædam enim, cùm ſuo conceptu nullam importent imperfectionem, ipſi Deo propriè & prius quam nobis conveniunt: ut charitas, amor, miſericordia: Quædam vero, cùm aliquod ἥττημα & vitium plerumque in nobis denotent, nobis inſunt prius quam Deo; nec propriè Deo tribuuntur, ſed figuratè & ἀνθρωποπαθῶς, ut ira, furor, pœnitentia. Quid abſurdius vero quam inde colligere affectus *abſolutè* Deo eſſe tribuendos, eo, quod impropriè & figuratè, quædam affectuum noſtrorum, etiam vehementiorum, nomina illi tribuuntur? Audebitne Crellius iram, furorem, pœnitentiam *abſolutè* Deo vindicare?

t *Interim illud non modo*] At ſi à noſtris affectibus removeris quicquid eſt impurum, quicquid eſt vitioſum, aut capax vitij, quicquid caret honeſtate actus, eo ipſo deſinent eſſe affectus & abibunt in virtutes. Igitur hic loquitur Crellius tribuendo Deo quaſi affectus, qui tamen non ſint affectus, eo modo quo Vellejus Epicureus apud Ciceronem *lib. 1. de nat. Deorum* dicebat, *non corpus eſſe in Deo, ſed quaſi corpus; nec ſanguinem, ſed quaſi ſanguinem.*

Sunt autem in nobis affectus commotiones quædam atque inclinationes appetitus, cui vim facultatemque analogam voluntas divina in ſe complectitur. Commotiones eſſe dicimus: quia etiam cùm de humanis affectibus loquimur, neceſſe habemus, ob vocum inopiam, metaphoricis uti propriorum loco, quæ porrò ad Deum eo, quo paulò antè diximus, modo linguæ noſtræ infantia transferre cogit. Unde & ſuprà diximus, Affectus illos Dei eſſe commotiones quaſdam divinæ voluntatis. Oriuntur autem affectus in nobis ex cognitione rei alicujus jucundæ vel injucundæ, gratæ vel ingratæ. Gratam enim amplectuntur ac perſequuntur; ingratam averſantur ac fugiunt. Unde alii affectus ſunt, qui rem jucundam perſequuntur, ut amor; alii qui injucundam refugiunt, ut odium; alii denique veluti ex utriſque ſunt miſti, ut ira, quæ ita injuriam ac contemptum refugit, ut vindictam pœnamque appetat. Idem in genere de divinis illis affectibus eſt ſtatuendum; quanquam non eadem ſunt jucunda Deo, ac nobis. Appetitus enim noſter primò ac potiſſimùm in res ſenſibus corporeis gratas fertur, contrarias refugit. Ab harum autem rerum contagione puriſſima Dei natura penitus eſt ſegregata. unde nec illarum deſiderio capitur; nec harum in illo fuga eſt; quia eum attingere non poſſunt. Quæ autem Deus ut grata amplectitur, ſæpè ita ſunt comparata, ut quicquid in illis eſt, quod Deo placere poſſit, facilè obrueretur magnitudine rerum ingratarum, quæ in iiſdem reperiuntur, niſi ſumma Dei benignitas, ſpontaneumque ipſius decretum, earum vim impediret atque extingueret, nullámque earum rationem

habendam

Digitized by Google

habendam eſſe duceret. id quod vel inprimis cernitur in Dei erga genus humanum, adhuc impium, amore, quo id in Chriſto fuit proſequutus. Ea enim, quæ in hominibus adhuc impiis dilexit Deus, non eorum meritis conſtiterunt, ſed ipſius Dei fuerunt beneficia; eorumque vim extinguere peccatorum noſtrorum multitudo ac magnitudo facilè poterat. ut non immeritò dicere poſſis, amorem Dei homines ipſi gratos reddidiſſe, non reperiſſe.

‡ *Quia etiam cùm de*] Quaſi vero *commotionis* vocabulum in doctrina de affectibus noſtris, ſit metaphoricum & improprium. Quis enim neſcit nullum in nobis cieri affectum abſque commotione ſpirituum & cordis?

Idem in genere] Cadit quidem in Dei voluntatem volitio & nolitio, tendentia & fuga, approbatio & averſio; ſed non eo quod in omni affectu, datur tendentia in objectum aut illius fuga, viceverſâ debet affectus abſolutè ſtatui, id omne ubi alterutrum horum duorum reperitur. Quare perinde facit Crellius ac ſi diceret, Bruto convenit ſentire & moveri, ergo ubicunque ſenſus eſt & motus, ibi brutum eſt.

Quanquam non eadem ſunt] Sed nec eodem modo vult Deus quæ ſibi ſunt grata, quo noſtri affectus moventur verſus ea quæ nobis jucunda ſunt: Sua Deus vult appetitu *juſtitiæ*, ut loquamur cum Scholaſticis, nos noſtra appetitu *commodi*: Appetitus etiam noſter eſt appetitus *inhiantis*, ſeu *carentiæ*, ſed in Deo eſt appetitus *complacentiæ*, ſeu *fruentis*.

Quæ autem Deus ut] Verum quidem eſt multa reperiri in ijs quos Deus diligit, quæ odio ſuo ſunt digniſſima: cùm ſuos quiſque patiatur manes & nihil ſit ab omni parte beatum: Sed primò hîc debent diſtingui res à perſonis: Nam perſonæ fidelium ſunt gratæ & acceptæ Deo per Chriſtum, etſi multos in ſe habeant defectus & nævos quos in verbo ſuo improbat, & ad quos ſi attenderet, digni eſſent ſuo odio: Si res vero conſiderentur, quæcunque earum grata eſt Deo, prout abſtractè & in idea debet conſiderari, illi omninò & pleniſſimè grata eſt; ut fides, pietas, virtus, obedientia ſuis mandatis. Secundò confundit Crellius duas ſpecies dilectionis vel amoris in Deo, quarum eſt alia *complacentiæ*, alia *benevolentiæ*: Per amorem complacentię conſiderat aliquid in hominibus quod ſibi gratum & acceptum eſt; hoc ſenſu dixit Paulus Heb: x 1,6. impoſſibile eſſe placere Deo ſine fide: ſed per amorem benevolentiæ, vult benefacere Creaturis miſeris, perditis, ac nullâ re amabilibus, illiſque ea conferre per quæ deinceps ſibi placeant & acceptæ ſint; hoc ſenſu dicit Apoſtolus Rom: v. 8. Deum ſuam erga nos charitatem eò commendare, *quod quùm adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus ſit*. Adde nobilem locum Ezech: xvi, 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Ita pater qui habet filium virtutis & diligentiæ ſectatorem, eum amat amore complacentiæ: Sed qui habet filium prodigum, aut furioſum ac mente captum, eum amat tantum amore benevolentiæ, dum illi benè vult & nihil omittit eorum per quæ ad ſaniorem mentem reduci queat. Amor autem quo Deus genus humanum *adhuc impium* in Chriſto eſt proſequutus, non fuit amor complacentiæ, quo homines, tanquam ſibi vel in totum vel ex parte gratos, fuerit complexus; ſed fuit amor benevolentiæ meræ, quo miſeris & perditis creaturis, nulla re amabilibus, ſed omni odio & exitio digniſſimis, pro ſuo beneplacito conſulere voluit, & eas ex perditionis barathro in quo jacebant ad ſalutem reducere. Fruſtrà ergo

Digitized by Google

ſtrà ergo hîc ſibi fingat Crellius Dei decretum intercedens, inter ea quæ ſibi partim grata & partim ac multo magis ingrata erant in hominibus, quo conſtituerit ingratarum illarum rerum vim impedire, & nullam earum rationem habendam eſſe duxerit: Nam in genere humano adhuc impio nihil planè erat quod Deo placeret & gratum eſſe: Et ſic, gratificando hominibus Chriſtum in Redemptorem, decrevit ſe nullam peccatorum ipſorũ habiturum rationem, ut tamen iſtorum peccatorũ pœnas eorum vice & loco ab ipſo Chriſto exigere voluerit. In pijs vero & fidelibus, ſic gratam habet eorum fidem & inchoatam ſanctificationem, non ex illius intrinſeca dignitate, ſed ex ſua paterna dignatione in Chriſto, ut nolit reliquiarum peccati, quibus ſunt obnoxij, habere amplius rationem, non per decretum aliquod interveniens inter illam eorum fidem & has peccati reliquias, ſed per illud ipſum decretum, quo ab æterno conſtituit & eos fide in Chriſtum donare ac in ſuos filios adoptare, & per conſequens peccatorum ſuorum non amplius reminiſci.

Ea enim quia in hominibus] Sed primò aliquid fuiſſe in genere moris Deo gratum & acceptum, quod in hominibus adhuc impijs diligeret, evidentem implicat contradictionem. Deinde beneficia Dei meritis noſtris oppoſita, per quæ ſimus illi grati & accepti, ex amore illius fluunt, non vero illum provocant. Ad hæc ſi ſpectemus vim & efficaciam meriti Chriſti, cujus intuitu deſtinantur & conferuntur hominibus ante impijs ea beneficia per quæ Deo grati ſint, illam nullo modo potuit *extinguere peccatorum noſtrorum multitudo ac magnitudo*; cum è contrario illa vis & efficacia meriti Chriſti extinguat peccatorum noſtrorum multitudinem ac magnitudinem, quoniam teſte Paulo Rom: v, 20. *ubi amplificatum eſt peccatum, ibi ſuperabundavit gratia.*

Vt non immerito dicere] Verùm hac particulâ evertit adverſarius quæ priùs docuerat. Si enim, uti revera, amor Dei homines ipſi gratos efficit, non reperijt, quomodo finget Crellius quædam ut ſibi *grata* in hominibus adhuc impijs Deum amplexum fuiſſe, ita tamen *comparata, ut quicquid in illis eſſet quod Deo placere poſſet, facilè obrueretur magnitudine rerum ingratarum quæ in ijſdem reperiebantur, niſi ſumma Dei benignitas, ſpontaneumque ipſius decretum, earum vim impediret atque extingueret.* Hæc ſanè ſunt ἀσύϛατα.

Ex dictis autem & natura divinorum affectuum, & diſcrimen apparet. Sa-
298. tis enim liquet, eos nihil eſſe aliud, quàm actus ſeu commotiones quaſdam divinæ voluntatis, ex cognitione rei gratæ, vel ingratæ ortos, eam vel amplectentes, vel fugientes, vel partim amplectentes, partim fugientes. Nam in triplici differentia verſantur. Alii, ut dictum eſt, rem gratam atque jucundam amplectuntur perſequunturque, aut in ea veluti acquieſcunt; alii rem ingratam atque injucundam averſantur ac fugiunt; alii ex utroque genere quodammodo mixti ſunt, qui aliud quidem fugiunt, tanquam injucundum, aliud perſequuntur, tanquam jucundum. Primi generis ſunt amor, gratia, deſiderium, ſpes, lætitia. circa bonum enim tantùm verſantur. Secundi generis ſunt odium, metus, dolor, ſeu triſtitia, pœnitentia. Nam & hæc per anthropopathiam Deo in ſacris literis tribui infrà videbimus. Tertii generis, quod mixtum eſſe diximus, ſunt miſericordia & ira, oppoſiti

poſiti cæteroquin inter ſe affectus. Miſericordia enim ita malum alienum averſatur, ut ſublatum cupiat, & bonum afflicti quærat: ira autem ita offenſionem ab alio profectam averſatur, ut pœnam ejus, qui læſit, ac vindictam expetat.

‡ *Quam actus ſeu commotiones*] At voluntatis DIVINÆ *actus* ab ejus decretis fruſtrà diſtinxeris; aut finxeris *commotiones* inefficaces in voluntate DIVINA, quæ certis & firmis volitionibus non debeant annumerari.

Ex cognitione rei] Ergo iſti actus pendent ex judicio intellectus, non vero, ut noſtrorũ affectuum commotiones in nobis, illud prævenium: Nec enim in Deo ut nobis duplex cognitio & apprehenſio ſive perceptio eſt fingenda, alia ſenſitiva, per quam cietur affectuum impetus, & intellectiva alia per quam ſaltem in viro bono & ſapienti regitur.

Gratæ, vel ingratæ] Primò certum quidem eſt nihil velle DEUM quod ſibi non ſit gratum, & nihil nolle quod ſibi ingratum non ſit; ſed tamen inde fruſtra colligas, ergo homines impios jam eo ipſo eſſe Deo gratos, eo quod Deus ipſis benè velit. Nam benè velle & benè facere hominibus peccatoribus eſt quidem res Deo grata, quia convenit ſuæ miſericordiæ: ſed non ideo grati ſunt ei homines peccatores, quos, licet indignos, benevolentiâ & beneficentiâ ſuâ proſequitur. Deinde abſurdè fingeretur Deus rem eandem partim ut gratam amplectens, partim refugiens ut ingratam: Nam ſi quæ res facultati cognoſcenti objiciatur ſimul ut grata & ingrata vario reſpectu, inde dubietas & hæſitatio orietur in appetitu, ut poſitus in medio neſciat quò ſe vertat, non vero vehementior affectus, circa illam aut proſequendam ceu gratam, aut refugiendam ceu ingratam. Et quamvis detur affectus mixtus ex proſecutione & fuga, ut ira juxta Pathologos, tamen aliam rem proſequitur & urget, ceû gratam, nempe vindictam & pœnam offendentis, aliam vero averſatur & odit, nempe contemptum & injuriam. Nec ſi quia datur affectus mixtus ex proſecutione & fuga, ideo datur res aliqua circa quam occupetur quæ ſimul ſit grata & ingrata: Eſt enim magnus hiatus inter rem quam ira proſequitur & cupit, & eam quam fugit & averſatur; quod videtur etiam agnoſcere adverſarius ſtatuens de affectibus mixtis, quod *aliud quidem fugiant tanquam injucundum, aliud perſequantur tanquam jucundum.*

Primi generis ſunt] At alio ſenſu, nempe proprio, *amor, gratia, miſericordia,* Deo conveniunt, quod illa nomina nullam imperfectionem ſuo conceptu involuant; alio, nempe improprio & metaphorico, *deſiderium, ſpes, lætitia, dolor, triſtitia, pœnitentia, odium, ira.* Hæc enim nomina aliquam imperfectionem humanam important, quæ Deo tribui nequit; uti de ſingulis ſuo loco erit infrà oſtendendum. Et cum agnoſcat Crellius eos affectus qui circa malum & injucundum verſantur, eſſe intelligendos per anthropopathiam, eoipſo confitetur, non *abſolutè* Deo convenire hos omnes vel affectus vel quaſi, quos hîc voluit in tres ordines diſtribuere: Deſiderium, ſpes, lætitia, Deo tribuuntur ad ſignificandam certam & ſeriam approbationem rei alicujus ceu à ſe præſcriptæ, mandatæ, ordinatæ, per firmum aliquem actum ſuæ voluntatis: Metus, odium, dolor, triſtitia, pœnitentia, itidem Deo tribuuntur ad ſignificandam improbationem & deteſtationem rei alicujus, ceu ab ipſo prohibitiæ aut non deſtinatæ.

Oppoſiti cæteroquin] Hoc Marcioniticum eſt, oppoſitos & contrarios actus voluntatis in

tatis in Deo imaginari: Diſtinctio eſt equidem ab objectis petenda inter iram & miſericordiam: ſed oppoſitio aut contrarietas nulla: Nam miſericordia tribuitur Deo in ſenſu proprio, ira in figurato: nequit autem eſſe realis oppoſitio inter duo vocabula, niſi conferantur ad ſe mutuo in propria ſua ſignificatione. Et cum nulla virtus ſit virtuti contraria, & miſericordia ac ira in Deo non ſumantur *affectivè* per modum affectuum ſe indifferenter habentium ad honeſtum & turpe, ſed *perfectivè* per modum virtutum & actuum honeſtiſſimorum, ut ſonant Clementiam & Iuſtitiam, ideſt voluntatem conſtantem ſuccurrendi miſeris ab una parte, & peccatores puniendi ab altera, fruſtra fingas oppoſitionem inter miſericordiam & iram Divinam. Vtrique etiam Deus voluit locum eſſe, (ut cœtera mittam) in opere Redemptionis per Chriſtum, qui & Patris iram adverſus noſtra peccata ſuſtinuit, & immenſos miſericordiæ Divinæ theſauros nobis acquiſivit & reſeravit. Vno verbo cùm aliud ſit *bonum aſflicti quærere*, aliud *pœnam ejus qui læſit ac vindictam expetere*, hæc duo ut diſtincta & diſparata debent concipi, propter objectorum ſuorum diverſitatem, non tamen oppoſita vel contraria aſſeri.

Poteſt autem & aliud inter iſtos affectus diſcrimen animadverti. Etenim alii, licèt circa res Deo gratas aut ingratas verſentur, ad alienum tamen bonum aut malum comparandum maximè ſpectant: alii circa bona aut mala eatenus potiſſimùm verſantur, quatenus ipſimet Deo grata aut ingrata accidunt: alii denique veluti medio loco ſunt poſiti, & nunc ad hoc, nunc ad illud genus magis inclinant. Primi generis ſunt charitas, gratia, & miſericordia, qui affectus ſunt benefici, & his contraria, odium ad perſonas relatum, & ira: qui duo affectus ad mala iis, qui merentur, imponenda impellunt. Secundi generis ſunt ſpes ac metus, lætitia & triſtitia. Tertii amor & odium generatim ſumtum, ita ut tam ad res, quàm ad perſonas referatur; itemque deſiderium; quin & pœnitentia; cùm pro affectu (neque enim hunc ſemper denotat) ponitur. Sed nos tertii ordinis affectus cum priorum duorum generum tractatione conjungemus; & primùm de amore, gratia, & miſericordia, eorúmque contrariis, odio & ira; deinde de deſiderio, ſpe, lætitia, eorúmque contrariis, metu, triſtitia, pœnitentia dicemus.

‡ *Poteſt autem & aliud*] Sed nec in hac diſtributione multum eſt ſalis: Nam licet admittam diſtinctionem inter res & perſonas, cum agitur de ijs quæ gratæ ſunt Deo vel non gratæ, tamen non video quænam *ipſimet Deo grata aut ingrata accidant*, aut accidere fingantur, quæ *ad alienum tamen bonum aut malum comparandum*, ſaltem aliqua ratione, non ſpectent: Imò circa hæc etiam verſantur ſpes ac metus; lætitia ac triſtitia, quæ videntur, juxta ipſū adverſarium, tribui Deo, ſed figuratè, in Scripturis. Præterea inter iram & odium, nequidem ex parte objecti, Dei reſpectu eſt tam ſcrupuloſè diſtinguendum: cum utrobique denotetur improbatio peccati & voluntas illius puniendi. Quin illa duo in ſigno rationis priùs de rebus dicuntur quam de perſonis: non tam enim homines odit Deus quam eorum vitia; contra quam dicuntur Principes, proditionem amare ac odiſſe proditores; & condolet Creaturæ, cujus non delectatur interitu, etſi illius peccato graviſſimè iraſcatur.

Digitized by Google

iraſcatur. Adhæc minus conſideratè in hac trichotomia duplex amor duplexque odium fingitur: ut alterius ſit ſpeciei amor & odium perſonarum tantum, alterius vero amor & odium perſonarum & rerum ſimul. Quid quod deſiderium in ſpe, metu, amore, miſericordia, odio, ira, ſic comparet, ut ab illis ſpeciatim diſtingui non debeat? Et alienum eſt duplicem Deo adſcribere pœnitentiam, alteram quæ habeat rationem affectus, alteram non: ſed de ſingulis fuſiùs ſuis locis.

CAP: XXX.

De Amore, Gratia, & Miſericordia Dei; eorúmque contrariis, Odio & Ira.

INcipiamus igitur ab Amore. Hic enim affectus inter cæteros aliqua ratione
eminet; & alios quidem ambitu ſuo complectitur, ut gratiam & misericor- 299.
diam; alios autem, licèt contrarios, cùm objectum ipſi adverſum eſt, ex ſe quodammodo parit, ut odium & iram. Ideo enim mala odimus, & eorum auctoribus iraſcimur, quia bono, quod amamus, adverſantur, idque nobis eripiunt. Eſt autem amare, quippiam vehementiùs velle. Unde in ſacris literis Vet. Fœderis verbum *Chaphetz* pro *amare* ponitur, quod Latinus interpres ſimpliciter reddidit *Velle*; (*vid: Pſal: 18.20: 22.9: 41.12. vid: & Mat: 27.43.*) ſed tamen vehementiorem quandam voluntatis inclinationem ac propenſionem in rem quandam ſignificat, ita ut & deſiderium quoddam, & quandam delectationem, quæ ex ea capiatur, in ſe comprehendat. Nam & verbum illud Hebræum Deſiderandi, nonnunquam Delectationem capiendi ſignificationem habet: & quicquid amamus, id & cupimus, ac cum eo veluti uniri deſideramus, (unde à nonnullis amor definitur unionis deſiderium:) & in eo aliqua ratione acquieſcimus. Quicquid autem ejuſmodi eſt, id extare, &, quatenus ejus natura fert, ſalvum eſſe, ſive ejus ipſius, ſive noſtrâ, ſive ipſius ſimul ac noſtrâ cauſſâ cupimus. Quare & amoris ea vis ac natura eſt.

† *Eſt autem amare*] Hæc definitio eſt nimiùm generalis: Qui valde ſitit, vehementer admodum deſiderat aquam, ut David eam optabat quæ hauriretur ex puteo Bethlehemitico, quam tamen, valde impropriè amoris humani objectum conſtituas: Etiam qui ægrotat vehementer vult & impatienter expectat pharmacum ſibi præparatum à Medico, etſi alioquin à medicamentis valde abhorreat, nec ea velit aut appetat, niſi ob præſentem neceſſitatem. Commodiùs ergo definias amorem, vel ut factum à Vive, Allubeſcentiam quâ amatum amanti placet; vel ut Thomæ placet, Complacentiam rei appetibilis; vel ut Plato cenſet, Deſiderium pulchri. Auguſtino dicitur junctura duo copulans; unde amorem ponderi corporum comparat, inquiens, animum ferri amore quocunque fertur, ut corpus pondere, *lib. 11. de Civit. cap. 28.* Ariſtoteli *lib. 2. Rhet. cap. 4. amare* eſt *velle alicui*

Digitized by Google

velle alicui quæ putas bona, idque illius non tui ipſius cauſâ, & paratum eſſe ad ea pro viribus efficienda.

Unde in ſacris literis] Hoc verbum ſæpè ſumitur pro delectatione, ut nominatim Ezech: XVIII, 32. XXXIII. II Iam autem quamvis ſua inſit delectatio amori, ubi datur rei amatæ præſentia & poſſeſſio, tamen nec illa hunc perpetuò comitatur; ſi enim res amata abfuerit, languet amans deſiderio, aut ſi eam ſibi metuat eripi, zelo conficitur; nec poteſt negatio amoris ſemper colligi ex negatione delectationis: Pater bonus non delectatur gemitibus vel dolore ſui filij, quem ob mores minus bonos caſtigat & plectit: omnis tamen illa caſtigatio fluit ex amore: Deus vult vehementer, adeoque & amat ſuo ſenſu, pœnam hominum peccatorum ex juſtitiæ ſuæ ordine & ſanctione legis: eâ tamen ſe non delectari, teſtatur apud Ezechielem locis modò citatis.

Ac cum eo veluti] Hoc *unionis deſiderium* propiùs & pleniùs cernitur in perſonæ ſive naturæ intelligentis dilectione, quo reſpectu verum eſt quod vulgo dicitur, Animam magis eſſe ubi amat, quam ubi animat, quam in amore rei alicujus, vel ſenſu & vitâ, vel ratione carentis.

Etſi verò Deus ſeipſum primò ac præcipuè amat: nam & quævis res ſenſu intellectûve prædita ſeipſam amat: & Deus, qui ſeipſum optimum eſſe novit, non poteſt non ſeipſum maximè amare: tamen non hic ille amor eſt, de quo nobis præcipuè agendum eſt. quia nec de hoc amore, ſed de illo toties loquuntur ſacræ literæ, quo res alias, ac nominatim homines, Deus complectitur. Hic eſt, qui ad fiduciam in ipſo collocandam, ad ipſum amandum ac colendum nos vehementiſſimè impellit. ac porrò hic eſt, qui de religione tractantibus inprimis eſt explicandus. Illius quidem amoris, quo ſeipſum complectitur Deus, effecta quædam in ſacris literis commemorantur: quale illud inprimis eſt, quòd omnia propter ſeipſum facere, & in omnibus conſiliis operibuſque ſuis gloriam ſuam ſpectare dicitur; (*vid: Prov: 16. 4. Exod: 9. 16. Ezech: 36. 22, 23.*) quin & illud, quòd nonnunquam zelum pro nomine ſuo ſancto aſſumit, quodque hoſtes ſuos, ac nominis gloriæque ſuæ inimicos odit, & ſeverè ulciſcitur: (*ib: c. 39. 25.*) ſed Deum tamen ſeipſum amare, expreſſis verbis alicubi pronunciatum eſſe, nondum animadvertimus.

‡ *Sed Deum tamen*] Hic non eſt opus expreſſis verbis: Nam cum nemo ſit bonus præter ipſum Matth: XIX. 17. & bonitatem omnem ſuam intelligat, tam neceſſe eſt ut ſeipſum ſummè amet, quam neceſſe eſt ſummum bonum impenſè amari ab eo qui illud perfectè cognoverit. Etenim nec ignoti ulla poteſt eſſe cupido, nec bonum cognitum amari non poteſt; ſiquidem vel Ariſtotele finitore, Bonum eſt quod omnia appetunt.

Ut igitur de illo Dei amore loquamur, quo res extra ſe poſitas proſequitur; is præter ἀγάπης nomen, (*Ioh: 17. 26. Rom: 5. 5, 8: 8. 38. 1 Ioh: 3. 16. & alibi.*) etiam εὐδοκίας voce aut verbis cognatis non ſemel in ſacris literis effertur. (*Mat:*

tur. (*Mat: 3. 17: 12. 18: 17. 5. Luc: 2. 14.*) pertinet huc aliquo modo & zeli nomen, quamquam ad iram potiùs deſignandam adhibetur, ut jam ſuprà ex parte diximus, (*cap: 28.*) de Severitate divina loquentes, partim inferiùs 300.
hoc cap. dicemus. Diximus autem, id cuivis amori, ac proinde etiam illi, quo Deus res alias complectitur, commune eſſe, ut & rem eam, in quam fertur, extare, ac prout ejus natura fert, ſalvam eſſe cupiat; & in ea quodammodo acquieſcat. Verùm non æqualiter ſemper utrumque denotatur, cum Deus quippiam amare dicitur, ſive ipſum amandi aut diligendi verbum uſurpetur, ſive alia cognatæ ſignificationis. Interdum enim verbis hujusmodi prius ex iſtis duobus, interdum poſterius magis ſignificatur; adeò ut duplex quodammodo earum vocum ſit uſus. Nam interdum id potiſſimùm ſignificatur, quòd Deo res aliqua placeat, ejuſque voluntati valdè ſit accommodata: interdum, quòd Deus creaturæ alicui benè cupiat; adeò ut poſteriori ſignificatione amor Dei nihil revera ſit aliud, quàm ipſius favor ac benevolentia. Et priorem quidem vocis vim exprimens divinus ſpiritus, rem aut perſonam aliquam Deo placere, probari, acceptam eſſe dicit, aut Deum in ea εὐδοκεῖν pronunciat. (*vid: Pſal: 51. 18. Prov: 11. 20: 16. 7. Oſe: 6. 6. Pſal: 40. 7. & Heb: 10. 5, 7. & cap: 11. 6.*) quanquam verbum εὐδοκεῖν, nomenque illi conjugatum εὐδοκία, etiam ad benevolentiam Dei ſignificandam adhibetur.

† *Vt & rem eam in*] Hîc duo ſphalmata grandia committuntur: Nam quod de perſonis concedi poteſt, Deum velle eas perſonas eſſe ſalvas quas amat, ad res quaſlibet traduci non debet. Si enim dixeris Deum amare reſipiſcentiam peccatoris, valde ineptè ſtatues quod eam reſipiſcentiam *ſalvam eſſe cupiat.* Adhæc non ſtatim acquieſcit Deus in perſonis quas amat: cum alius ſit amor benevolentiæ, quo benè vult miſeris & peccatoribus, etſi nihil propriè in illis reperiat ſibi gratum & in quo acquieſcat; alius vero amor complacentiæ, quo electos & fideles in Chriſto ſuo complectitur, & in quibus propter meritum & ſatisfactionem Chriſti plenè acquieſcit.

Verum non æqualiter] Amor complacentiæ prius ſemper præſupponit; ſed amor benevolentiæ non neceſſariò ponit poſterius.

Quanquam verbum] Imò quandoque εὐδοκία merum Dei decretum & beneplacitum denotat, in ſolam liberrimam illius voluntatem refundendum, ut Matth: XI, 26. Ibi enim in εὐδοκίαν Dei utrumque rejicitur, & quod hæc à ſapientibus & intelligentibus abſconderit, & quod detexerit infantibus: Hinc verbum ipſum εὐδοκεῖν abſolutè quandoque ponitur, etiam de Deo uſurpatum, pro *viſum eſt*, ut Luc: XII, 32. 1. Cor: 1, 21.

Fertur autem Dei amor priori modo ſumptus in quaſvis, ſive res, ſive perſonas, in quibus aliquid ineſt veri boni: licèt non rarò, cùm vox amoris, aut aliæ eandem vim habentes, in perfectiori quadam ſignificatione ponuntur, quædam tantùm res ac perſonæ à Deo amari, eive placere dicantur,

 cæteris

Digitized by Google

cæteris ab amore Dei excluſis; & illis quidem inprimis, in quibus tantæ exiſtunt odii cauſſæ, ut earum vim, quæ amorem Dei elicere aliàs poſſent, perimant, & ipſam porrò Dei erga ipſas charitatem extinguant. qua de re nonnihil explicatiùs dicemus paulò inferiùs, ubi de amoris divini gradibus, itemque ibi, ubi de odio Dei diſſeremus. At poſteriori modo acceptus Dei amor, non in res quaſvis, licèt bonas, fertur, ſed in eas tantùm, quæ ſenſu ſunt præditæ; & maximè propriè in perſonas, quæ ſupra ſenſum intellectu quoque ſunt ornatæ. Hæ enim ſolæ favoris ac benevolentiæ alienæ ſunt capaces, ejuſque vim experiri, & fructum percipere queunt.

‡ *Fertur autem Dei*] Nihil Deus approbat, aut diligit amore complacentiæ, niſi quod verè bonum, non in ſenſu phyſico, ſed morali eſt; Iam autem ſive perſonarum, ſive rerum habeatur ratio, ut inter homines nemo poteſt placere Deo abſque fide Heb: XI, 6. ita rerum ſive actionum humanarum nulla illi poteſt eſſe grata & accepta niſi ex fide proficiſcatur, abſque qua quicquid fit peccatum eſt Rom: XIV, 23. Gratis itaque ſibi fingit Crellius, varios gradus amoris complacentiæ in Deo, qui ad ſolas perſonas fidelium & actiones ex fide profectas, juxta Dei verbum reſtringitur. Gratis quoque ſibi imaginatur in ijs quas Deus odit, quædam ſupereſſe *quæ amorem Dei elicere aliàs poſſent*, niſi tantæ exiſterent odij cauſæ, ut eorum *vim perimant, & ipſam porrò Dei charitatem extinguant.* Cùm enim beneficia ſint amplianda & odia reſtringenda, non ſatis videtur convenire Benignitati Divinæ, ut in ullis Creaturis prævaleat id quod odium Dei in illas excitat, ei quod aptum natum erat ejus amorem demereri & provocare. Amat equidem Deus ſemper opus ſuum quà tale, etiam in impijs & perditiſſimis nebulonibus, quos cæteroquin propter ſua ſcelera odit & execratur: ſed id non pertinet ad amorem ſpecialem complacentiæ vel acquieſcentiæ de quo diſputamus: Ejus enim objectum non eſt bonum phyſicum & entitativum, quod à boni fonte ſupereſt in perditiſſimis creaturis, ſed bonum Ethicum & morale, quod ubicunque eſt per fidem & ex illa, ſemper prævalet reliquijs peccati, quæ aliàs ex natura rei, odium Dei in Creaturis ſuis accendere aptæ natæ erant.

At poſteriori modo] Quin hoc modo etiam *malos* & peccatores, favoris & benevolentiæ ſuæ facit participes: nam & amat miſeros & perditos quos vult per Chriſtum redemptos & liberatos, & teſte Chriſto Matth: V, 45. *ſolem ſuum oriri facit ſuper malos & bonos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.*

Ex quibus facilè intelligi poteſt, Deum priori amoris genere, tum res omnes à ſe creatas, tum earum qualitates effectaque bona ac præclara per ſe proſequi. Per ſe dico; quia interdum ob exſuperantes odii cauſſas, illas non amat ampliùs. Et de rebus quidem creatis non modò id teſtatur, ſed & demonſtrat Auctor libri Sapientiæ, dum ait: (*cap: 11. 25, 26.*) *Diligis* (Domine) *omnia quæ ſunt, & nil odiſti eorum, quæ feciſti. Nec enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti. Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes?*
301. *aut quod à te vocatum non eſſet, conſervaretur?* Conſentiunt his ea, quæ Moſes hiſtoriæ de creatione rerum primo Geneſ. capite ſubjicit: *Vidit* inquit, *Deus*

cuncta,

cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona. Omne enim bonum cognitum per ſe amatur: & quantò melius eſſe cernitur, tantò magis. Quod ergo Deus valde bonum eſſe vidit, videtque, quomodo non etiam valde amaret? Similiter autem dubitare nemo poteſt, qui vel ſacras literas, vel ipſam rationem conſulit, Deum pietatem hominum factaque ſuæ voluntati conſentanea amare. Verùm iiſdem hominum factis Deum favere nemo niſi impropriè dixerit, uti & naturis ac ſubſtantiis inanimatis ſenſuque carentibus. Cernitur quidem etiam in amore rerum inanimatarum, itemque attributorum in creaturis extantium, ac factorum ab illis proficiſcentium, aliquid favori ac benevolentiæ ſimile; quemadmodum & verba Sapientiæ (*verſu ult.*) paulò ſuprà laudata indicant. Nam etiam res illas Deus extare, ac ſalvas eſſe cupit, ſaltem quatenus earum fert natura; fert niſi fortè majoris boni cauſſâ eas tollit, aut impedit; nonnullas ne impedire quidem vult unquam, tanquam ſibi gratiſſimas. Id àutem benevolentiæ cujuſdam inſtar eſt. Sed tamen vera ac propriè dicta benevolentia non niſi in illud exerceri poteſt, quod beneficii propriè capax eſt. Non eſt autem capax, niſi quod ſenſu eſt præditum; maximè propriè autem id demum, quod intellectum habet. Unde & aliud inter duplex illius amoris genus diſcrimen naſcitur. Nam prior ille amor ſimpliciter rei ipſius à Deo cognitæ naturam ſequi ſolet, in eoque libertas divinæ voluntatis vix ac ne vix quidem cernitur. at poſterior liberæ voluntatis divinæ effectus eſt, & ad benignitatem ejus revera pertinet.

‡ *Ex quibus facilè*] Iam monui hunc amorem Dei in res omnes à ſe creatas, minus propriè amorem complacentiæ dici poſſe: Potius enim pertineret ad amorem benevolentiæ, quo operibus manuum ſuarum benè vult, ut pote quibus dedit ſuum eſſe & benè eſſe, & ea in illo ſuo eſſe conſervare & regere dignatur: Sed à ſtylo Scripturæ eſt nimis alienum ut ideo ſtatuatur *ἐυδοκεῖν* in illis.

Quia interdum ob] Imò ſui operis reliquias amat generaliori illo amore, etiam in ijs quos aliàs ob ſuum opus illud corruptum & depravatum juſtiſſimè odit: Quare erga ipſos quoque impios *non ſe relinquit abſque teſtimonio, benefaciens illis, cælitùs dans ipſis pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda* eorum Act: XVI, 16. Nec poteſt non refundi in generaliorem illum amorem ſuarum creaturarum, quod eos jugi ſuo concurſu in ſuo eſſe conſervet, & ſæpè bonis ſuis repleat ora quæ aliàs nonniſi in contumeliam & blaſphemiam nominis ſui aperiuntur.

Similiter autem dubitare] At is demum propriè eſt ille amor acquieſcentiæ, ſive complacentiæ, de quo hic diſſerimus, qui nempe circa bonum morale occupatur.

In eoque libertas divinæ] Quaſi vero ex libertate Divina non pendeat omnis illa bonitas rerum, quæ illas Deo facit dilectas & amabiles: cum non tam res ipſas amet, quam ſeipſum in illis & bonitatis ſuæ aliquos radios, quos in illas effundere, prout omne bonum eſt ſui communicativum, dignatus eſt.

Et de hoc quidem poſteriori amore potiſſimùm nobis eſt agendum. Hunc enim

Digitized by Google

enim nobis ſacræ literæ creberrimè inculcant, prædicant, commendant. De hoc loquitur Johannes, cùm ait, *Deum charitatem eſſe.* (*1 Ioh: 4. 8.*) quod quidem nihil aliud eſt, quàm Deum charitate, ut ita dicam, pleniſſimum eſſe, hunc in illo affectum veluti dominari, & luculentiſſimis ab eo effectis ac documentis demonſtrari. Metonymia enim eſt, in qua attributum abſtractum, ut in ſcholis vocant, de ſuo ſubjecto emphaticè enunciatur, vel, quod eódem recidit, abſtractum *charitas* pro *charitate plenus* ponitur. Etſi enim nonnunquam abſque emphaſi, vel ſaltem exigua cum emphaſi, attributum abſtractum pro concreto ponitur, & de ſuo ſubjecto enunciatur: ut cùm *juſtitia* fieri in Chriſto dicimur, (*2 Cor: 5. ult.*) hoc eſt, juſti, ſeu juſtificati; aut cùm *circumciſio* pro circumciſis, (*Rom: 3. 30: 4. 9: 19. 8.*) *præputium* pro præputiatis ponitur: (*Rom: 2. 26, 27: 3. 30: 4. 9.*) nihilominus tamen
302. ſæpè emphaſin non exiguam hoc loquendi genus habet, & ſignificat, eum, de quo certa quædam qualitas in abſtracto effertur, in ea valde excellere. quo pactò de eodem Deo Johannes ait, (*1 Ioh: 1. 5.*) eum *eſſe lucem*, h. e. lucidiſſimum ſeu ſanctiſſimum, ita ut ipſa lux, ſeu ſanctitas, dici meritò debeat. Sic & Chriſtus *Amen* h. e. veritas dicitur, (*Apoc: 3. 14.*) quia ſit veraciſſimus, in promiſſionibus præſtandis fideliſſimus, atque ab omni mendacii, doli, ac infidelitatis labe prorſus immunis.

‡ *Hunc in illo affectum*] Dicitur Deus eſſe *charitas*, ſive ut Crellius interpretatur, *plenus charitatis*, non per modum affectus, ſed per modum virtutis & perfectionis moralis: ad quam & nos pro noſtro modulo tam ſæpè invitamur in Scripturis.

Vt cum juſtitia *fieri*] At ſanè in hac loquutione Paulina magnam ſubeſſe emphaſim intelliget qui obſervarit dici nos non ſolum juſtitiam fieri in Chriſto, ſed juſtitiam Dei; ideſt juſtificari eâ juſtitiâ plenâ & perfectâ, quam nobis Deus imputat, & quæ ſolæ Divinæ juſtitiæ ſolem inconniventibus oculis queat ſuſtinere.

Nihilominus tamen] Sed eſt & alia eaque potior ratio, cur lux, charitas, veritas, & ſimilia in abſtracto quoque de Deo enuncientur, quia videlicet iſtæ perfectiones ſunt illi eſſentiales, nec ob perfectiſſimam ipſius ſimplicitatem ei conveniunt per modum accidentium & adventitiarum qualitatum, ut hominibus alijſque Creaturis de quibus quandoque, ſed potius in concreto, prædicantur.

Hæc autem Dei charitas in eo conſiſtit, quòd is bona, atque adeò optima, aliis & velit, & præſtet. Ea enim amoris, quo perſonas complectimur, vis eſt atque natura, ut præter ipſam rationem Philoſophus docuit. (*lib: 2. Rhet: c. 4.*) Habet autem hic Dei amor gradus varios. Alios enim magis amat Deus, alios minùs. Amat, verbi gratiâ, omnes homines, etiam impios, quatenus eos reſipiſcere, ac porrò vivere cupit. qua de re ſacræ literæ clariſſimè teſtantur, ac inprimis Novi fœderis ſcripta. Amare autem

Digitized by Google

re autem eos ſolet Deus tam diu, donec contumaciâ ſuâ ejus iram odiumque ita provocent, ut eos perditos cupiat, & id, quod in illis ſolum amat, id nempe, quod creavit, iis ereptum eat, quo pacto dicitur Deus odiſſe omnes operantes iniquitatem; animam Dei odiſſe impium, & diligentem iniquitatem; (*Pſal: 5. 7: 11. 5.*) odiſſe ſimiliter impium & impietatem ejus. (*Sap: 14. 9.*)

‡ *Alijs & velit*] Nempè ijs quos ſumme amat, non omnibus.

Habet autem hic Dei] Non aliunde certiùs hæc diſtinctio poteſt deſumi quam ex effectis: Quamvis enim inter homines amor ſoleat potius æſtimari ex affectu quam ex effectu, nam ſi deſint vires eſt tamen laudanda voluntas, attamen ubi potentia & facultas adeſt benefaciendi, eum certum eſt minus amari, qui minora beneficia conſequitur; Cum ergo beneficiorum quæ Deus in homines confert, alia ſint merè temporalia & terrena, quæ ſpectant ad hujus vitæ uſuram, alia vero ſint cœleſtia ac ſpiritualia, quæ pertinent ad animæ ſalutem & vitam æternam, hinc duplex hominum amor in Deo venit colligendus, alter Providentiæ communis, qui ad beneficia communia & hujus vitæ reſtringitur, alter ſpecialis Prædeſtinationis, quo Deus non bona quælibet communia, ſed *optima* & ſaluberrima & vult & præſtat dilectis ſuis.

Amat, verbi gratiâ, omnes] Non utique amore illo ſpeciali & ſalutari quo Electos ſuos proſequitur; Quin Scriptura teſtatur eo reſpectu quod Iacobum diligat & Eſauum odio habeat. Et qui poſſit dici Deus amare *omnes homines*, cùm *optima* illis omnibus nec *velit* nec *præſtet*? Si æqualis eſſet amor in omnes æquè perditos, æqualis eſſet omnium converſio & ſalvatio: Quî poſſit dici *impios* quà tales amare, quos paſſim Scriptura, etiam locis Crellio citatis, cum odiſſe teſtatur? Nec verum eſt Deum velle ac cupere, *omnes homines, etiam impios, reſipiſcere, ac porrò vivere*: Si enim is, apud quem non erit impoſſibile ullum verbum, omninò & omnimodo cuperet impios reſipiſcere & vivere, utique omnibus & ſingulis præſtaret quoque *optima* beneficia ad ſalutem ſpectantia, adeoque lumen fidei & reſipiſcendi gratiam. Omnibus quidem peccatoribus & impijs mandat ut reſipiſcant & viam vitæ inſiſtant, ad quod ex officio tenentur; ſed tamen non omnes eouſque amat, ut voluntate inefficaci, cupiat eorum ſalutem, multominus ut illis omnia efficaciter præſtet, quæ ad illã conficiendam & obtinendam requiruntur.

Qua de re ſacra] Hoc gratis aſſerit Adverſarius, & quia nullo Scripturæ loco id probare annititur, ſimplici ejus affirmationi ſimplicem noſtram negationem oppoſuiſſe ſufficiet. Fallitur, ſi quæ communiter ſunt intelligenda de generibus ſingulorum, interpretetur univerſaliter de ſingulis generum.

Amare autem eos] Nempe in ſchola Sociniana, quamvis amor morte fortior dicatur Cant: VIII, 6. tamen amor Dei, etiam cùm vult *optima* quæque præſtare ijs quos diligit, ſuperatur & expugnatur hominum perverſitate, ut cogatur odiſſe quos nollet, quia nequiverit eos correxiſſe & ad meliorem frugem revocaſſe ut equidem voluiſſet. Quid vel abſurdius, vel Deo Optimo, Maximo, contumelioſius excogitari potuiſſet?

Id nempe quod creavit] Et hic alia latet impietas, quâ iſti homines omnem impiorum pœnam in abſoluta eorum annihilatione collocant; quo dogmate nihil peſtilentius poteſt doceri inter homines. Nec præſtaret impijs nunquam natos fuiſſe, ut de Iuda loquitur Chriſtus, ſi duntaxat

Digitized by Google

duntaxat pœnam damni, non etiam ſenſus debent ſuſtinere; aliàs non magis intereſt eorum, quod penitùs non ſint futuri poſt centum annos, amiſſo omni eo *quod* Deus *in illis ſolum amat, id nempe quod creavit*, quam quod ante centum annos penitùs non extiterint.

Quo pacto dicitur] At cum alij nequeant eſſe quam contumaces, quotquot emollire & convertere ſpeciali & indebita Gratiâ Deus non dignatur, eo ipſo cenſendus eſt omnes eos odiſſe, quibus gratiam converſionis indebitam, denegare decrevit.

Cum verò impietas ſuâ naturâ Deo ſit odio, & eum ad iram adverſùs eos, qui illam exercent, exſtimulet; etiamſi is iram cohibere pro benigniſſima ſua voluntate ac clementia & poſſit, & diu ſoleat: liquet tamen, Deum magis amare eum, qui reipſa jam pius eſt, quàm eum, qui adhuc impius, licèt eum Deus ferat, & reſipiſcentiam ejus adhuc expectet. Unde etiam ſacræ literæ de piis nominatim, atque adeò peculiari ratione affirmant, eos à Deo diligi, quaſi cæteri ab eo non diligantur; nempe quia minùs ab eo diliguntur, & quidem ita, ut quamdiu in hoc ſtatu verſantur, ipſi diſplicеant, &, ni ſe emendarint, certiſſimo interitui deſtinentur. Hinc Pſaltes: (*Pſal: 146. 9.*) *Dominus diligit juſtos.* & Chriſtus: (*Ioh: 14. 21.*) *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui me diligit. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo.* & iterum: (*ib: verſu 23.*) *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum.* & rurſus: (*cap: 16. 27.*) *ipſe Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quòd ego à Deo exivi.* Unde etiam monemur, (*Iud: verſu 21.*) ut in Dei dilectione nos ipſos conſervemus, h. e. curemus, ne Dei amore, quo nos complexus eſt, excidamus.

‡ *Cum vero impietas*] Non autem poteſt *ſuâ naturâ* impietas odio eſſe Deo, quin Deus quoque ſuâ naturâ impietatem averſetur & odio habeat, & per conſequens quin juſtitia peccati punitiva illi naturaliter ineſſe ſtatuatur.

Etiamſi is iram] Sed non eſt exiſtimandus Deus vim facere ſuæ naturæ, ut debet vir ſapiens naturâ ſuâ propenſus ad vitium. Quare Deus ſic iram ſuam aliquando cohibet, differendo nempe pœnas peccatoribus denunciatas aut debitas, ut nec vim ſibi inferat, nec abſolutam impunitatem conferat iniquitati, ſed tandem è contrario tarditatem pœnæ ſapientiſſimis cauſis nixam, ſupplicij gravitate compenſet.

Liquet tamen Deum] Magis placent Deo etiam ex Electis pij jam credentes & converſi, quam qui adhuc in nativa ſua impietate & incredulitate jacent: Sed quod hic factus fuerit pius ex impio, ille è contrario in impietate ſua relictus, ſatis evincit illum etiam cum adhuc impius eſſet, longè chariorem Deo fuiſſe.

Licet eum Deus] Sed ut fert vaſa iræ coagmentata ad interitum Rom: 9, 22. Nec Deus *adhuc expectat* ejus reſipiſcentiam, pendens animi & dubius eventu; ſed tantum illi ſeriò & ſedulò mandat quod ſui eſt officij, ex quo mandato circa debitum officium, talis expectatio per *ἀνθρωποπάθειαν* ipſi adſcribitur.

Nempe quia minus] Atqui non dicuntur minus diligi, ſed ſimpliciter & abſolutè odio haberi Rom: 9, 13. Mira eſt iſtorum hominum licentia, quâ Dei odium, ejus amorem, ſed in gradu diminuto,

Digitized by Google

nuto, interpretantur.

Et ni ſe emendarint] Non pendet tamen in incerto illa deſtinatio ad interitum, cùm Deus præviderit ab æterno quod ſe non ſint emendaturi, & gratiam converſionis indebitam, abſque qua emendari nequeunt, ipſis concedere non decreverit, imò non concedere decreverit.

Hinc Pſaltes] Hæc loca de amore complacentiæ agunt, non de amore benevolentiæ: Illo Deus diligit juſtos; ſed hoc eos ex impijs & injuſtis juſtos fecit. Qui diligit Chriſtum diligitur a Patre amore complacentiæ, ſed priuſquam Chriſtum diligeret, debuit à Patre diligi amore benevolentiæ, uti luculenter docemur 1. Ioh: IV, 19. *Nos diligimus Deum quoniam ipſe prior dilexit nos.* Ac ſicut ajunt amoris pretium amorem eſſe, omnis ille languidus amor noſter quo Chriſtum diligimus, debetur amori Dei quo nos dilexit & ſacrum hunc ignem ſuper arâ cordium noſtrorum accendere dignatus eſt. Tum illud, *quia vos me amaſtis*, notat potius cauſam conſequentiæ quam conſequentis, ut ea vis eſt illius particulæ Luc: VII, 47.

Unde etiam monemur] Non agit Apoſtolus de Dei dilectione quâ nos diligit, quaſi ſimus hic fabri noſtræ fortunæ, & penes nos ſit amorem Dei ejuſque continuationem nobis conciliare, cum e contrario eum, illumque ſummum, nobis conteſtatus ſit etiam dum adhuc jaceremus in noſtris peccatis, nec aliunde certiùs ejus continuatio & conſervatio, quam ab ipſomet ejuſque fervore & conſtantia pendeat; Sed agit de Dei dilectione quâ ipſum & ex illius mandato proximos diligimus, quam fovere, ἀναζωπυρεῖν, & omni ope conſervare ac retinere debemus; Quamquam & id à Dei amore & gratia pendeat. Hinc Syrus interpres ita reddit hanc pericopam, *Animam noſtram in dilectione Dei cuſtodiamus*: Et Eraſmus in Paraphraſi; *Proinde puris ac ſpiritualibus precibus jugiter implorantes opem Dei, vos invicem mutuâ concordiâ, mutuâ charitate ſervate; non enim audit Deus niſi concordes.*

Jam quod ad homines etiam pios attinet; non dubium eſt, alium alio magis à Deo amari, prout vel ipſe magis Deum amat, vel Deo in ipſum placet eſſe benigniori. Nil dicimus nunc de diſcrimine amoris Dei in homines 303
& angelos. in quo quidem ex parte angeli nos antecellunt; ſed ex parte viciſſim à nobis ſuperantur. Unde Deo nominatim φιλανθρωπία h. e. amor erga homines tribuitur. (*Tit: 2. 4.*) In eo quidem illi nos ſuperant, quòd priùs ac certiùs ſua felicitate ex divino favore perfruuntur, longeque præ nobis præſtantiorem adepti ſunt naturam. At nos illos viciſſim hac in parte vincimus, vel potiùs Dei amor ergà nos amorem ipſius erga angelos vincit, quòd, cùm tot haberet, & adhuc habeat cauſſas, quæ meritò efficere poſſent, ut nos amore dignaretur nullo, ſed odio potiùs implacabili proſequeretur; amaverit tamen, atque adhuc conſtanter amet; ita quidem, ut viliſſimos homunciones, pulverem ac cinerem, atque aliquando inimicos ſuos, pares olim angelis, (*Luc: 20. 30.*) natura habita ratione, facere velit, & in ſolio Chriſti collocare. (*Apoc: 2. 21.*)

‡ *Iam quod ad homines*] Agnoſco illam varietatem graduum, electorum & piorum reſpectu; Sed ita ut ſit 1. Potiùs amoris *effectivi* quam *affectivi*: Cum enim

in Dei amorem ex ſui parte, ut pote qui ipſe Deus, non cadat plus & minus, & revera quoad beneficia ſalutis communia eandem & velit & præſtet Salutem ac Redemptionem in Chriſto ſuis omnibus, imò & quoad Electionem & Redemptionem in Chriſto omnes illi ex æquo ſint grati & accepti, hæc varietas potiùs concipi debet ex parte effectuum ſive beneficiorum, quæ aliјs majora aliјs minora confert, pro ſua libertate & liberalitate, quam ex parte ipſiuſmet affectus & favoris. II. Potiùs ſpectet amorem complacentiæ, prout plura vel minora ſunt in hominibus quæ Deo placeant & accepta ſint quoad fidei gradus & fructus, quam benevolentiæ, de quo tamen hic potiſſimum diſputat Crellius.

Naturæ habita ratione] Hæc ἰσαγγελία, ad ſolam ejuſdem ſupremæ fœlicitatis communionem & conditionem ſpectans, non debet extendi ad æqualitatem vel officij, vel *naturæ*; nam angeli ſunt incorporei; ſed beati reſurrectionis beneficio reſument ſua corpora & in carne Deum videbunt Iob: XIX, 25. Verùm ita loquuntur Sociniani, quod articulum de *reſurrectione carnis*, ex communi Chriſtianorum ſymbolo revera expunctum velint.

Quis verò dubitare poteſt, ſupra omnes & angelos, & homines pios, diligi à Deo Chriſtum, quem ipſemet Filium ſuum dilectum, in quo benè ipſi complaceat, ſeu quo inſigniter delectetur, voce de cœlo bis repetita pronunciavit. (*Mat: 3. 17: 17. 5.*) Hac enim ratione illum non vulgaribus tantùm hominibus, ſed ipſis etiam Prophetis, licèt excellentiſſimis, cæteriſque filiis ſuis prætulit, & quodammodo oppoſuit. quod & Paulus fecit, dum eum *Filium dilectionis* Dei appellat, (*Col: 1. 13.*) aut etiam *Dilecti* nomine ſimpliciter deſignat, ut quidem Græca ipſius verba, in ea, quam ad Epheſios ſcripſit, Epiſtola teſtantur. (*Epheſ: 1. 6.*) Hinc & apud Eſaiam ita eum ipſemet deſcribit ac commendat Deus, in illis, quæ apud Matthæum repetuntur, verbis: (*Eſa: 42. 1. Mat: 12. 18.*) *Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit anima mea.* Et quid multis opus? pleni ſunt ſacri libri teſtimoniis atque argumentis ſummi atque ardentiſſimi, quo Deus Chriſtum complexus eſt, atque æternùm complectitur, amoris. ex quo & illud profectum eſt, ut omnia, quæ ad humani generis ſalutem pertinent, in ipſius manu, cum ſumma ipſius gloria collocarit, ut ipſemet de ſe Chriſtus teſtatur. (*vide Ioh: 3. 35: 5. 20. & d.*) Et ſi verum amamus, hæc præcipua eſt cauſa, cur unigenitus Dei Filius appelletur; qua de re alibi in hoc opere diſſeretur. (*lib: 5. cap: 12.*)

‡ *Quis verò dubitare*] Longè alia eſt ratio Chriſti, unigeniti & proprij Dei filij, quam Angelorum, vel hominum, & cæterorum omnium quos *filiorum* nomine Deus dignatur compellare: Nam Angeli, filij Dei dicuntur Iob: 1, 6. jure creationis; quomodo & Adam Dei filius nuncupatur Luc: III, 38. Homines pij & fideles, per fidem in Chriſtum jure adoptionis in primogenito illo ſuo Ioh: 1, 12. Rom: VIII, 14. 15. 16. 17. 29. in quo ita Patri complacet, ut mortalium nemo niſi in Chriſto & per Chriſtum Patri placere poſſit. At ipſe Chriſtus filius

ſtus filius eſt per generationem ineffabilem & æternam, Patri conſubſtantialis & coæternus, *imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ* Col: 1, 15. & uno verbo *ſplendor gloriæ & character perſonæ illius* Heb: 1, 3.

Cæteriſque filijs ſuis] Nec mirum, cùm ejus filiatio planè alterius ſit ordinis & naturæ: Imò hæc oppoſitio probat quod volumus: Cum enim neque per adoptionem, ut fideles, neque per creationem, ut Angeli, Dei filius dicatur, ſupereſt ut id nominis alio planè titulo, ſcilicet generationis, conſequatur.

Ex quo & illud profectum] Id non ſimpliciter fluxit ex amore ſummo, quo Deus ſuum Filium ab æterno complexus eſt, ſed ex conditione perſonæ ſuæ Divinæ, quæ ſola poterat tantæ molis opus & ſuſcipere & conficere.

Et ſi verum amamus] Abſurdè: cùm è contrario ea de cauſa Pater illum ardenti iſto amore complectatur quod ſit Filius ſuus naturalis, proprius & unigenitus: Quid enim ineptius quam negare eum à Patre genitum ſingulari planè modo, qui & μονογενὴς, & ἴδιος, & πρωτότοκος illius, tam frequenter appellatur? Ioh: 1, 18. III, 16. Rom: VIII, 32. Heb: 1, 6.

Diverſitas autem hæc amoris divini, partim ex ipſo Deo liberrimaque ipſius voluntate ac decreto proficiſcitur, partim ex ratione objecti, in quod amor ille fertur. Nam quòd Deus angelos ita amavit, ut immortales crearet, homines autem ita, ut ante conditum mundum cœleſtem illis felicitatem deſtinaret, & poſtmodum in graviſſima innumeraque ſcelera prolapſos ad eandem vocaret, ſcelerum illis omnium veniam offerret, pro illis unigenitum ſuum filium morti atrociſſimæ ſubjiceret; quid præter benigniſſimam 304.
ejus voluntatem effecit? Quid item, ut Chriſtum aliquando naſciturum, jam ante conditum mundum diligeret, & ſupremam ei gloriam ac majeſtatem decerneret? (*Ioh: 17. conf: verſu 5, & 24.*) Sic, ut de aliis etiam ſpecialioris divini amoris generibus loquamur; quid erat cauſſæ, cur Deus olim, Eſauo ac Jacobo nondum natis, ac porrò nondum re ulla, ſive bona, ſive mala, ab illis deſignata, decerneret, ut major, nempe Eſauus, ipſiúſve poſteri Edomitæ, ſerviret minori, nempe Jacobo, ejúſve poſteris? quo quidem facto Deus ita dilexit Jacobum, ut præ ipſo Eſauum odiſſe videatur. (*Gen: 25. 23. Rom: 9. 10.*) Nulla certè alia ejus rei cauſſa, præter liberrimam Dei voluntatem extitit. Verùm quòd Deus pios præ impiis, quòd eos, qui cæteros virtute ſuperant, præ aliis amet, quodque angelos, qui in priſtina integritate perſtiterunt, conſtanti charitate proſequatur, illis, qui adverſus ipſum impiè rebelles extiterunt, è cœlo in tartara detruſis; ejus rei cauſſa impulſiva etiam extra Deum eſt, & in hominum angelorumque pietate conſiſtit. Quin & ipſe Chriſtus, quòd Dei præcepta ſervârit, in ipſius amore, quo cæteroqui fuerat præventus, permanſit. Unde ita diſcipulos alloquitur: (*Ioh: 15. 9, 10.*) *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea: ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione.* & alibi apud eundem

Digitized by Google

dem ſcriptorem dixerat: (*cap: 10. 17.*) *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam*, nempe pro ovibus meis. hoc enim mandatum, ut paulò pòſt ſubjicit, acceperat à Patre ſuo. Eódem pertinent & illa: (*cap: 8 29.*) *Qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum* (Græcè additur *Pater*, particulâ *&* omiſſa) *quia ego quæ placita ſunt ei facio ſemper.*

‡ *Partim ex ratione objecti*] Non ſatis videntur hæc convenire cum eo quod ante dixerat Crellius ſe *potiſſimùm* hic acturum de eo amore Dei, qui *liberæ voluntatis Divinæ effectus eſt*, non vero de eo qui *rei ipſius à Deo cognitæ naturam ſequi ſolet.* Nam amor ille qui prioris duntaxat eſt generis, ut ut varios gradus admittat, non poteſt partim ex ipſius Dei *liberrima voluntate, partim ex ratione objecti* proficiſci, adeoque hoc reſpectu, ipſam rei cognitæ naturam ultrò ſequi.

Vt ante conditum] Hæc ἀθρόως congeſta ſic debent ordinatiùs exprimi, quod Deus *ante conditum mundum*, ideſt ab æterno, homines decreverit condere ad imaginem ſuam, & ex illis omnibus in Adamo *prolapſis*, adeoque per originalem ſuam labem *graviſſimis innumeriſque ſceleribus* & morti obnoxijs, quoſdam *ad cæleſtem fœlicitatem* elegerit, & in tempore miſeros & peccatores efficaciter *ad eandem* evocarit, *ſcelerum illis omnium veniam* offerendo & largiendo propter *unigenitum ſuum filium*, quem *pro illis* ideo *morti atrociſſimæ* ſubjicere voluit. Sed Crellius ſic loquitur I. Quaſi Deus ante mundum conditum omnibus hominibus cœleſtem fœlicitatem deſtinarit; cùm tamen electio non ſit omnium, & noverit Deus qui ſui ſint 2. Tim: II, 19. II. Quaſi Deus ſuâ intentione fruſtratus hominum peccatis, conſilium de illis nihilominus in gratiam recipiendis, demum poſt conditum mundum inierit; cùm tamen nec ſuis unquam excidat conſilijs Eſa: XLVI, 10. & Prædeſtinationis decretum de liberandis ex peccato & morte per Chriſtum electis, ſit factum ab æterno Eph: I, 4. III. Quaſi omnibus & ſingulis hominibus venia peccatorum offeratur per Chriſtum: cùm tamen nec fides ſit omnium 2. Theſſ: III, 2. nec pro hœdis aut lupis, ſed pro *ovibus* ſuis animam ſuam poſuerit Ioh: X, 11. IV. Quaſi veniæ oblatæ duntaxat confirmandæ mors Chriſti atrociſſima pro nobis deſtinetur; cum illi promerendæ pleniſſimâ ſatisfactione ſuâ loco noſtro præſtitâ, revera inſervierit 2. Cor: V, 19. 21.

Quid item ut Chriſtum] At vero Pater dilexit Chriſtum ante conditum mundum, non ut qui nondú eſſet ſed demum ſuo tempore eſſet naſciturus, ſed ut qui, quoad Divinitatem ſuam, fuerit apud Patrem & in illius ſinu in principio & ab æterno, ut docent ſacræ literæ, Prov: VIII, 21. 22. & d. Mich. V, 2. Ioh: I. I. 18. Hinc Ioh: XVII, 5. petit ſibi reſtitui gloriam quam jam ante habuit apud Patrem priuſquam mundus fieret; & com. 24. vult ſuos ibi eſſe ubi ſit, *ut videant* (inquit) *gloriam meam quam dediſti mihi; quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.* Sanè non agit Chriſtus ibi de gloria ſibi duntaxat decreta antequam eſſet; ſed de ea quam actu & realiter ante conſtitutionem mundi penes Patrem habuerit & poſſederit; Fuit autem illa data Filio à Patre per generationem æternam; quemadmodum *ſicut Pater habet vitam in ſeipſo, ita dedit & Filio vitam habere in ſeipſo* Ioh: V, 26. Et ad illius conſortium tandem evecta fuit etiam natura humana in ejus perſona Phil: II, 9. Cùm vero generatio Filij æterna à Patre, ſummum æternumque Patris amorem in Filium adjunctum habeat, nemini mirum eſſe debet, quod etiam in Patris amorem, quo ſe ab æterno cum illo exiſtentem tenerrimè complexus

eſt, illam

Digitized by Google

eſt, illam ipſam gloriam & majeſtatem ſupremam quam ante conſtitutionem mundi penes illum habuit & actu poſſedit, rejiciat; Niſi malimus dicere particulam illam cauſalem, ὅτι, cauſam reddere non à priori ſive conſequentis, ſed à poſteriori ſive conſequentiæ, juxta illud Luc: VII. 47. *Remittuntur ei peccata multa, ὅτι quoniam dilexit multum*; quo probatur facta remiſſio peccatorum ab effectu dilectionis magnæ: Quidni enim pariliter probaverit Chriſtus, gloriam illam ſibi datam à Patre per generationem æternam, ab illius neceſſario conſequenti, nempe amore ſummo, quo Pater Filium ab æterno genitum, & per generationem æternam ſupremâ majeſtate & gloriâ donatum, ab æterno complexus eſt? Sic enim antea dixerat ipſe Chriſtus Ioh: XVI, 27. *Ipſe Pater amat vos, ὅτι, quia vos me amaſtis*, ubi juxta ſaniores interpretes, jure merito nixos authoritate Apoſtoli 1. Ioh: IV, 10. 19. id demum ſibi vult, *Hoc quod me amaſtis, ſignum eſt quod Pater amat vos*; quam in ſententiam Albertum & Barradium citat Salomon Glaſſius *Philol ſac. lib. 3. tract. 7. can. 17.*

Quid erat cauſſæ] Nulla certè, ut benè Crellius, alia ejus rei cauſa præter liberrimam Dei voluntatem, extitit, juxta quam alium elegit, alium rejecit & reprobavit. Hæc enim ſervitus & ſubjectio Eſaui, nihil aliud denotat quam eum ſuo fratri in Electione Divina poſtpoſitum fuiſſe, quod poſtea varijs indicijs Deus declaratum voluit: Et ſi ultra perſonam Eſaui ad ejus poſteros protendatur, tum in ſemine Eſaui, typicè & oppoſitè ad ſemen Iacobi, reprobi ſignificabuntur. Quamquam nulla ſubeſt ratio, cur vel de ſervitute corporali locus intelligatur, cùm nunquam Eſau ſervierit eo modo Iacobo, & æquè Iudæi ſubjecti fuerint Idumæis in Antipatro ac Herode, ac Idumæi Iſraelitis in Davide & Salomone; vel ad perſonas Eſaui & Iacobi non reſtringatur, in quibus Deus voluit ſpecimen ſuæ libertatis edere, ut antea in Iſaaco & Iſmaele, ut ἡ κατ᾽ ἐκλογὴν τοῦ θεοῦ πρόθεσις, *ſecundum Electionem Dei propoſitum maneret, non ex operibus, ſed ex vocante*: Neque eo facto Deus minorem duntaxat amorem Eſauo decrevit quam Iacobo, *ut præ Iacobo Eſauum odiſſe videretur*, ſed revera eum illi odio ſubjecit quo fertur in reprobos; id eſt quos in peccatis relinquere & gratiâ ſuâ indebitâ deſtituere, & ob peccata æternis mancipare pœnis, decrevit. Inde non tantum Eſauus deſcribitur ut πόρνος & βέβηλος, *fornicator* & *profanus*, ſed etiam ut *reprobus* Heb: XII, 16. 17. Et valde alienum eſt ab uſu Sacræ Scripturæ ut Deus illum *odiſſe* & tanquam vas iræ ad dedecus coagmentaſſe dicatur, cui minora beneficia, temporalia præſertim, decernere voluerit. Quamvis Iacob magis dilexerit Rachelem quam Leam, Gen: XXIX, 30. aut Elkana Annam quam Peninnam, 1. Sam: 1. 5, non dicitur tamen ideo vel Iacob Leam odiſſe, vel Elkana Peninnam.

Verum quod Deus] Equidem ipſa hominum Angelorumque pietas, objectum eſt amoris complacentiæ quo Deus in illos fertur, non tamen illius cauſa meritoria; cùm in iſta *pietate*, revera ſua dona amet & coronet Deus, non Creaturarum ſuarum opera vel merita: quandoquidem, quod Angeli boni, cœteris deficientibus, perſtiterint in officio, ejus gratiæ debetur, & magis adhuc quod ex hominibus omnibus, hos natura ſuâ impios & perditos, æquè ac cœteros, pietate ſingulari præ alijs donare pro mero ſuo beneplacito voluerit.

Quin & ipſe Chriſtus] Fuit ſanè Chriſtus quà homo *præventus* amore Dei, cum natura illa humana quam aſſumpſit ὁ λόγος nullâ ratione eſſet merita eam conſequi dignitatem, quâ à λόγῳ in unitatem perſonæ ſuæ aſſumpta eſt: Nec dubium

bium quin acceptiſſimus Deo fuerit Chriſtus, *quod* ejus *præcepta ſervarit*: Sed tamen continuatus ille Patris amor in Filium, non tam ex Filij obedientia, quâ non ſibi, ſed nobis meritus eſt gratiam & gloriam, quam ex perſonæ ejus dignitate & conditione debet æſtimari. Nec magis ſervata à Filio Patris præcepta, cauſa fuerunt amoris illius paterni in ſe continuati, quam amoris ſui in ſuos diſcipulos continuati cauſa ſtatui poteſt obſervatio præceptorum Chriſti ab illis, cùm utrobique iſta mandatorum obſervatio amoris illius jugis ſignum & conſequens, non cauſa debeat ſtatui. Vt taceam quod juxta nonnullos interpretes, Grotium nominatim, Socinianorum quod magis eſt, præſertim in hac cauſa, optimum amicum, utrobique hæc dilectio Patris in Chriſto, Chriſti in diſcipulis, non *activè* debeat intelligi, de ea qua Pater Filium, Chriſtus diſcipulos dilexit, ſed potius *paſſivè* de ea qua Filius Patrem, Chriſtum diſcipuli dilexiſſe intelligantur; ut hoc ſibi velit Chriſtus, *ſicut Pater me dilexit & ego dilexi vos*, ita & *vos in mei amore manete*, ideſt me diligere pergitote, quia pretium amoris, amor eſt; *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea; ideſt* (inquit Grotius) *ſic apparebit me à vobis diligi. Sicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione*; ideſt eodem Grotio interprete, *Sic oſtendi quantopere ipſum diligam*: *Sic ſuprà* XIV, 30. *Vt norit mundus à me diligi Patrem, prout Pater mihi mandavit, ita facio.* Quoad alterum locum Crellio citatum ex Ioh: X, 17. illud διὰ τοῦτο eſt ejuſdem ſignificationis, cum alio διὸ Phil: II, 9. quod non notat cauſam conſequentis, ſed tantum cauſam conſequentiæ; quoniam ad illam Patris in Filio ſuo complacentiam, non tam cauſaliter ſe habet, quam antecedenter illa Filij alacritas in ponendo animam ſuam pro ſuis ovibus: quam dum refert, expreſſè meminit dilectionis Paternæ, *ut mortem ſuam* (inquit Toletus *in* 10. *Ioh. annot.* 13.) *non ex odio Patris aut culpa propria, ſed ſecundum ejus voluntatem eſſe ſignificaret.* Tertius locus ex Ioh: VIII, 29. minus facit ad mentem Crellij; nam τὸ *Quia ego quæ placita ei, facio ſemper*, non habet rationem cauſæ vel motivi, cur Pater Filium vel diligat, vel *non relinquat ſolum*, ſed argumenti & demonſtrationis unde probat ſe ſolum non eſſe relictum, eo quod nihil faciat, aut dicat, quod ſimul non ſit Patris ſui, cui eſt ὁμοούσιος, quique in ipſo eſt ut ipſe in Patre Ioh: XIV, 10.

Poſſemus jam ab Amoris explicatione ad tractationem de Gratia rectà pergere, niſi paucula adhuc de Zelo Dei eſſent adjicienda, quo nonunquam Amor Dei erga gloriam populumque ſuum ſignificatur, & amor quidem ejuſmodi, qui nec rivalem, nec rei amatæ inimicum ferre poſſit. Itaque Deus ob zelum ſuum, nec populum ſuum falſo alicui Deo adhærere, & amorem ac cultum ſibi debitum ad alium deferre patitur; nec eundem populum, ſi præſertim conſtanter Deum amaverit, eique uni adhæſerit, ab hoſtibus lædi ac violari permittit, aut, ſi aliquatenus permiſerit, id ſinit inultum. (*vid: Eſa*: *9. 7*: *37. 32. Ioel*: *2. 18. Zach*: *2. 14*: *8. 2.*) Significat ergo hæc vox ad hunc modum uſurpata, & amoris quandam vehementiam, & porrò etiam ejus effecta quædam, nempe odium aut iram in rivalem, vel rei amatæ hoſtem, ut non injuriâ ad mixtos affectus referri queat. Et ſanè quia ea voce crebriùs

Digitized by Google

crebriùs ira atque indignatio Dei exprimitur, quàm Amor; ideò ejus explica- 305.
cio ad tractationem de Ira Dei magis pertinet.

‡ *Ut non injuriâ ad*] Verùm hæc confundi non debent: nam quia *zelus* & *ira* affectum propriè denotant in hominibus, nonniſi per anthropopathiam Deo tribuuntur; Amor vero illi propriiſſimè convenit, unde & *charitas* eſſe dicitur 1. Ioh: IV, 8.

His ad eum modum de Amore Dei explicatis, non multa nobis ſuperſunt de Gratia Dei dicenda. Siquidem ille Dei amor, quo ad beneficiendum impellitur, ſeu mavis, ſeipſum inclinat, nihil aliud eſt, quàm ipſius Gratia, ſeu favor ac benevolentia erga alios. Unde ſimplex amoris vox in ſacris literis de Deo uſurpata, creberrimè eundem reipſa affectum ſignificat, qui Gratiæ voce exprimi alibi ſolet. Eſt tamen aliqua in voce Gratiæ emphaſis, quæ in Amoris voce per ſe non cernitur. Nam ne illud nunc repetam, quòd Amoris vox per ſe latiùs patet, & ad res omnes, etiam inanimatas, tanquam ad objectum ſuum extenditur; Gratiæ nomen gratuitum affectum ac propenſionem in alios magis denotat, quàm vox Amoris. Itaque Gratiæ nomen evidentiùs excludit merita ejus, cui ea exhibetur, quàm vox Amoris. Quicquid enim ex gratia revera provenit, id gratis alteri præſtatur. Amor autem meritis etiam provocari ac conciliari poteſt. At gratia desineret eſſe gratia, ſi meritis exprimeretur. Unde quod ex amore provenit, non ſemper beneficium propriè dictum eſt: quod ex gratia, beneficium ſemper eſt. Neque enim de ea loquimur gratia, quæ gratitudinis eſt, ſed quæ beneficentiæ. Nam Dei non eſt beneficiis obligari, ſed obligare: cum nullius rei indigus, omnibus ſuppeditet omnia. Ejus ergo gratia, ut diximus, merita creaturarum excludit. Hinc illa Apoſtoli: (*Rom: 4. 5.*) *Ei qui operatur* (intellige perfectè) *merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* & illa: (*cap: 11. 6.*) *Si gratiâ, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia.* & iſta: (*Eph: 2. 8. 9.*) *Gratiâ eſtis ſalvati per fidem, (& hoc non ex vobis: Dei* [*enim*] *donum eſt) non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Quare gratia omnis amor quidam eſt: at non omnis amor gratia. Veruntamen quia amorem Dei, & ſumma, quæ inde in nos profluunt, bona, factis noſtris non meremur; amor Dei erga nos gratia eſt, ut gratia amor. Concurrit, inquam hac in parte Amor ac Gratia, & reipſa idem ſunt; licet interim vocum vis ſit diverſa, & altera per ſe latior ſit alterâ. Etſi autem à gratia divina omnia in homines bona proficiſcuntur, etiam ea, quæ naturaliter nobis inſunt: ſacræ tamen literæ ea potiſſimùm bona, quæ ſupra naturam nobis Deus concedit, & inprimis ſpiritualia ac cœleſtia, Gratiæ ipſius adſcribunt. Unde & vulgò apud Theologos bona naturæ & gratiæ diſtingui, & ſibi invicem quodammodo opponi ſolet.

‡ *Siquidem*

Digitized by Google

‡ *Siquidem ille Dei amor*] Fateor coincidere Gratiam Dei cum illius amore reſpectu hominum miſerorum & peccatorum, ſed nunquam dilectio Patris quâ fertur in Chriſtum, Gratiæ nomine exprimitur in Scriptura.

Nam ne illud nunc] Sed nec illud debuit negligi diſcrimen, quod *Gratia* præſtetur inferiori, amor etiam æquali, qui inde nonnunquam dicitur pares vel invenire vel facere: Hinc nunquam gratia, ſæpiùs amor Patris in Filium commemoratur, quod Filius rapinam non ducat eſſe ſe æqualem Patri Phil: 11, *6*. Imò & nos gratum quidem animum, non tamen gratiam Deo debemus, ſed cultum & reverentiam, ut pote ex cujus plenitudine haurimus omnes καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος Ioh: 1, 16.

Sacræ tamen literæ] Imò propriè ea demum quæ nobis ex peccato & miſeria liberandis inſerviunt: Vnde & tam frequenter Gratia hæc *Medicinalis* Auguſtino dicitur. Nam & ſic Gratiæ Principis maximè adſcribitur vel pœnæ commeritæ relaxatio, vel legitimatio, aut ulla alia reſtitutio natalium, famæ, civitatis. Et ſi ex Dei gratiâ videantur interdum fluere quædam beneficia ſive chariſmata ſpiritualia, quæ ad poſſidentis ſalutem conficiendam per ſe non conferunt, cujuſmodi illa ſunt quæ *gratiæ gratis datæ* vulgò in Scholis appellantur, quorum prolixa mentio extat 1. Cor: XII,8.9.10.29.30.31.XIII,1.2.XIV,1. ea tamen cùm ad ſalutem & ædificationem totius corporis Eccleſiæ ſpectent & divinitùs deſtinentur, etiam eo reſpectu à ſalutari ipſius Gratia proficiſci intelliguntur.

Quanta autem Dei ſit gratia, quàm perfecta, quàm conſtans, quàm di-
306. ves, quàm latè patens, maximè ſub Evangelio, ſub quo qui vivunt, ſub Gratia eſſe dicuntur, & iis, qui ſub Lege vixerunt, hac in parte opponuntur; ex Benignitatis explicatione, (*cap: 28*) itemque ex iis, quæ de Amore divino paulò ſuperiùs diximus, intelligitur. vide inter alia inſignem charitatis, gratiæ, ac miſericordiæ divinæ, ſub N. Fœdere hominibus exhibitæ commendationem Eph. 2. v. 4. & d. Ibi enim & divitiæ miſericordiæ, & nimia, ut vetus habet interpres, ſeu ingens charitas, & abundantes divitiæ gratiæ Deo tribuuntur, & inſignia ejus effecta commemorantur. Quia verò Deus eâ tam libenter utitur, ſemperque eſt uſus, & ad eam adeò eſt pronus; ideo Hebraicè *Channun* appellatur, quam vocem latinè *Gratioſum* cum nonnullis poſſis reddere. quanquam latina vox eum, qui gratiâ apud alios valet, ſeu cui alii favent, ſignificat; Hebræa verò eum, qui gratiam aliis exhibet. Unde alii novâ voce *Gratificum* reddiderunt; alii rurſus beneficum, alii aliter, eâdem tamen ferè ſententiâ. Et ſanè licèt Benefici vox Hebrææ non exactè reſpondeat: vim tamen ejus ſatis exprimit. Ob ejus, ut ita dicam, abundantiam, ac beneficiorum ab ea manantium ubertatem, Deus à Petro appellatur (*1 Pet: 5. 10.*) *Deus omnis gratiæ*, q. d. nullâ non gratiâ abundantem; vel, ut plærique verba illa accipiunt, omnis gratiæ ſeu beneficii auctorem. Solet enim *gratiæ* nomen, etiam cùm ad Deum refertur, in ſacris non ſemel pro dono ex gratia manante per metonymiam uſurpari; χάρις nempe pro χαρίσματι. (*Rom: 1.5: 12.3: 15. 15. 2 Cor: 8. 1: 9. 8. Eph: 4.7.*)

& apud

Digitized by Google

& apud Theologos vulgò Gratia nominatim ſumi conſuevit pro eo Dei beneficio, quo Deus in nobis fidem ac pietatem excitat, excitatamque conſervat. Sed de hac gratia hîc non eſt agendi locus; verùm de illius fonte.

‡ *Solet enim* gratiæ] Hæc eſt metonymia effecti, cujus reſpectu gratia gratis data, quam alij habitualem vocant, meritò diſtinguitur à gratia gratos faciente; quod pij ad illam ſe habeant *ſubjectivè*, ad hanc vero nonniſi *objectivè*.

A Gratia veniendum eſt ad Miſericordiam, quæ Deo innumeris propè lo-
cis tribuitur; (*Exod: 34. 6, 7. Neh: 9. 17. Pſal: 86. 15: 103. 8, & d. 145. 8. Ioël:
2. 13. Ion. 4. 2.*) &, quia ea toties, tamque libenter, tum erga omnes ho-
mines, tum inprimis erga pios utitur, ideo Pater miſericordiarum appella-
tur, (*2 Cor: 1. 3.*) & πολύσπλαγχνος ſeu multæ miſerationis, (*Iac: 5. 11.*)
ac dives miſericordiâ (*Epheſ: 2. 4.*) eſſe perhibetur; quin & viſcera miſeri-
cordiæ, (*Luc: 1. 78.*) & conturbatio ſeu commotio viſcerum, (*Ier: 31. 20.*)
per ἀνθρωποπάθειαν, ſeu metonymiam cum metaphora concurrentem, ei tri-
buitur. Quia enim homines, cùm aliorum miſerentur, corde, quod viſ-
cerum præcipuum eſt, commoventur, atque ad miſeriam aliorum ſublevan-
dam impelluntur; ideò Deo quoque, cùm ad miſerias noſtras ſublevandas
tollendaſque commovetur, viſcera tribuuntur miſerationis, ſeu miſericor-
diæ affectu commota. Non multùm autem is affectus in Deo à Gratia di-
ſtat; imò miſericordia divina Gratia ipſius revera eſt; licet non omnis gra- 307.
tia viciſſim ſit miſericordia. Latiùs enim aliquantò Gratia patet, quàm Mi-
ſericordia, nempe magis propriè ſic dicta. Quod propterea addimus, quia
ſuperiùs docuimus, Miſericordiam pro benignitate non ſemel in ſacris lite-
ris ſumi. Eo autem pacto accepta, gratiam quoque ita in ſe complectitur,
ut non latiùs hæc, quàm illa pateat. Cæteroqui ſi miſericordia magis pro-
priè ſumatur, ea non niſi erga miſeros ac calamitoſos, aut calamitati quo-
dammodò vicinos, exerceri poteſt, uti eodem loco monuimus. At Gra-
tia non minùs, quàm benignitas, in eos etiam exerceri poteſt, qui, utut
miſeri non ſint, nec in miſeriam velut inclinati, beneficii tamen adhuc a-
licujus ſunt capaces. quales ſunt etiam felices, modò eorum felicitas vel in-
crementum adhuc aliquod admittat, vel ad conſtantiam ac conſervationem
ſui, alienam opem requirat. Ex quo diſcrimine alia quoque inter utrumque
affectum, in hominibus præſertim, differentia oritur: quòd is, qui pro-
priè loquendo miſeretur, alienâ miſeriâ ita afficiatur, ut ex alterius dolore,
ſive oculis objecto, ſive præviſo, dolorem quendam capiat, quo porrò ad
eum juvandum commovetur. At gratia poteſt etiam ab omni doloris ſen-
ſu eſſe ſejuncta, imò cum ſumma voluptate eſſe conjuncta. Verùm hoc
utriuſque affectus diſcrimen in Deo propriè non cernitur: cùm in Deum dolor

propriè

Digitized by Google

propriè non cadat. Eſt tamen, ut capite ſequenti intelligetur, etiam huic aliquid in Deo analogum. ſiquidem res aliæ Deo gratæ, aliæ ingratæ ſunt. Itaque nihil prohibet dicere, Deum etiam calamitatibus hominum, eorum præſertim, qui ſe coram ipſo demittunt, maximè autem eorum, qui vitæ pietatem ex animo colunt, tanquam ſibi injucundis aliquo modo affici, eaque ratione ad illos juvandos commoveri. Unde major quædam emphaſis in miſericordiæ, quàm in Gratiæ voce eſſe videtur, & vehementiorem illa, quàm hæc, affectum ac commotionem denotare. Unde Apoſtoli in votis ſuis, quæ Epiſtolis ſuis præmittunt, cæteroqui breviſſimis, nonnunquam gratiæ nomine non contenti, miſericordiam apponunt. (*1 Tim: 1. 2. 2 Tim: 2. 2. Tit: 1. 4. 2 Ioh: verſu 3.*) Quòd enim eam ſæpius omittunt, id eam ob cauſſam faciunt, quòd ſub gratia contineatur: quòd interdum apponunt, emphaſeos cauſſâ faciunt.

‡ *Tum inprimis erga pios*] Sic tamen ut quod pij ſint, debeatur ejus Miſericordiæ, cujus proprium objectum non eſt hominum pietas, ſed miſeria.

Quia enim homines] Igitur ſi Miſericordia ſumatur per modum affectus humani, ut miſeriam aliquam cordis ex compaſſione alienæ miſeriæ aut recordatione proprij infortunij notat, quo ſenſu Dido Virgiliana dicebat

Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco,

utique conveniet Deo tantum ἀνθρωποπαθῶς & figuratè: at proprio ſenſu illi eſt tribuenda, quùm ſumitur per modum virtutis hominem bonum inclinantis ad ſuccurrendum miſeris; quæ virtus crudelitati, ſævitiæ, inhumanitati, ſæpè opponitur.

Licet non omnis gratia] Quicquid diſtinctionis ruſpetur Crellius inter gratiam & miſericordiam, tamen omnis gratia quâ nos Deus proſequitur in hac vita, verè Miſericordia eſt.

Miſericordiam pro benignitate] Synonyma quidem ſunt Miſericordia Dei & illius Benignitas in peccatores; ſed nuſquam Scriptura aliud conſtituit objectum Miſericordiæ Divinæ quam homines miſeros; nec tam protenditur Pſal: CXLV, 9. miſericordia Dei ad omnia ejus opera, quam præ omnibus illius operibus celebratur & extollitur.

Dolorem quendam capiat] Id verum de miſericordia quæ affectus eſt, ac dicitur Ciceroni *Tuſc. 3. & 4. ægritudo ex alterius miſeria*; non de ea quæ virtus eſt, & de qua illud Phocionis intelligendum, *Nec ex templis aras, nec ex hominum vita miſericordiam auferri debere.* Quin Pathologici & Philoſophi morales oſtendunt Generoſiores mortalium & qui ſunt animo fortiori, cœteris procliviores eſſe ad miſericordiam, quæ proculdubio in ipſis non ſolum ab omni doloris ſenſu ſejuncta eſt, ſed etiam ſumma cum voluptate conjuncta, cùm cogitant ſe ſuo defungi officio dum compatiuntur afflictis, & ut illis ſuccurrant proclives & parati ſunt.

Eſt tamen ut capite] De eo ibi videbimus: Perabſurdè aliquid fingas in Deo analogum noſtro dolori, quo proculdubio multum delibaretur de ſumma illius fœlicitate. Res illi gratæ vel ingratæ dicuntur, quod juſſis ſuis aut conveniant aut diſcrepent, non quod illi triſtitiam adferant aut dolorem, vel gaudium ingenerent & lætitiam; ſiquidem vel ſapienti homini id ſuppeditatur conſilium à Boethio *lib. 1. de conſol. phil. met. 7. Gaudia pelle, Pelle timorem, Spemque fugato, Nec dolor adſit, Nubila mens eſt, Vinctaque frenis, Hæc ubi regnant.*

Aliquo

Digitized by Google

Aliquo modo affici] Non propriè ſed figuratè; quatenus non minori promptitudine ac propenſione voluntatis ad ſuos ijs calamitatibus quibus premuntur ſubducendos fertur, quâ ſolent patres prompti eſſe & proclives ad ſuccurrendum ſuis filijs, ex dolore intimo quem ex illorum miſeria experiuntur.

Emphaſeôs cauſa faciunt] Eſt quaſi hendiadys, ad ſignificandam miſericordem gratiam, & gratuitam miſericordiam planeque indebitam: niſi malis per gratiam, intelligere electionem gratiæ factam ab æterno, & per miſericordiam remiſſionem peccatorum quam in tempore conſequimur; prout utrique *pax* additur, quæ ex hac & illius fiducia ac ſenſu naſcitur in conſcientijs noſtris Rom: v, 1.

Illi autem, erga quos miſericordiâ commovetur Deus, homines inprimis ſunt; quibus quidem non tantùm aliunde calamitas impendere poteſt, ſed etiam, ſi jure ſuo uti velit, ab ipſomet Deo, cùm nimirum peccatis ac ſceleribus ſuis commeriti ſunt, ut ipſos puniat ac perdat. Itaque quòd Deus peccatores non punit, ſed ſupplicium differt, &, ſi reſipiſcant, penitus aufert, ac de jure ſuo hac in parte prorſus cedit, id miſericordiæ ipſius eſt effectus. Unde per viſcera miſericordiæ Dei remiſſionem peccatorum nos obtinuiſſe ſacræ literæ teſtantur· (*Luc*: 1. 77. 78.) Verùm quia ſtatim nobis pereundum eſſet, ſi Deus nos deſerere vellet, etiamſi tandem ad nos perdendos vires ſuas non converteret; ideo miſericordiæ Dei imputandum eſt, quicquid is nobis præſtat boni, quod ad nos ſuſtentandos, tuendos, & ab interitu vindicandos pertineat; & denique univerſa noſtra felicitas, quam per Chriſtum ſumus adepti. quia non modò eâ digni non ſumus, ſed ejus contrarium planè ſumus commeriti, perniciem nempe ſempiternam. Itaque ſummo jure à tantæ beatitatis aditu arceri poſſemus, niſi Deus indignitatem noſtram ſuâ miſericordiâ ſublevaret. 308.

‡ *Homines inprimis*] Iique miſeri & peccatores; quorum ſumma miſeria eſt reatus ex peccato, ſive obligatio ad pœnam.

Si jure uti ſuo velit] In eorum nempe perſonis: Aliàs hoc eſt jus illius conſtans, peccato pœnas deberi, nec illi abſolutè impune eſſe poſſe, Rom: 1, 32.

Itaque quod Deus] Primùm mera ſupplicij dilatio, non tam Miſericordiæ Dei debetur, quam ejus ſapienti Providentiæ, quæ ſinit peccatores menſuram implere, ut tandem aliquando pœnæ tarditatem illius gravitate compenſet. Deinde omnimoda pœnæ condonatio fit non reſipiſcenti modo ſed ſimul credenti, ut fruſtrà reſipiſcentium duntaxat non etiam ſimul credentium hîc meminerit Crellius. Eſt enim vera reſipiſcentia fidei ſalvificæ adjunctum neceſſarium, nec reſipiſcentiæ alio ſenſu promittitur remiſſio peccatorum, quam prout adjacet indivulſè fidei eamque probat & indicat: fidei vero in Chriſtum eadem vindicatur, quod revera nitatur beneficio & merito Chriſti, quem fide debemus apprehendere ad ſalutem. Præterea valde ἀκύρως dicitur Deus *de jure ſuo prorſus cedere* in remiſſione peccatorum. Nec enim uti aliàs monui, pœna debetur peccato à ſupremo Rectore, ex ejuſmodi jure cui cedere penitùs, aut quo uti

 pro ar-

Digitized by Google

pro arbitrio ſuo queat, ſed ex nobili officio & inviolabili ipſius juſtitia, cui non magis poteſt renunciare quam ſeipſum abnegare, aut univerſi regimen abdicare. Nec etiam illud *δικαίωμα* Dei ex quo pœna debetur peccato, ceſſat penitùs in remiſſione peccatorum noſtrorum; ſed potiùs in ea magis eluceſcit, quatenus voluit Deus noſtri miſerturus, pœnas peccatis noſtris debitas in Filium ſuum proprium transferre, quo factus peccatum pro nobis, fieremus juſtitia Dei in ipſo 2. Cor: v, 21. *Id* equidem *miſericordiæ ipſius eſt effectus*, quod cum pœnas æternas eſſemus commeriti, remittat nobis omnia noſtra peccata; ſed eſt effectus miſericordiæ ſummæ, per inſignem ſapientiam ſummâ juſtitiâ temperatæ, quatenus in Chriſti ſanguine, illa ipſa miſericors peccatorum remiſſio fundatur Rom: III, 25. Eph: I, 7. Vnde non minus per Chriſtum & ſanguinem illius, quam per viſcera miſericordiæ Dei remiſſionem peccatorum nos obtinuiſſe, ſacræ literæ teſtantur.

Verum quia ſtatim] Concurſus ille generalis, juxta quem in Deo ſumus, vivimus & movemur, atque in noſtro eſſe fovemur & conſervamur, ut pote communis bonis & malis, per ſe non pertinet ad ejus miſericordiam, niſi quatenus hæc noſtra conſervatio in vita præſenti ordinatur ſingulari ejus conſilio ad vitam æternam. Hoc enim reſpectu beneficia cæteroquin communia bonis & malis, ſic manant quoad reprobos à Providentia communi, ut in ſpecialem miſericordiam quoad electos refundi debeant.

Niſi Deus indignitatem] Sublevat autem hanc noſtram indignitatem ſuâ miſericordiâ, ſubſtituto in locum noſtrum ſuo Filio, ejuſque merito nobis miſericorditer imputato, ut quam in nobis dignitatem non habemus, ex dignatione Divina plenam in ipſo conſequamur.

Moneri hoc loco à nonnullis ſolet, quod ad diſtinctionem miſericordiæ pertinet, aliam eſſe ordinariam, quâ nimirum Deus perpetuò utatur; aliam extraordinariam, quâ non ſemper. Et illa quidem ea revera tantùm eſt, quæ generali Dei decreto aut promiſſo eſt alligata; hæc, quæ ex tali decreto aut promiſſo non fluit. Illâ, verbi gratiâ, Deus reſipiſcentibus peccata condonat, & vitam æternam in Chriſtum credentibus donat: hac homines peccatis adhuc immerſos ad reſipiſcentiam ſingulari aliqua ratione vocat atque impellit, qualis miſericordia Paulo inprimis fuit exhibita. Ad hoc miſericordiæ genus per ſe reſpiciunt & illa Dei verba: (*Rom: 9. 13.*) *Miſerebor, cujus miſerebor: & miſericordiam præſtabo, cujus miſerebor*, ſeu, ut in Exodo (*Exo: 33. 19.*) vetus interpres hæc eadem Dei verba, ſententiâ clarè expreſſâ, reddidit: *Miſerebor cujus voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit.* Quanquam etiam ad ordinariam Dei miſericordiam hæc verba referri poſſunt, ſed ejus temporis reſpectu, quo nullo adhuc Dei decreto fuit fixa atque alligata.

‡ *Moneri hoc loco*] Vt nolim abſolutè improbare diſtinctionem Miſericordiæ Dei in *ordinariam & extraordinariam*, quatenus ejuſdem Miſericordiæ ſalutaris in Chriſto diſpenſatio & adminiſtratio peragitur vel modo magis ordinario & frequentiori, ut cum quis Miniſterio ordinario Euangelij, ex communi miſeria

evocatur

Digitized by Google

evocatur & adducitur ad Chriſti cognitionem & communionem ſalutis; vel modo planè extraordinario & miraculoſo, ut cum Paulus derepentè fuit ex lupo in agnum, imò in Paſtorem mutatus; Ita ſanè nolim ullo modo probare Crelliana hæc Paradoxa, quibus videtur non ex Dei Miſericordia & gratiâ, ſed ex ipſis hominibus eorum reſipiſcentiam & fidem arceſſere, & in quibus plures ſunt abſurditates quam apices. I. Abſurdè *ordinariam* Dei Miſericordiam eam ſolam eſſe ſtatuit quâ *Deus reſipiſcentibus peccata condonat, & vitam æternam in Chriſtum credentibus donat*; cùm etiam ad ordinariam miſericordiam ſpectet per prius quod *homines peccatis adhuc immerſos ad reſipiſcentiam vocat*, imò donat reſipiſcentiâ & fide, prout utraque Dei donis, ex ſingulari ejus miſericordia profluentibus, in Scripturis annumeratur Act: XI, 18. Eph: II, 8. Phil: I, 29. II. Abſurdè ex neſcio quo *generali decreto* ſuſpendit Miſericordiam eam quæ reſipiſcentibus demum & credentibus condonat peccata; cùm nec ſint decreta univerſalia fingenda, ab ijs diverſa quæ facta ſunt de ſingulis hominibus; nec miſericordia Dei in reſipiſcentes & credentes exercenda, ab alio decreto promanet quam ab eo quo certis quibuſdam hominibus ex communi perditionis maſſa electis, decrevit reſipiſcentiam & fidem dare, ut Chriſti conſortes, ſalutem ad quam ſunt deſtinati, tandem conſequantur. III. Abſurdè ex generali *promiſſo* Euangelico de remiſſione peccatorum credentibus & reſipiſcentibus concedenda, fabricatur generale & indeterminatum decretum miſericordiæ Divinæ; cùm promiſſiones Dei ad ejus mandata ſpectantes, promiſcuè & generaliter promulgatæ, nullâ ratione ſint confundendæ cum illius conſilijs & decretis, quæ propriè ſunt ſingularium non univerſalium, niſi quatenus ex ſingularibus univerſalia exurgunt & per modum inductionis à nobis colliguntur. IV. Abſurdè reſipiſcentiæ & fidei collationem hominibus peccatoribus, rejicit in Miſericordiam Dei extraordinariam; cùm nihil ſit magis illi ordinarium, quam peccatores ad fidem & reſipiſcentiam, non vi quidem impellere, ſed tamen efficaciſſimè deducere, atque inde ordiri in tempore telam ſalutis humanæ; Quamvis enim id non faciat in ſingulis, *ſingulari aliqua ratione*, ejus nempe ordinis cum ea quâ uſus eſt in converſione Pauli, id tamen facit in ſingulis ſuis electis tali ratione, ut eos non tantum externè *vocet*, ſed & internè *impellat* (non cogendo, ſed trahendo ac perſuadendo,) ad fidem & reſipiſcentiam. Interea admittimus hic quod ſtatuit Crellius ſaltem quoſdam *ſingulari aliqua ratione vocari atque impelli ad reſipiſcentiam*: Sic enim, credo, ille impulſus habet infallibilitatem eventus, ut reſipiſcentia per id non deſinat eſſe voluntaria & libera. V. Abſurdè ad Miſericordiam ſuam extraordinariam refert loca Rom: IX, 15. & Exod: XXXIII, 19. cum Deus illis verbis maximè declaret quam ſit liberrima œconomia ordinariæ ſuæ Miſericordiæ, ut non aliunde quam ex illius beneplacito & arbitrio pendeat. VI. Abſurdè eundem textum Scripturæ vult pertinere tum ad ordinariam tùm ad extraordinariam ſuam miſericordiam; cùm tamen eas inter ſe opponat ceu ſpecies planè diſtinctas: VII. Abſurdè nobis fingit pro *ordinaria* Dei Miſericordia, neſcio quod tempus *quo nullo adhuc Dei decreto fuit fixa atque alligata*; cùm tamen eam ſuſpendat ex *generali Dei decreto aut promiſſo* cui ſit *alligata*: & omnia Dei decreta ſint æterna, nec detur ullum tempus quo facta non fuerint: Nec dubium quin jam ante quam Moſi id dictum fuiſſet quod hîc citatur, hoc firmum eſſet Dei promiſſum, ſe reſipiſcentibus peccata condonaturum. Equidem Deus decrevit quoſdam homines ex communi maſſa perditionis eligere ad ſalutem, ijſque Chriſtum Filium ſuum in Redemp-

Digitized by Google

in Redemptorem aſſignare, & eos conſequenter fide & reſipiſcentiâ donare ut fierent illius Redemptionis participes, quo ſenſu dicebat Paulus 1. Cor: VII, 25. *Je miſericordiam conſequutum à Domino, ut eſſet fideli*, priusquam in ſigno rationis hoc generale promiſſum decerneret per Euangelium promulgari debere, reſipiſcentibus & credentibus in Chriſtum remiſſium iri ſua peccata; attamen inter decretum de electis fide & reſipiſcentiâ donandis ut ſerventur, & decretum de hoc generali effato inde exſurgente promulgando eos omnes & ſolos ſalutem conſequuturos qui reſipuerint & crediderint, nulla temporis intercapedo concipi poteſt.

Similiter & illud hîc moneri poteſt, in miſericordia divina non minùs, quàm in amore, gradus quoſdam cerni, qui ex effectuum diverſitate inprimis animadverti poſſunt. Aliis enim majora, aliis minora beneficia ex Dei miſericordia conceduntur, adeò quidem, ut ii, qui minoribus perfruuntur, illis nonnunquam opponantur, quibus miſericordia exhibeatur. Sic Rom. 9. (*verſu 22, 23.*) opponuntur vaſa iræ vaſis miſericordiæ; licet illa quoque Deus in multa longanimitate, quæ ſanè à miſericordia non poteſt penitus ſejungi, tuliſſe aut ferre dicatur. Sic & populus Judaicus ad Chriſtum nondum converſus, dicitur miſericordiam non conſecutus, & ſibi ad Chriſtum converſo, tanquam tum demum miſericordiam conſecuto, apud
309. Petrum opponitur; (*1 Pet: 2. 10.*) licèt nec antè miſericordiâ divinâ penitus fuerit deſtitutus. Sed plenior harum rerum explicatio ad tractationem de operibus Dei pertinet. Illud, antequam hinc diſcedamus, memoriâ repetendum eſt, quòd ſuprà monuimus, tum Gratiam, tum Miſericordiam Dei, non ſemper pro affectibus ſingularibuſque voluntatis ipſius actibus ſumi, ſed non rarò etiam pro ipſa benignitate, h. e. pro conſuetudine quadam aliis benefaciendi, eorumque miſerias ſublevandi, vel pro voluntaria quidem, ſed tamen conſtanti, ad alios, præſertim miſeros, juvandos pronitate ac promptitudine.

‡ *Adeo quidem ut ii*] Non nego quidem miſericordiæ Divinæ ſuos eſſe gradus, cum juxta Chriſti parabolam Luc: VII, 42. alteri debitorum ſuorum remittat quinquaginta denarios, alteri vero quingentos; ſed tamen valdè præpoſterè per *vaſa iræ* eos intelligas apud Paulum qui minus miſericordiæ ſunt conſequuti; cùm eâ ratione deberent etiam ſtatui, ſenſu licet quadantenus diminuto, vaſa miſericordiæ, non iræ. Nec Apoſtolus facit oppoſitionem inter miſericordiam minorem & majorem, per modum comparationis graduum; ſed inter miſericordiam & iram per modum diſparitatis, aut etiam contrarietatis, ut Crellius Miſericordiam Dei illius Iræ contrariari ſtatuit.

Licet illa quoque Deus] Illa Longanimitas & Patientia, perperam cum miſericordia confundetur; aut ſi miſericordia dicatur, ſtatuetur vitioſè ejuſdem ordinis & naturæ, ſed gradus duntaxat inferioris, cum ea quæ vaſis miſericordiæ ſpecialis eſt.

Sic & populus Iudaicus] Primùm nulla neceſſitas cogit hunc locum intelligi de *populo Iudaico*: cum idem Hoſeæ teſtimonium

Digitized by Google

nium Petro citatum à Paulo explicetur de Gentilibus ad Chriſtum evocatis Rom: 1x, 25. 26. Et quamvis Petrus ceu Circumciſionis Apoſtolus videatur potiſſimum ſuam epiſtolam inſcribere *advenis diſperſis* per Pontum, Galatiam, Aſiam &c. ideſt revera, ut explicari poteſt ex Iacobo 1, 1. *duodecim tribubus* quæ erant in diſperſione, nihil tamen impedit quominus reliquos quoque Chriſtianos ex Gentilibus ad fidem converſos, circumciſis fidelibus immiſtos per illas regiones compellet, & ea dicat quæ ipſis ſpecialiùs competant; Sed tamen quia plurimis poteſt oſtendi argumentis reverâ Petrum totâ hac epiſtolâ alloqui eos ex circumciſione, qui ipſius præconio ad Euangelij profeſſionem traducti fuerant, cùm illi in iſta diſperſione jamdiu priſcâ Dei miſericordiâ excidiſſent, nèc amplius populo Dei accenſerentur poſt Iſraeliticum regnum everſum, & decem tribus hinc inde diſperſas, revera *LoHammi* & *LoRuhama*, hactenus ſimpliciter cenſeri poterant, & tum demum miſericordiam conſecuti, cùm *redempti* fuerant *ex vana ſua converſatione Paternæ traditionis* 1. Pet: 1, 18. & Euangelicâ vocatione ad Chriſtum denuo inſerti quoad ſe illi oleæ ex qua illâ ſuâ diſperſione exciſi jam fuerant. Et quamvis non fuerint ante penitùs deſtituti miſericordiâ Divinâ *affectivè* conſideratâ, quatenus propoſitum Dei erat illorum miſereri & poſt tenebras lucem ſuam illis affundere, tamen cum multis ante ſæculis a tempore Salmanaſſari in Patribus ſuis libellum repudij accepiſſent, tum demum *effectivè* illis affulſit Dei Miſericordia, cùm à tenebris errorum, & vanæ ſuæ converſationis πατροπαράδοτυ, ad lucem Euangelij traducti ſunt.

Illud antequam hinc] Equidem cum Deus *Gratioſus* vel *Miſericors* dicitur, aut Pater miſericordiarum & tardus ad iram ac magnarum miſerationum, & ſi quæ tales loquutiones occurrunt in Scripturis, illa ſola pronitas ac promptitudo ad miſeros juvandos denotatur; ideſt notatur Dei Gratia & Miſericordia in actu primo: Sed quoties dicitur noſtri miſertus, aut nos in ſua gratia aut miſericordia reſpexiſſe, aut nos feciſſe vaſa miſericordiæ, &c. tunc eadem miſericordia denotatur in actu ſecundo: Actus autem ille ſecundus vel miſerendi propoſitum denotat, & tunc miſericordia Dei ſumitur affectivè, vel illius propoſiti executionem & inde manantia in nos beneficia, & tunc effectivè intelligitur.

Transeundum nunc eſt ad affectus his adverſos. Amori autem directè opponitur odium; gratiæ & miſericordiæ ira atque indignatio, quæ furoris nomine ſolet à vetere interprete Latino, & ab alijs ipſum ſecutis, exprimi: (*Exod: 22. 24, 12: 10, 11. Num: 11. 10, 33: 25, 4. & alibi. ſæpiſſimè.*) Facilè autem horum affectuum ingenium ex natura atque indole contrariorum, quos hucuſque conſideravimus, perſpici poteſt. Et ad odium quidem quod attinet; quemadmodum amor rem ſibi objectam, tanquam gratam amplectitur, eamque extare cupit: ita contrà odium rem objectam, ut ingratam averſatur atque abominatur, ac porrò ſublatam cupit. Nihil autem eſt, quod Deus per ſe abominetur, præter peccatum; propter peccatum autem abominatur etiam ipſos peccati auctores, illos præſertim, qui in eo contumaciter perſeverant. Unde ſacræ literæ pronunciant, Deum odiſſe omnes operantes iniquitatem; (*Pſal: 5. 7.*) animam ejus odiſſe impium, & diligentem iniquitatem;

Digitized by Google

tem; (*Pſal: 11. 5.*) eum odiſſe ſimiliter impium & impietatem ejus; (*Sap:14.9.*) impios ipſi abominabiles eſſe, aut fore. (*Levit: 26. 30. 3. Reg: 21. 26. Pſal. 14. 1: 53. 2. & alibi.*) Et de peccatis quidem nominatim, quæ Deus oderit, vide quæ leguntur Deut. 16. 22: Prov. 6. 16: Jerem. 44. 4. Zach. 8. 17. quibus adde & ea loca, quæ ſanè non pauca ſunt, ubi de ijs peccatis ſermo eſt, quæ Deus *abominetur*. (*inter alia plurima, vid: Lev: 18. 22, 26, 29. Deut: 12. 31: 13. 14: 17. 4: 18. 9, 12: 23. 18: 25. 16: 27. 15: 29. 17.*) De hominibus autem, quos oderit Deus, itidem non pauca loquuntur ſcripturæ loca. Adeo autem peccatum atque impietatem odit Deus, ut non tantùm eorum auctores oderit, ſed odium hoc quodammodo derivetur in alia eorum facta, cæteroqui Deo non modò non adverſa, ſed ab eo etiam præcepta: (*Prov: 15. 8: 21. 27: 28. 29. Eſa: 1. 13, 14.*) nempe quia factis impiorum cæteris, utut per ſe non malis, imò ad honorem ipſius ſpectantibus, non ampliùs delectatur Deus; præſertim quia illis hypocriſis admixta eſt: & illa omitti mavult, quàm ab impijs ſibi præſtari. Nam aliàs res naturâ ſuâ non malas, & ob præceptum ipſius ad pietatem ſpectantes, odiſſe Deus non poteſt, ſed eas potiùs amat. Verùm amor ille cedit peccati, quod illis labem aliquam aſpergit, odio, ita ut propter
310. peccatum etiam illa quodammodo ſublata Deus velit, id quod eſt illa odiſſe. Et ſi rem penitiùs conſideres, eo modo & impiorum perſonas odit Deus. Nam impios & quà impij ſunt, odit Deus; quod odium ab ipſius impietatis odio reipſa nihil differt: & quia impii ſunt, ideò etiam ipſas eorum perſonas odit eatenus, quatenus eas perditas cupit. Etſi enim impii, quà Dei creaturæ ſunt, boni ſint, ac porrò Deo non modò non diſpliceant, ſed & placeant: tamen amor erga impios, quà Dei creaturæ ſunt, odio eorum, quà impii ſunt, adeo cedit, ut eorum etiam perſonas propterea ſublatas ac perditas velit: qua in re odium adverſus ipſos conſiſtit.

‡ *Ad affectus his adverſos*] Verum ipſa contrarietas quæ convenit hiſce affectibus propriè conſideratis, oſtendit luculenter eos nonniſi impropriè, ut affectuum habent rationem, poſſe tribui Deo, cui ejuſmodi motus contrarij nequeunt convenire.

Tanquam gratam amplectitur] Hoc concedi poteſt de amore complacentiæ, non neceſſariò de amore benevolentiæ, qui tamen potiſſimum; etiam erga peccatores & eo indignos, celebratur in Scripturis.

Ac porro ſublatam cupit] Neque hoc ſatis accuratè: Nam omnes peccatores quos odit Deus, non abſolutè ſublatos vult; ſed tantum ijs mulctatos pœnis quas Lege ſuâ denunciavit: nec propriè ſublatum vult peccatum, quod etiam permiſit fieri, ſed illud punitum & vindicatum.

Illos præſertim] Sic tamen ut peccatum quà tale & per ſe creaturam rationalem Deo reddat exoſam, quod nulla ſit communio luci cum tenebris, aut juſtitiæ cum iniquitate. Atque eo ſpectant pleraque locorum quæ hic à Crellio citantur.

Cæteroqui Deo non modo] Ut enim aliud eſt Latinum loqui, aliud loqui Latinè, ita aliud eſt

Digitized by Google

aliud eſt quod bonum eſt agere, aliud illud benè & uti decuiſſet facere. Quod ergo Deus improbet & averſetur id quod aliàs bonum videtur quantum ad ſubſtantiam operis, ideo fit quod non fiat bene, & eo modo quo præcipit in ſuo verbo: jam autem id boni naturam exuit quod malè fit.

Quem recitas meus eſt, ô Fidentine, libellus,
Sed malè cum recitas incipit eſſe tuus.

Deus quidem non illud odit quà bonum eſt, ſed quà malè fit, neque ex fide, abſque qua quicquid fit peccatum eſt Rom: XIV, 23.

Nam impios] Hoc autem odium, cui nihil permiſtum ex lolliginis ſucco, nihil aliud propriè ſonat quam 1. improbationem ipſius peccati, ceu contrarij ſuis mandatis; 2. firmum propoſitum impios plectendi tandem & puniendi.

Etſi enim impij] Hæc bonitas phyſica & entitativa quæ ſupereſt in impijs, non eſt objectum acquieſcentiæ & complacentiæ Divinæ quæ circa ſolam bonitatem moralem verſatur: Quare propriè loquendo *amor erga impios quà Dei creaturæ ſunt, odio eorum quà impij ſunt non cedit*, ac ſi aliqua pugna hic in mente Divina veniret concipienda, per quam dum horſum & illorſum trahitur, debeat illud uſurpare, *Poſitus in medio quo me vertam neſcio*; Sed malitia moralis ſic præpollet bonitati phyſicæ, ut apud Deum juſtiſſimum & æquiſſimum illa poſita, nulla hujus ratio habeatur.

Propterea ſublatas] Atqui id non vult irrito conatu aut evanidâ voluntate, ſed firmâ & conſtanti, quod nempe ejus ſanctitati peccatum adverſâ fronte repugnet.

Ab odio veniendum eſt ad iram, affectum illi adeò vicinum, ut interdum ab eo vix diſcernas. Id tamen primò inter utrumque intereſt, quòd odium etiam in facta fertur; imò Dei odium, uti vidimus, à factis incipit, & in illa primùm fertur; hinc ad perſonas, unde facta proficiſcuntur, progreditur. at ira in perſonas primò fertur, licet ex factorum odio proficiſcatur. Itaque odium factorum, iræ eſt cauſſa: ira rurſus, præſertim aliquo modo inveteraſcens in odium illud abit, quod in perſonas concipitur. quæ cauſſa eſt, cur hujuſmodi odium ab ira diſcernere vix poſſis. Illud tamen intereſt, quòd iræ vox majorem ardentioremque videtur impetum ad pœnam de altero ſumendam ſignificare, quàm odium per ſe ſumtum. Quemadmodum autem ab ira quodammodo incipit odium illud, quod perſonas ipſas petit, ita in iram redire exireque ſolet, ac non niſi ſupplicio eorum expiari, qui id provocaverint; niſi eorum mutatione ac reſipiſcentiâ placetur.

‡ *Ab odio veniendum*] At hæc duo propriè non differunt; ſed per ἀνθρωποπάθειαν denotant improbationem ac prohibitionem peccati, ejuſque puniendi conſtantem voluntatem, adeoque illam ipſam Dei juſtitiam vindicativam quam illi naturalem eſſe pertendimus. Et quæ ſubtiliùs hîc diſputantur de diſcrimine odij & iræ, eò minus ſunt Deo accommodanda, quod hæc ſint nomina virtutum & perfectionum in Deo, non affectuum & perturbationum ut in nobis.

Quemadmodum autem ab ira] Non opus erat tanto circuitu ad dicendum eos tandem puniri à Deo quos odit & quibus iraſcitur, niſi reſipiſcant: Sed revera eos

Deus nunquam odit & averſatur tanquam vaſa iræ, quibus datur ut tandem reſipiſcant; cùm hæc eorum reſipiſcentia ſit indicina certa dilectionis Divinæ & illius æternæ electionis per quam eos in vaſa miſericordiæ coagmentare dignatus eſt; Tantum abeſt ut hominum mutatione Deus mutetur, & ex irato placidus reddatur; quandoquidem nulli planè mutationi eſt obnoxius Mal: III, 6. Iac: I, 17.

Ex dictis autem facilè intelligitur, quid ira ſit, nempe puniendi affectus; qui in Deo eſt propenſio, &, ut ita loquar, impetus voluntatis ad ſupplicium de nocente ſumendum. Unde porrò multis ſcripturæ locis pro ipſa pœna per metonymiam efficientis accipitur: (*Ioh: 1. 36. Rom: 1. 18: 2. 5, 8: 3. 5: 4. 15: 5. 9: 13. 5. Ephes: 5. 6. 3 Theſ: 1. 10: 2. 16.*) Semper n. pœnam ac vindictam ſpectat ira, etiamſi non ſemper reipſa exigat. Poteſt enim tum per ſeipſum Deus iræ ſuæ impetum ſiſtere, ac vim illius cohibere; tum reſipiſcentiâ eorum, qui ipſum irritaverant, & precibus ſive eorundem, ſive aliorum, placari ac mitigari. cujus rei exempla non pauca nobis ſac. lit. ſuppeditant, quorum nonnulla ſunt à nobis alibi annotata. (*vid: ſup: cap: 23.*) Dicimus autem, iram divinam propenſionem eſſe ad ſupplicium, non de quovis, ſed de nocente ſumendum. Etſi enim hominum ira ſæpè etiam innocentes ad ſupplicium poſtulat; ſive quòd videantur læſiſſe; ſive quòd iis, qui læſerint, quacunque ratione conjuncti ſint: in Dei tamen iram id minimè cadit. Hæc enim injuſta eſſe nunquam poteſt. Ira autem, quæ innocentis ſupplicium poſtulat, naturâ ſuâ injuſta eſt. quemadmodum ex iis
311. intelligi poteſt, quæ ſuprà (*cap: 25.*) de juſtitia Dei, quatenus in pœnis infligendis cernitur, diſſeruimus. quibus adde ea, quæ de poteſtate divina, quam ad pœnas infligendas habet, (*cap: 23.*) diximus; ubi & illud explicuimus, quo pacto in iis, qui innocentes ſunt, nocentes puniri queant, atque adeò puniri à Deo ſoleant. quibus animadverſis, haud magno negotio ea dilues, ex quibus quiſpiam fortaſſe concluſerit, iram divinam etiam in innocentes nonnunquam ferri, & eos ad pœnam ac ſupplicium rapere.

‡ *Qui in Deo eſt*] At ſi naturaliter Deo ineſt *propenſio & impetus voluntatis ad ſupplicium de nocente ſumendum*, juſtitia vindicativa erit Deo naturalis, ut pertendimus. Deinde naturalis *propenſio*, non debet confundi cum *impetu voluntatis*. Nam propenſio illa, iram dicit tantum in actu primo; & eandem notat in actu ſecundo impetus voluntatis. Quare etiam in actu primo ut nuda eſt *propenſio*, ſic pœnam ſpectat ac vindictam ut eam non ſemper reipſâ exigat: verum ubi accedit *impetus voluntatis*, ideſt revera conſilium & decretum puniendi, ac vindictam exigendi, etiam pœna & vindicta reipſâ exigitur.

Poteſt enim tum] Primùm cum Deus non poſſit ſuæ naturæ vim facere, nec etiam poterit illam propenſionem & voluntatem puniendi ira cohibere, ut peccato ſimpliciter & abſolutè impune ſit: Quare ea peccata quæ condonat hominibus, plectit in eorum Sponſore qui pœnas illis debitas ultrò ſubire dignatus eſt. Dein-

Digitized by Google

eſt. Deinde ſi voluntatis ſuæ impetum hic ſiſtat & cohibeat Deus, id debebit fieri per alium impetum voluntatis vehementiorem & fortiorem: & ſic dabuntur in Deo contrarij motus, & obnoxius erit pugnæ haud abſimili ei quam homines in ſeipſis experiuntur dum affectibus ſuis moderari conantur & eos ſtudent cogere in gyrum rationis; quo ſenſu vincere ſeipſum victoriarum eſt ut prima & optima, teſte Platone *de leg.* ita etiam difficillima. O miram Theologiam, quæ Deum facit ſecum pugnantem, & ægrè fræna ſibi ipſi injicientem, ac tantum non uſurpantem illud Neptuni apud Virgilium,

Quos ego! ſed motos præſtat componere fluctus.

Quod ſi reſipiſcentiâ & precibus hominum placari & mitigari quandoque dicatur, id non eſt ita ſumendum ac ſi ex irato in non iratum mutaretur; ſed quod comminationibus ſuis eos terreat & ad ſaniorem mentem revocet, quos decrevit hac ratione iræ & pœnæ ſubducere: Omnis itaque illa mutatio fit in hominibus, idque ex conſtanti & immutabili decreto voluntatis ſuæ.

Sed de nocente] Non eſt quod hic reponamus ea quæ fuſè diſſeruimus ad hanc rem cap. 23. & 25. Abſolutè innocens, nunquam pœnæ ſubjacet apud Deum juſtiſſimum & æquiſſimum: Sed tamen poteſt aliquis perſonaliter innocens, eſſe nocens ſecundum quid, vadem ſe & ſponſorem conſtituendo pro nocentibus; unde illud Auſonij *in Technopægio. Quis ſubit in pœnam capitali judicio? Vas:* Ita Deus *eum qui non noverat peccatum*, nempe Chriſtum, perſonaliter innocentiſſimum, nihilominus *pro nobis peccatum fecit, ut efficeremur juſtitia Dei in ipſo* 2. Cor: v, 21.

Iræ autem vehementiam ac intenſionem quandam deſignare ſolent, excandeſcentiæ, furoris, indignationis, & ſi quæ ſunt alia his ſimilia nomina, Deo etiam in ſacris literis attributa, in quibus, uti & in cæterorum affectuum nominibus Deo accommodandis, id obſervandum eſt, ut quicquid illa, ſi propriè ſumantur, vitii aut imperfectionis involvunt, id à Deo removeas, & non niſi id, quod, ut ita loquar, defæcatum ac purum eſt, Deo tribuas.

‡ *Et nonniſi id*] At id nihil aliud erit quoad iram, quam juſta, conſtans & ordinatiſſima voluntas puniendi: Illius vero denunciatio, comminatio pœnæ ſanctione Legis conſtitutæ in illius tranſgreſſores.

Ad iram autem divinam referendus eſt etiam zelus ſeu zelotypia, hoc eſt, æmulatio divina. Etſi enim zeli vox, ut ſuprà diximus, nonnunquam ſignificat ardentiorem quendam Dei erga gloriam, itemque erga populum ſuum amorem, rivalis etiam impatientem: ſæpiùs tamen iræ atque indignationis ſignificationem habet. Unde voces iræ, furoris, indignationis, non ſemel in eodem verborum contextu, cum nomine zeli veluti commutantur, atque ad eandem rem explicandam adhibentur. (*Num: 25. 11. Deut: 6. 11: 29. 20: 32. 21. Pſal: 79. 5. Ezech: 5. 33. & alibi. Soph: 3. 8.*) & cùm Deus zelotes ſeu æmulator dicitur, (*Exod: 20. 5. Deut: 5. 9. Joſ: 24. 16. Nah: 1. 1. 2.*) non

 ſemel

Digitized by Google

ſemel ejuſmodi adjiciuntur verba, quæ ſeveritatem divinam exprimant, ut ſuprà ex parte vidimus, de Severitate agentes; & alicubi pro eodem ſumuntur, Deum eſſe zelotem, & eſſe ignem conſumentem; (*Deut: 4. 24.*) & eodem ſenſu ignis zelo divino tribuitur, (*Ezech: 36. 5. Soph: 1. 18: 3. 8.*) aut ipſe ille zelus ut ignis ardere (*Pſal: 79. 1.*) aut fumare (*Deut: 29. 20.*) dicitur; aut denique ignis iræ divinæ, & zelus Dei pro eodem ponuntur. (*Ezech:38.19.*) Etſi autem zelus divinus quamvis Dei iram atque indignationem vehementiorem ſignificare deprehenditur; eam tamen inprimis denotat, quæ ex illo Dei amore quodammodo naſcitur, quem eodem zeli nomine deſignari diximus. Ea verò eſt, quâ Deus accenditur adverſus idololatras, eos præſertim, qui arcto cæteroqui fœdere Deo juncti, & illius unius cultui adſtricti fuerant, aut adverſus populi ſui hoſtes. Nam idololatræ, ii præſertim, qui arctiori fœderis vinculo Deo juncti, & illius unius cultui adſtricti fuerant, dum falſos Deos aut ſimulachra colunt, æmulos ac rivales Deo conſtituunt, iiſ-
312. que præter jus & fas ſeſe adjungunt, & amorem ac cultum ſoli Deo debitum, quem unum ab illis poſtulat, ad alios transferunt, aut cum iis communicant. Qua in parte ipſi quoque perduelles ac gloriæ divinæ hoſtes evadunt. Amor autem ille divinus, qui zeli nomine deſignatur, nec rivalem, nec hoſtem rei adamatæ patitur. Itaque in iram erumpit eorum, qui rivalem Deo aliquem conſtituunt, aut hoſtes ſunt rei, ipſi inter cætera chariſſimæ, gloriæ nimirum, aut populi ipſius. Similis nimirum eſt hic amor illi, quo maritus uxorem proſequitur: unde & ſac. literæ non ſemel hac ſimilitudine, cùm de Deo ejuſque populo ſermo eſt, utuntur: & cùm hic in idololatriam prolabitur, Deum ſimili quodam adverſus illum zelo ſeu irâ flagrare oſtendunt, quo maritus adverſus uxorem in adulterio deprehenſam. (*vid: inter alia Ezech: c. 16. totum, & nominatim verſu 38, 43. & cap: 23.*) Itaque zelus hic iræ tantò eſt ardentior, quantò & amoris zelus flagrantior fuerat. Atque hæc eſt cauſſa, cur in illis potiſſimùm locis, ubi populus divinus ab idololatria avocatur, Deus zelotes ſeu æmulator appelletur; ut ea ratione populus à tanto ſcelere abſterreatur, ſeveram Dei iram ac vindictam veritus. Patet id vel ex Decalogo, ubi poſtquam Deus prohibuiſſet, ne populus ipſius Deum alium coram ipſo haberet, & ante ipſius oculos rivalem adduceret, néve imaginem ullam vel facere vel colere auderet, addit: *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis* (vel *Deus*) *zelotes*, & quæ ſequuntur. (*Exo: 20. 5.*) Sic & alibi ait Moſes: (*ib: 34. 14.*). *Noli adorare Deum alienum* (ſeu *alium.*) *Dominus, zelotes nomen ejus, Deus eſt æmulator*: quibus & alia tum apud eundem, tum apud alios ſcriptores ſacros reperies ſimilia: (*Deut: 4. 23, 24: 6. 14, 15: 32. 21. Joſ: 24. 19. conf: anteced: & ſeqq: Pſal: 78. 59.*) atque inter cætera vide, quæ leguntur apud Ezechielem (*cap: 8. 3, 5.*) de *Idolo zeli*,

Digitized by Google

lo zeli, h. e. de ſimulachro Deum ad zelum ſeu indignationem provocante.

‡ *Et illius unius cultui*] At non ſoli externè fœderati, unius Dei cultui ſunt adſtricti, ſed omnes omninò homines, quos Deus ſi Idololatræ fuerint & in ſuo crimine ſuo perſeverent, tandem juſtâ irâ accenſus æternæ pœnæ ſubjiciet.

Nec rivalem nec hoſtem] Videant autem Sociniani annon rivalem Deo ponant, dum honore & cultu Divino fingunt ſe proſequi Chriſtum, quem tamen naturâ Deum eſſe negant; quod erat apud Paulum Gal: IV, 8. crimen idololatrarum *ſervientium ijs qui naturâ dij non ſunt*.

Dici hîc non pauca poſſent de iræ divinæ magnitudine ac gravitate. ſed hac de re, quatenus ea ad explicationem attributorum divinorum pertinet, in tractatione de ſeveritate divina dictum eſt. Si quis tamen aliquid adhuc deſideret, videat inter alia propè innumera teſtimonia de ira divina loquentia, Deut. 32. 22, & d. & præter verba, quæ ex initio ferè cap. I. Nahumi ſuperiùs de Severitate divina loquentes citavimus, ea quæ ſequuntur uſque ad finem v. 6. Adde his illa, ubi æternitas quædam iræ Dei adverſùs quoſdam adſcribitur, ut adverſùs Edomitas: (*Malach: 1. 4.*) licèt aliàs, ut eſt in Pſalmo, (*Pſal: 30. 6.*) *Momentum* (ſic eſt in Hebræo) *in indignatione ejus, & vita in voluntate* (ſeu *benevolentia*) *ejus. Ad veſperum demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia*. h. e. ut viri docti explicant, Momentanea eſt illius ira, h. e. breviſſimo tempore affligit: amor verò, quo nos proſequitur, per omnem vitam durat. ſi fortè ſub veſperum accidat flebile quid- 313
dam, illud manè in gaudium commutabitur. (*vid: Pſal: 103. 9.*) Sed hæc & ſimilia reſpectu populi divini, hominúmve Dei metuentium dicta ſunt. Aliàs reſpectu eorum, qui in peccatis ad extremum uſque perſeverant, æterna eſt Dei ira, præſertim habita ratione effectûs, nempe ſupplicii illius, quod impiis aliquando infliget Deus. Interea tamen tardior eſt Deus ad iram, quàm ad miſericordiam, ut ex ſac. literis ſuprà docuimus, (*cap: 28.*) & omnibus notum eſt. & generatim loquendo, longè majores atque uberiores ſunt hujus, quàm illius effectus. ſimul & latiùs hæc, quàm illa patet. Etenim miſericordiam Dei ſuper omnia ipſius opera, beneficii nimirum alicujus capacia, eſſe ſeu exuberare vidimus. (*Pſal: 145. 9.*) quod licet de beneficentia ejus dictum, ad hunc tamen affectum, unde nomen traxit, rectè accommodatur. At ira Dei non adverſùs omnia ipſius opera reipſa concitatur, licèt fortè naturâ ita ſint comparata, ut peccare, & porrò iram Dei incurrere poſſint, vel etiam reipſa aliquando peccaverint.

‡ *Ubi æternitas quædam*] Ita æterna eſt Dei ira in reprobos & vaſa iræ coagmentata ad interitum.

Momentanea eſt illius.] Hîc ira metonymicè ſumitur pro caſtigatione & afflictione ipſa, quâ Deus ſe interdum nobis iratum

iratum teſtatur, ideſt, nos monitos vult peccatorum noſtrorum quæ ex natura rei iram ſuam merentur, quò ſic ad reſipiſcentiam & emendationem traducamur.

Nempe ſupplicij illius] Quod complectitur non tantum pœnam damni, ut volunt adverſarij, ſed etiam pœnam ſenſus, eamque & acerbiſſimam & nunquam finiendam.

Interea tamen tardior] Verum ſuo loco monuimus, proniorem dici Deum ad miſericordiam quam ad iram, quatenus in operibus miſericordiæ ſuam juſtitiam quoque exercet, ſed hanc ſolam in operibus iræ: Hinc miſericordia Dei præ omnibus illius operibus celebratur Pſal: CXLV, 9. quod ad opera miſericordiæ plura ex ipſius attributis concurrant, quam ad alia, vel iræ, vel potentiæ.

At ira Dei non] Si non conciliatur ira Dei adverſus eos qui peccaverint, ideo fit quia illis remittit ſua peccata, & per conſequens eorum pœnas in Chriſto exegerit.

Ex his etiam facilè intelligi poteſt, quid de amore & odio divino, quatenus in ipſas perſonas feruntur, ſentiendum ſit: ſiquidem miſericordia divina amor quidam eſt, & ira odium quoddam. Utut enim divinus recti atque honeſti amor, odio pravi par ſit; non par tamen eſt odium malorum hominum amori piorum, ſed ab amore ſuperatur. Et odio quidem creaturarum peccantium aliquo modo obſiſtit amor erga eoſdem, quà creaturæ Dei ſunt, & ſic boni rationem habent, odiique vim minuit: at amori piorum nullum ejuſmodi obſtat odium. Neque enim quicquam in nobis eſt naturale, quod oderit Deus. Vilitas quidem naturæ noſtræ efficere poſſet, ut contemtui eſſemus, at non ut odio. Sed præterea amor erga pios ac miſericordia benefici ſunt affectus; odium atque ira adverſus creaturas, aliis ſunt noxii. Benignitas autem, quàm ſeveritas, bonitati Dei naturali aliqua ratione vicinior eſt ac magis conſentanea. Quare non mirum, odium ab amore, iram à miſericordia divina vinci.

† *Aliquo modo obſiſtit*] Iterum Crellius neſcio quam pugnam hic comminiſcitur qualitatum contrariarum in DEO, & unius ex illis per alteram refractionem; quod à Dei perfectiſſima natura remotum eſt: Nec video cur non Deus dicatur æquè odiſſe eos quos vult in æternum eſſe miſeros, ac diligit eos quos vult in æternum eſſe fœlices: Quod illi in ſuo eſſe conſerventur quà creaturæ, non amplius habet in ipſis rationem beneficij; cùm demum ideo conſerventur in ſuo eſſe ut ſe mori ſentiant; & aliàs præſtitiſſet illis, ut de Iuda loquitur Chriſtus Matth: XXVI, 24. nunquam natis fuiſſe: Quanquam nolim negare id fieri per accidens quod beneficium exiſtentiæ acceptum à Deo cedat impijs in ipſorum perniciem: & plura eſſe effecta miſericordiæ Divinæ in pijs, ob quæ tenentur ejus amorem celebrare, quam iræ & ſeveritatis in impijs, ob quæ ejus juſtitiam debent agnoſcere.

At amori piorum] Peccata enim, quibus aliàs ſunt adhuc obnoxij, tecta ſunt & remiſſa per ſanguinem Chriſti, & apud Deum pro non admiſſis habentur.

Neque enim quicquam] Quaſi vero peccatum originis ſuo ſenſu non ſit nobis *naturale*, prout *naturâ filij iræ* dicimur Eph: II, 3. & illud non ſit dignum odio Dei, prout etiam ipſa ſerpentum ova ob latens virus odimus & execramur.

Atque

Digitized by Google

Atque hîc animadverti obiter poteſt, odium iſtud & iram divinam, nec
ipſam Dei eſſentiam, nec naturalem in Deo qualitatem, quæ nimirum in
illo planè neceſſariò ac perpetuò reſideat, eſſe. Siquidem nec ipſa Dei eſ-
ſentia, nec naturalis Dei qualitas ab altera ſuperari poteſt. Nec quicquam
vel eſſentiæ divinæ, vel naturalibus Dei attributis poteſt eſſe in ipſo contra-
rium, quod illa perimat, ac ſecum conſiſtere vetet. At miſericordiæ ira
contraria in Deo exiſtit. eamque circa idem objectum eodem tempore tol- 314.
lit. quæ ratio evincit, nec odium Dei erga peccatores quoſvis naturalem eſ-
ſe Dei qualitatem. ſiquidem huic quoque contrarius amor in Deo exiſtit.
• Aliter de amore ipſius recti, & pravi odio ſentiendum eſt. Id enim ad ſan-
ctitatis ipſius naturam conſtituendam omninò pertinet, & alterum ab alte-
ro non modò non extinguitur, ſed ex amore recti, pravi odium neceſſa-
riò proficiſcitur.

† *Atque hic animadverti*] Hæc animadverſio multis laborat nævis, & errores tetros involuit, qui noſtro obelo conficiendi ſunt. Abſurdè diſtinguit Crellius in Deo eſſentiam & qualitates: Nam Divinæ Simplicitati repugnat dari in Deo compoſitionem ex ſubjecto & accidentibus: tum quia omnis compoſitio cauſam componentem requirit, quæ ſupra Deum & quæ in ipſum agere poſſit nulla eſt; tum quia nullum ſubjectum eſt capax & receptivum accidentium, cui eo reſpectu potentia paſſiva non conveniat: At qui cadat in Deum potentia paſſiva, qui eſt purus & ſimpliciſſimus actus? Abſurdè negat id eſſe Dei eſſentiam, quod in Deo eſſe ſtatuit: Etenim nihil eſt in Deo quod non ſit Deus. Eſt namque Iehova & is qui eſt; & cùm accidens non tam ens ſit quam entis, ut docent Philoſophi, in primo, ſummo & perfectiſſimo Ente, nihil poteſt concipi quod non ſit ens & ſuum eſſe. Abſurdè ſupponit dari in Deo qualitates duum generum, quarum aliæ ſint naturales, aliæ non: Si quæ enim ſit qualitas, ſive potiùs proprietas in Deo per modum qualitatis concepta, (nam magnus eſt ſine quantitate, & bonus ſine qualitate) quæ aliunde ipſi imprimatur, nec immediatè fluat ex illius natura, debebit in ejuſmodi qualitate adventitia recipienda, pati & moveri ab aliquo externo agente; quod repugnat perfectioni & naturæ primi motoris, qui omnia movet & manet immotus. Sed turpiter ſibi Crellius in eo contradicit, quod cùm odium & iram Dei affectibus illius annumeret, neget tamen eos ipſi naturaliter & neceſſariò ineſſe. Si enim iſti quaſi affectus, ut amat loqui, inſunt Deo analogicè ad eum modum quo inſunt nobis affectus noſtri, erunt illi naturaliſſimi; cum inſint omnibus, etiam ſanctiſſimis, ſaltem in actu primo: unde Elias dicitus Iac: v, 16. fuiſſe homo nobis ὁμοιοπαθὴς, ideſt obnoxius iiſdem affectibus, & tales ſe profitentur Apoſtoli apud Lyſtrenſes Act: XIV, 13. Quin cum ira & odium Dei denotet averſionem, prohibitionem & improbationem peccati, ac conſtantem voluntatem illud impunitum non relinquendi, non video qui negetur naturaliter Deo ineſſe; præſertim cum ſtatuat ipſe adverſarius, naturaliter & immutabiliter Deo convenire, amorem recti & odium pravi. Si enim ad *ſanctitatis* Divinæ *naturam conſtituendam omninò pertinet* odium iniquitatis & injuſtitiæ, ad eandem pertinere debebit odium peccantium & ini-

que agen-

que agentium, ut illis ſimpliciter impune eſſe nolit, maximè cum amor peccantium qua talium in concreto, non poſſit ſubſiſtere cum naturali & neceſſario odio peccati in abſtracto; Niſi pro eo quod vulgo dicitur, Amare Principes proditionem, ſed odiſſe proditores, ſtatuatur Deus è contrario odiſſe quidem peccata & velle illa punire, ſed nihilominus amare peccatores quà tales & velle ut ipſis omninò impune ſit. Imò quam naturale eſt Deo amare pios & ſanctos quà tales, cum amor recti ſit ipſi naturalis, non in abſtracto tantum & in idea, ſed etiam in concreto, tam naturale debet illi eſſe odiſſe peccatores quà tales, cùm oppoſitorum oppoſita ratio debeat eſſe. Ex eo vero quod attributa Dei naturalia non poſſunt eſſe ſibi mutuo contraria, potiùs colligendum eſt, ergo iræ Dei non contrariari ejus miſericordiam, nec eas magis contrariè opponi, quam juſtitiam & clementiam in bono Principe, liberalitatem & parſimoniam in viro bono: Tam parum enim virtus virtuti eſt contraria, quam veritas veritati. At, inquit Crellius, *miſericordia iræ contraria in Deo exiſtit, eamque circa idem objectum eodem tempore tollit; quæ ratio evincit, nec odium Dei erga peccatores quoſvis naturalem eſſe Dei qualitatem; ſiquidem hinc quoque contrarius amor in Deo exiſtit.* Sed falſum eſt miſericordiam in Deo, iræ, ideſt juſtitiæ coercitivæ & punitivæ, eſſe contrariam: cum nequidem in homine miſericordia & ira ſint affectus ita contrarij, ut ſimul eidem homini eadem de cauſa, ſaltem generica, ineſſe non poſſint: Nam qui miſeretur hominis à latronibus ſpoliati & graviter ſauciati, etiam eo ipſo illis latronibus iraſcitur, & indignatur eos tantum nefas auſos fuiſſe. Quin poteſt Magiſtratus & iraſci ſonti eumque mittere in malam rem, & ejus etiam miſereri quod in eam calamitatem, licet ſuâ culpâ, inciderit. Propriè loquendo contraria illa ſunt quæ ſe mutuo ex eodem ſubjecto pellunt, ut albedo & nigredo, calor & frigus: At ira & miſericordia poſſunt ſimul convenire eidem ſubjecto: Et licet ſimul nequeas ejuſdem miſereri & illi iraſci, niſi ſub diverſo reſpectu, potes tamen ſimul iraſci & miſereri. Et cum ira Dei, præſertim caſtigatoria ſuorum, ſemper benignitate & miſericordia ipſius temperetur Pſal: XXX, 6. LXXXIX, 33. 34. CIII, 9. 10. non eſt quod ſtatuat Crellius *circa idem objectum eodem tempore*, miſericordiam Dei ejus irâ tolli. Præterea illa non debent ſimpliciter aſſeri contraria, quæ circa idem objectum ſimul verſari nequeunt. Diverſa ſunt objecta viſus & auditus, cùm ille circa colorem, hic circa ſonum verſetur; viſum tamen auditui eſſe contrarium nemo ſanus dixerit. Imò nec contrariæ dici debent virtutes illæ quæ ſimul & eodem tempore circa idem objectum exerceri non poſſunt. Non eſt contraria Severitas Clementiæ in bono Principe, etſi nequeat Princeps utramque ſimul erga eundem hominem exercere: Parſimonia & Liberalitas ſibi non contrariantur in viro bono, etſi nequeat ſimul & ejuſdem inopis reſpectu, parcus & liberalis eſſe, ideſt manum aperire & claudere. Sunt equidem iræ & miſericordiæ pro objectorum diverſitate effectus contrarij, quod illa pœnam inferat, hæc eam auferat; nam contraria eſt pœnæ exactio illius remiſſioni; ſed quamvis contrariorum contrarij ſint effectus, non tamen viceverſâ contrarietas effectuum ſemper ponit contrarias cauſas; cum ſæpè ex iiſdem etiam cauſis contrarij prodeant effectus, ut ex iiſdem literis per anagrammatiſmum tranſlatis fiunt vocabula contrariæ ſignificationis. Eorundem radiorum ſolarium vi & fœtent cadavera & florent roſæ. Idem ignis qui lutum indurat, plumbum & ceram liquefacit. Et notum eſt illud axioma philoſophicum, quod potentia ſit contrariorum. Adhæc valde ineptè finges amorem

Digitized by Google

morem & odium eſſe contrarias qualitates in Deo, quod nequeat ſimul eoſdem numero homines & eodem reſpectu amare & odiſſe; cum objectorum & terminorum diverſitas ac contrarietas, nihil minus ſonet quam iſtorum attributorum contrarietatem inter ſe, ut pote quæ ſimul eidem ſimpliciſſimè ſubjecto conveniant. Quamquam videatur Crellius etiam tribuere ſimul Deo odium & amorem ei contrarium *erga peccatores quoſvis*: quaſi omnes ſimul & amaret & odiſſet. Sanè Deus *neceſſariò* & naturaliter odit peccatum ex *ſanctitatis* ſuæ natura ubicunque illud fuerit; adeoque peccatores quà peccatores, & quamdiu ſub illo formali conſiderantur, non poteſt non odiſſe: Quod vero quoſdam ex peccatoribus amat, id ſupponit neceſſariò peccatum eorum vel auferendum vel ablatum per ſatisfactionem Chriſti, adeoque remotionem ejus objecti, quod per ſe & ex ſua natura non poteſt non odium Dei concitare.

Subjiciendum nunc aliquid eſſet de hujus doctrinæ uſu. Verùm hic prope idem eſt cum eo, quem ex doctrina de Dei benignitate, ac oppoſita ei ſeveritate capimus. ſiquidem amor Dei erga creaturas, ejuſdemque gratia & miſericordia, ad benignitatem; odium contrà, & ira adverſùs eos, qui peccant, ad ſeveritatem ejus pertinent. Itaque quæ illic dicta ſunt, huc quoque transferantur. Illud addi poteſt de amore Dei erga pietatem ipſam, & odio adverſus impietatem; ut nos quoque Deum hac in parte imitemur, & pietatis amore ardentiſſimo flagremus, peccata autem omnia magno proſequamur odio, & ea quidem maximo, quæ ipſe quoque Deus maximè omnium abominatur. præſertim quia pietatis amor, Dei erga nos ipſos amorem provocat atque alit; impietas contrà perimit, & odium Dei atque iram adverſùm nos concitat. Infeliciſſimum autem eſſe neceſſe eſt, quem Deus odit. Deinde, ut quia Deus omnes quidem homines amat, ſed maximè pios; nos quoque omnes quidem amemus, ſed ſingulari ſtudio pios complectamur: impiorum autem conſortium vitemus; eos tamen interea, etiamſi hoſtes noſtri ſint, Dei exemplo diligamus, iiſque benefaciamus. Quin etiam cùm iram Dei adverſùs alios accenſam videmus, eos inprimis, qui ad ipſius populum cæteroqui pertinent, eam precibus placare ſtudeamus.

‡ *Siquidem amor Dei*] Cur erga iſta tam ſcrupuloſè diſtinguit, adeo ut amorem, odium, iram Dei, ad illius affectus, benignitatem vero & ſeveritatem aliò referat? *Præſertim quia pietatis*] Non tam Dei amorem erga nos *provocat & alit*, quam agnoſcit: Dei enim amor erga nos, cum ſit merè gratuitus, aliundè incendi & ſuos fomites conſequi debet quam à nobis.

Addi & illud poteſt, cùm videamus, Deum eos magis amare, qui pietatem impenſiùs colunt, contrà magis odiſſe eos, iiſque iraſci, qui impietati magis ſunt dediti; ſubinde nobis in pietatis ſtudio proficiendum eſſe, quò Dei etiam erga nos amor intendatur. Creſcente enim ipſius nos amore, creſcunt & beneficia, noſtraque felicitas.

Digitized by Google

‡ *Quò Dei etiam erga*] Parum abeſt quin iſti homines ore rotundo profiteantur ſe Dei amorem, ſaltem intenſiorem, ſuâ pietate promereri. Pietati tamen ſtudendum, potiùs quò Dei erga nos ſummum amorem grato animo agnoſcamus, quam ut illum noſtris bonis operibus intendere & tantum non demereri ſtudeamus.

CAP: XXXI.

De Deſiderio, Spe, ac Lætitia, eorúmque contrariis, Deo in ſacra ſcriptura tributis.

‡ *Reſpondente* JOHANNE SCHLICHTINGIO, Friſio-Orientali.

VEniendum nunc eſt ad alterius generis affectus in Deo exiſtentes, eos nempe, qui circa bona aut mala eatenus potiſſimùm verſantur, quatenus ea
315. ipſimet Deo grata aut ingrata accidunt; itemque de iis, qui licèt etiam ad aliena bona aut mala comparanda interdum ſpectent, ad hoc tamen genus ſæpiùs propiúſve accedunt.

‡ *Ad alterius generis affectus*] Meminiſſe debemus nullos affectus propriè loquendo Deo convenire: ut pote qui extra ſe nulla bona appetenda habet & nulla mala à quoquam metuenda; cùm tamẽ affectus inditi ſint creaturis ut bona quibus egent extra ſe proſequantur, & mala ſibi aliundè imminentia fugiant. Sed attributa Dei quæ affectuum nomine exprimuntur ſunt in duplici differentia; Nam eorum quædam propriè de Deo dicuntur; illa nempe quæ denominantur ab ejuſmodi affectibus humanis qui primo ſuo conceptu nihil involuunt defectus & imperfectionis; quædam vero nonniſi impropriè & figuratè, quæ ſcilicet eorum affectuum nominibus exprimuntur, qui in ſuo conceptu aliquem defectum involuunt: Et in his potiſſimum anthropopathiam locum habere, nemo ſanus unquam dubitarit.

Quatenus ea ipſimet] Atqui *amor* & *odiũ* Dei, etiã huc poſſent pertinere, cũ primò & magis (præſertim quoad amorẽ complacentię) circa res verſẽtur quã circa perſonas.

Sunt autem affectus hujuſmodi, deſiderium, ſpes, lætitia, & his oppoſita, metus nimirum, dolor, & ſub eo comprehenſa pœnitentia. Pertinet quidem ad hoc genus etiam Amor & Odium, quatenus ad res magis, quàm ad perſonas referuntur, & à Gratia & Ira diſtinguuntur: ſed de his ſuperiori capite jam egimus. Facilè autem quivis perſpicit, illorum affectuum alios circa jucunda verſari, alios circa injucunda. Et eorum quidem, qui circa jucunda occupantur, iſtud eſt diſcrimen, quòd deſiderium ac ſpes circa bona abſentia, h. e. ea, quibus nondum potimur, ſi modò potituri unquam ſumus, occupantur: lætitia circa ea, quibus aliqua ſaltem ratione jam potimur, quæque vel reipſa adſunt, vel tanquam præſentia quodammodo à nobis conſiderantur. Deſiderium ac ſpes ad parandum bonum excitant: lætitia parto fruitur. Deſiderium rurſus ac ſpes inter ſe differunt, ut laxius & anguſtius, atque adeò ut genus & ſpecies. Spes enim omnis, ſi modò

affectus,

Digitized by Google

affectus, & non perſuaſionis potiùs de bono futuro ſignificationem habeat, eſt deſiderium quoddam; ſed non omne deſiderium ſpes eſt. Nam ſpes omnis futurorum bonorum eſt: deſiderium autem non tantùm in futurum, ſed aliquando etiam in præteritum reſpicit: ut cùm optamus, ut id factum fuiſſet, quod factum non fuit. cujuſmodi votum ac deſiderium etiam Deo tribuitur. Ita enim Pſalmo 81. (*verſu 14.*) in ipſo Hebræo textu legimus: *Vtinam populus meus obtemperâſſet mihi, Iſrael in viis meis ambulaſſet*! & apud Eſaiam: (*Eſai: 48: 12.*) *Vtinam attendiſſes ad mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & juſtitia tua ſicut gurgites maris.* Deinde deſiderium etiam rei incertæ eſt, imò illius, quam nunquam futuram novimus. id quod vel ex eo apparet, quod jam diximus, nempe eam etiam ad præterita reſpicere, quæ cùm facta ſunt, infecta fieri nequeunt; ut nec contrà, quæ infacta, facta. At ſpes illius tantùm boni eſt, quòd vel certò extiturum eſſe ſcimus, vel ſaltem probabiliter extiturum eſſe conjicimus. Imò interdum vix quicquam aliud ſpei nomen ſignificat, quàm perſuaſionem de bono aliquo futuro. quod cùm ſit, deſiderium ſpei adjunctum eſt, non genus. Ac de ſimplici quidem deſiderio, in futurum tamen reſpiciente, loquuntur illa Dei apud Moſen (*Deut: 5. 29.*) de populo Iſraëlitico verba: *Quis det talem eos habere mentem*, (ſeu, *Vtinam talem habeant mentem*,) *ut timeant me, & cuſtodiant univerſa mandata mea in omni tempore, ut benè ſit eis, & filiis eorum in ſempiternum*! & 316.
iterum. (*cap: 32. 29.*) *Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent*! quanquam nonnulli paulò aliter hæc verba vertunt.

‡ *Sunt autem affectus*] Quæ hic de Deſiderio, Spe, ac Lætitia dicuntur, ut habent rationem affectuum in nobis, haud ægrè admittimus: Sed quominus vel hi ipſi affectus, vel qui illis opponuntur, metus, dolor, pœnitentia, propriè Deo convenire poſſint, obſtant plurima. Primò enim, ipſomet Crellio agnoſcente, iſti affectus verſantur circa res jucundas & injucundas, ideſt circa bonum jucundum & malum triſte: At Deus bono jucundo, quod eſt rationis inferioris, non capitur, ſed tantum honeſto, quod apud nos homines rationi ſuperiori objicitur. Malum triſte nullum poteſt vel metuere Deus, vel ſentire ex quo metuat aut doleat, aut quo æterna ipſius beatitudo, quam ſuo loco explicavit Adverſarius, turbari & minui poſſet; eſt enim ἀπείραστος κακῶν, ut dicitur Iacobo 1,

13. Adhæc ſpes & deſiderium, ſunt rerum incertarum, in quarum expectatione animi pendemus & diſcruciamur; At cum Deo nota ſint ab ævo omnia ſua opera, imò omnia ita ſint nuda & aperta ejus oculis, ut quæ hominibus ſunt adhuc futura & dubia, ipſi jam ſint coram præſentia & certiſſima, nihil eſt quod ſpe ancipiti ipſum lactari circa futura credamus, aut incertis deſiderijs cruciari. Præterea dolor & metus, ſuo conceptu formali imperfectionem & impotentiam arguunt: Qui enim omnia poteſt, is & nihil mali metuit in futurum, cum ibi demum ſit metus circa mala futura, ubi vires & facultates deſunt ad ea averuncanda & prævenienda; & nullius mali præſentis ſentit aculeos quibus ad dolorem compellatur.

Ita enim Pſalmo] Iſtud *Vtinam* circa præteritum

Digitized by Google

teritum cum Deo adſcribitur, nihil aliud ſonat quam ſeriam improbationem peccatorum commiſſorum, cum redargutione vehementi ingratitudinis hominum & demonſtratione bonorum quibus exciderint ac malorum in quæ inciderint ſuis peccatis; non verò aliquam animi ægritudinem ob aliquid factum quod vel neſciverit eventurum, vel impedire non potuerit: prout omne præteriti deſiderium conjungitur in nobis cum aliqua neſcientia vel impotentia; quarum neutra in Deum cadere poteſt. Ideo etiam Græci interpretes & vulgata verſio Latina, in loco Pſalmi hic citato, particulam optandi לו *Lu*, reddiderunt per conditionalem *Si*. Nec dubium quin eodem redeat ſimile pathos quod nomine Domini adhibuit Eſaias in correptione populi; unde etiam Caſtalio cum Prophetæ locum ſic reddidit, *Quod ſi meis præceptis intenderes, eſſet tua & pax flumini & juſtitia marinis ſimilis undis.*

Deſiderium etiam rei incertæ] Sed ut deſiderium præteriti propriè non cadit in Deum, quaſi ſe vel invito vel neſcio aliquid factum ſit quod nequeat infectum reddere, ſic nec deſiderium futuri, ut hîc *rei incertæ* eſſe dicitur: Certò enim Deus novit quid ſerus veſper vehat, & nihil eſt eventurum niſi ipſo vel efficiente vel permittente.

At ſpes illius tantum] Verum eorum quæ certò extitura ſciuntur ſpes eſſe nequit, ut habet rationem affectus, cum hoc reſpectu ſpes rei certò exituræ, monente hîc ipſo Crellio, non tam affectus, quam *perſuaſionis potiùs de bono futuro ſignificationem habeat.* Ab alia vero parte cum Deus nunquam verſetur ςοχαςικῶς & conjecturaliter circa futura, eoipſo neque ſpes quæ affectivè talium eſt, illi poterit convenire.

Imò interdum vix] At te fatente illa perſuaſio ab affectu ſpei diſtinguitur: Quin hoc modo, cum ſpes ſonat in hominibus perſuaſionem de bonis ſpiritualibus & æternis nobis in Dei verbo promiſſis, non affectus habet rationem, ſed virtutis Theologicæ, quæ Fidei & Charitati conjungitur 1. Cor: XIII, 13.

Ac de ſimplici] Deus his locis in optativo loquitur per quandam enallagem modi, & vice imperativi. Neque iſtæ loquutiones important in ipſo deſiderium rei incertæ & de qua neſciat quid ſit futurum, aut voluntatem inefficacem quæ velleitas dicitur Philoſophis, quâ vellet id fieri quod metuit aut prævidet non futurum; ſed duntaxat ſerium mandatum, ſuis comminationibus & promiſſis ſuffultum, quo declarat quid approbet tanquam honeſtum & ſanctum, & quantopere ipſi placeant eorũ mores qui ſe ad officium & obedientiam ſeriò, ſedulò ac conſtanter compoſuerint: Nec ſanus quiſquam inficiabitur eas omnes loquutiones quas Deus adhibet humano more, convenienter ipſius perfectioni eſſe intelligendas: Has autem votivas & optativas formulas ab hominibus concitatioribus deſumi & illis eſſe familiares conſtat ex Iud: IX, 29. 2. Sam: XVIII, 33. Iob: VI, 8. XI, 5. &c.

De hujuſmodi autem deſiderio etiam illa Dei verba ſunt accipienda, quibus apud Ezechielem aſſerit, *ſe nolle mortem impii, ſed ut convertatur, & vivat:* (*Ezech: 18. 23, 33. & c. 33. 11.*) præſertim cum in Hebræo verbum extet, quod *deſiderare* propriè ſignificat, & ita ab interpretibus aliis redditur. Similiter & illa novi Teſtamenti loca, iſtis Dei verbis apud Prophetam extantibus gemina, in quibus affirmatur, *Deum velle omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* (1 Tim: 2. 4.) *Deum nolle aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam re-*

Digitized by Google

tiam reverti. (*2 Pet: 3. 9.*) Neque enim *volendi* vox, aut contraria *nolendi*, ſemper voluntatis decretum, præſertim abſolutum ſignificat: ſed non rarò ſolum deſiderium rei alicujus. quo pacto & Græci interpretes Vet. Teſtamenti, in illo Ezechielis loco, verba, quæ ſimplicem *volendi* ſignificationem habent, pro *deſiderandi* verbo uſurparunt. & Chriſtus, cùm Hieroſolymitanam urbem ita alloquitur: (*Mat: 23. 37.*) *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* itemque dum Patrem ita in precibus ſuis affatur: (*Ioh: 17. 24.*) *Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum.* Neque enim, ut quidam perperàm ſentiunt, *volendi* verbo decretum à ſe ſancitum exprimit, ut perinde ſit, ac ſi dixiſſet *ſtatuo*, aut *decerno*. Nam hoc non orantis fuiſſet: ſed potiùs jubentis ac præcipientis. ſed idem eſt, quod *cupio* ac *deſidero*. Hoc enim oranti convenit. Sed nihil opus eſt pluribus, cùm hæc verbi hujus ſignificatio ſatis ſit uſitata. (*Mat: 7. 12: 15. 28: 19. 30: 17. 20. 21, 26, 32: 26, 39. Ioh: 5. 6: 12. 21. Rom: 1. 13: 13. 3. 1 Cor: 7. 7, 32: 14. 5, 35, & alibi.*)

‡ *De hujuſmodi deſiderio*] In verbis Dei apud Prophetam non tam deſiderium notatur quam delectatio: quatenus Deus non delectatur ſupplicio impiorum, ut creaturarum ſuarum ſonat deſtructionem, etſi illud velit & eo ſummoperè delectetur, ut ſonat juſtitiæ ſuæ debitam executionem. Imò de abſoluta Dei voluntate poſſet hæc ſententia intelligi, quatenus nullo modo vult mortem peccatoris qui convertitur; ut videbantur criminari murmuratores illi quos Propheta reprehendit. Adhæc Deus comparativè duntaxat loquitur, ut oſtendat rem ſibi fore magis gratam & acceptam, ſi homines impij convertantur ad ſuum mandatum ipſique ſeriò obediant, quam ſi debeat tandem eorum contumaciam dignis pœnis coercere. Ideo interpretes, qui abſtinuerunt hic voce *volendi*, non adhibuêre verbum *deſiderandi*, ſed verbum *delectandi*, quomodo nec exactus Magiſtratus *delectatur* pœnis ſontium, etſi eas decernat & ipſis curet infligi ex nobili officio: Et quamvis non negem verbum חפץ *Chaphetz*, interdum ſumi pro *velle* ſimpliciter, interdum pro *deſiderare*, interdum pro *delectari*, tamen poſterior *ſignificatio* & textui Ezechielis eſt accommodatior & longè frequentior occurrit in Scripturis, ut Gen: XXXIV, 19. Pſal: V, 4. LI, 8. 18. 21. ac paſſim; imò ab interpretibus Græcis longè frequentiùs per θέλω, ἐθέλω, βούλομαι, εὐδοκέω redditur, quam per ἐπιθυμέω, quod nonniſi uno loco reſpondet huic Hebraicæ voci, nempe Eſai: LVIII, 2.

Similiter & illa] Equidem non omninò improbaverim diſtinctionem voluntatis Divinæ in voluntatem decreti & voluntatem approbationis, quâ viri quidam eruditi uſi ſunt, modò non excludatur, ſed includatur voluntas præceptiva, nec ſit hæc diſtributio generis in ſpecies, ſed vocis ambiguæ in nonnulla ſua ſignificata, & quatenus quædam Deus dicatur velle decretivè, quod ea efficere conſtituerit, quædã approbativè, quod illa in ſe conſiderata, & ut habent rationem obſequij ſibi debiti ex parte creaturæ rationalis, grata habeat, ut ſuis mandatis convenientia, etſi ea in omnibus efficere non decreverit: Hoc ſenſu poteſt Deus dici nolle mortem impiorum, voluntate delectationis & approbationis, ut eam ſibi accerſunt ſuis peccatis & cum eorum deſtructione conjuncta eſt: eam tamen velle voluntate decreti,

Digitized by Google

creti, quatenus ipſos punire pro ratione meritorum ſuorum certò definiuit & conſtituit: Item velle peccatorum omnium reſipiſcentiam & converſionem approbativè, ceu rem ſuis mandatis omnibus peccatoribus impoſitam; etſi eam omnium reſpectu nolit decretivè & effectivè, ideſt non decreverit dare omnibus & ſingulis ac in ipſis efficere per indebitam gratiam reſipiſcentiam ad vitam Act: XI, 18. Nec quicquam obtinerent adverſarij, ſi eodem ſenſu & modo loca N. T. hîc citata explicarem; & ſtatuerem *Tò velle* Dei utrobique de voluntate præcipiente & approbante, non de decernente & efficiente debere intelligi: Id enim nihil faceret vel ad patrocinium gratiæ aut redemptionis univerſalis, vel ad diſtinctionem Pelagianam voluntatis Divinæ in antecedentem & conſequentem, juxta quam debeat Deus velle conſequenter ad voluntatis humanæ determinationem, ejus contrarium quod volebat antecedenter ad illam; ideſt revera velle id demum quod poſſit fieri per liberum hominum arbitrium, cum non potuerit evenire, eodem obſtante arbitrio, quod ſummoperè volebat. Interea tamen nego hæc duo loca vel de aliqua voluntate Dei inefficaci & inani deſiderio eſſe ſumenda, vel conferenda eſſe cum Dei verbis apud Ezechielem, ac ſi illis planè *gemina* eſſent. Inane & inefficax deſiderium Dei neutro loco ſignificatur, ſed efficax & abſoluta ejus voluntas, non præceptiva modo, aut approbativa, ut apud Ezechielem, ſed etiam decretiva & effectiva. Vult enim eo ſenſu *omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, ſi prout eſt mens Pauli, & jam olim interpretatus eſt Auguſtinus, Syncategorema illud *omnes* ſumatur de generibus ſingulorum, non de ſingulis generum; quomodo voluit Deus omne animal eſſe in Arca Noë, & ſanabat Chriſtus omnem morbum & omnem infirmitatem in populo: Revera enim Deus decrevit ſuos Mercurios ex quovis ligno facere & ſuam Eccleſiam colligere ex qualibet gente vel conditione hominum: Quò etiam ſpectat doxologia piorum ex omni populo, gente, tribu, lingua, genere hominum, ſanguine Chriſti redemptorum & ad fœlicitatem æternam evocatorum & collectorum Apoc: V, 9. Hic ergo revera Deus fecit quod voluit & conſtituit, cum nemo ejus voluntati reſiſtere queat, Pſal: CXV, 3. Rom: IX, 19. Eadem voluntate decernente & efficiente non vult apud Petrum aliquos *perire*, ſupple ex ijs qui ad ipſius electionem æternam pertinent: De ijs enim loquitur Apoſtolus, redditurus cauſam cur Deus differat conſummationem ſæculi, quia videlicet neminem ex *nobis*, ideſt ex ſuis electis, vult perire, ſed vult è contrario conſervorum & fratrum noſtrorum numerum compleri Apoc: VI, II.

Neque enim volendi vox] Fateor ambiguè ſumi *volendi* vocem cum de Deo uſurpatur: aliquando enim ſumitur præceptivè, aliquando approbativè, aliquando decretivè; Sed I. nulla eſt ratio ſufficiens cur non decretivè ſumatur iſtis duobus locis N. T. à Crellio citatis. II. Nunquam oſtendetur Deo tribui hanc vocem in ſignificatione velleitatis vel deſiderij, cum nequidem illam eſſe ejus ſignificationem apud Ezechielem ſupra demonſtraverim; & ipſe Adverſarius capite ſuperiori, monuerit ipſum verbum originale חפץ *Chapherz*, non minus vel infrequentius delectationis quam deſiderij ſignificationem habere.

Quo pacto & Græci] Id falſum eſt; nam apud Ezechielem interpretes Græci cap. 8. uſi ſunt verbo θέλω, & 33. verbo βϐλομαι: quorum neutrum *deſiderandi*, magis quam *approbandi*, vel *delectandi*, aut *præcipiendi*, ſignificationem habet.

Et Chriſtus cum] At Chriſtus ibi non loquitur quà Deus, ſed quà Miniſter circumciſionis

Digitized by Google

cumciſionis Rom: xv, 8. cujus ſtudium operam, laborem, in Iudæis convertendis & ad ſaniorem mentem traducendis, voce & operibus, linguâ & manu, doctrinâ & miraculis, iſti homines ſuâ pervicaciâ & incredulitate fruſtrati ſunt. Non valet autem argumentum à deſiderijs & velleitatibus inefficacibus quæ Chriſto quà homini convenerunt, ad talia Deo vindicanda. Quanquam nec deſunt qui hic non inane & evanidum deſiderium, ſed efficacem Chriſti voluntatem tueantur, eo quod non obſtantibus contrarijs conatibus primorum ex urbe, qui Hieruſalem nomine ipſi veniunt, illius urbis filios, ideſt cives plurimos, plebeios maximè, ſub alis ſuis de facto collegerit, & ad cognitionem Euangelij & fidem ſalvificam traduxerit Eſa: 1, 1. Rom: IX, 29.

Itemque dum Patrem] Agnoſco in Chriſto vocem precantis & deſiderium ſuum aperientis; nec diffiteor, ſæpè ex uſu Scripturæ homines iſto verbo vota & deſideria ſua exprimere; Verum non valet conſequentia; Hoc vocabulum in Chriſto orante, & frequenter apud homines, eſt explicativum deſiderij propriè dicti, imò quandoque meram & inefficacem velleitatem notat, Ergo merum & inefficax deſiderium ſonat in Deo cum de illo uſurpatur.

Neque enim ut quidam] Vt hoc lubens conceſſerim Crellio, ſic & iſtud agnoſcere debebit, hoc ipſum deſiderium quod Chriſtus ſic exprimebat adeo efficax eſſe, ut dubium non ſit quin res deſiderata certiſſimè & indubitanter eveniat; cùm iverit in cœlos ſuis loca paratum Ioh: XIV, 2. & intra velum ingreſſus ſit tanquam *præcurſor* noſter Heb: VI, 20.

Nam hoc non orantis] Nec quicquam foret abſurdi ſi etiam in ſua oratione Chriſtus uſus fuiſſet voce hac *ſtatuo* aut *decerno*. Cum enim ſciat ſe ſemper exaudiri à Patre, & jus habeat conſtituendi à dextris ſuis & in ſumma fœlicitate collocandi ſuas oves, non tam fuiſſet vox *jubentis ac præcipientis*, quam declarantis efficaciam redemptionis à ſe factæ in conſolationem ſuorum: Is ſanè non ſtatim imperat alteri, qui ſuam illi voluntatem, animi ſententiam & decretum, aperit; maximè ubi novit idem fixum & conſtitutum eſſe ei quem alloquitur, quo ſic ſuum cum illo conſenſum exprimat.

Tribuitur autem Deo deſiderium ac votum rerum hujuſmodi, quæ ipſi ſunt gratæ: quia eas, quod ad factum ipſum attinet, (juris enim alia eſt ratio) in arbitrio hominum poſitas eſſe, & porrò liberè, non neceſſariò ab illis præſtari voluit. Quare ut eæ præſtentur, non abſolutè decernit, ſed optat: ac porrò nec vim hominibus, ut ea faciant, adhibet; ſed eos variis modis ad illa invitat ac ducit, & in agendo adjuvat. quamquam interdum extra ordinem aliquid ampliùs eum hac in parte facere non negamus.

‡ *Tribuitur autem Deo*] Hic potiſſimum ſe aperit virus hujus ſententiæ. I. Perperam quæ *liberè* fiunt ijs opponuntur quę præſtantur *neceſſariò*: cùm etiam liberè fiat & incoactè, quod cętoroquin habet neceſſitatem immutabilitatis, aut infallibilitatis eventus, aut determinationis ſupernaturalis per gratiam. II. Perperam res Deo gratæ, in *arbitrio hominum* poſitæ eſſe dicuntur, quaſi eas ſuis viribus & ex ſeſe præſtare poſſint: cum ad id ſub peccato viribus planè deſtituantur Rom: v, 6. Ioh: XV; 5. I. Cor: II, 14. 2. Cor: III, 5. III. Perperam dicitur Deus non decernere, ſed

Digitized by Google

nere, ſed optare tantum ut res ſibi gratæ præſtentur; Cum enim nemo quicquam boni & quod Deo gratum ſit præſtet aut præſtare poſſit niſi ex præſenti auxilio gratiæ ſuæ, quæ operetur in illo & *velle & perficere* Phil: II, 13. non ſatis eſt Deum hominibus mandare & præcipere quod eſt officij ipſorum, aut optare ut illud præſtent, niſi inſuper eam gratiam illis largiatur quâ id præſtare & poſſint & velint: Nemini autem hanc gratiam largitur in tempore, niſi eam quoque ante tempora & ab æterno illi decreverit: Et qui conſenſerit hic Crellio, dediſcere debebit veterem formulam quam Eccleſia jam olim in ſuis precibus ad Deum adhibebat, *Fac quod jubes, & jube quod vis.* IV. Perperam cenſeretur Deus *vim hominibus adhibere*, ſi *abſolutè* decreverit eos res gratas ſibi præſtituros: Nam ut tale decretum reſpectu eorum quos ſpectat nullam vim infert ipſorum voluntati, ita illius executio in tempore homines non cogit vi aliquâ externâ ut faciant quod nolint, ſed eos ex nolentibus reddit volentes, ut id ipſum velint & præſtent alacriter. V. Perperam & admodum ambiguè hîc explicatur natura auxilij Gratiæ, quod eo Deus homines *varijs modis ad* illa quæ ſibi grata ſunt præſtanda *invitet ac ducat & in agendo adjuvet*: Nec enim Deus tantum invitat homines ad officium aut illos ducit externis præceptionibus & adhortationibus ad illud præſtandum, ſed etiam intrinſecè perſuadet & eò trahit: nec tantum adjuvat in agendo cum agunt, ſed etiam excitat, movet & determinat ad agendum. Et quid illud ſit quod *interdum extra ordinem amplius cum hac in parte facere* non negat adverſarius, debuiſſet hîc explicari. Hoc enim qualecumque ſit, ſatis oſtenderet, Deum erga eos qui res ſibi gratas de facto præſtant, non imperativè modo, vel optativè, vel invitativè ſe habere, ſed etiam operativè & effectivè, idque juxta decretum immutabile voluntatis ſuæ. Patet vel exemplo fidei, abſque qua nihil ipſi gratum eſt: Ea enim cum ſpeciale & ſingulare Dei donum ſit Eph: II, 8. quod non eſt omnium 2. Theſſ: III, 2. nemini obtingit niſi ex ſpeciali, ſingulari & abſoluto decreto ejus qui miſeretur cujus vult & quem vult indurat: Vnde fides *electorum* Dei dicitur Tit: I, 1. & referuntur crediſſe *quotquot fuerant ordinati ad vitam æternam* Act: XIII, 48.

Atque hoc idem de ſpe, quam ſub deſiderio contineri diximus, intelligendum eſt. Nam & illa in rebus, quas Deus ex libera hominum voluntate proficiſci voluit, ipſi tribuitur. Tributur autem ea Deo ſub *expectandi* verbo apud Eſaiam, (*Eſa: 5. 2, 4, 7.*) ubi dicitur, Deum *expectaſſe*, ut vinea ab ipſo culta, h. e. populus Iſraeliticus variis beneficiis ab ipſo auctus, & ad
317. pietatem multis modis veluti excultus ac præparatus, faceret uvas; quarum loco illa protulerit labruſcas: hoc eſt, ut ipſe Propheta rem poſtea explicat, *expectaſſe* Deum, *ut faceret judicium, & ecce iniquitas: & juſtitiam, & ecce clamor.* Probabile enim nihilominus fuit, eventum divino conſilio, & fructum operæ reſponſurum. qua de re ſuprà quoque dictum eſt, cùm de ſapientia divina ageremus. Eodem referri poteſt & ille Petri locus, (*1 Pet: 3. 20.*) ubi ait, *Dei longanimitatem* (ita enim habent Græca) *ſemel expectaſſe in diebus Noë.* Intelligitur enim, Deum pro ſua longanimitate expectaſſe hominum reſipiſcentiam. niſi quis velit verba illa de ſimplici potiùs deſiderio reſipiſcentiæ homi-

Digitized by Google

tiæ hominum, moram ac ſpacium illorum emendationi concedente, accipere. Non enim tam ſperaſſe videtur Deus hominum illorum reſipiſcentiam, tanquam probabilem, quàm ſimpliciter deſideraſſe, ut rem ſibi gratam, & ſat diuturnum temporis ſpacium ei indulſiſſe.

‡ *Atque hoc idem de ſpe*] At licet ſpei inſit aliquid deſiderij, tamen eam quid amplius inferre quam merum deſiderium, nemo Pathologus negaverit: Animus qui languet ex deſiderio, ad alacritatem ſpe erigitur; & deſiderium eſt etiam rei incertæ; at ſpes, ut ſupra fatebatur Crellius, eſt ejus rei quæ vel certò, vel ſaltem valde probabiliter eſt extitura; unde ipſa fiducia, quæ plenam de eventu perſuaſionem ſonat, ſpes corroborata definitur Scholaſticis. Quominus autem ſpes propriè dicta cadat in Deum, obſtant plurima: Nam ſpes eſt futurorum & rerum quas non videmus, ut etiam Paulus oſtendit Rom: VIII, 23. 24. Heb: XI, 1. At Deo omniſcio, omnia ſunt præſentia, nuda, aperta Heb: IV, 13. Adhæc ſpes omnis rerum eſt vel certò vel probabiliter futurarum: At neutrum convenit Deo: Non prius ex Crellij mente, juxta quã ſpes Dei circa res illas verſatur *quas ex libera hominum voluntate proficiſci* vult: Sed in Sociniana Schola etiam ipſi Deo incertum eſt quonam hominũ voluntas, poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum, ſe inclinatura ſit. Non poſterius ex rei veritate; Ejus enim præſcientia non eſt ϛοχαϛικὴ ac conjecturalis & merè probabilis, ſed infallibilis & certiſſima: Quod ſi Deus ſperaret ea quæ ſunt eventus dubij, nec certam ſed duntaxat probabilem habent futuritionem, poſſet multoties ſpe ſuâ excidere: quod de Deo omniſcio & omnipotenti ſuſpicari, abſque blaſphemiæ reatu, nemo poterit.

Tribuitur ea Deo] Primùm nullus profertur locus Scripturæ, qui formaliter & expreſſis verbis ſpem Deo tribuat: Erubeſcimus autem ſine lege loqui. Deinde quamvis inſit ſpei aliquid expectationis, tamen nec omnis expectatio ſpes eſt, cùm etiam reus in vinculis, ubi ſe jam damnatum novit à judice, expectet carnificem à quo ad ſupplicium rapiatur; & boni alicujus futuri expectatio videtur aliquid amplius quam ſolam ſpem ſonare, nempe fiduciam & ſpem corroboratam. Præterea expectatio Dei apud Eſaiam non poteſt propriè intelligi, quin Deus omniſcius, incertus tamen & dubius futuri, & quod magis eſt ſpe ſuâ tandem fruſtratus, ſtatuatur. Quare ſupereſt ut ἀνθρωποπαθῶς Deus dicatur fructus à ſua vinea expectaſſe (prout vinitor & agricola poſtquam omnem operam in vinea ſua excolenda adhibuit, ſperat ſe laborum ſuorum fructus tempore vindemiæ percepturum) non quod incertus futuri, & neſcius quid ſerus veſper vehat, inani ſpe ſe lactarit, fore ut vinea hæc bonos fructus ubertim proferret, contra quam evenit; ſed quod hac ſuâ culturâ & beneficentiâ ſummâ, vineam ipſam tacitè invitarit ad præſtationem officij ſui, quemadmodum ejus longanimitas & beneficentia homines ducit ad reſipiſcentiam Rom: 11, 4. Adeo ut expectatio iſta magis denotet quid fuerit officij ex parte hominum, & quam ingratè ſe geſſerint adverſus beneficia Divina, quam quid ſpei ipſe Deus de illis fruſtrà conceperit. Imò, uti liquet ex parabolæ apodoſi, illa expectatio reſpectu Dei, nihil aliud denotat quam expreſſum illius mandatum ad Iſraelitas de officio præſtando, varijs & eximijs munitum beneficijs, quæ ex natura rei, illos debuiſſent ad obedientiam & grati animi τεκμήρια erga optimum Deum excitaſſe. Si enim *probabile nihilominus fuit*

eventum Divino conſilio, & fructum opera reſponſurum, probabile inquam ipſi Deo, nec ſolum ex parte rei, oportebit Deum fine ſuo excidiſſe, & operam luſiſſe atque oleum, & conſilium ipſius contra quam deſtinaverat & ſperaverat, optato eventu caruiſſe: Quod cum Dei Sapientia & Potentia & conſiliorum divinorum conſtantia & immutabilitate nunquam conciliari poterit.

Eodem referri poteſt] At hic neſcit ipſe Crellius quò hanc Petrinam expectationem revocet, ad ſpem-ne an ad deſiderium: & res ipſa loquitur quod neque ad hoc, neque ad illam pertineat. Non ad ſpem; cùm uti fatetur adverſarius, non fuerit probabilis Deo, nedum certa, iſtorum hominum reſipiſcentia; adeoque ſub Dei ſpem cadere non potuerit, cùm illa ſit bonorum vel certò, vel valde probabiliter futurorum. Non etiam ad deſiderium; cùm veroſimile non ſit Deum avidè deſideraſſe id quod nequidem probabile ipſi erat unquam eventurum. Abſit ut id tribuamus Deo quod nequidem in virum mediocriter ſapientem cadit. Is enim ita affectibus ſuis ſolet moderari, ut ſua deſideria intra circulum poſſibilium contineat, & nihil cupiat eorum, quæ nequidem probabiliter arbitretur ſe conſequi poſſe. Igitur hæc Dei expectatio apud Petrum nihil aliud denotat quam ipſius longanimitatem & dilationem pœnæ, ac ſeriam invitationem per Noam ad reſipiſcentiæ ſtudium, donec Arca ædificabatur, quò homines illi peccatores inexcuſabiliores redderentur. Quare non tam Deo quam ipſius longanimitati ea expectatio tribuitur; ut taceam quod à Vulgato interprete, & ipſo Eraſmo in Paraphraſi, Ruperto & alijs, non Dei ſed hominum eſſe ſtatuatur.

Jam quod ad lætitiam ac gaudium attinet; id quoque non ſemel Deo in ſacris literis tribuitur: & gaudium quidem ejuſmodi, quod ex actionibus ſuis circa creaturas occupatis, aliiſve rebus extra ſe poſitis percipiat. Nam quod ad gaudium illud attinet, quod ex ſeipſo perpetuò capit Deus, quodque illi prorſus eſt naturale, de eo in explicatione beatitudinis divinæ diximus. Id autem, de quo nunc loquimur, externum & adventitium dicere poſſis, quo Deus ſine beatitatis ſuæ jactura aut imminutione carere poſſet, uti ante omnem creaturam caruit: imò cujus contrarium etiam quodammodo, ut paulò pòſt videbimus, in ipſum cadere poteſt. De hoc gaudio loquitur Moſes: (*Deut: 28. 63.*) *Sicut antè lætatus eſt Dominus ſuper vos benè vobis faciens, voſque multiplicans: ſic lætabitur diſperdens vos atque ſubvertens.* Etſi enim Deus perditione atque interitu viventium nec per ſe delectetur, nec eam deſiderare ſoleat, præſertim cùm adhuc reſipiſcentiæ ſpes eſt reliqua: tamen tùm homines in impietate contumaciter perſeverant, &, moniti licèt ac caſtigati, redire ad frugem nolunt, eorum pœnam & deſiderat Deus, & eâ aliquo ſaltem modo delectatur, ac tantò quidem magis, quantò magis ipſi diſplicuerant ſcelera, quibus ipſum irritaverant, quantoque diutiùs ea tulerat. Unde & apud Eſaiam (*Eſa: 1. 24.*) ita loquitur: *Heu conſolationem* (ſeu voluptatem) *capiam ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* & apud Ezechielem: (*Ezech: 5. 13.*) *Complebo furorem meum, & requieſcere faciam*

indignationem

Digitized by Google

indignationem meam (h. e. exſatiabo iram meam graviſſimis eorum ſuppliciis) ***& conſolationem accipiam.*** q. d. & ex hac vindicta voluptatem capiam. (***Vide Bibl: Mag: Robert: Steph:***)

‡ *Imò cujus contrarium*] Sed nec Deus eſt ſubjectum *ϑετλικὸν* contrariarum qualitatum, nec aliter quam figuratè & impropriè ei dolor & gaudium tribui poſſunt; & ille adhuc longè magis impropriè quam hoc; ut pote qui in proprio ſignificatu cum ſumma & profunda ejus beatitudine conciliari nullo modo poſſet.

Nec etiam deſiderare] Quo ſenſu eâ non delectetur, ſuprà dictum, etſi illam ſummoperè velit, non ut eſt Creaturæ deſtructiva, ſed ut ad juſtitiæ ſuæ æternæ exercitium pertinet.

Præſertim cum adhuc] At nec ſpes uſpiam Deo tribuitur, nec ſpem ullam poſſet concipere de reſipiſcentia peccatorum, niſi ex ſuo infallibili decreto de illis ad reſipiſcentiam adducendis.

Et eâ aliquo ſaltem] Delectatur autem illâ pœnâ ut pertinet ad juſtitiæ ſuæ neceſſarium exercitium, & nominis ſui gloriam tandem ab improbis vindicandam.

Veruntantum longè magis delectatur Deus hominum felicitate, & ſuis, quæ in eos confert, beneficiis, ad quæ multò eſt pronior, quàm ad ſupplicia. 318.
Ac de hujuſmodi gaudiò loquitur Moſes, cùm ait: (*Deut: 30. 9.*) ***Revertetur Dominus, ut gaudeat ſuper te in omnibus bonis*** (Hebr. ***ad bonum,***) *ſicut gaviſus eſt in patribus tuis*: h. e. ut tibi cum gaudio benefaciat, ſeu tibi benefaciendo delectetur: quemadmodum cum lætitia quadam benefecit tuis majoribus, ſuis ipſius donis, ubertim in eos effuſis, delectatus. De eodem & Eſaias loquitur, cùm Hieroſolymam ita affatur: (*Eſa: 62. 5.*) *Gaudebit ſuper te Deus tuus*, nempe tibi benefaciendo, ſeu felicitate tua delectabitur. & Deus ipſe. (*c. 65. 19.*) ***Exultabo in Ieruſalem, & gaudebo in populo meo.*** & apud Jeremiam: (*Ier: 32: 41.*) ***Lætabor ſuper eos, cùm eis benefecero***, vel, ut eſt in ipſis fontibus, ***ad benefaciendum eis.*** Inſignis eſt etiam ille Davidis locus, qui extat Pſalmo 104. ubi ſermo eſt de gaudio, quod Deus ex operibus ſuis capiat, ſive per opera ipſius intelligas res ab ipſo creatas, ut alibi ſæpè, ſive actiones ac facta ipſius, circa creaturas occupata. Ita enim ait Pſaltes: (*Pſal: 104. 31.*) ***Lætabitur Dominus in operibus ſuis***, vel (ut alii reddunt locum) *Lætetur Dominus in operibus ſuis*, ut ſit votum quoddam Prophetæ; præſertim cum præceſſerit, ut quidem habet vulgata interpretatio Latina, quam non pauci ex recentioribus interpretibus hac in parte ſequuntur, ***Sit gloria Domini in ſeculum.*** Etiamſi autem non eodem prorſus modo votum hoc aut gratulatio Davidis accipiatur; eorum tamen ſententia vero videtur ſimillima, qui cenſent, id voluiſſe Pſalten dicere: Habet Dominus cauſſam, cur de operibus ſuis, ut pote tam pulchris, tam affabrè factis, tam ſapienter inſtitutis gaudeat. Hoc ergo gaudio jure ſuo fruatur. Alludi enim hoc loco ad artifices, qui cùm opera ſua affabrè facta intuentur, & ea ſuæ intentioni reſpondere cernunt, gaudent.

Digitized by Google

Simul etiam reſpici ad illa Moſis verba, in quibus omnino ad illum opificum morem alluditur, opera ſua jam confecta contemplantium: (*Gen: 1. ult.*) *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona.* Eſt ergo hoc votum Davidis prædicatio ac celebratio quædam operum divinorum, ipſiuſque adeò Dei opificis; ut ex gaudio, tanquam effectu, intelligatur cauſſa, nempe operum præſtantia. Verùm non tantùm ex ſuis operibus voluptatem percipit Deus, ſed etiam ex creaturarum factis voluntati ipſius conſentaneis, & quantò ea ſunt præſtantiora ac cum pietate conjunctiora, tantò majorem. Hinc dicuntur facta quædam eſſe ſacrificia illi accepta, quibus ille delectetur, eſſeque in odorem ſuaveolentiæ. (*Pſal: 50. 14, 15: 51. 19. Rom: 12. 1. Eph: 5. 2. Phil: 4. 18. Heb: 13. 15, 16. 1 Pet: 2. 5.*) quod etiam de ſacrificiis externis olim pronunciatum fuit: (*Gen: 8. 21. Levit: 1. 9, 13, 17, & alibi ſæpiſſimè:*) ſed majori jure alibi ad ſacrificia ſpiritualia accommodatur, utpote quæ & præſtantiora ſunt, & Deo longè gratiora. (*1 Sam: 15. 22, 23. Eſa: 1. 16, 17. conf: cum pra-*
319. *ced. Ierem: 7. 22, 23. Oſ: 6. 6.*) Quòd verò Deus hoſtes ſuos irridere alicubi dicitur, (*Pſal: 2. 4.*) id quidem, ſi vocem ſpectes huc pertinere videtur, ſed ſi rem ipſam inſpicias, huc non pertinet. Irriſio enim illa judicii revera eſt, non affectûs, & intellectûs, non voluntatis. Significat enim, Deum vanos ac ſtultos hoſtium ſuorum conatus ac molitiones videre aut judicare. Metonymia igitur eſt effecti, cum metaphora conjuncta. quia nimirum in hominibus ex hujuſmodi cognitione aut judicio riſus conſequi ſolet. Et hæc quidem de affectibus circa res Deo gratas verſantibus dicta ſufficiant.

‡ *Veruntamen longè magis*] Hóc eſt, frequentiùs teſtantur ſacræ literæ ipſum delectari fœlicitate ſuorum, non quod reverà plus & minus cadat in eum: Id autem Deo frequentiùs tribuitur, quia magis pertinet ad noſtram conſolationem, aliud vero magis ad terrorem. Aliàs illam *lætitiam* Dei, utrobiquè & locis hîc Crellio citatis, nonniſi figuratè & per anthropopathiam ei convenire, eſt certiſſimum, cùm illis affectuum humanorum commotionibus ob ſummam ſuam perfectionem propriè obnoxius eſſe nequeat.

Irriſio enim illa] Saltem negari nequit iſtam irriſionem etiam per ἀνθρωποπάθειαν Deo tribui: Imò Pathologi irriſionem affectibus noſtris annumerant, eamque faciunt ſpeciem lætitiæ mixtæ cum odio; eſtque materia proxima illius vitij quod ἐπιχαιρεκακία Græcis appellatur.

Sequitur, ut de contrarijs affectibus agamus, qui, ſi vocum proprietatem ſpectes, quoniam à natura Dei magis abhorrent, ideò ferè apertis verbis rariùs ei in ſacris literis tribuuntur, & in iis Deo accommodandis, ob ſummam ipſius potentiam, ſapientiam, beatitudinem, longiùs aliquantò à proprietate vocum recedere neceſſe eſt, quàm in aliis plæriſque affectuum nominibus, quæ ei in ſacris literis tribuuntur. Illos autem diximus eſſe, metum, &

Digitized by Google

tum, & dolorem ſeu triſtitiam, ſub qua & pœnitentiæ affectus comprehenditur. Et quia de lætitia proximè diximus, cui dolor opponitur, ab hoc incipere placet. Etſi enim triſtitia propriè opponatur lætitiæ, dolor autem voluptati; in his tamen loquendi modis de Deo uſurpatis, non videntur ſacræ literæ vel voluptatem à lætitia, vel dolorem à triſtitia diſcernere. Illud certum eſt, lætitiam cum voluptate, triſtitiam cum dolore conjunctam eſſe. Quod igitur ad dolorem attinet; is uno tantùm, quantum hucuſque animadvertere potui, loco, in vulgata interpretatione, Deo expreſſè tribuitur; quo quidem & pœnitentia ei adſcribitur, & doloris adjecta mentione declaratur. Is autem locus extat Gen. 6. (*verſu 5, 6.*) ubi dicit Moſes: *Videns autem Deus, quòd multa malitia eſſet hominum in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore; pœnituit eum, quòd hominem feciſſet in terra. & tactus dolore cordis intrinſecùs, Delebo, inquit, hominem, quem creavi* &c. *pœnitet enim me feciſſe eos.* Apud recentiores quoſdam interpretes & alibi homines dicuntur dolore affeciſſe Deum. (*vid: Interpretat: Iunii & Tremellii. Pſal: 78. 40.*) Præterea aliis etiam verbis, dolor quidam ejus generis, quem Moſes expreſſit, alibi Deo tribui videtur. Nam ne de pœnitentiæ voce ipſi accommodata nunc quicquam dicam, de qua mox agendum erit; illa quoque Dei verba huc referri poſſunt, quæ extant apud Eſaiam: (*Eſa: 1. 14.*) *Calendas veſtras & ſolennitates veſtras odivit anima mea: facta ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens.* Illa enim demum moleſta ſunt, & in illis ſuſtinendis laboramus, quæ dolorem aliquem nobis afferunt: imò ipſa moleſtia dolor quidam eſt. 320
Referri huc poſſunt & illa apud eundem Prophetam, ubi Deus gravibus ejuſdem populi ſceleribus commemoratis, ita, ſi Hebræa verba inſpicias, loquitur. (*cap: 57. 6.*) *numquid ſuper his conſolationem accipiam?* q. d. num ego his delectari poſſum, & non potiùs ea mihi valde ſunt odioſa ac moleſta? Ex contrarii enim remotione, contrarium intelligendum eſt. quam ob cauſſam vetus interpres ita reddidit ea verba: *numquid ſuper his non indignabor?* conſequens nempe poſuit loco antecedentis. Indignatio enim moleſtiæ ac doloris, quo ab aliis afficimur, effectus eſſe ſolet. Quid quòd jure dici poteſt, omnibus illis in locis ſcripturam id Deo tribuere, quod doloris ac moleſtiæ nomine alibi effert, quibus aſſerit, homines Deum exacerbâſſe, aut ea feciſſe, quæ diſplicerent aut mala apparerent in ipſius oculis. (*Pſal: 78. 40, 56: 106. 33. vid: & Eſa: 3. 8. Hebr: 2 Sam: 11. 27. 1 Paral: 21. 7. Eſa: 59. 15.*) Nam iſtiuſmodi diſplicentia, præſertim major ac vehementior, quæ mala jam facta cognitaque ſequitur, vel ipſamet dolor ac moleſtia quædam eſt, vel moleſtiam, ſive propriè, ſive impropriè dictam ſecum trahit. Aliquantò aliter ſe res habet, quando factum aliquod mente tantùm conceptum, nondum verò perpetratum diſplicet. Ea enim diſplicentia vel judicii tantùm eſt,

Digitized by Google

vel ſi voluntatis etiam atque affectus, ad odium potiùs, quàm ad dolorem pertinet.

‡ *In ijs Deo accommodandis*] At cum contrariorum par debeat eſſe ratio, de utriſque fatendum quod *ob ſummam* Dei *potentiam, ſapientiam, beatitudinem*, eorum nomina non poſſint accommodari Deo niſi figuratè, *& longiùs aliquanto à proprietate vocum* & ſignificatione quam obtinent noſtri reſpectu, recedendo.

Quod igitur ad dolorem] Is dolor quocunque modo exprimatur & Deo tribuatur, actus eſt conſtans ſapientiſſimæ & juſtiſſimæ ſuæ voluntatis, ea improbantis & averſantis quæ à Creaturis intelligentibus perperam & contra legem ſuam vitioſè committuntur.

Nam iſtiuſmodi diſplicentia] Imò nec ad dolorem in Deo nec ad tædium ſpectat, ſed ad odium potiùs, ideſt voluntatem & improbantem & deteſtantem; adeoque ſimul eſt *judicij & voluntatis*.

Illud autem vix monere ampliùs eſt opus, iſtum ſacris literis ita dictum dolorem tantùm ex rebus extra ipſum Deum exiſtentibus, & ipſum, propriè loquendo, minimè tangentibus, oriri. Sublimior enim eſt Dei natura, quàm ut in ſeſe lædi ab ulla creatura poſſit. Itaque quicquid tandem per dolorem illum intelligatur, id tantùm ex rebus extra Deum evenientibus, quas in creaturarum arbitrio poſuit, deſiderio tamen ac intentioni ipſius ſunt adverſæ, naſcitur. Diximus autem jam ſuprà, improprietatem majorem in doloris, aliiſque ſimilibus vocibus Deo tributis agnoſcendam eſſe, & ita ſobriè hac de re tum ſentiendum, tum loquendum, ne quid ipſo indignum, & ſummæ ipſius beatitudini adverſum vel cogitetur, vel dicatur. Veruntamen & illud apparet, aliquid in Deo agnoſcendum eſſe analogum ei moleſtiæ, quam nos percipimus, non quidem ex rebus, quæ nos, aut corpus noſtrum reipſa attingunt ac lædunt, (nam ab hujuſmodi malis, ac porrò ab eorundem ſenſu Deum diximus eſſe remotiſſimum) ſed quæ extra nos eveniunt, & judicio, voluntati ac deſiderio noſtro adverſantur, & adverſantur quidem vehementer. Satis enim liquet, verbis illis ſcripturæ metaphoram ſubeſſe. Metaphora autem omnis ex rerum ſimilitudine oritur. Itaque cum dolor, moleſtia, exacerbatio, & ſimilia Deo tribuantur, neceſſe eſt aliquid illis rebus ſimile in Deo exiſtere. Tantò autem magis id ſtatuendum, eſt quia aliàs nec odii adverſùs impietatem, nec iræ adverſùs ejus auctores, analoga in Deo eſſent. Unde porrò ſequeretur, nec amoris erga pietatem & ejus cultores, nec miſericordiæ analogum in eodem eſſe. Eadem enim horum affectuum ratio eſt. Itaque tale numen fingeremus, quod eodem modo, vel potiùs nullo modo, erga pios & impios, erga rectè & pravè facta ſit affectum; & ſimiliter, ſive ores, ſive non ores, ſive id colas, ſive blaſphemes, animatum ſit. Quis verò iſta, niſi qui ad Epicuræorum, aut Stoicorum ſaltem de Deo ſententiam accedere velit, credat? Quis credat, eodem planè modo

Digitized by Google

nè modo Deum affectum fuiſſe, cùm unigenitus ac chariſſimus ipſius filius crudeliſſimè ab hominibus impiis tractaretur, conſpueretur, blaſphemaretur, ac cruci affixus inſultationes hoſtium acerbiſſimas audire cogeretur; & cùm poſtea à multis hominum millibus fuit religioſè adoratus, ac omni pietatis genere cultus? Certè iſta credere, eſſet religionem omnem penitus tollere. tantum abeſt, ut religio hìc prætexi debeat, quominùs illa ſobriè de Deo cogitemus, & dicamus.

‡ *Itaque quicquid tandem*] At qui dolor Deo naſcitur ex rebus extra ipſum poſitis, eo quod *deſiderio ac intentioni ipſius ſunt adverſæ*, ipſum perturbare de facto debet: cùm nihil ægrius cuiquam poſſit fieri, quam ubi id fit quod ejus deſiderio & intentioni adverſatur. Verum quoniam Deus nunquam excidit ſuo fine aut ſuâ intentione fruſtratur, ſed è contrario facit ſuam voluntatem etiam de ijs qui ſuam voluntatem impudentiùs tranſgrediuntur, præſtat dicere dolorem improprium Deo tribui ob res extra ipſum poſitas, quæ Creaturarum vel officijs, vel commodis, & ſuiipſius mandatis, adverſantur.

Et ita ſobriè hac de re] Retineamus igitur eandem ſobrietatem, in explicandis & intelligendis omnibus ijs affectuum noſtrorum nominibus, in Scriptura Deo accommodari ſolitis, ex quibus ſi propriâ ſignificatione intelligerentur, ea tribui deberent Deo, quæ cum alijs Scripturæ locis, ipſiuſque naturali perfectione, conciliari nequirent.

Veruntamen & illud apparet] Analogia hæc & ſimilitudo non tam in ſubjecto & affectu eſt quærenda, quam in objecto & effectu: & quod ſicut homines cùm dolent ea evenire quæ *judicio, voluntati ac deſiderio ſuo adverſantur*, illa amoliri, ulciſci & vindicare ſtudent omni ope, ita Deus ac ſi doleret ob hominum peccata, ea revera valdè improbet & nolit inulta remanere. Aliàs ſi dolor Deo conveniret ſubjectivè & affectivè ut nobis hominibus, plurimum is obeſſet ſummæ ejus beatitudini: quandoquidem multo plus perturbatur animi noſtri tranquillitas per ea *quæ extra nos eveniunt, & judicio, voluntati ac deſiderio noſtro adverſantur, & adverſantur quidem vehementer*, quam per ea *quæ corpus noſtrum reipſa attingunt & lædunt*; prout, vel Plutarcho judice, morbi animi pejores ſunt & nocentiores morbis & doloribus corporeis. Nec video quî Crellius primò neget ea *nos* attingere quæ licet corpus noſtrum non attingunt, tamen vehementer judicio, voluntati ac deſiderio noſtro adverſantur; Secundò ſtatuat in eo minus propriè dolorem tribui Deo, quod dolor illius ſit analogus non dolori noſtro corporeo, ſed dolori animi; cùm tamen hîc ut plurimum ſit vehementior & acerbior, & magis rectà invadat arcem fœlicitatis & tranquillitatis noſtræ.

Tanto autem magis] Etiam hæc analogia magis eſt in *effectu* quam in *affectu*: quod ſicut homines ſubducunt ſuum favorem ac beneficentiam ijs quos oderunt, & eos plectunt quibus iraſcuntur, ita Deus dicatur hactenus odiſſe peccatores & illis iraſci, quatenus illis denegat gratiæ ſuæ indebita beneficia & eos plectere vult ac conſtituit juxta legis ſanctionem; adeo ut quæ ſunt in nobis affectus & perturbationes, ſint in Deo actus perfectiſſimi judicij & æquiſſimæ ac ſedatiſſimæ voluntatis; prout etiam in Scripturis hominum reſpectu, *ira* denotat aliquando non illum affectum vehementem qui plurimum obeſt juſtitiæ & ejus adminiſtrationi, prout impedit ira animum ne poſſit cernere verum; ſed è contrario ipſam juſtæ ſeveritatis virtutem quam bonus Magi-

Digitized by Google

nus Magiſtratus ſectari debet Rom: XIII, 4. 5: Et cum ira ac odium, miſericordia & amor, Deo in Scripturis tribuantur ut ſunt actus voluntatis, & decretum puniendi, benefaciendi, miſerendi, notant, fruſtrà ex illis fabricatur Crellius affectus meros, humanis noſtris perturbationibus ſimiles & analogos.

Itaque tale numen] Procul erimus ab Epicuræorum ſententia de Deo, ſi agnitâ ejus certâ & infallibili Providentiâ, omnia ſubjiciamus illius regimini, juxta quod benè tandem erit pijs & ſui cultoribus, impijs vero ex ordine ſuæ juſtitiæ quæ habet ἔκδικον ὄμμα, peſſimè; etſi non deſcenderimus in profanam Gentilium opinionem quæ Deos ſuos nobis ſimiles, ſuoque exemplo hominibus prælucentes ad affectus & actus turpiſſimos, fabricabatur; quo pertinet illud juvenis laſcivi & petulantis, ſpectantis in *Eunucho* Terentij, tabulam pictam in qua Iupiter viſebatur delapſus in gremium Danaæ per imbrem aureum; *Egomet quoque id ſpectare cœpi, & quia conſimilem luſerat Iam olim ludum, impendio magis animus gaudebat mihi, Deum ſeſe in hominem convertiſſe, atque in alienas tegulas Veniſſe clanculum per impluvium fucum factum mulieri. At quem Deum? qui templa cœli ſumma ſonitu concutit; Ego homuncio hoc non facerem? ego illud vero ita feci ac lubens.* Nec non & iſtud Mercurij in *Amphitruone* Plauti; *Etenim ille, cuju' huc juſſu venio, Iuppiter, Non minus quam voſtrum quivis formidat malum; Humana matre natus, humano patre, Mirari non eſt æquum ſibi ſi prætimet.* Fateor equidem id *de ſchola Epicuri* eſſe, ut docet Lactantius *de ira Dei cap.* 4. quod *cum putaret Epicurus alienum eſſe à Deo malum facere atque nocere, quod ex affectu iracundiæ plerumque naſcitur, ademit ei etiam beneficentiam, quoniam videbat conſequens eſſe, ut ſi habeat iram Deus habeat & gratiam; Itaque ne illi vitium concederet etiam virtutis fecit expertem: Ex hoc (inquit) beatus & incorruptus eſt quia nihil curat, neque habet ipſe negotium, neque alteri exhibet*: & idem Lactantius *ibid. cap.* 8. ita exprimit Epicuri mentem, qua diſſolvitur omnis religio;

Omnis enim per ſe divûm natura neceſſe eſt
Immortali ævo ſumma cum pace fruatur;
Semota à noſtris rebus ſejunctaque longè.
Iam privata dolore omni privata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus nihil indiga noſtri.
Nec benè pro meritis capitur nec tangitur irâ.

Etiam, ne quis dicat nemini Chriſtiano ἀπάθειαν Stoicorum reſpectu Dei improbatam fuiſſe, fateor eundem Lactantium *ibid. cap.* 5. in Stoicis carpere quod dicerent *gratiam in Deo eſſe, iram non eſſe.* Sed cum Lactantius in tota hac diſputatione iram opponat *gratificationi* & *beneficentiæ*, & nonniſi juſtam iram, diſtinctè à furore & iracundia, Deo tribuat, eamque definiat *motum animi ad coercenda peccata inſurgentis*, idque ut *diſciplina ſervetur, mores corrigantur, licentia comprimatur, ibid. cap.* 17. ex eo patet contra Epicuræca & Stoicos diſputatum fuiſſe à veteribus de ira Dei, non affectivè ſed effectivè conſiderata, ut probaretur non tantum beneficia à Deo optimo provenire, ſed etiam à juſto vindice pœnas & mala, quem ideo mortales metuere & revereri debeant. Quin ipſe Lactantius qui iram Dei hoc ſenſu propugnat, ab ipſo conceptis verbis removet cupiditatem, metum, dolorem, *ibid. cap.* 15. nec *cap.* 16. alios ei tribuit affectus quam *eos qui ſunt virtutis*, cujuſmodi illi ſunt *ira in malos, charitas in bonos, miſeratio in afflictos.*

Quis credat in eodem] Sed quis credat eum ita affici, pro vario rerum eventu, etiam quod magis eſt cùm ex deſtinato ipſius conſilio fiunt, cujuſmodi ea fuiſſe quæ dilectiſſimo ſuo Filio acciderunt, nemo ibit inficias, ut modo triſtetur & doleat, modo lætetur & gaudeat, & Euripo inconſtantior mutetur in momenta, contra quam docet Scriptura Iac: 1, 17. apud eum nec tranſmutationem, nec viciſſitudinis obumbrationem eſſe? *Satis* eſto quod ea quæ fiunt contra ſuam Legem, cu-

Digitized by Google

gem, cujuſmodi illa fuerunt quæ Chriſtus ab hominibus paſſus eſt, nolit juſtus judex inulta manere, quo ſenſu ea odiſſe & illis iraſci ſtatuitur: & è contrario velit præmia promiſſa rependere pietati & obſequio eorum qui ſuo cultui vacant, quo reſpectu illis delectari dicitur. Hoc non eſt *religionem* penitùs *tollere*, ſed eam potiùs veris ſuis baſibus inædificare.

Jam verò ſi amoris & odii, miſericordiæ & iræ analoga in Deo reperiuntur: quidni & illius affectûs, de quo nunc agimus? Nam nec odiſſe quiſquam poteſt, quod cùm evenit, nullam prorſus doloris ac moleſtiæ imaginem aut umbram ei affert; nec propterea iraſci, aut indignari, nec contrà amare aut deſiderare, id cujus contrarium ingratum ſui ſenſum ei præbet nullum: nec miſereri illius, cujus conditio nullo pacto injucunda eſt ei, qui miſereri debeat. Quare mediâ hîc viâ incedendum eſt, & nec proprietas verborum contra Dei beatitudinem urgenda: nec beatitudo Dei ita urgenda, ut ne per metaphoram quidem, ex analogia ac ſimilitudine ortam, injucundum quendam rerum malarum extra ipſum extantium ſenſum, ei tribuere liceat, quem ſacræ literæ partim claris verbis, partim aliquantò tectiùs ipſi adſcribunt. Oſtendimus autem jam ſuprà breviter, cùm de beatitudine divina ageremus, quomodo ea, ‡ quæ in rebus creatis eveniunt, voluntati divinæ adverſa, beatitudinem illius non evertant, aut lædant. Quod ut tantò rectiùs intelligatur, illud adhuc addendum eſt, ſacras literas, cùm dolorem aut moleſtiam Deo tribuunt, vim atque effectum earum rerum, quæ Deo ingratæ eveniunt, per ſe conſiderare, non habita ratione rerum ipſi gratarum, quæ vel in ipſomet exiſtunt, vel extra eum eveniunt, & vim rerum ingratarum, & moleſtiam, quam parere poſſunt, aut tollunt, aut ita im-
minunt, ut perennem illam internamque Dei voluptatem impedire ac turba- 322.
re meritò dici nequeant. Nam inter res illas, quæ extra Deum eveniunt, ipſi ingratas, & inter eas, quæ in ipſo exiſtunt, ac perpetuam ipſi voluptatem pariunt, nulla eſt revera comparatio. Extra ipſum autem partim ea eveniunt, quæ ipſi ſunt gratiſſima, ut quæ à ſanctis angelis, & piis hominibus, & maximè, quæ à Chriſto horum omnium capite fiunt; partim ipſe ea facit, ex quibus voluptatem quandam, ut ſuprà vidimus, percipit: ita quidem, ut etiam res cæteroqui ſibi ingratiſſimas ad nominis ſui gloriam, ac porrò, ut ipſe de ſe loquitur, ad gaudium quoddam ſuum convertat.

‡ *Iam vero ſi amoris*] Iam ſupra dictum de hac analogia: Nec ſi quidam *affectus virtutis*, ut loquar cum Lactantio, Deo conveniunt, ideo illi tribuendi erunt *vitiorum affectus*, aut qui evidentem imperfectionem ſuo conceptu involuunt, ut dolor. Quod ſi aliquid *doloris ac moleſtiæ* propriè accedit Deo ex ijs quæ odit, ideſt quæ improbat & vult punire, ita ut ex illo dolore in iram erumpat, & ex hac ad pœnam velit procedere, neceſſe erit illum lædi & pati à Creaturis, & toties

ejus tranquillitatem ac fœlicitatem conturbari, quoties homines ejus mandata tranſgrediuntur: Si item nequeat miſereri noſtri quin ex noſtra miſeria triſtitiam animo conceperit, miſer debebit eſſe ut miſeris ſuccurrere queat. Mirum ni Socinianis tam craſſe de Deo philoſophantibus, benè ſapiat illud Thalmudicum, quod refert Sixtus Senenſis inter Thalmudici operis blaſphemias, *lib. 2. Bib. Sanctæ; Deum habere locum quendam ſeparatum in quo ſtatutis temporibus, multis cum lachrymis deflet ac ſeipſum affligit, quod Iudæis iratus templum everterit Ieroſolymitanum, & populum ſuum in captivitatem diſperſerit.*

Injucundum quendam rerum] At vero talem injucundum ſenſum nemo tribuet Deo, qui ejus beatitudinem nolit interturbari: cum injucundus ſenſus, etiam eorum quæ extra nos ſunt, nequeat conſiſtere cum plena animi tranquillitate: Quare *pijſſimo regi Ioſiæ* (ut loquitur Auguſtinus *de cura pro mort. cap.* 13.) *pro magno beneficio promiſit Deus quod eſſet ante moriturus, ne videret mala quæ ventura illi loco & populo minabatur.* Quod ſi non foret *eis conſultum*, ut idem *ibid.* loquitur, *qui obierunt antequam venirent mala quæ illorum obitum conſecuta ſunt, ſi & poſt mortem ſentiunt quæcunque in vitæ humanæ calamitates contingunt*, quoniam eorum beatitudo ejuſmodi injucundo ſenſu deberet perturbari, qui ſalua manebit Beatitudo Dei, ſi injucundo ſenſu afficiatur rerum quæ extra ſe eveniunt, & illæ dolorem ipſi & moleſtiam creent?

Oſtendimus autem jam ſupra] Si illa non lædunt beatitudinem Dei, nec ipſe quoque ab eis lædetur, & per conſequens nulla inde propriè dicta moleſtia ipſi poterit accidere.

Quod ut tanto rectius] Scilicet nunc Crellius eum concipiet in Deo dolorem, moleſtiam, & injucundum ſenſum rerum extra ſe contingentium, quem tamen ipſe non ſentiat, aut qui ſit ita tenuis, ut perennem ejus voluptatem nequeat impedire: Quod ſi ita eſt, nec dolor, nec moleſtia, nec injucundus ſenſus erit. Aliàs, ut non eſt cenſendus toto corpore ſanus, qui vel extremo digito doleat, ita nequibit Deus ſtatui ſolidum gaudere gaudium, ſi vel leviſſimè afficiatur ſenſu injucundo eorum quæ fiunt contra ipſius voluntatem, licet non omninò præter eam, ut dicit Auguſtinus *Enchir. cap.* 100.

Nam inter res illas] Etſi longè ſuperent quæ Deo grata ſunt partim ab intra partim ab extra, ea quæ illi extrinſecè ingrata accidunt, tamen hæc paucula, ſi importent dolorem & moleſtiam & injucundum aliquem ſui ſenſum in mente Divina, ſufficiunt perturbandæ ejus fœlicitati, ut gutta fellis integrum vas mellis poſſet corrumpere, & paullum fermenti ſufficit integræ maſſæ inficiendæ.

Ad gaudium quoddam] Si ergo iſta, quæ Deo ingrata dicuntur quod ſuis mandatis ſint contraria, nihilominus ad nominis ſui gloriam & ſuum quoddam gaudium dirigit & convertit, primò neceſſe erit illa proceſſiſſe ex occultiſſimis ſuis conſilijs, quibus conſtituit lucem ſuam ex noſtris tenebris educere; & eo ipſo nullam impreſſionem potuiſſe in illius animo facere doloris vel ſenſus injucundi; Secundò, tam procul debebit eſſe Deus ab ullo reali dolore in ſeipſo ex rebus illis ingratiſſimis percipiendo & ſentiendo, quam impoſſibile eſt rem eandem ſimul dolorem & voluptatem, moleſtiam & gaudium, in eodem ſubjecto excitare.

His ita conſtitutis, ad pœnitentiæ Deo in ſacris literis attributæ explicationem veniendum eſt, quatenus quidem illa pro affectu quodam ſumitur. Id autem propterea addimus, quia non ſemel pœnitentiæ nomen ſimplicem conſilii aut voluntatis, circa res aut perſonas certas, mutationem quandam ſignificat,

Digitized by Google

ſignificat, dilutiore metaphora, quàm cùm affectum deſignat. In eo enim tantùm ſimilitudo conſiſtit inter pœnitentiam propriè ſic dictam, & ſimplicem illam voluntatis mutationem, quòd quemadmodum is, quem conſilii aut facti prioris pœnitet, conſilium mutat, ita & Deus conſilium mutet. Quod quomodo ſalvâ conſtantiâ in ipſum cadere queat, ſuperiùs, in ſanctitatis divinæ explicatione dictum eſt. Hoc autem modo accipitur Pœnitentiæ vox ad Deum relata, apud Jeremiam aliquoties, (*Ier: 4.28: 18.8, 10: 20.16: 26.3, 13, 19.*) cùm vel pœnituiſſe Deum alicujus rei, aut fore ut pœniteat, vel contrà quarundam rerum ipſum non pœnituiſſe, aut fore ut non pœniteat, dicitur. Ubique enim de mutatione conſilii ac ſententiæ divinæ, ratione habitâ effectûs, loquitur; & ſæpiùs quidem de mutatione in meliorem ſeu mitiorem partem, in quam Deus cæteroqui longè eſt pronior. Citatus fuit à nobis ſuprà, cùm de Conſtantia divina ageremus, locus ille nobilis è cap. 18. (*verſu 7, & d.*) qui de pœnitentia Dei; ut ita dicam, ordinaria loquitur, quæ in eo conſiſtit, quòd is mala, quæ impiæ alicui genti comminatus fuerat, non immittat, ſi ea reſipuerit: contrà etiam, ſi quid ei boni promiſerit, non præſtet, ſi impiè ſe poſtea geſſerit. quæ ſententia, aliis licèt verbis elata, ad ſingulos etiam pios impioſque accommodata, extat apud Ezechielem cap. 33. Verùm & alia extant ſacrarum literarum loca, in quibus eadem vocis ſignificatio vel omnino admittenda eſt, vel ſaltem admitti jure poteſt. (*vid: Ezech: 24.14. in Hebr: 1 Sam: 15. 29. Pſal: 110. 4: 106. 45. Rom: 11. 29.*)

‡ *Id autem propterea*] Cum diſertis & conceptis verbis Scriptura neget Pœnitentiam in Deum cadere, eo quod homo non ſit Num: XXIII, 19. 1. Sam: XV, 29. iſque affectus propriè uſurpatus non poſſit cum ejus immutabilitate conciliari Mal: III, 6. Iac: I, 17. Act: XV, 18. ſupereſt ut nonniſi impropriè & figuratè illi tribuatur: Nec inficior id nominis Deo tributum aliquam mutationem ſignificare; verum pertendo illam non alibi quærendam quam in operibus Dei extra ſe, quatenus tum ipſum pœnitere dicitur, cùm diverſum quid facit ab eo quod antea vel feciſſe, vel promiſiſſe, vel comminatus fuiſſe videbatur; ſic tamen ut novum quid faciat citra novitatem voluntatis, & omnis illa in operibus ſuis repentina mutatio, procedat ex conſtanti & immutabili ejus conſilio & decreto, Eſ: XLVI, 10.

In eo enim tantum] Deus nunquam conſilia ſua mutat, quod id ejus Sapientia, Potentia, Conſtantia, non patiatur: Et cum conſilium Dei ſit æternum de omnibus rebus ſuo tempore futuris, nihilque illi accidat improviſum & inexpectatum, non eſt cenſendus conſilia ſua accommodare tempori, & velificari occaſionibus, & propoſitum mutare prout homines & res mutantur in hoc mundo. Sed *in eo tantum ſimilitudo conſiſtit*, quod *quemadmodum is quem conſilij aut facti prioris pœnitet*, aliud omninò agit, & aliam planè inſiſtit viam in ſuis factis quam antea, ita & Deum pœnitere dicatur cum ex inopinato inter homines aliud omninò agit & operatur ab eo quo d antea fecerat, aut facturus videbatur. Quare cum pœnitentia hominis duplicem ſedem habeat, nempe

Digitized by Google

nempe conſilia ſua quæ mutat, & ſua opera quæ alia facit, pœnitentiæ Divinæ ſedes unica eſt collocanda non in illius conſilijs, quæ ſunt planè ἀμεταμέλητα Rom: XI, 29. & ſimilia axi in ſphæra mundi, circa quem fiunt omnium rerum converſiones ipſo immobili manente; ſed duntaxat in illius operibus & factis, quatenus novam induunt faciem hominibus inexpectatam, at ſemper ex æterno & immutabili ſuo decreto: & revera hoc modo, non quo vult Crellius, *ſumitur pœnitentiæ vox ad Deum relata apud Ieremiam* locis quæ hic citantur.

Vbique enim de] Sanè ſi hæc mutatio intelligenda ſit *ratione effectûs*, non erit conſilij neceſſariò: cùm ex æterno & conſtanti Dei conſilio illa variatio & mutatio effectuum procedere intelligatur: Si vero fuerit *conſilij* & *ſententiæ Divinæ*, ad rationem effectûs non poteſt reſtringi. Sed aliud eſt quod huic errori fomitem ſuppeditat adverſarijs, nempe quod decretis & conſilijs Dei annumerant promiſſiones & comminationes ejus conditionatas, quas cùm non exſequitur conditione ceſſante, ſed planè diverſum aut contrarium facit ejus quod ita conditionaliter promiſerat aut comminatus fuerat, eum pœnitere dicitur: At tales promiſſiones & comminationes Divinæ, conſilia & decreta Dei dici non poſſunt, tum quia pertinent ceu appendices ad ejus mandata & voluntatem præcipientem, quæ diſtingui debet à decernente, tum quia qui promittit aut minatur aliquid, per id nihil futurum conſtituit atque decernit; quare etiam in propoſitiones conditionaliter comminatorias vel promiſſorias quà tales, veritas aut falſitas categorica cadere non poteſt, quod omninò in ſententia decretoria de futuro requiritur. Igitur tantum abeſt ut mutatio illa cujus reſpectu pœnitentia adſcribitur Deo, importet mutationem conſilij Divini, ut è contrario fluat omninò ex æterno & immutabili propoſito ejus *qui omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ* Eph: I, II.

Citatus fuit à nobis] Verùm eo loci Τὸ pœnitere Dei, nihil aliud notat quam non executionem pœnarum peccatoribus denunciatarum, ſi ipſi reſipuerint. At ſi reſipuerint, hoc fiet ex ſapienti Dei conſilio, illis comminationibus ad id utentis, ut liquet exemplo Ninivitarum: Quare pœnitentia Dei quæ eorum reſipiſcentiam ſequetur non poterit importare in Deo mutationem conſilij, cùm illa eorum reſipiſcentia ex certo & immutabili conſilio per has ipſas comminationes proceſſerit.

Verum & alia extant] Hoc eſt gnaviter eſſe impudentem, proferre ad pœnitentiam talem Dei comprobandam quæ ſonet mutationem conſilij, ea Scripturæ loca quæ conſtantiam Conſiliorum Dei reponunt in arce, & eo ſenſu negant conceptis verbis ipſum pœnitere; quò pertinent teſtimonia illa omnia quæ hic citavit Crellius ex Ezechiele XXIV, 14. Samuele I. Sam: XV, 29. Davide Pſal: CX, 4. Paulo Rom: XI, 29. His enim omnibus locis pœnitentia Deo abrogatur & negatur quod illum ſuorum decretorum & conſiliorum pœniteat, aut ea mutet. Solus locus Pſal: CVI, 45. Deo tribuit pœnitentiam quo ſenſu jam explicavimus: Ibi enim dicitur quod cum ſuos cerneret in anguſtijs & audiret clamorem eorum, *Memor fuit ſui fœderis iſti cum eis & pœnituit eum, ut maxima eſt ejus benignitas*; id autem non fecit per mutationem conſiliorum ſuorum intra ſe, ſed per mutationem extra ſe operum & actuum ſuorum erga iſtum populum, eum ex tenebris ad lucem, & afflictione ad proſperitatem, traducendo.

De ipſo autem pœnitentiæ affectu loquuntur duo inprimis loci, quorum alterum jam vidimus, illum nimirum ex 6. Geneſ. capite ſuperiùs adductum, in quo

Digitized by Google

in quo bis aſſeritur (*verſ. 6, & 8.*) Deum, viſâ olim hominum malitiâ, pœnituiſſe, quód feciſſet hominem. Vbi quidem ad pœnitentiæ affectum 223.
meliùs exprimendum addi vidimus, Deum dolore cordis interiùs tactum fuiſſe. quod manifeſtè demonſtrat, de pœnitentiæ affectu ſermonem eſſe. Quanquam & res ipſa idem docet. Non enim conſilii alicujus in futurum ſpectantis, ſed facti illius, quod mutari jam ampliùs non poterat, Deum pœnituiſſe dicitur, nempe quòd hominem creaſſet. non quidem quaſi aliquid mali in eo Deus commiſiſſet, aut imprudenter egiſſet: (abſit enim ut de Deo optimo ac ſapientiſſimo talia cogitemus:) ſed qùod factum hoc ipſius, licèt optimum ac ſapientiſſimum, hominum culpâ atque improbitate tam malè ceſſiſſet: quemadmodum explicatum eſt ſuprà, cùm de Sapientia Dei ageremus. Quo loco adduximus & aliud teſtimonium, de Dei pœnitentia loquens, ex libro priori Samuelis, (*1 Sam: 15. 11, 45.*) in quo bis aſſeritur, Deum pœnituiſſe, quòd Saulum regem conſtituiſſet Iſraëlitarum; propterea quòd Saulus mandata ipſius opere non impleviſſet; ac porrò eventus conſilio Dei, Saulum ad regium faſtigium evehentis, non reſpondiſſet. Neque enim per ſe facti hujus Deum pœnituit, (ſiquidem id per ſe bonum fuit;) ſed habita ratione eventûs ſequuti. Nam in ſuis factis, ut pote optimis, nihil reperit Deus per ſe pœnitendum; ſed ratione eventûs, quem ex arbitrio hominum pendere voluit, poteſt aliquid pœnitendum reperiri. Itaque pœnitentia illa, quatenus aliquid injucundum in ſe complectitur, per ſe oritur ex ſolis hominum factis & eventis inde pendentibus; ex Dei autem ipſius factir non niſi per accidens. Facta enim Dei eatenus pœnitenda ipſi veniunt, quatenus indigna fuerunt eventu ſequuto, cui occaſionem aliquam, quanquam per accidens tantùm, præbuerunt. Unde facilè etiam intelligitur, quid ſit hic pœnitentiæ affectus Deo in ſacris literis tributus. Eſt enim affectio in Deo ingrata, (quam doloris nomine exprimi vidimus,) orta ex eo, quòd facta ſua optima indigniſſimum, ob alienam nempe culpam, eventum ſortiri cernat. Differentiam illius, quam ſpecificam vocant, qua ab aliis ejuſdem generis affectionibus diſtinguatur, faciliùs propriis verbis exprimere licet, quàm genus illius, præſertim proximum. Nam propriè quidem dictæ pœnitentiæ genus eſt dolor, ſeu mavis triſtitia. ſed hanc in Deum propriè non cadere jam diximus; verùm ejus tantùm analogum, cui commodum nomen ægrè reperias. Id ſi inveniri poſſit, præfixum differentiæ à nobis expreſſæ, definitionem pœnitentiæ accuratiorem effecerit.

‡ *De ipſo autem*] Perabſurdè duplex Dei pœnitentia fingitur, quarum alia ſit ordinaria, alia extraordinaria, alia pertineat ad actum mutati conſilij, alia ad affectum conſilij improbati: Tandem iſti homines cudent pro Deo Canones Pœnitentiales, quos ſub cenſuræ Socinianæ metu religioſè obſervare debeat. Cer-

tè ejuſdem eſt ordinis, & eandem debet admittere explicationem, pœnitentia Dei commemorata Moſi Gen: VI, 6. 8. ac ea quæ occurrit in locis antea citatis; adeoque non intelligenda affectivè, ſed effectivè, non quod Deus improbarit ſua præcedentia conſilia, vel dicta, vel facta, ſed quod repentinâ rerum mutatione ſic videretur agere ac ſi ea improbaret. Hoc ipſi Iudæi viderunt, convenientiùs hac in parte de Deo loquentes, quam hi ſemi-Chriſtiani: Menaſſeh Ben Iſrael *Conciliatoris* ſui *quæſt.* 23. collato loco Gen: VI, 6. cum Num: XXIII, 24. obſervat pœnitentiam inferre ignorantiam præteriti, præſentis & futuri, mutationem in voluntate & errorem in conſilio, quæ in Deum cadere non poſſunt; Eam ergo nonniſi metaphoricè de Deo eſſe intelligendam ad ſimilitudinem hominum qui ſolent deſtruere quod ante fecerant, cùm eos pœnitet ſui facti: Ita Deo tribui pœnitentiam, citra mutationem voluntatis quoad operationem tantum, quatenus hominem quem creaverat deſtruxit diluvio: Et ſuam ſententiam confirmat dicto R. Moſis & Aben Eſræ, *Loquitur Lex ſecundum linguam filiorum hominum*, ideſt ἀνθρωποπαθῶς: Dolor qui ibi tribuitur Deo eodem ſenſu & modo debet ſumi, ſi non admittatur ſententia Mæmonidis *lib.* 1. *More Nev. cap.* 29. ubi verbum עצב *Gnatzabh*, quod Moſes habet in textu originali, putat potiùs ſignificare *iraſci & indignari*, quam *dolere*, & hunc eſſe ſenſum, *quod Deus indignatus fuerit contra ipſos propter malitiam operum ipſorum*; addi vero בלבו *Belibbo*, *in corde ſuo*, non eo reſpectu quo cor eſt ſedes affectuum, ſed quod hanc iram, hoc conſilium puniendi peccatores, tacitum apud ſe habuit & ante Noam *nulli hominum unquam dixit vel prodidit*.

Non enim conſilij] Hoc nihil ad rem: Nam nec Deus unquam conſilium de re futura mutavit, & omnis quæ illi in Scripturis tribuitur pœnitentia ſpectat collationem factorum ſubſequentium cum præcedentibus dictis vel factis. Neque potuit Deum propriè pœnitere *facti alicujus*, quin ipſum pœniteret conſilij ex quo illud factum proceſſerat; Imò ſi facti eum pœnituit, quod, licet optimum & ſapientiſſimum, *malè ceſſiſſet*, tacitè ſe damnavit imprudentiæ, quod malum illum eventum non præviderit; & impotentiæ quod optimum cæteroquin conſilium vindicare, & à malo eventu immune præſtare, nequiverit; & magni infortunij quod ſuo fine penitùs exciderit. Quod ſi in utroque exemplo hîc citato Deum pœnituerit facti cæteroquin optimi, propter eventum malum ſuis conſilijs non reſpondentem, etiam cum de Deo dicitur quod ipſum pœniteat afflixiſſe Pſal: CVI, 45. Ion: IV, 2. id debebit ſumi quod pœniteat caſtigationis factæ, propter malum ſucceſſum; cùm tamen & conſilium caſtigandi ſuos optimum fuerit, & eventus ſaluberrimus, ſcilicet eorum emendatio & correctio.

Sed habitâ ratione] Itaque non tam hîc pœnitet Deum ſui vel facti, vel conſilij, quam eventus quem habuit; qui cum juxta Crellium, non in ipſius poteſtate fuerit, ſed in hominum arbitrio, eoipſo multo minus poteſt cadere ſub Dei pœnitentiam: Pœnitet enim homines ſuorum vel conſiliorum vel factorum, quando vident ea malè ceſſiſſe non per accidens, ſed per ſe: ſed quamvis eventus non ſucceſſerit ſuis conſilijs, ſi bona, juſta & ſana fuerint, nulla pœnitudine ducuntur: Placeat licet victrix cauſa dijs, placet tamen victa Catoni. Damnamus imprudentiam vulgi quod conſilia æſtimet ex eventu: An ergo prudentiæ & ſapientiæ Dei fuerit factorum vel conſiliorum ſuorum pœnitere, quod eventus illis non reſponderit? Quid quod pœnitentia verſatur circa ea quæ fuerint ἐφ' ἡμῖν aliquo modo, ideſt circa noſtra vel facta, vel conſilia? At hîc Crellius Deo

lius Deo tribuit poenitentiam circa ſuorum vel conſiliorum vel factorum eventum, qui non fuerit tamen in ejus poteſtate: Sanè magis locus hîc foret Iræ Dei in eos homines qui optima ejus conſilia & facta optato fine ſunt fruſtrati propriâ malitiâ, quam ulli poenitentiæ: Vt enim non debet eſſe oculus noſter malus quod Deus in proximos noſtros bonus ſit, ita viceverſâ non debet Deo grave eſſe quod benè fecerit quæ fecit, eo quod homines mali fuerint, & ſuâ malitiâ optima ejus conſilia debito eventu fruſtrati ſint. Sed quod hic palmarium eſt, iſta Theologia Sociniana Deum inſipientiæ, inſcitiæ & impotentiæ palàm arguit, quod optimorum ſuorum conſiliorum & factorum eventum ſuſpendat ex hominum arbitrio, & quaſi neſciviſſet quis ille eventus eſſet futurus, doleat & lugeat ubi videt ſe ſuo fine excidiſſe.

Facta enim Dei] Imò quo magis *indigna fuerunt eventu ſequuto*, eo minus *pœnitenda* Deo venerunt. Ibi enim indignationi & iræ potius locus eſſe debet cùm homines ſiniſtrâ ſumunt quod dextrâ dabatur, quam poenitentiæ & tædio.

Eſt enim affectio] Atqui nec ipſa poenitentia, nec dolor qui poenitentiæ comes eſt, propriè poteſt Deo convenire, uti ſatis ſuperque oſtenſum eſt. Adſit poenitentia, *quæ facti non facti* exigit *pœnas*, comes Occaſioni, juxta Auſonium, Deo non: & ſi ei ἀνθρωποπαθῶς in Scripturis tribuitur, intelligatur ut dixi θεοπρεπῶς, de mutatione inſigni non ſuorum conſiliorum intra ſe, ſed duntaxat ex illis perpetuis & conſtantibus operum ſuorum extra ſe. Doleant homines optimis ſuis factis & conſilijs eventum non reſpondere; Id nunquam Deo conveniet, cujus voluntati nemo poteſt reſiſtere, & quem tam impoſſibile eſt ſuo fine excidere, quam non poſſibile eum non eſſe primam & ſupremam cauſam, à qua omnes aliæ pendent & in eſſendo & in agendo.

Differentiam illius] Hæc ſcilicet eſt mira poenitentiæ Divinæ definitio, cujus nec genus nec differentia, quæ ſunt omnis definitionis partes eſſentiales, poſſint aſſignari. Nec videmus qui differentia ſpecifica illius faciliùs exprimi queat quam genus, cum differentiæ ſpecificæ munus ſit genus dividere & ſpeciem conſtituere: Nunquam potero ſcire τὸ Rationale eſſe hominis differentiam ſpecificam, niſi prius cognovero illius genus eſſe animal quod in rationale & irrationale diſtribuitur; & ſtultè admodum putat Crellius ſe reperiſſe differentiam ſpecificam ejus rei cujus genus inveniri non poſſe ultrò fatetur. Interea admittimus ejus confeſſionem, quod nec *dolor* nec *triſtitia*, propriè cadat in Deum: Analogiam vero inter noſtram poenitentiam & Divinam hactenus ſufficienter explicavimus, quod videlicet Deus dicatur poenitudine duci, cum aliquid novi & diverſi à ſuis præcedentibus dictis & factis, (licet citra novitatem conſilij) operatur, prout homines cum eos ſeriò poenitet ſuorum conſiliorum & factorum, aliter omninò agunt quam antea. Et cum hæc ſententia ſit plana & facilis, nihilque per eam deteratur de felicitate, conſtantia, potentia, ſapientia Dei, nonne ſatius eſt in ea acquieſcere, quam Anthropomorphiſmum ex orco revocare, & Deum ex noſtro pede metiri, contra expreſſiſſimam verbi ſui declarationem quam ſuo loco retulimus?

Reſtat ut aliquid de metu dicamus; quæ vox, uti & cæteræ eandem ſignifica-
tionem habentes, quia prima fronte non niſi abſurdè Deo tribui videntur, (& 324
revera quidem non niſi per analogiam quandam ei accomodantur) ideò non
mirum, rariùs de Deo uſurpari. Et expreſſè quidem metus non niſi ſemel
Deo,

Digitized by Google

Deo, quantum hucusque animadvertere potui, tribuitur. licèt ex eo loco, & ex rerum ſimilitudine, facilè intelligi poſſit, illum Dei affectum latiùs patere, & in Deo, ſine ullo vel potentiæ, vel beatitudinis, vel incorruptibilitatis, alteriúsve alicujus perfectionis detrimento, ſæpiſſimè exiſtere; imò ſapientiæ ipſius, quatenus circa creaturas verſatur in peccata pronas, effectum eſſe propè neceſſarium. Locus verò ille, in quo hic ei affectus apertè tribuitur, extat in Deuteronomio, ubi ita in Hebræo legimus: (*Deut: 32. 26, 27.*) *Dixi diſpergam eos per angulos*, (vel *exterminabo eos*,) *ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum*; *niſi iram inimici timerem*, *ne fortè extraneè ſe gerant* (vel *ſuperbiant*) *hoſtes eorum*, *ne fortè dicant*, *Manus noſtra excelſa*, *& non Iehova operatus eſt omnia.* Ejus autem rei, quam his verbis exprimit, exempla habes inter alia apud ipſum Moſen Exod. 32. & Num. 14. ſi rationes conſideres, quibus Moſes Deum, ne populum Iſraëliticum ad internecionem uſque deleret, flexit ac permovit. quæ res ex parte in Deuteronomio repetitur. (*vid: Exod: 34. 12. quem conf: cum anteced: & ſeqq. & Num: 14. 13, & ſeqq. Deut: 9. 28. conf: cum præced.*) Ex eo autem loco apparet, affectum illum in Deo locum habere, quoties aliquid facit, aut contrà non facit, ut rem ſibi ingratam, ac deſiderio conſilióve ſuo adverſam, quam alioqui facilè evenire poſſe cernit, declinet atque avertat. Quia enim Deus hominibus (ne de ſpiritibus nunc quicquam dicam) arbitrium dedit voluntatemque liberam; fieri ſæpè poteſt, ut vel ipſi id deſignent, quod Dei voluntati ac deſiderio admodum eſt adverſum, vel cauſſam præbeant Deo, ut id faciat, quod aliàs facere non cuperet: quale eſt v. g. ipſas, ac inprimis populum ſuum, perdere ac delere. Quare ſæpè ei rei occurrit, & vel id facit, quod aliàs facere nollet; vel contrà non facit, quod aliàs facere vellet; quia videt, id, quod ipſius deſiderio adverſum eſt, facilè conſequuturum; illic quidem, niſi id faciat, quod aliàs omittere vellet; hic verò, niſi id omittat, quod aliàs facere vellet. Eſt ergo metus hic affectus futurum malum fugiens, ſeu ad rem ingratam ac deſiderio divino adverſam declinandam atque avertendam impellens. Atque huc referri poſſunt omnia illa loca, in quibus dicitur, Deum ipſum quippiam aut feciſſe, aut facere omiſiſſe, ne fortè hoc aut illud contingeret. Hæc enim verba, *ne fortè*, cautionis ſunt ab hoc affectu manantis. ipſe verò hic affectus à ſapientiæ ac futurorum eventuum præſcientia proficiſcitur; tantum abeſt, ut quicquam cum perfectione Dei pugnet. vid. Gen. 3. 22: Exod.
325. 13. 17: 33. 3: Eſai. 6. 10: 27. 3: 48. 7, 8.

‡ *Et revera nonniſi*] Hæc analogia θεοπρεπῶς debet ſumi, ne illum quem omnes timere debent, aliquid timere & metuere ſtatuamus. Et ſanè qui hìc profertur locus Scripturæ ex Deut: XXXII, 26. 27. timorem Deo tribuit non propriè ſed metonymicè; prout homines dicuntur ea metuere ne fiant, quæ ſolicitè

citè

ſolicitè, prudenter & vigilanter præcavent præſertim quod obſint rei alicui quam impensè diligunt; quò ſpectat & illud Ovidij, *Res eſt ſoliciti plena timoris amor.* Nec mirum ſi per metonymiam adjuncti, *timere* hic uſurpetur pro *præcavere* & *proſpicere*, quia eodem modo ſe habet affectus timoris ad prudentiam, quo fiducia ad fortitudinem: Quare commodè Deus poterit ἀνθρωποπαθῶς dici ea timere, quæ ſapientiſſimis ſuis conſilijs præcavet ne eveniant; prout fortiſſimus imperator ſua caſtra muniendo dicitur timere hoſtium irruptionem, cùm tantum ſapientiſſimo conſilio præcaveat & proſpiciat ne fiat talis irruptio; & metum aliàs nunquam viderit niſi in tergo hoſtium.

Si rationes conſideres] Ne credamus Moſem metum hunc incuſſiſſe Deo, actum iri de ſuo honore niſi parceret populo: Sed rationibus munijt ſuas preces, etiam petitis ab honore Dei & illius conſervatione & fama apud Idololatras, quo magis teſtaretur ſuam de exauditione certa fiduciam: cùm non poſſit Deus illas ſuorum non exaudire preces, quæ potiſſimum ſpectant ipſius honorem, & quibus ſuum zelum erga ejus gloriam luculenter demonſtrant.

Affectum illum in Deo] Iam ſuprà vidimus ipſum Plautum id in ſuo Iove riſiſſe quod æquè timeret ac nos: Quare ille timoris affectus non eſt in Deo: ſed ea voce, loco citato Crellio, voluit exprimere ſolicitudinem & curam quam habet ſuæ Gloriæ vindicandæ & conſervandæ; prout homines ſui honoris ſtudioſi & ſoliciti, cavent & quadantenus metuunt, fortiſſimi licet, ea fieri per quæ aliquid illi ſuo honori decederet; qui metus, non timiditatem, ſed prudentiam, vigilantiam, imò & fortitudinem potiùs arguit.

Quia enim Deus] Nempe ex iſtorum ſententia parum providè egit Deus, quod homines fecerit liberi arbitrij, per quod ſæpè cogatur ea facere vel pati, quæ aliàs planè nollet. Quanto ſatius fuiſſet ita ſubjicere liberum arbitrium Creaturarum Providentiæ & voluntati Divinæ, quam ipſum Deum in has anguſtias, ſuâ Majeſtate, Potentiâ & Omniſcientia indignas, compingere? Deſignare quidem poſſunt Creaturæ quod Dei *voluntati* præcipienti repugnet: Sed nunquam tamen poſſunt quicquam velle vel facere præter ipſius voluntatem decernentem, ſive quod ejus decretis, conſilijs & deſiderijs planè adverſetur. Quare etſi faciat Deus erga homines, eos puniendo, quod aliàs facturus non fuiſſet ſi perſeveraſſent in officio, tamen neque tunc facit quod *aliàs facere non cuperet*; cùm quoties punit ſontes id faciat quod ejus naturæ ac juſtitiæ convenit, adeoque quod facere & cupit & ſolet.

Quare ſæpè ei] Tam abſurdè ſtatuas Deum quippiam facere animo reluctante & invitâ Minervâ, & id velle quod poſſit ubi non poteſt quod velit, quam eum non facere ſemper quicquid vult Pſal: CXV, 3. aut quempiam poſſe ejus voluntati reſiſtere Rom: IX, 19.

Eſt ergo metus hic] Metus quidem hominum futurum ipſis malum refugit & eos impellit ad illud declinandum; Sed Dei metus, nihil aliud eſt quam prudens & provida averſio mali, quod non ipſi Deo, ſed nobis aliàs immineret.

Atque huc referri] Hæc omnia loca oſtendunt quidem quid potuiſſet evenire niſi Deus proſpexiſſet & præcaviſſet, ſed non oſtendunt ipſummet Deum reverà metuiſſe ac timuiſſe ne quid tale ſe vel invito vel inſcio eveniret: Sunt ergo illa verba, *Ne forte*, providentiæ & cautionis, non timiditatis & metus: Nec enim is ſtatim metuit qui proſpicit prudenter ne quid mali fiat vel eveniat. Non ex metu, ſed ex generoſitate & circumſpectione loquebatur Abraham, cum diceret Gen: XIV, 22. 23. *Levavi meam manum ad Iehovam Deum altiſſimum poſſeſſorem cæli &*

Digitized by Google

cæli & terræ, ſi à filo uſque ad corrigiam calceamenti accepero ex omnibus quæ ſunt tibi, ne dicas, Ego ditavi Abram. Quoties ergo Deus illam adhibet particulam *Ne fortè*, non oſtendit quid metuat ſe invito poſſe evenire, ſed tantum quid noluerit fieri, quidque ſapienti ſuo conſilio ne fieret præcavere voluerit; quod obſervare eſt in omnibus locis quæ hîc à Crellio referuntur.

Ipſe vero hic affectus] Imò ipſa futurorum eventuum præſcientia, Deum immunem præſtat ab omni metu: Qui enim exactè norit quid omninò ſit futurum, is ſanè expers erit omnis metus: Cur enim id metuat, vel quod novit nunquam futurum, vel quod cùm futurum ſit nullâ ratione poſſit declinari? Tam abſurdè ergo ſtatuit Crellius metum in Deo à *futurorum eventuum præſcientia* proficiſci, quam inſulſè antea negavit Deum certò præſcire poſſe eventus ex arbitrio Creaturarum pendentes. Et quam certò hæc præſcientia omnium futurorum eventuum ad Dei perfectionem pertinet, tam certò omnis propriè dictus metus, qui nonniſi ex futuri ignorantia oritur, illi eſt abrogandus.

Quod ad uſum hujus doctrinæ attinet; primùm monemur, ut quæ Deum per ſe deſiderare cernimus, eadem & nos deſideremus ac velimus; quibus lætatur, iis & nos lætemur; ſimiliter & quæ illi per ſe ſunt ingrata, ea nobis quoque ſint ingrata; quæ veluti veretur ac declinat, ea nos quoque fugiamus ac declinemus. Dico autem, quæ *per ſe* Deus aut deſiderat, aut contrà tanquam ingrata declinat. quia interdum ob hominum impietatem, ut vidimus, etiam pœnas eorum deſiderat, & ne eam fortè effugiant, cavet, ac elabendi rimas illis obſtruit. id quod ipſi, utpote Domino ac Rectori ſummo, convenit. ſed nos, etſi ea tanquam juſtiſſima probare debemus, non debemus tamen illis, præſertim per ſe, lætari, eáve optare. cùm & aliud nos Chriſti ſpiritus, ac mandata doceant; & videamus, ipſum Chriſtum, viroſque ſanctos eorum interitu valde fuiſſe triſtatos, qui impietate ſua commeruerant, ut ultimum eorum ſupplicium Deus deſideraret, & in ipſorum perniciem veluti cum voluptate quadam incumberet: quin etiam precibus aliiſque modis curaſſe, ut iſtiuſmodi homines pœnas commeritas effugerent; adeò ut nonnulli unà cum illis, nonnulli pro illis perire, ac ſalutem ſuam devovere, parati fuerint. *(Luc: 19. 41, & d. Exod: 32. 11, & d. 30. & d. Num: 14. 13, & d. c. 16. 45. & d. Deut: 9. 18, 25, & d. 1 Sam: 15. 11, 35: 16: 1. vid: Jerem. multis locis, ac inprimis Threnos. Rom: 9. 2. 3: 10. 11: 11. 14.)* Nos enim, qui & ipſi homines ſumus, & graviter in Deum peccavimus, ejuſque iram provocavimus, hominum peccatorum ſalutem deſiderare, ac, quantum in nobis eſt, curare, eorum contrà interitum lugere, eum pro virili avertere, & ab illis deprecari debemus: cùm ſciamus, eum à Deo per ſe non deſiderari. Sed inprimis in id, quod à nobis deſiderat Deus, omni ſtudio debemus incumbere, eaque ratione efficere, ut tum factis noſtris delectetur Deus, tum ſalutem noſtram deſideret, & cum quadam lætitia nobis benefaciat. Venire nobis hîc debent in mentem illa, quæ Moſes aliquando ad populum

Digitized by Google

Iſraeliticum eſt proloquutus: (*Deut: 10. 12, 13.*) *Et nunc Iſraël, quid Dominus Deus tuus petit* (vel *poſtulat*) *à te, niſi ut timeas Dominum tuum, ut ambules in omnibus* (ſic eſt in Hebræo) *vijs ejus, & diligas eum, ac ſervias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua: cuſtodiaſque mandata Domini,* &c. *ut bene ſit tibi.* ſimiliter & illa Michææ: (*Mich: 6. 8.*) *Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtique facere judicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum* (vel *humiliter*) *ambulare cum Deo tuo.* Quin & illa ſacræ ſcripturæ loca, ſuperiùs à nobis annotata, de ſacrificijs, quibus Deus delectetur; itemque illa, in quibus Deo pietas ſacrificijs legalibus longè gratior eſſe 326.
affirmatur.

‡ *Quod ad uſum*] Hic uſus inædificatur arenæ & falſâ hypotheſi nititur. Sufficiat ea debere nos fugere, averſari, improbare, quæ Deus in verbo ſuo prohibuit, & omnes noſtros affectus gloriæ ſuæ promovendæ & officio noſtro præſtando eſſe conſecrandos: Sed cùm affectus qui Deo tribuuntur nonniſi improprié & figuratè de illo uſurpentur, fruſtra ex illis quæras normam & regulam ad quam propriè dictos affectus noſtros debeamus moderari. Quandoque Deus dicitur lætari in ſuorum adverſariorum clade; at nos procul debemus eſſe ab ἐπιχαιρεκακίᾳ, & inimicis noſtris benè velle & benè precari tenemur. Iuxta Crellium metuit Deus Eſa: VI, 10. ne peccatores convertantur; at nos debemus vota fundere pro eorum converſione & ſalute. Nec valet emplaſtrum quod in vocula *per ſe*, huic malo quæſrit Crellius: Nam quodcunque vult Deus, & de quocunque lætatur, id *per ſe* ipſi gratum eſt: cum non minus delectetur operibus ſuæ juſtitiæ, quam exercet in puniendis peccatoribus, quam operibus ſuæ miſericordiæ in illis liberandis. Itaque ſufficiat nobis attendere ad Dei mandata, & in id quod nobis præcipit omni ſtudio incumbere; quò ſpectant loca Moſis Deut: X, 12. 13. & Michææ VI, 8. hîc à Crellio citata.

Præterea cum videamus, Deum hominum ſalutem deſiderare, & ne impij quidem morte, quamdiu quidem reſipiſcentiæ ſpes aliqua ſupereſt, delectari; hinc & ſummam Dei benignitatem ac clementiam æſtimare, & porrò ad nomen ejus celebrandum ac venerandum, ad eum amandum, ad fiduciam in eo collocandam incendi perpetuò debemus. qua de re in explicatione benignitatis divinæ plura diximus. Veruntamen, quia videmus, Deum poſſe nihilominus hominis interitum, ſi impietate ſua id mereatur, deſiderare, & ejus pœnis delectari; ſeveritatem ejus metuere, & porrò eam omnibus modis declinare debemus: nec nobis immunitatem à ſupplicis, aut ſalutem, aliaque divina beneficia ex ipſius promiſſis polliceri, niſi conditiones, quas vel apertè, vel tacitè promiſſis ſuis adjunxit, præſtemus: cùm poſſit illum boni, quod nobis decrevit aut promiſit, conditione ceſſante, pœnitere. quemadmodum nec tum, cùm ſupplicio noſtro jam imminet, penitus deſperare debemus, ſed quàm primùm ad eum nos convertere, mores

 emendare,

Digitized by Google

emendare, culpam deprecari: cum & mali decreti ipſum pœnitere poſſit ac ſoleat.

‡ *Præterea cum videamus*] Non inani & evanido duntaxat deſiderio, Deus hominum electorum ſalutem proſequitur, ſed eam procurat & conficit tam efficaciter, ut ampliſſimam inde habeant materiam benignitatem ac clementiam ejus celebrandi, eum amandi & venerandi, & fiduciam omnem ſuam in ipſo collocandi.

Cùm poſſit illum] Fateor promiſſionem aut comminationem conditionatam, ceſſare conditione ceſſante: Sed nego tamen poſſe Deum boni vel mali decreti unquam pœnitere; quod decreta ipſius ſint abſoluta, nec cum illius promiſſis vel minis conditionatis conferenda. Nec video quî negatio boni promiſſi, ceſſante conditione ſub quâ promiſſũ fuerat, poſſit in promittente *pœnitentia* appellari. Ac ſicut fruſtra quis ſperet bona conditionaliter promiſſa, ceſſante conditione ſub qua promiſſa erant, ita ipſiuſmet conditionis præſtatio ab ipſo Deo eſt petenda & expectanda, eique dicendum cum veteri Eccleſia, *Domine, fac quod jubes, & jube quod vis.*

CAP: XXXII.

De Decretis Dei.

‡ *Reſpondente* ALEXANDRO TILIRINGIO, *Groningano.*

Reliquum nunc eſt, ut de Dei decretis, agamus, quæ operibus ejus proxima ſunt, & quidam ad ea veluti gradus. Itaque ultimum inter attributa divina locum, & operum explicationi proximum habent. Attributis enim divinis eatenus accenſeri poſſunt, quatenus ipſi Deo inſunt, cùm ſint actiones, ut in ſcholis vocant, immanentes. In iis, &, qui ea accedunt, intellectus divini actibus, Dei providentia, quatenus ea in ipſo reſidet, revera continetur. Quòd ſi quis ea omnino cum ipſorum operum explicatione iungendam putet, cum eo non multùm pugnabimus. Specialium ſanè decretorum explicatio, ad ſpecialem operum divinorum tractationem pertinet, aut in ea quodammodo continetur. Sæpè enim operis ratio, decreti divini, unde profluxit, rationem ſatis indicat, ut nihil ſit opus de eo ſeparatim dicere. Nos hoc loco generatim de decretis divinis agemus: quamquam exemplis ſpecialibus ad dicta noſtra declaranda uti cogemur. & quia de prædeſtinatione & electione ad ſalutem, ac contraria huic reprobatione, à quibuſdam non pauca hoc loco diſputantur, nos ita generalem hanc
317. decretorum divinorum explicationem moderabimur, ut illi quoque decretorum generi aliquantò plus lucis accedat.

‡ *Quæ operibus ejus*]. Ad externa Dei opera non ſe habent ut gradus, ſed ut cauſæ: Primùm enim eſſe potentiale rerum à Dei decretis eſt arceſſendum: & omnia fiunt in tempore ad illorum exemplar, ut tabernaculum extructum fuit ad illud quod Moſes viderat in monte Ex: XXV, 40.

Attributis enim divinis] Sunt attributa Divina complexa, non ſimplicia, quatenus actus ſunt conjunctim intellectus & voluntatis

tatis; unde & *conſilij*, & *beneplaciti* nominibus, promiſcuè exprimuntur. *Inſunt* autem Deo non inhærenter, quod eſt accidentiū, ſed tantum attributivè, ceu actiones immanentes quæ terminantur ad Creaturas.

In ijs & qui ea] Agnoſco dari actus nonnullos intellectus Divini priores ejus decretis; Etenim cùm concipimus Deum decreviſſe creare mundum, intelligimus præceſſiſſe actum eum intellectus quo noverat, per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, mundi poſſibilitatem & creabilitatem: Sic cum concipimus Deum nonnullos homines, cœteris præteritis & relictis in peccato, elegiſſe ad ſalutem in Chriſto, ſupponimus homines omnes obverſatos intellectui Dinino, ut jam lapſos, miſeros & peccatores: Sed tamen I. Actus illi intellectus Divini non ſunt priores ejus decretis tempore vel duratione, ſed tantum in ſigno rationis & pro noſtro concipiendi modo. II. Deus non procedit ad decreta ſua per operoſas & diſcurſivas deliberationes, uti nos, ſed uno & ſimpliciſſimo actu, uti ipſe eſt actus puriſſimus, ab æterno decrevit & conſtituit id omne quod voluit eſſe futurum in tempore; adeo ut nonniſi à ſuis objectis decreta Dei ſuam & diſtinctionem & multiplicitatem conſequantur. III. Dei quidem Providentia æterna in ipſius. decretis revera continetur, ſed actualis, in eorum executione quæ fit ſucceſſivè & in tempore.

Appellantur autem decreta non uno in ſacris literis nomine. Reperias enim primùm ipſum *decretorum* nomen, aut *decernendi* verbum de Deo uſurpatum. (*Eſa: 14.27. Act: 4.28.*) Quanquam Decretorum nomen pro mandatis divinis nominatim ſumitur, (*3 Reg: 8. 61. Eph: 2.15. Col: 2.14.*) voce generis ad ſpeciem tranſlata. Sunt enim & mandata Dei decreta quædam de ijs, quæ ab hominibus, quanquam liberè, præſtari vult Deus. Et apud Paulum quidem ea Dei mandata Decretorum nomine intelliguntur, quæ leges poſitivæ appellari ſolent, ac naturalibus opponuntur: nempe leges Moſaicæ ceremoniales, quibus & judiciariæ ſeu forenſes addi poſſunt eæ, quæ non ideò fuerunt à Deo latæ, quia ipſa honeſti ratio illas neceſſariò exigeret; ſed quia certis de cauſſis ita ſummo rectori ac legiſlatori eas ferre placuit. Eſt enim apud Apoſtolum vox δογμάτων ſeu placitorum, ut alibi jam monuimus. (*cap: 22.*)

‡ *Reperias enim primùm*] Nomen *decreti* apud Theologos cum de Deo uſurpatur, ſignificat certum & infallibile Dei propoſitum, de re aliqua eventura aut non: quo ſenſu etiam apud Vulgatum interpretem *decernendi* verbum ſumitur Eſ: XIV, 27. Dan: IV, 14. Act: IV, 28. Sæpè quoque cum de hominibus uſurpatur firmum aliquod eorum propoſitum & conſilium ſonat de re aliqua facienda aut fugienda, ut Num: XXIV, 11. Iud: XIX, 30. XX, 7. Et quamvis non negemus interdum *decreta* Dei de ejus edictis, legibus & mandatis uſurpari apud eundem Interpretem, quò ſpectant loca Crellio citata 3. Reg: VIII, 61. Eph: II, 15. Col: II, 14. tamen I. Quæ Salomoni dicuntur חקים *Chukkim*, & Vulgato interpreti *decreta*, Græcis interpretibus, προστάγματα appellantur, ideſt edicta & præcepta. II. Nunquam in Scripturis δόγμα ſumitur pro conſilio & decreto de re futura, ſed vel pro Principis edicto ut Luc: II, 1. vel

Digitized by Google

ſilium voluntatis ſuæ: Sic commemoratur Heb: VI, 17. *immutabilitas conſilij ſui*. Eadem eſt ſignificatio Act: II, 23. IV, 28. Sed diſpar eſt ratio aliorum locorum hîc Crellio citatorum: Cùm enim Luc. VII, 30. dicuntur Phariſæi & Legisperiti *Conſilium Dei ſprevisse in ſemetipſos*, id non debet intelligi de Dei Decreto, ſive de conſilio illius paſſivo, quod ipſe ſumpſerit ſibi, ſed de ejus conſilio activo quod miniſterio Iohannis ſuggeſſit hominibus; Quomodo etiam Act: XX, 27. Paulus proteſtatur Epheſijs ſe non ſubterfugiſſe *quominus annunciaret ipſis omne Conſilium Dei*; Arcana enim Dei decreta de rebus eventuris, ipſis non propoſuit; ſed uti habetur ibid. com. 20. & 21. annunciavit ipſis *utilia*, συμφέροντα, & quæ conſilia ſaluberrima Deus in verbo ſuo subminiſtrat hominibus, ſpectantia ſcilicet ſtudium *pœnitentiæ* in Deum, & *fidei* in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

In Novo Teſtamento interdum vox *definiendi*, quæ Græcè eſt ὁρίζειν, uſurpatur, cùm de Dei decretis eſt ſermo. (*Luc: 22. 22. Act: 2. 23: 10. 31: 17. 31.*) Unde & προορίζειν eſt *antè decernere* ac conſtituere, (*Act: 4. 28.*) vel, 328.
ut interdum à Vetere interprete redditur, *prædeſtinare*. (*Rom: 8. 29, 30. 1 Cor: 2. 7. Eph: 1. 5, 11.*) Eodem modo & verbum προγινώσκειν h.e. *præcognoſcere*, & inde ducta vox προγνώσεως ſeu præcognitionis, nonnunquam uſurpatur; (*Act: 2. 23. 1 Pet: 1. 2, 20.*) quanquam interdum ejuſmodi approbationem antea factam ſignificat, quæ à προορισμῷ ſeu prædeſtinatione diſtinguatur, ut fit Rom. 8. 29. fortè & cap. 11. 2. Sic & vox προθέσεως ſeu *propoſiti*, (*Rom: 8. 28: 9. 11. Eph: 1. 9, 11: 3. 11. 2 Tim: 1. 9.*) decretum Dei cum temporis anteceſſu denotare ſolet. Neque enim πρόθεσις de Deo uſurpata videtur ſimpliciter, ut vocis natura aliàs fert, de conſilio ac decreto, etiam recèns, atque ut ita dicam, in arena capto, ſumi, ſed de eo, quod haud paulò antè conſtitutum ſit: quemadmodum & *prædeſtinationis* & *præcognitionis* nomina, cum quibus ea interdum conjungitur.

‡ *Eodem modo & verbum*] Dei πρόγνωσις interdum ſtrictè ſumitur pro illa prędilectione & benevolentia indebita, ex qua nonnullos ſibi ſpeciatim in ſuos elegit & prædeſtinavit ad ſalutem: quo ſenſu vel ipſam electionem includit, ut Rom: XI, 2. ubi Deus dicitur non repuliſſe populum ſuum quem *prænovit*, ideſt quem ex gratuita & ſingulari prædilectione, in ſuum eligere dignatus eſt; vel ab eadem ceu illius fundamentum & principium in ſigno rationis diſtinguitur, ut Rom: VIII. 29. 1. Pet: I. 2. Nam prout ſecundo hoc loco dicuntur pij ἐκλεκτοὶ κατὰ πρόγνωσιν θεοῦ, ideſt electi & ordinati ad ſalutem ſecundum Dei prænotionem ac prædilectionem, ita priori dicitur Deus eos quos prænovit, ideſt quos prædilexit, prædeſtinaſſe ut fierent conformes imagini filij ſui: Nec enim hæc πρόγνωσις debet theoreticè ſumi, ſed practicè; ac ſicut Deus dicitur eos noſſe quos amat Pſal: 1, 6. Matth: VII, 23. Ioh: X, 14. 2. Tim: II, 19. ita cenſendus eſt eos prænoſſe quos prædilexit, & ex ea prædilectione elegit ad ſalutem: Et quamvis à nonnullis hæc prænotio dicatur pertinere ad ſcientiam *approbationis*, id tamen non eſt ita ſumendum, ut conatur inſinuare Crellius, ac ſi approbatio quædam vitæ & converſationis eorum quos Deus prædeſtinat, ipſam

Digitized by Google

ipſam prædeſtinationem in mente Divina præcederet, quo hæc ex illa ſuſpenderetur; nam ſuo loco probabitur Electionem & prædeſtinationem factam eſſe non ex fide & operibus prævifis, ſed ad fidem, opera bona & ſanctificationem, abſque qua nemo videbit Deum. Quare qui volet hic concipere ſcientiam approbationis, debebit eam intelligere de approbatione ſimplici perſonarum, quam ceu ſuas, alijs præteritis, ex ſolo beneplacito amare Deus dignatus eſt, non vero de approbatione morum & vitæ; cùm eos quos elegit & prædeſtinavit ad ſalutem ex ſingulari ſua miſericordia, illi ſint obverſati non ut ſancti & vitę approbatæ, ſed ut miſeri & peccatores: nec enim ex alio luto vaſa miſericordiæ, aut tales Mercurij ex alio ligno fieri poſſunt. Sed præterea Dei πρόγνωσις interdum latiùs ſumitur pro quolibet Dei decreto & arcano conſilio, eo maximè quod ſpectat Redemptionem generis humani per Chriſtum Act: II, 23. I. Pet I, 20. Priori loco dicitur ipſe traditus fuiſſe *definito conſilio* & προγνώσει, ſive præſcientiâ Dei; poſteriori προεγνωσμένου, *præſcitus ante conſtitutionem mundi*, ideſt deſtinatus & conſtitutus in Redemptorem noſtrum: ut hoc ſenſu præſcitus dicatur, non tam à *præſcio* quam à *præſciſco*, ideſt ante decerno & conſtituo; prout & *plebiſcitum* pro populi conſtitutione & decreto apud Claſſicos authores uſurpatur.

Sic & vox] Verum hæc obſervatio nullius eſt momenti: Nam I. vocis hujus natura non notat ſubitaneum conſilium & captum in arena; ſed è contrario conſilium prædeliberatum, etiam cum de hominibus uſurpatur, Act: XI, 23. XXVII, 13. Rom: I, 13. II. Nullum ejuſmodi conſilium ſubitaneum & recens captum convenire poteſt Deo, cujus omnia decreta ſunt æterna Act: XV, 11. Quare omnis Dei πρόθεσις non tempore modo longiſſimo, ſed tota æternitate antecedit ſui executionem, quæ evenit in tempore.

Sed ne alia nunc congeram vocabula, præſertim ſpecialia, & de certis tantùm decretorum generibus uſurpata; omnium fortè creberrimè *Voluntatis* vox in hac ſignificatione occurrit. Etſi enim facultatis nomen eſſe videtur; tamen in ſacris literis raró, aut vix uſpiam pro ipſa facultate volendi ſolet accipi, ſed pro volendi actu, ſeu pro eo, quod quiſpiam vult, ut monuimus tunc, cùm de Dei voluntate diſſereremus. (*cap*: *21*.) Licèt autem voluntatis divinæ actus varij ſint: ſiquidem omnes illi affectus, quos proximis capitibus recenſuimus, actus ſunt voluntatis divinæ: uſus tamen obtinuit, ut illa Deus velle dicatur, quæ aliqua ratione approbat, amat, deſiderat, aut denique decernit ac conſtituit. Et ſanè in ſacris literis Veteris fœderis, cùm aliquid velle dicitur Deus, in Hebræo uſurpari conſuevit verbum *Chaphetz*, quod deſiderare, amare, & re aliqua delectari ſignificat: ita ut licèt decernendi vim habeat, deſiderandi tamen ſignificationem non penitus amittat, ſed eam potiùs includat: quanquam deſiderium illud pro diverſitate rei ſubjectæ varium eſt. Similiter cùm voluntatis divinæ ſit mentio, vel *Chephetz*, vel *Ratzon*, quod bene placitum ſignificat, poni ſolet. Sæpiùs autem in hac ſignificatione nomen *Voluntatis*, (*Pſal*: *103. 21. Eſa*: *44. 28*: *46. 10*: *48. 14*: *53. 10. Mat*: *26. 42*: *Ioh*: *5. 30*: *6. 38, 39, 40*: *Rom*: *9. 19*: *1 Cor*: *1. 1. Epheſ*: *1. 9. Apoc*: *4. 11.*) quàm *Volendi*

Digitized by Google

Volendi verbum (*1 Sam: 2. 25. Pſ: 115.3: Eſa: 55. 11. Rom: 9.22: Col: 1.27: 1 Pet: 3. 17.*) occurrit. Quanquam eo nomine valdè frequenter, non quicquid unquam decrevit decernitque Deus, intelligitur, ſed illa inprimis Dei decreta, quæ ipſius præceptis ac promiſſis, & quæ his opponuntur, comminationibus continentur; ac omnium creberrimè ea, quæ præceptis. Quis enim neſcit, *Dei voluntatem facere*, quod in ſacris literis Novi Fœderis non rarò occurrit, (*Pſ: 40. 9: 143. 10. Mat: 7. 21: 12. 50. Ioh: 4. 34. 7. 17: 9. 31: Heb: 10: 36: 13. 21. 1 Ioh: 2. 17.*) eſſe Dei mandata exſequi, ſeu id facere, quod Deus fieri voluit ac præcepit? Cognitio autem voluntatis divinæ (*Act: 22. 14. Col 1. 9.*) latiùs extenditur, & ea omnia nonnunquam complectitur, quæ Deus ſive mandatis, ſive promiſſis ſuis complexus eſt; imò & ea, quæ ad illa ſive credenda, ſive exſequenda ſpectant. 329.

‡ *Licet autem voluntatis*] Inepta eſt hæc oppoſitio inter actus voluntatis Divinæ, ut alij Deo inſint per modum affectuum, alij per modum approbationis, amoris, deſiderij, aut decreti: Nam ſi Deo convenirent affectus tendentiæ & proſecutionis, tum per illos in actu exercito cenſeretur aliquid approbare, amare, deſiderare; adeoque non poſſent diſtingui actus voluntatis Divinæ quibus ea velle dicitur, *quæ aliqua ratione approbat, amat, deſiderat*, ab illis ejuſdem actibus, qui ad affectus deſiderij, amoris, gratiæ, ſive favoris, pertinere cenſerentur; Nam & illa etiam in quæ tales affectus Dei feruntur, ita velle cenſendus eſſet, ut illa aliqua ratione approbare, amare, deſiderare, meritò diceretur. Sed ne hic revocem quæ ſuo loco de affectibus Dei monita ſunt, ſufficiat voluntatem Dei in Scripturis, bifariàm potiſſimùm uſurpari; nam prout paulò ante monui, Conſilium Dei ſumi quandoque de eo quod ſibi conſtituit in normam omnium eventuum, & quandoque de eo quod ſuggerit hominibus in regulam ſuarum actionum, ita Voluntas Dei quandoque ſonat arcanum & immutabile ejus conſilium ac decretum de eo omni quod vult fieri Rom: IX, 19. Act: XXI, 14. nonnunquam vero ejus mandata & præcepta promiſſionibus & comminationibus ſuffulta, quibus præſcribitur nobis quicquid eſt noſtri officij 1. Theſſ: IV, 3. Neque ſic facimus in Deo duas ſpecies diſtinctas voluntatis, eam diſtribuendo in decernentem & præcipientem, ſed tantum ejuſdem vocabuli duo diverſa ſignificata in Scripturis annotamus. Non neſcio etiam aliquando Dei velle idem eſſe quod *delectari*, vel *approbare*; Sed cùm illa approbatio magis ſit actus judicij quam voluntatis, uſus illius ſignificationis quâ dicitur Deus aliquid velle non *decretivè* vel *præceptivè*, ſed tantum *approbativè*, minus pertinet ad præſentem materiam de Decretis Dei.

Sæpiùs autem in] Imò ſanè & *voluntatis* & *volendi* voces, promiſcuè uſurpantur in ſacris literis, duplici eo quo dixi ſenſu, ut ſcrupuloſiùs inter illa duo vocabula diſtinguere nihil attineat. Omnibus autem locis hic Crellio annotatis, *Voluntas* ſumitur de voluntate decretiva, excepto ferè loco Pſal: CIII, 21. qui æquè commodè de præceptiva poſſit intelligi: ut taceam quod utramque ſignificationem complectantur loca Matt: XXVI, 42. Ioh: V, 30. Ita verbum *volendi* ſumitur quoque de decretis Dei æternis & irrevocabilibus omnibus locis quæ Crellius annotavit.

Quanquam eo nomine] Agnoſco valdè frequenter hoc nomen de voluntate præceptiva

Digitized by Google

ceptiva uſurpari, ad quam ſuo modo pertinent promiſſiones & comminationes, ceu appendices mandatorum divinorum; Sed nego Dei decreta ipſius præceptis ac promiſſis & quæ his opponuntur comminationibus formaliter contineri. Per ſua enim præcepta, Deus mandat nobis quid debeamus facere; ſed per illa non conſtituit quid ſit futurum vel eventurum. Sunt illa norma officij noſtri; ſed non ſunt magis regula eventuum futurorum, quam virium noſtrarum menſura: Quare decreta Dei firma manent & inconcuſſa Eſ: LVI, 10. Pſal: CXV, 3. Rom: IX, 19. etiam cum ipſius præcepta violantur & contemnuntur; ut benè dixerit Auguſtinus, *miro & ineffabili modo non fieri præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem, Enchir. cap.* 100. Tranſeo quod Crellius, videatur hìc affingere Deo decreta quotidiana, dum meminit ejus omnis quod *unquam decrevit decernitque*; Repugnat enim perfectioni Divinæ, ut Deo aliquid novi ex improviſo accidat, ſuper quo conſilium ſumat in arena & novum cudere decretum teneatur.

Quis enim neſcit] Quamvis non negem illum Dei voluntatem facere, qui mandatis ejus obſequitur, & eò pertinere loca Scripturæ quæ huc congeſſit Crellius, tamen etiam ex ſtylo Scripturæ voluntas Dei fieri dicitur, cum ejus decreta & conſilia executioni mandantur. Sic enim Cyrus dicitur facturus & completurus omnem Dei voluntatem, Eſa: XLIV, 28. XLVIII, 14. ideſt executioni mandaturus omne ſuum arcanum conſilium & decretum circa Babylonis everſionem & Iudæorum reſtitutionem in integrum.

Cognitio autem voluntatis] Fateor cognitionem voluntatis Divinæ, ut nobis revelatur in Scripturis, etiam extendi ſuo ſenſu ad cognitionem plurimorum Dei conſiliorum & decretorum; ſed tamen nonnunquam videtur reſtringi ad voluntatem præcipientem, ut Luc: XII, 47. 48. ubi fit diſtinctio inter ſervum eum qui voluntatem heri ſui cognoverit nec eam fecerit, & eum qui cum Domini ſui voluntatem non cognoverit, aliquid tamen dignum plagis commiſerit.

Jam ut ad rem ipſam veniamus, Decretum ſententia eſt à voluntate firmiter concluſa, ſeu pleno quodam voluntatis aſſenſu comprobata. Habet autem in illis tantùm revera locum, quæ Deo non ſunt prorſus naturalia, & omni ex parte neceſſaria, ſed aliqua ſaltem ratione liberæ ipſius poteſtati ac voluntati ſubjecta. quod & vox Conſilii de decretis uſurpata docet. Conſilium enim, ne per ſimilitudinem quidem atque analogiam dictum, in iis locum habet, quæ prorſus ſunt naturalia ac neceſſaria, ſed in iis, quæ in arbitrio noſtro ſunt aliquo modo poſita. Itaque ſuprà vidimus Decretorum vocem ea nominatim Dei præcepta denotare, quæ poſitiva ſunt, & ex arbitrio divino pendent. His enim magis propriè nomen id convenit. Cæteris, quæ naturalia ſunt, vel non propriè, vel non niſi eatenus, quatenus & circa illa quidam liberæ voluntatis actus cernitur. Nam & ut ferri leges naturales poſſent, liberum voluntatis actum intervenire oportuit, ſine quo ne exiſtere quidem creaturæ potuiſſent; & in modo ea proponendi aut eorum obedientiam exigendi, aliquis eſt libertati locus. Intelligendum enim eſt, actum decernendi revera eſſe προαίρεσιν, quam barbarè, ſignificanter tamen, prælectionem vocant, latiniùs propoſitum, aut conſilium: quanquam

Conſilij

Conſilij vox metonymicè huc traducitur. Nam conſilium propriè dictum eſt proæreſeos antecedens. Siquidem conſilium deliberatio eſt, ſeu inquiſitio mediorum ad finem aptorum. Quod autem deliberatione concluſum eſt, id proæreſis approbat atque appetit; vel eo ipſo, quòd hoc approbat atque amplectitur, illud rejicit, concluſionem facit. Nam cùm res quædam inter ſe veluti certant, ut videndum ſit, utra fini ſit accommodatior, & alteri præferenda; deliberationis eſt, comparationem illam inſtituere; proæreſeos id, quod concluſum eſt, penitus approbare atque amplecti; vel etiam, ſi intellectus paritatem in utraque deprehendat, concluſionem quodammodo facere, & liberrima in alterutram partem inclinatione controverſiam veluti decidere. quòd cùm facit, decernit. Ubi autem à natura ita res deciſa eſt, ut omittere eam nulla prorſus ratione poſſis, aut unquam potueris, nulli nec deliberationi, nec proæreſi, atque adeò nec decreto locus eſt.

‡ *Decretum ſententia*] At nullus eſt voluntatis Divinæ actus qui talem ſententiam firmiter concluſam non contineat, cùm non cadant in Deum velleitates inefficaces. Præterea in hac definitione addi deberet eſſe ſententiam firmam de aliquo eventu futuro, vel non; cùm omnia Dei decreta ſint de rebus extra ipſum vel futuris vel non futuris: ſiquidem ex omnibus poſſibilibus menti ſuæ per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ obverſantibus ab æterno, ſuis decretis conſtituerit quænam & quibus modis futura, vel non, eſſe vellet.

Itaque ſupra vidimus] Sed decreta Dei cum illius præceptis confundenda non eſſe jam monuimus, & quo ſenſu δογμάτων nomine leges cæremoniales exprimantur, dedimus explicatum.‡

Quam barbarè] At προαίρεσις, nec electionem nec prælectionem propriè ſignificat, ſed duntaxat lubentiam & ſpontaneum animi propoſitum ad rem aliquam faciendam, omittendam, vel obtinendam; unde & προαιρετὸν id dicitur ad quod certò propoſito ferimur, & προαιρετικαὶ ἐνεργείαι apud Philonem *de mundo*, ſunt actiones voluntariæ, ſive à proprio propoſito manantes; & προαιρέσθαι idem eſt quod conſectari, ſive amplecti certo conſilio; & quæ eſt Peripateticis ἡ προαίρεσις, ſive ἐλευθέρα προαίρεσις, Stoicis τὸ ἐφ' ἡμῖν appellatur: Quare προαίρεσις poteſt etiam dici de volitione finis ultimi & eorum quæ habent aliquam neceſſitatem adjunctam, quatenus cadunt ſub animi lubentiam & tendentiam voluntatis.

Nam conſilium propriè] Sed talis antecedanea & operoſa deliberatio, à Dei conſilijs eſt removenda.

Quod autem deliberatione] At proæreſis noſtra circa ea quæ ſub deliberationem cadunt, complectitur deliberationem, conſilium, concluſionem; qui cum ſint actus judicij magis quam voluntatis, rei concluſæ appetitionem, quæ ad voluntatem ſpectat, continere nequeunt: Et cum approbatio pertineat ad judicium, appetitio ad voluntatem, nequit Crellius uni proæreſi tribuere quod deliberationis concluſionem approbet & appetat, quin & perperam diſtinguat concluſionem in deliberatione ab actu approbativo, & actus diſtinctos intellectus & voluntatis uni proæreſi adſcribat:

Digitized by Google

Hinc ſecum pugnans mox ſubjicit per ἐπανόρθωσιν, proæreſim non tam approbare atque appetere quod deliberatione concluſum eſt, quam ipſam concluſionem facere, hoc approbando, illud rejiciendo.

Deliberationis eſt] Atqui ad deliberationem quâ media diverſa inter ſe conferuntur, pertinet quoque ipſa concluſio, quâ hoc ceu convenientius magis adlubet quam illud; adeoque ipſamet proæreſis, ex qua voluntas movetur & determinatur ad illud proſequendum & appetendum.

Vel etiam ſi intellectus] Abſurdè opponitur intellectui proæreſis, cum proæreſis potius ad intellectum quam ad voluntatem pertineat: Vt enim intellectus deliberat, ſic concludit; & illa concluſio habet rationem illius ipſius proæreſeôs, quâ voluntas movetur & determinatur ad agendum: Quin etiam ubi judicium comparativum in duabus rebus abſolutam *paritatem* invenit, quod eſt rariſſimum, etiam ipſa concluſio eſt intellectus, qui determinat voluntatem ad hanc potius quam ad illam, quod judicet & pronunciet ſatius eſſe alterutram promptè ſequi, quam diu inter pares inutiliter deliberare.

Nulli nec deliberationi] Agnoſco nullam deliberationem in talibus habere locum; Nemo enim deliberat num velit eſſe miſer aut beatus: Sed nego, ideo nullam in talibus eſſe proæreſim, nullum decretum: cum nemo ſit qui quoties apud ſe de miſeria & beatitudine cogitat, non ſtatuat & decernat eo ipſo viam eam inſiſtere quâ putet ſe miſeriam evaſurum & adepturum fœlicitatem, & hanc plenâ ac ſummâ lubentiâ non velit & anhelet. Deus optimus maximus qui naturaliter & neceſſariò vult ſuam gloriam & ejus illuſtrationem ac manifeſtationem, nihilominus decrevit ſuam gloriam manifeſtare & illuſtrare; quandoquidem *omnia fecit propter ſeipſum* Prov: XVI, 4.

Quot autem ſint decretorum divinorum genera, partim ex diverſitate actuum voluntatis divinæ, partim ex varietate rerum ipſarum, ſive de quibus, ſive quas decernit Deus, partim ex decernendi modo potiſſimùm æſtimandum eſt. Quanquam & aliæ adhuc differentiæ addi poſſunt, ab ac-
330. cidentariis quibuſdam circumſtantiis, ſive adjunctis petitæ, ut à temporis diſcrimine, itemque ab eorum, quæ decreta ſunt, vel occultatione, vel patefactione. Sed tres illi primi diſcriminum fontes à nobis conſtituti, omnium ſunt potiſſimi, & decretorum ipſorum naturam maximè attingunt.

‡ *Quot autem ſint*] Si decreta Dei *ſubjectivè* & ex illius parte conſiderentur, multiplicia ſtatui non poſſunt; nec enim per varios & diſcurſivos actus proceſſit Deus ad decernendum quid futurum & eventurum eſſet in tempore, & quid non; ſed ut ipſe eſt actus ſimpliciſſimus, uno quoque æternæ ſuæ voluntatis actu diſpoſuit & conſtituit de omnibus futuris, vel non, in tempore. Si tamen eadem decreta Divina *objectivè* conſiderentur, ut multiplicia eo reſpectu debebunt ſtatui, ſic etiam variè diſtingui & ſibi mutuò coordinari vel ſubordinari poterunt. Quas autem hic ruſpatur Crellius eorum diſtinctiones, vel *ex diverſitate actuum voluntatis Divinæ*, vel *ex decernendi modo*, ficulneas eſſe & ſtramineas ſuo loco oſtendetur: Sanè ſive Deus nolit rem exiſtere, ſive eam exiſtere velit, id non facit diſtinctionem decretorum divinorum, alterius ordinis ab ea quæ ſumitur *ex varietate rerum ipſarum, ſive de quibus, ſive quas decernit Deus*; Nam revera ex illis aliæ ſunt de quibus

Digitized by Google

quibus decrevit ut exiſtant, vel efficienter, vel permiſſivè, aliæ de quibus decrevit illas nunquam extituras: Nec Deus per meram ceſſationem voluntatis ſe habet circa ea quæ non vult exiſtere, ſed per actum voluntatis poſitivum, quo vult illa non exiſtere: Modus etiam decernendi utrobique idem eſt; quia utrobique immutabili & irrevocabili ſententiâ decrevit quid ſit futurum, vel non futurum. Præterea *occultatio*, vel *patefactio* decretorum divinorum, nullam inter ea realem diſtinctionem ponit; ſed tantum ſpectat noſtram de illis notitiam, & quouſque mens humana queat in illorum cognitionem pervenire. Sed multo eſt abſurdiùs quod Crellius etiam quærat differentiam inter Dei decreta *à temporis diſcrimine*; cùm inter illa nulla ſit prioritas vel poſterioritas temporis, ſed tantum ordinis pro noſtro concipiendi modo, eo quod ſint omnia ſimpliciter æterna Act: xv, 18.

Quod ergo ad primum diſcrimen attinet, quod ex diverſitate actuum voluntatis divinæ pendet; voluntatis cujuſvis eſt partim velle, ſeu rem objectam tanquam bonam amplecti, & eam quacunque ratione approbare; partim nolle. Unde decreta duplicis generis emergunt. Nonnulla enim decernuntur à Deo, ut fiant, ut creatio cœli & terræ; nonnulla ne fiant, v. g. ne ingrediantur in requiem Dei, qui non credunt. (*Heb: 3, & 4.*) Quamquam enim arbitrari quiſpiam poſſet, inter hæc duo medios eſſe illos voluntatis actus, quibus Deus aliquid fieri permittit; revera tamen non ſunt, ſed ad poſterius potiſſimùm decretorum genus pertinent. Velle enim aliquid permittere, eſt, nolle impedire, quominus id fiat, ſeu nolle actionem ſuſcipere eam, quæ impedire queat vim cauſſarum, effectum aliquem molientium.

‡ *Quod ergo ad*] Verum jam dixi hanc diſtinctionem etiam peti à rebus ipſis de quibus vel quas decernit Deus: Et dum alias vult eſſe, alias non eſſe, vult utrumque actu voluntatis poſitivo: Nolle enim Dei non eſt ſimpliciter negativum, & ceſſare à volendo, ſed eſt poſitivum, & velle rem aliquam non exiſtere.

Quamquam enim arbitrari] Neque in eo ſatis accuratè Crellius loquitur, niſi in benigniorem ſenſum & contra quam ſonant ejus verba ſumantur; Etenim decretum Dei permiſſivum de malo turpi aliquo futuro non eſt mediæ conditionis inter decretum negativum & decretum affirmativum, ſive inter decretum quo Deus vult rem eſſe, & decretum quo non vult rem eſſe; nec etiam eſt decretum merè negativum, quo non vult impedire eventum aliàs poſſibilem & facilè eventurum; ſed eſt actus poſitivus voluntatis Divinæ, quo conſtituit non ſolum non impedire vel obſtare ne fiat dum fit, ſed revera ſic permittere fieri, ut eo reſpectu non poſſit non fieri; illudque ordinare & dirigere ad optatum finem: Hoc benè dixit Auguſtinus, loco jam ſæpiùs à me ad partes vocato ex *cap.* 100. *Ench. ad Laur.* ubi docet miro & ineffabili modo non fieri *præter* Dei *voluntatem*, *quod etiam contra ejus fit voluntatem*: *quia non fieret niſi ſineret*; *nec utique nolens*, *ſinit ſed volens*: (contrarium vult Crellius hic aſſerere, ſed perperam;) *Nec ſineret bonus fieri malè*, *niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet benè*.

Quod deinde ad illam decretorum divinorum differentiam attinet, quæ ex diverſitate pendet earum rerum, de quibus aliquid ſtatuit, aut quas decernit Deus; vel de ſuis actionibus aliquid ſtatuit, vel de alienis: hoc eſt, vel decernit, ſeſe aliquid facturum, aut contrà non facturum, idque ſive per ſeipſum, ſive per alios; vel decernit, creaturas, liberè aliquid facere debere, aut non debere. Prioris generis decreta ſunt, de creando, & ad certum tempus conſervando ac gubernando mundo; de Chriſto exhibendo; de judicio ultimo adminiſtrando; de fidelibus ſervandis, infidelibus atque impiis ſempiterna morte plectendis; atque adeò omnia, quæ Dei promiſſis ac comminationibus continentur. Ea enim omnia, ſive per ſe, ſive per alios exſequi ſtatuit Deus. Poſterioris generis ſunt illa, quæ divinis mandatis, ſive generalibus, ſive ſpecialibus, ſive affirmantibus, ſive negantibus explicantur. Affirmantibus enim explicatur, quid Deus ab hominibus fieri velit; negantibus, quid ab iis fieri nolit. Quanquam enim velle iſtud poſſis ad ſolum deſiderium referre, nolle autem ad deſiderii contrarium: tamen velle illud ac nolle, quod ad divina mandata pertinet, decretum divinum, quanquam non prorſus abſolutum, annexum habet, aut in ſe includit. Ita enim Deus vult mandata ſua obſervari, ut pœnæ illos eſſe obnoxios velit ac ſtatuat, qui non obſervant. Permiſſionum hîc nullam facimus mentionem; quia, ut antea jam indicavimus, ad illum divinorum decretorum ordinem pertinent, quæ circa ipſius Dei actiones verſantur. ſiquidem permittere aliquid, eſt non impedire, ſive de jure ac facultate, ſive de facto loquaris.

‡ *Vel de ſuis actionibus*] Vitioſa hæc eſt oppoſitio, cùm Deus decernendo multa ſe facturum etiam per creaturas liberè agentes, eo ipſo decreverit creaturas idipſum liberè facturas: Deus decreverat nullum os Chriſto fractum iri; & id ipſum exſequi ſtatuit per Pilati milites, liberè abſtinentes à crurifragio Domini: Ita per Iudam, Iudæos, Pilatum, Herodem & eorum Miniſtros, liberè omninò agentes, Deus omnia exſequutus eſt quæ manus & conſilium ipſius antea decreverant ut fierent Act: IV, 28. Adhæc perperam admodum, Decretis Divinis Crellius annumerat illa quæ *Divinis mandatis* continentur, & quibus ſignificatur creaturis quid facere debeant, aut non: Magnum enim eſſe hiatum inter Dei decreta, quo ſenſu hic illa ſumimus, & Dei mandata, nemo eſt qui non videat: Per ſua decreta conſtituit quid velit vel ipſe efficere, vel permittere ut infallibiliter fiat: At per ſua mandata tantum edicit nobis, quid facere vel omittere debeamus: Decretis Dei adamuſſim ſucceſſus & eventus reſpondet in tempore Eſa: XLVI, 10. At mandatis illius plurimi non obſequuntur: Decreta Dei ſunt cauſa exemplaris omnium eventuum qui in univerſo contingunt; & hujus magni Tabernaculi partes omnes, uſque ad minutiſſimas, exactè correſpondent Ideæ & Exemplari voluntatis Divinæ; At mandata Dei ſunt tantum normæ morales officij præſtandi à creaturis, in quas ſæpiſſimè impingunt, & à qui-

Digitized by Google

& à quibus vita & actus eorum δὶς διὰ πασῶν plerumque diſſident. Præterea cum etiam mandatis Divinis debeant ac primariò annumerari leges morales, quæ ſunt juris naturalis & perpetui, non video quî Crellius ex ſuis hypotheſibus ſupra propoſitis, mandata Dei in communi ejus decretis annumerare queat; cùm paullò ante ſtatuerit, nec decreta Dei eſſe de rebus neceſſarijs & quæ aliter ſe habere non poſſunt, & leges naturales, oppoſitè ad judiciarias & cæremoniales, ejuſmodi eſſe ut ipſa honeſti ratio illas neceſſariò exigeret. Quare non obſcurè inſinuabat, ſaltem judiciaria, cæremonialia & poſitiva, ſub decretum Dei cadere, alia non; Non inficior equidem Dei decretum & conſilium fuiſſe ab æterno, talia mandata, tam naturalia quam poſitiva, creaturis intelligentibus ferre, in normam officij & obſequij quod ſibi ceu Creatori debent; Verum ex eo quod Deus decrevit talia mandata nobis præſcribere, idque ſub graviſſimis comminationibus & promiſſionibus ſuaviſſimis, tam abſurdè colligas hæc ipſa mandata decretis Dei eſſe annumeranda, quam ineptè confunderes res divinitùs decretas, cum Divino decreto de illis extituris.

Quamquam enim velle] At ſanè, Crellî, ſi ut ante voluiſti, decreta Deî cum illius affectibus confundi non debent, non potes ſtatuere ad affectum deſiderij reſtringi illud Dei velle quo declarat quid ab hominibus fieri velit, quin illud ipſum rejicias ex ordine decretorum ipſius.

Decretum divinum, quanquam] Agnoſco innexum quadantenus Dei mandatis duplex decretum: Vnum de ipſis mandatis promulgandis: alterum de exſequendis promiſſionibus & minis ijſdem mandatis ſuperadditis, prout illa vel obſervata, vel violata fuerint: Sed utrumque eſt *abſolutum*: Nam Deus & abſolutè decrevit hæc mandata promulgare, quod docuit eventus; & decrevit abſolutè, ut remunerari obedientiam eorum qui ſua mandata ſervarint, ſic eos punire qui illa violaverint. Et quemadmodū Deus abſolutè *vult mandata ſua obſervari*, nemini factâ peccandi indulgentiâ, ita abſolutè vult & ſtatuit *pœnæ illos eſſe obnoxios*, qui ſua hæc mandata non obſervarint. Interea tamen aliud eſt Dei mandata ex decreto Dei aliquo promulgari, aliud ipſamet mandata Dei, decreta quædam ſpecialia ſuo conceptu ſonare. Addo quod ex hypotheſibus Crellij, nequidem huic uni decreto Divino quod vult mandata Dei in ſe includere, locum eſſe concedendum: Decreta enim ipſius non ſunt, juxta Crellium, de rebus naturalibus & neceſſarijs: at neceſſarium eſt eos reatum contrahere & obnoxios pœnæ fieri qui mandata ejus violant: imò ad naturalem ejus juſtitiam pertinet, ut illis transgreſſoribus id non ſit impune: Ac viceverſâ naturalis & neceſſariæ eſt benignitatis in Deo, non relinquere præmio deſtitutos eos qui ſua mandata ſedulò obſervarint: Quare juxta Crellium non cenſebitur Deus ſpeciale decretum feciſſe, de præmiandis bonis, ſi qui tales extent, & puniendis malis: ſed ſuis comminationibus & promiſſionibus, non tam decretum ſuum emiſiſſe, quam explicaſſe quid à ſua naturali tum juſtitia tum benignitate neceſſariò & infallibiliter ſit expectandum mortalibus, prout ſe circa illius mandata geſſerint.

Permiſſionum hic nullam] Imò decretum Dei permiſſivum peccati pertinet ad eum divinorum decretorum ordinem qui ex diverſitate pendet earum rerum de quibus aliquid ſtatuit Deus; cum decernat non ſolum quæ bona ſunt efficere, ſed etiam quæ mala ſunt permittere fieri.

Siquidem permittere] Benè diſtinguitur, permiſſio juris, à permiſſione facti: Sed quamvis utrobique ſit quædam non impeditio actus, tamen in illa ſola, neutra conſiſtit: Nam quoad permiſſionem juris, per

ris, per illam non tantum actus non impeditur, ſed etiam cum ſit legitimatur, ut debeat haberi pro honeſto, aut ſaltem pro licito: nec tamen habet ullam futuritionis neceſſitatem; Et quoad permiſſionem facti, ut per illam actus non legitimatur, ſic etiam per eam non ſolum non impeditur, ſed etiam neceſſariò ac infallibiliter evenit, neceſſitate conſequentiæ, atque ad bonum & ſalutarem finem à Deo dirigitur. Quin permiſſio juris pertinet propriè ad Dei mandata, ſed permiſſio facti ad illius decreta referri debet.

331. Quòd verò tertio loco attinet ad decernendi modum; duplex hinc decretorum diſcrimen oritur. primùm enim vel ſimpliciter atque abſolutè aliquid decernit Deus, vel cum conditione. Simpliciter olim decrevit Deus, mundum condere, ac gubernare. At non ſine conditione decrevit Deus homines ſervare; ſed ſi crediderint, & ita quidem crediderint, ut fidem ſuam vitæ pietate veluti animent, & in ea uſque ad finem vitæ conſtanter perſeverent.

‡ *Primum enim vel ſimpliciter*] Nulla eſt decretorum divinorum diſtinctio quam magis urgeant Sociniani, ſed revera nulla eſt quæ minus ſit admittenda. Si enim darentur decreta Dei conditionata, quorum executio ſuſpenderetur ex conditione dubia, poteſtativa & eventus incerti, tum nec rata ſemper forent Dei conſilia & decreta, contra quam tota docet Scriptura, & deberet Deus animi pendere, & anxius expectare quid per creaturas de conditione propoſita eveniret; ac ceſſante conditione, oporteret eum ſpe ſuâ fruſtratum, nova inire conſilia, neque res & occaſiones ſuis accommodare conſilijs, ſed illa rebus & occaſionibus, ut poſſet, adaptare. Et cum conditio nihil ponat in eſſe, decretum conditionatum non tam eſſet de re aliqua futura, quam de re aliqua poſſibili; licet mera poſſibilitas magis præcedat decretum quam cadat ſub illud, cum fundetur vel in cauſarum ſecundarũ activitate, vel in potentia cauſæ primæ, ſitque omne decretũ rei poſſibilis determinata futuritio. Imò cum conditio poteſtativa & caſualis æquè poſſet ceſſare & non eſſe ac dari & eſſe, omne decretum conditionatum ſimul eſſet affirmativum & negativum; nec eſſet ratio cur potius cenſeretur Deus decreviſſe rem illam quæ pendet ex conditione incerta, quam illius contrarium; Nam ubi Deus dicitur decreviſſe conditionaliter omnes ſervare, ſi crediderint; pari ratione dicitur decreviſſe conditionaliter omnes perdere, ſi increduli fuerint. Vno verbo tam impoſſibile eſt non evenire & fieri quod Deus ſemel decrevit, quam neceſſe eſt fieri quodcunque vult Pſal: cxv, 3. & neminem poſſe ejus voluntati reſiſtere Rom: ix, 19. Abſoluta itaque ſunt omnia decreta Dei; id eſt certa & infallibilia, ac eventus ſemper indubitati & certi, licet res decretæ per ſuas cauſas ſuaque media legitima ſint proceſſuræ.

Simpliciter olim] Agnoſco dari decreta quædam Dei de rebus ab ipſo immediatè futuris, & ad quorum executionem nullus actus Creaturæ intellectualis debeat intervenire, quale fuit decretum de creatione mundi; & quædam alia quæ ſuam exſecutionem non conſequuntur niſi per actus quoſdam voluntarios creaturarum; quale eſt Dei decretum de electis ſervandis interventu reſipiſcentiæ & fidei; Sed 1. Nego talia decreta eſſe conditionata, & eventus dubij ac incerti: Nam Deus decernendo ſuis ſalutem obtinendam reſipiſcentiâ & fide

Digitized by Google

& fide, ſimul decrevit ipſis dare eam fidem & reſipiſcentiam quæ requiritur ad ſalutis decretæ conſequutionem infallibilem. II. Aliud eſt Deum non decreviſſe quemquam ſervare niſi per legitima media, inter quæ ſunt ipſiuſmet ſervandi actus quidam obedientiales, quod ultrò largimur; aliud ſtatuere decretum de his & illis ſervandis per legitima & convenientia media eſſe conditionatum & eventus incerti, quod adverſarius perperam arbitratur. Nam licet fides, reſipiſcentia, perſeverantia, habeant rationem conditionis prærequiſitæ ad ſalutem, ut ſine illis ſalus non debeat expectari, non habent tamen rationem conditionum incertarum & poteſtativarum ad Dei decretum æternum de ſalute huic & illi in Chriſto conferenda. III. Tantum abeſt ut Deus decreverit ſuis ſalutem ſub ejuſmodi conditionibus poteſtativis & incertis, ut è contrario eo ipſo decreto quo illis ſalutem decrevit, decreverit quoque illis fidem, pietatem, perſeverantiam, & omnia omninò media ad ſalutem neceſſaria; juxta axioma Theologicum indubitatæ veritatis, *Qui deſtinat ad finem, deſtinat etiam ad media.* IV. Fruſtrà concipietur in Deo decretum quoddam commune & indeterminatum, de hominibus ſervandis *ſi crediderint*; Cùm enim optimè norit qui ſui ſint 2. Tim: II, 19. & quos elegerit, nonniſi ſignatè & determinatè his & illis nominatim decrevit ut ſalutem per fidem in Chriſtum, ſic ipſam fidem & perſeverantiam, ſine quibus ſalus non poſſet obtineri. Quia vero omnes ſuos electos decrevit hac unâ & communi viâ adducere ad ſalutem, hinc exurgit illa propoſitio hypothetica, *Servabit pro certo Deus peccatores ſi crediderint.* Et quemadmodum verum eſt aſinum volaturum ſi alas haberet, quod Deus conſtituerit omne animal quod alis inſtruxerit eo ipſo eſſe volatile, etſi inde nemo ſanus fabricetur decretum Dei conditionatum quo ſanciverit aſinos quoque volaturos ut muſcas, ſi alas conſequantur; ita etiam verum eſt peccatores ſervandos à Deo ſi crediderint, eo quod conſtituerit neminem eorum quibus decrevit ſalutem, de facto ſervare niſi per reſipiſcentiam & fidem; etſi id non importet ex parte Dei decretum conditionatum & indeterminatum, de hominibus ſervandis ſi crediderint. V. Decretum iſtud commune de hominibus ſervandis ſi crediderint, non magis dici deberet decretum conditionatum de hominibus ſervandis, quam decretum conditionatum de illis perdendis: Nam ut eſſent ſervandi ſi crederent, ita eſſent damnandi ſi increduli permanerent. Denique valde abſurdè fides, ſanctificatio, perſeverantia, ad conditiones poteſtativas referrentur quoad eos qui ſervantur, cùm non ſeipſos diſcernant teſte Paulo 1. Cor: IV, 7. & eximia ſint ac ſingularia Dei beneficia, in eos demum per Gratiam efficacem collata, ex eodem illo decreto quo Deus determinatè & abſolutè decrevit illis ſalutem conferre.

Et talia quidem Dei decreta non ſemel in ſcripturis reperiuntur, quæ, ipſâ verborum formâ inſpectâ, conditionem adjunctam habent. Apud Moſen enim non panca extant loca, ubi populo Iſraelitico tum promiſſiones divinæ, tum comminationes, præmia ac pœnæ, proponuntur; illa, ſi Dei mandatis paruerit; hæ, ſi non paruerit. vide inter alia Levit. caput 26. (*verſu 3, 14, 18, 21, 23, 27.*) & Deuter. 11. (*verſu 13, 22, 27, 28.*) & 28. (*verſu 1, 2, 13, 15, 58.*) & 30. (*verſu 1, 10, 17.*) Ierem. 17. 24, 27: 18. 8: 22. 4, 5. (*vid: etiam*

 1 Sam: 12.

1 Sam: 12. 14, 15, 25. 2 Par: 15. 2, 3. Eſa: 1. 19.) Talia fuerunt Dei decreta ac promiſſa Davidi olim ac Salomoni propoſita, de quibus in libris Regum eſt legere. *(3 Reg: 3. 6: 8. 25.)* Sic & in Novo fœdere legimus: *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. (Rom: 8. 13.) Si confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris (Rom: 10. 9.) Si commortui ſumus,* (nempe cum Chriſto,) *& convivemus: ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus: ſi negaverimus, & ille negabit nos. (2 Tim: 2. 11, 12.)* quibus alia etiam apud ſacros Novi fœdiris ſcriptores ſimilia reperies. *(Luc: 13. 3, 5. Rom: 8. 17: 11. 23. Gal: 5. 18. Heb: 3. 14. 1 Ioh: 1. 7, 9: 3. 21, 22.)* Verùm & illud, cùm de conſtantia Dei ageremus, oſtendimus, decreta Dei, ſive promiſſionibus ea contineantur, ſive comminationibus, interdum ſine conditione exprimi, quam tamen neceſſariò ſubintelligendam eſſe, tum ratio ipſa, tum eventus docet. Quandoquidem factis hominum, ad quos decreta illa pertinebant, mutatis, ipſa quoque decreta fuerunt mutata, ſeu mavis decretorum illorum effectus non fuit ſecutus. Atqui is ſequi omnino debuiſſet, ſi decreta illa prorſus fuiſſent abſoluta, nec tacitam conditionem habuiſſent adjunctam. Id enim Dei conſtantia, & in promiſſionibus fides ac juſtitia poſtulaſſet.

‡ *Et talia quidem decreta*] Quæ loca hîc citantur, ſive potius abſque neceſſitate coacervantur, ſpeciali non egent examine; Agnoſco quidem comminationes & promiſſiones Divinas conditionaliter nobis proponi in Scripturis; ſed quandoquidem conditio nihil ponit in eſſe, ut illæ loquutiones hypotheticæ non ſupponunt in nobis vires & facultatem obediendi, ita nec ponunt in Deo decretum aliquod conditionatum & incertum de eventu ancipiti & caſuali: Nec poteſt in eo decretum ſtatui, ex quo ſequeretur utrumque oppoſitorum æqualiter eſſe à Deo decretum; at ſi ejuſmodi vel promiſſio vel comminatio conditionalis facit decretum conditionatum, Deus erit cenſendus eodem actu voluntatis decreviſſe duo oppoſita, ideſt rem futuram & non futuram: futuram nempe conditione poſitâ; non futuram, conditione ceſſante & ſublatâ. Sed quod hîc eſt palmarium, nulla ratione poſſunt comminationes ac promiſſiones Dei conditionales ad ejus decreta referri: Nam decretum habet veritatem categoricam de re futura, aut non futura: ſed comminationes & promiſſiones hypotheticæ, oſtendunt duntaxat neceſſarium nexum conditionis cum conditionato, nullamque futuritionem vel portendunt vel involuunt: Sunt appendices mandatorum divinorum, adeoque pertinent ad voluntatem Dei præcipientem, non ad decernentem. Qui promittit aut minatur ſub conditione poteſtativa & caſuali, non prædicit aut decernit quid ſit eventurum, ſed tantum indicat quid evenire queat, conditione præſtitâ vel neglectâ.

Quandoquidem factis hominum] Verum quoniam Deus eſt immutabilis & quoad eſſentiam ſuam & quoad ſua decreta, hæc ſanè nec mutari, nec ſuo eventu fruſtrari poſſunt: Aliàs eſſet homo fortior Deo, & poſſet creatura pro arbitrio omnem rationem conſiliorum divinorum ſubvertere, & ordinem quem illis præſtruxit ſummâ ſuâ ſapientiâ omninò conturbare.

turbare. Quare ex eo quod promiſſiones vel comminationes conditionatæ eventu ſuo ſæpè carent, potius colligendum erat illas ſpecialia Dei decreta quæ ſint conditionata conſtituere non poſſe; cùm omnia Dei decreta hactenus ita ſint abſoluta, ut eorum effectus certò & indubitanter ſequatur. Conſilia & decreta hominis ſunt ut plurimum conditionata; cum pendeant ex rebus dubijs & incertis, & quas in ſua poteſtate non habet. Ita quis decernit ſe navigaturum, ſed conditionatè, ſi navis fuerit præſtò, & ventus faveat: & Iacobus eos carpit qui abſolutè ſibi proponunt hoc vel illud ſe facturos, cùm dicendum fuiſſet, *Si Dominus voluerit, & ſi vixerimus* Iac: IV, 15. At cum Deus omnia habeat in ſua poteſtate, etiam hominum corda & voluntates, decreta ſua format abſolutè, eoque talia ut indubitatam exſecutionem conſequantur. Et tantum abeſt ut hominibus facta ſua mutantibus Deus ſua decreta mutet, ut è contrario omnis illa factorum humanorum mutatio procedat ex æterno, irrevocabili & immutabili Dei decreto; adeo ut ipſemet eventus & mutatio humana ſit index ejus quod Deus antea futurum decreverat vel effectivè, vel permiſſivè.

Atqui is ſequi] Sed ex eo quod effectus ſæpè non ſequatur promiſſiones & comminationes conditionatas, deficiente ſcilicet conditione, evidenter patet illas decretis Divinis non eſſe annumerandas. Fateor equidem illas hypotheticas propoſitiones reſolvi debere in aliquod Dei decretum; ſed tamen nec illæ in ſuo formali conceptu pro decretis poſſunt haberi, cùm ad voluntatem præceptivam, non decretivam pertineant; & decretum in quod reſolvuntur non eſt conditionatum & incerti eventus, ſed ſimplex & abſolutum: V. G. Illa comminatio, *Si vixeritis ſecundum carnem moriemini*, ut ita exprimitur, urget nos ad officiũ ſub horribili pœna, ſed non exprimit quid Deus decreverit, & num ex ipſius decreto ſimus facturi officium & victuri, an officium neglecturi & morituri: Fundatur tamen utcunque in decreto, ſive potius aſſerto hoc abſoluto, atque ex eo exſurgit, Morituros qui ſecundum carnem vixerint. Deus non decrevit conditionatè hominem fore riſibilem ſi rationalis fuerit, eo quod hæc propoſitio hypothetica ſit vera, ſi homo rationalis eſt, eſt quoque riſibilis; & enaſcatur ex iſto decreto & conſilio abſoluto, quo voluit riſibilitatem eſſe conſequens rationis, & hominem creare animal rationale.

Addi hoc loco & illud poteſt, in promiſſionibus Dei generalibus, & ſimiliter etiam in comminationibus, quæ abſolutè efferuntur, in quibus nimirum ſubjecti loco ponuntur ii, qui conditionem vel boni alicujus adipiſcendi, vel pœnæ luendæ impleant, conditionem illam ſæpè ita eſſe intelligendam, ut perſeverantiam quoque in ſe includat. Nam cùm v.g. dicitur à Johanne: (*Ioh: 3. 36.*) *Qui credit in Filium habet vitam æternam*: *qui autem incredulus eſt* (vel *non obedit*) *Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum*: aut à Paulo: (*Gal: 5. 21.*) *qui talia* (nempe opera carnis) *faciunt, regnum Dei non conſequentur*: utrobique perſeverantia includitur. Scimus enim, eum demum, qui 332.
ad finem uſque in fide perſeveraverit, ſalvum fore, qui verò fidem deſeruerit, periturum: (*Mat: 10. 22: 24. 13. Heb: 10. 36, & d.*) & contrà eum, qui priſtina peccata ejuraverit, eorum veniam, regnumque adeò cœleſte conſecuturum

 quuturum

Digitized by Google

quuturum eſſe. Id quod obſervandum eſt propter ea decreta aut promiſſa; quæ à nonnullis nimis laxè atque abſolutè ſumuntur, ut cùm dicitur, oves Chriſti non perituras in æternum. (*Ioh*: *10. 28.*) Intelligitur enim, ſi ipſius oves eſſe perſeveraverint. quòd ſi deſierint eſſe Chriſti oves, id quod in earum arbitrio eſt ſitum; cum Deus illis vim non faciat, nec invitas ad obſequium cogat; perire non tantùm poſſunt, ſed & certò perituræ ſunt.

‡ *Vt perſeverantiam quoque*] Promiſſiones & comminationes Euangelicæ ita ſpectant perſeverantiam in fide vel in peccatis, ut tamen utramque perſeverantiam non faciant ejuſdem generis: Nam præterea quod continuatio in peccatis, minus commodè *perſeverantia* dicitur, quod nomen vix aliter quam in bonum ſenſum ſolet uſurpari, illa per gratiam Dei interrumpitur in ſuis electis, quos traducit ex poteſtate tenebrarum in regnum lucis; Aſt perſeverantia eſt adjunctum infallibile veræ fidei, ut pote quæ ad illa Dei dona pertinet quæ ſunt ἀμεταμέλητα Rom: XI, 29. Vt verus amor, ſic vera fides nunquam perit; ſed jugi Dei cuſtodiâ I. Pet: 1. 4. 5. & efficaci Chriſti interceſſione Luc: XXII, 32. ab interitu aſſeritur: Et ſi qui deficere videntur, ij nunquam veris fidelibus fuerunt annumerandi: Stella cadens non vera ſtella fuit, etſi ejus lucem & motum ad tempus mentiretur I. Ioh: II, 19. *Fidem nemo unquam perdit niſi qui non habet*, ut hîc cum Publio Syro loquar. Hæc lampas ſemel Dei Spiritu & gratiâ accenſa in cordis humani ſanctuario languet aliquando, ſed nunquam penitùs extinguitur.

Qui vero fidem] Si per impoſſibile aliquis verâ fide donatus, ab ea penitùs deficeret, proculdubio eſſet periturus; ob inſeparabilius vinculum & arctiorem connexionem fidei & ſalutis, quàm olim fuit Romæ inter duo delubra Virtutis & Honoris, ſic fabricata à Marcello, ut in hoc nonniſi per illud pateret aditus. Sed extra illud periculum ſunt veri fideles, etiam ex Apoſtoli teſtimonio hîc citato Heb: X, 36. 37. 38. 39. & qui naufragium faciunt fidei & ſalutis, excidunt duntaxat fide quæ creditur, quam ad tempus profeſſi ſunt; non vero fide quâ creditur quam nunquam habuerunt: *Qui cecidit ſtabili non erat ille gradu.*

Id quod obſervandum] Niſi vitilitigandi cacoethes hos homines abriperet, non auderent negare, hoc eſſe decretum firmius edictis Perſarum & Medorum, trabalique & adamantino fixum clavo, *Oves Chriſti non perituras in æternum*; cùm electionis Divinæ *firmum ſtet fundamentum* 2. Tim: II, 19. & Chriſtus doceat impoſſibilem eſſe totalem & finalem ſeductionem electorum ſuorum Matth: XXIV, 24. ut pote quorum nomina non ſcripta ſint in arena, in qua facilè deleantur, ſed in cœlo, Luc: X, 20. Quod ſi oves Chriſti poſſent perire, tunc poſſet fieri ut fruſtra Deus ante jacta mundi fundamenta præparaſſet illis regnum cœlorum, & Chriſtus ipſe, qui animam ſuam poſuit pro ſuis ovibus, fruſtra mortuus eſſet, nullis per ſuum ſanguinem aductis ad gloriam & ſalutem. Quæ ergo ſemel fuerint oves Chriſti, ſemper tales manent; ac ſicut ſuo arbitrio ad hunc honoris gradum non ſunt evectæ, ſed ſingulari & ſpeciali Dei electione atque beneficio, ita illarum in eo ſtatu perſeverantia & permanentia, ex earum arbitrio non pendet, ſed ex immutabili Dei decreto, conſtantique illius cuſtodia, & efficaci ea gratia per quam bonum opus quod in illis cœpit perficit uſque in diem Chriſti Phil: I, 6. Nec ideo dicendum quod *Deus illis vim faciat, aut invitas ad obſequium cogat*, ſed quod operetur in ipſis & velle & perficere

perficere Phil: 11, 13. Vis non fit cœlitibus, nec inviti coguntur ad amandum Deum, etſi certò & infallibiliter eum amenr, nec poſſint ab ejus amore deſiſtere.

Habent autem hujuſmodi decreta vim conditionatorum, non modò quòd perſeverantiæ conditionem tacitè habent incluſam; ſed etiam ideò, quia res illa, in qua perſeverantia iſta cerni debet, conditio revera eſt. Itaque decreta hujuſmodi, licèt abſolutè elata, in conditionata reſolvi facilè poſſunt. Si enim loco ſubjecti, abſolutè poſueris illarum perſonarum genus, quæ certa quadam qualitate aut actione nunc ſunt definitæ; deſcriptio illarum, conditionis loco apponenda erit. ut ſi in verbis ex Johannis cap. 3. citatis, loco eorum, qui credunt in Dei filium, aut non credunt homines poſueris; credere aut non credere in Dei filium, conditionis loco apponendum erit, ſub qua vel vita eos maneat, vel vitæ ſempiternæ jactura, æternaque Dei ira. Perinde enim eſt, ac ſi dictum eſſet: Quivis hominum, ſi in Filium Dei, & quidem uſque ad finem, crediderit, habebit vitam æternam; quivis verò hominum, ſi non crediderit, in eaque incredulitate perſeveraverit, vitam non videbit, ſed ira Dei ſuper ipſum manebit.

‡ *Habent autem hujuſmodi*] Omne quidem Dei decretum de hominum ſalute includit fidem & perſeverantiam, ut media ad finem & conditiones antecedenter ſe habentes ad decretam ſalutem, licet non ad decretum ſalutis: ſed ita ut iſtæ conditiones fluant ex eodem decreto & vi illius ponantur in electis. Et quamvis quædam propoſitiones hypotheticæ, cujuſmodi illæ ſunt quæ hîc ſcrupuloſè referuntur à Crellio, enaſcantur ex decreto Dei abſoluto, non tamen ex illis fabricanda ſunt decreta conditionata dubij & incerti eventus, qualia perperam defendit adverſarius. Verum ſic oportuit eum loqui, cui fides eſſet non ſingulare & ſpeciale gratiæ donum, ſed arbitrij humani effectus, eouſque ut Deo ejuſque gratiæ in poſterum nihil debeant Chriſtiani, quibus credere & in fide perſeverare obtigerit.

Eſt autem diſcrimen hoc decretorum divinorum, de quo hucuſque diſſeruimus, non exigui momenti. Etenim hinc fit, ut quædam Dei decreta neceſſariò ad exitum perducantur, quædam non neceſſariò. Abſoluta enim Dei decreta ſemper ac neceſſariò ad exitum perducuntur, ita conſtantiâ Dei, ut ſuprà jam monuimus, poſtulante. Et de his loquunter illa ſacræ ſcripturæ loca, in quibus aſſeritur, Deum, quicquid vult, facere, ſeu ad exitum perducere. inter quæ ſunt illa Pſaltæ inprimis: (*Pſal: 115. 3. Latin: 113. 11.*) ***Deus noſter in cœlo: omnia, quacunque voluit, fecit***, h. e. quæcunque vult, aut voluerit, facit: de quibus verbis alibi jam diximus. Sic & illa Dei, ſuperiùs jam ex Eſaia citata: (*Eſa: 46. 10.*) ***Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet***, vel, ***& omnem voluntatem meam faciam.*** & illa ex eodem Propheta adducta:

Digitized by Google

adducta: (*cap: 14. 27.*) *Dominus exercituum decrevit* (ſeu *conſuluit*,) *& quis poterit infirmare?* (ſeu *quis irritum faciet?*) quin & illa Apoſtoli, licèt per modum objectionis cujuſdam ab eo prolata. (*Rom: 9. 19.*) *Voluntati ejus quis reſiſtet?* At illa Dei decreta, quæ conditionem aliquam habent annexam, &
333. ad quorum exſequutionem Deus liberum voluntatis noſtræ actum vult intervenire, non ſemper ad exitum perducuntur; imò interdum in contrarium vertuntur.

† *Etenim hinc fit*] Æterna Dei decreta, cùm ſint abſoluta, ideſt non pendeant in incerto ex dubia conditione, *neceſſariò ad exitum* perducuntur, ita conſtantiâ & immutabilitate ipſius poſtulante: Quò ſpectant loca Pſaltis, Eſaiæ & Pauli à Crellio allegata: Nec diverſa ab ijs cenſeri debent illa *ad quorum exſequutionem* Deus *liberum voluntatis* creatæ *vult intervenire*: Quamvis enim non ſortiantur ſuum eventum per media neceſſariò agentia, tamen illum neceſſariò & infallibiliter conſequuntur: Infinita in Scripturis proſtant exempla eorum Dei decretorum quæ infallibilitatem eventus abſolutam habuêre, licet fuerint exſequutioni demandanda per actus liberos Creaturarum. Abſolutum erat Dei decretum de Ioſepho exaltando in aula Pharaonis, & præmittendo in Ægyptum ut ſuo tempore inſerviret paternæ familiæ alendæ & ſuſtentandæ: Fuit nihilominus ad ſuum exitum perductum per varios actus non liberos modò ſed etiam vitioſos creaturarũ, quos Deus ad ſuum finem vi illius decreti dirigebat & ordinabat Gen: L, 19. 20. Abſolutũ erat Dei decretum de Ieſu Chriſto morti violentæ ſubjiciendo pro nobis; idque per varios actus liberos Creaturarum, per quos conſilium ſuum executioni mandavit Act: IV, 28. Quare tantum abeſt ut per liberos voluntatis noſtræ actus intervertantur ac impediantur Dei conſilia, ut illi è contrario ſapientiſſimè ac potentiſſimè ab ipſo ordinentur ad exequutionem eorum. Se habet decretum Dei ad voluntates creatas, ut primum mobile ad ſphæras inferiores, quas rapit ſuo impetu, manente illis tamen eo motu ſpeciali qui unicuique competit.

Hinc legimus apud Lucam cap. 7. (*verſu 30.*) *Phariſæos & Legiſperitos conſilium Dei ſpreviſſe*, vel *irritum feciſſe* (eſt enim in Græco ἠθέτησαν) *in ſemetipſos*, quia nimirum baptizari à Johanne noluerint. Voluit enim Deus eos ad ſeſe per Johannem convertere, & porrò peccatis ipſorum deletis ad regnum cœleſte per Chriſtum perducere. ſed quia baptizari à Johanne, & hoc pacto doctrinæ ipſius initiari noluerunt, irritum hoc Dei conſilium, quod ad ipſos attinebat, fecerunt. Sic tum apud eundem ſcriptorem, (*Luc: 13. 34.*) tum apud Matthæum, (*Mat: 23. 37.*) ait Chriſtus, urbem Hieroſolymitanam alloquens, & conſtantem Dei, in incolumitate ac ſalute ejus quærenda, voluntatem ac ſtudium explicans: *quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* quibus alia quoque non pauca in ſacris literis occurrunt ſimilia. è quibus ſunt & illa, quæ ſuprà jam adduximus de Conſtantia Dei agentes. Oſtenſum enim eſt, Deum, quæ hominibus promittit, aut comminatur, moribus

Digitized by Google

ribus eorum mutatis, revocare; quin precibus interdum ſolis in mitiorem ſententiam flecti. Unde pœnitentiam ipſi non ſemel in ſacris literis tribui ſuperiori capite vidimus.

‡ *Hinc legimus apud*] Hîc, uti jam ante inſinuavi, conſilium Dei non debet ſumi paſſivè de decreto aliquo quod formaverit apud ſe, ſed potius activè, de conſilio ſalutari quod Phariſæis & legisperitis ſubminiſtravit per Iohannem: Pertinet autem id genus conſilij ad voluntatem Dei præcipientem, non ad decernentem, ut etiam Prov: I, 25.30. Act: XX, 27. Apoc: III, 10. Non igitur ſuâ contumaciâ reſciderunt, aut irritum fecerunt ullum Dei decretum, ſed ſpreverunt ſuo damno viam illam reſipiſcentiæ & ſalutis ad quam miniſterio Iohannis invitabantur.

Sic tum apud eundem] Hic non agitur de ullo Dei decreto, quod iſti homines præter ipſius expectationem & mentem irritum fecerint, ſed de Chriſti quà Propheta erat & Miniſter circumciſionis ſtudio & ſolicitudine in iſto populo ad reſipiſcentiam & ſalutem evocando: Quod ſtudium, cùm gens in malo obfirmata & in propriam conjurata perniciem flocci feciſſet, extremam illam ſibi attraxit ruinam, quam multo ante certò decretam, & per Danielem prædictam Dan: IX, 26. iterum illi Chriſtus certiſſimè denunciat. Quin etſi hîc voluntas Dei decernens intelligeretur, nihil bonæ cauſæ ideo decederet: Nam quod Deus hac in re voluerat & decreverat effectum dedit, ſub alas gratiæ ſuæ colligendo filios Ieruſalem, ideſt multos ex illa plebe ad ſe & communionem ſuæ ſalutis efficaciter evocando, invitis & contra nitentibus quantum poterant urbis primoribus, qui per Ieruſalem ipſam diſtinctè à ſuis filijs hic intelliguntur: quique illâ ſua contumaciâ & renitentiâ, decretam ſibi cladem ultimam meritò attraxerunt.

Oſtenſum enim eſt] Sed promiſſiones & comminationes decretis Divinis non debere accenſeri, jam ante dedi probatum: Nec Deus revocat ſua decreta, ubi ad ipſius promiſſiones vel comminationes, homines ſuos mutant mores; ſed potius id ipſum exequitur quod eventurum per illas promiſſiones aut comminationes decreverat: nec ſententiam priorem mutat precibus piorum; ſed per illas ipſas preces, quod futurum conſtituerat perducit ad exitum.

Unde pœnitentiam] Eam vero impropriè & per ἀνθρωποπάθειαν debere intelligi, ſatis evicimus. Portendit illa mutationem non conſilij Dei intra ſe, ſed operum ſuorum ex illius æterni ſui conſilij directione mutationem extra ſe.

His addi poſſunt illa Dei apud Moſen de populo Iſraelitico: (*Num: 14.30.*) *Non intrabitis in terram, ſuper quam levavi manum meam,* (h. e. juravi) *ut habitare vos facerem* (addit Hebræus codex *in ea,*) *præter Caleb filium Iephuna, & Ioſue filium Nun.* Licèt enim promiſſio illa iuramento confirmata, de Iſraëlitis in terram Chananæam introducendis, non videatur per ſe illis ipſis Iſraelitarum perſonis adſtricta fuiſſe, quas Deus terram illam non ingreſſuras in his verbis aſſerit; ſed Iſraelitis abſolutè ſeu generatim conſideratis: ſatis tamen, tum ex his verbis, tum ex tota illa populi ex Ægypto educti hiſtoria apparet, voluiſſe Deum in his ipſis Iſraelitis promiſſionis ac juramenti ſui fidem implere.

Digitized by Google

implere. præſertim quia tempus certum ei rei conſtitutum à Deo jam olim fuerat; (*Gen: 15. 16.*) quod etſi laxiùs accipi poſſet, tamen jam tum Deo viſum eſt adveniſſe aut appetere, cùm per Moſen populum ex Ægypto curaret educi. Interea tamen ſatis apparet, non ita ſtrictè id fuiſſe accipiendum, uti nec verba ipſa poſtulant, quominus poſſet Deus rem, ob ingratitudinem ac contumaciam populi, aliquò uſque differre, & quod populo generatim promiſerat, illis præſtare, qui eo beneficio minùs eſſent indigni.

‡ *His addi poſſunt*] Iuramentum illud non importat decretum ullum Dividum de re futura, ſed tantum ſolemnem promiſſionem, factam tamen ſub conditione, quâ ceſſante ceſſabat promiſſio & contractus. Adhæc, quod etiam ſatis apertè agnoſcere cogitur adverſarius, etſi Deus decreverat gentem Iſraeliticam, ſive poſteros Abrahæ, introducere in terram Canaan, non tamen decreverat id exſequi in perſonis murmuratorum & contumacium iſtorum, quos è contrario decreverat perituros, ideſt pœnas ſibi ſuorum ſcelerum daturos in deſerto.

Voluiſſe Deum in his] Si id intelligat Crellius de voluntate decernente, contrarium liquet ex eventu; Sin vero de voluntate præcipiente & promittente, ſub conditione obſequij prçſtandi, nihil id obeſt noſtræ cauſæ: Et cũ omnia illi populo contingerent *in figura* 1. Cor: x, 11. utiq; ex certo, ſapienti & infallibili Dei decreto ſic ea eveniſſe dubitari non poteſt.

Interea tamen ſatis] Si juramentum intelligeretur de decreto, ſic deberet concipi factum ad ipſam gentem in communi, ut tamen non ſpectarit ſingula ejus individua; ſed ea demum quæ ad ſequentem generationem pertinerent. Sin accipiatur, quod convenit magis, de promiſſo, ceu pertinente ad voluntatem præcipientem, mirum non eſt illos eo excidiſſe, qui conditioni ſtare neglexerant; manente tamen abſoluto Dei decreto quo ſuis de cauſis ſtatuerat illam iſtorum contumaciam permittere, & præſentis illius generationis individua non intromittere in terram promiſſam.

Idem de aliis non paucis Dei decretis ſtatuendum eſt; & inter alia de illo, quo Paulum *ex utero matris ſegregaſſe* dicitur, (*Gal: 1. 12. conſ. verſu 16.*) nem-
334. pe ad Evangelium, & quidem inter Gentes extraneas prædicandum. quibus non abſimilia de Jeremia legimus, quem ut initio Prophetiæ ipſius videre eſt, Deus ita allocutus ſcribitur: (*Ierem: 1. 3. vid: Iob: Maldonatum in hunc locum.*) ***Priusquam te formarem in utero, novi te:*** (h. e. ad munus propheticum obeundum te deſtinavi:) ***& antequam exires de vulva, ſanctificavi te, & Prophetam in Gentibus dedi te.*** Nam cum Paulus ipſemet aſſerat, ideò tantum ſe miſericordiam conſequutum eſſe, ut, licèt antea blaſphemus, & perſequutor, & contumelioſus fuiſſet, tamen à Chriſto fuerit ad miniſterium, hoc eſt, Apoſtolatus functionem adhibitus, *quia ignorans* iſta *fecerit in incredulitate:* (*1 Tim: 1. 12, 13.*) facilè intelligi poteſt, ſi iſta tam gravia peccata ſciens prudens, contraque animi conſcientiam admiſiſſet, eum miſericordiam iſtam non fuiſſe conſequuturum. Et profectò indigniſſimus fuiſſet, non tantùm tam præſtanti

Digitized by Google

ſtanti tamque eximio munere, ſed etiam omni venia; utpote qui Spiritum ſanctum blaſphemaſſe dicendus eſſet. Ex quo porrò conſequitur, iſtud Dei decretum, de eo ad ſanctum munus adhibendo, quod ab utero matris de ipſo factum fuerat, omnino conditionem tacitam habuiſſe annexam, nempe, niſi ſe omni venia, ac porrò tam ſancto munere planè indignum redderet. quod quidem feciſſet, ſi veritati agnitæ contumaciter reluctatus fuiſſet, & in gravibus peccatis contra animi ſui judicium perſeveraſſet, ac nefarium cum Chriſto, majeſtatem illi ſuam patefaciente, bellum gerere perrexiſſet..

‡ *Idem de alijs non paucis*] Si ullum eſt Dei decretum quod abſolutum dici debeat, ideſt eventus infallibilis, illud eſt quo Deus Ieremiam in Prophetam & Paulum in Gentium Apoſtolum ordinaverat, & ad ſacra hæc munera ſapientiſſimo ſuo conſilio ſepoſuerat & deſtinaverat ab utero. Et cum Deus conſtituerit Paulum ad Apoſtolatum evocare, etiam eo ipſo tempore quo vaſtabat Eccleſiam & inter vehementiores Chriſtianiſmi naſcentis perſecutores nomen profitebatur ſuum, non tantum debuit præſcire quo furoris eſſet progreſſurus, in cujus medio ipſum deſtinaverat intercipere, ſed etiam unà decreviſſe ſe opus ſuum in eo, non obſtante illo furore & fervore in Iudaiſmo, infallibiliter completurum, eumque ex lupo in agnum, imò in Paſtorem eximium, miraculoſè transformaturum: Quod ſi hoc Dei conſilium de Paulo evocando fuiſſet caſuale & dubij eventus, ita ut potuiſſet non ſuccedere, tunc ea omnia quæ Deus per eum ubi converſus foret efficere ſimul decreverat, dubia fuiſſent & incerta, & illo ceſſante plurima alia ex eo pendentia una concidiſſent; & ſic parum ſapienter Deum ſua rationes ſubduxiſſe conſtitiſſet, molem variorum aliorum conſiliorum, quorum executio ex converſione Pauli erat ſequutura, rei tam dubij eventus, ideſt re vera arenæ non rupi, inædificaſſe.

Si iſta tam gravia] Eſto; ſed Deus qui volebat eum iſtam miſericordiam conſequi, & ipſum ideo ab utero ſegregaverat in vas electionis, vi hujus abſoluti ſui decreti impedivit quominus peccaret in Spiritum Sanctum, & ejus corruptioni ac peccatis limites poſuit ne ultra progrederentur: Quin prout ſi ea feciſſet propter quæ iſtam miſericordiam non fuiſſet conſequuturus, inde à poſteriori debuiſſet colligi, Deum non ſegregaſſe ipſum ab utero ad illud munus, ita quod eouſque non proceſſerit, ut blaſphemus fuerit in Spiritum Sanctum, debet refundi in illud ipſum decretum quo ab utero fuerat ſegregatus ad Apoſtolatum & ſalutem. Interea licet Paulus non fuerit *indigniſſimus* per peccatum in Spiritum Sanctum tam *eximio munere & omni veniâ*, ſatis tamen ſe indignum profitetur utroque dum ſua peccata confitetur & ſuam vocationem ſoli Dei miſericordiæ adſcribit: Nec ignorantiam ſuam profert ad ſuam indignitatem elevandam, aut ſuam culpam excuſandam, ſed potius ad Dei gratiam erga ſe agnoſcendam, per quam fuit à tetro illo ſcelere, cujus multi rei fuerant jam tempore Chriſti Matth: XII, 31. 32, miſericorditer præſervatus, & ad Apoſtolatum Chriſti, quem in ſuis membris cœco zelo fuerat perſequutus, miraculoſè & honorificè evocatus.

Nempe niſi ſe omni] At neque homines eo ipſo ſe dignos præſtant veniâ, quod non peccent in Spiritum Sanctum, cùm veniæ neceſſitas & deprecatio indignitatem

Digitized by Google

catem ſupponant, & revera nullus peccator coram Deo ſit dignus veniâ, cùm ſit ex ſanctione legis & jure Dei pœnâ digniſſimus; Neque Paulus ſegregatus fuerat ab utero ad Apoſtolatum, ſub tacita hac conditione *niſi ſe omni veniâ ac porro tam ſancto munere planè indignum redderet*; ſed è contrario non ſe reddidit omni veniâ indignum contumaciter reluctando agnitæ veritati, quod ad ſalutem & Apoſtolatum ab æterno deſtinatus & ab utero ſegregatus fuiſſet: Hic ergo non notatur poteſtativa & caſualis conditio ex qua ſuſpenderetur Dei decretum; ſed firmiſſimi & abſoluti illius decreti conſequens & effectum neceſſarium; Neceſſe enim fuit eum ſe omni veniâ indigniſſimum non præſtare per peccatum quod eſt ad mortem, quem Deus ad veniam conſequendam & vitam ex ea, tum obtinendam in Chriſto, tum annunciandam alijs in Apoſtolatu, elegerat & ſegregaverat ab utero.

Iſtiusmodi enim conditione nihil eſt æquius, nihil rectitudini ac ſanctitati divinæ magis conſentaneum; adeo quidem, ut eâ ſalvâ prætermitti non potuiſſe videatur; niſi dicere velis, Deum decreto ſuo voluntatis arbitrium Paulo hac in parte eripere conſtituiſſe, ita, ut ne poſſet quidem ſciens prudens iſta facere. quod ipſum, ne alia nunc commemorem, verbis ipſius paulò antè citatis minimè eſt conſentaneum. Non enim ideo miſericordiam fuiſſet conſecutus, quia iſta ignorans fecerit in incredulitate, ſed ideo potiùs iſta ignorans tantùm, non verò ſciens feciſſet, quia tantâ illum Deus miſericordiâ immutabiliter decreviſſet proſequi. Adde, quòd non obſcurè ſignificat Paulus, eatenus ſibi eam rem ad miſericordiam tantorumque peccatorum veniam profuiſſe, quatenus id culpæ gravitatem aliquo modo minuerit. Minùs enim gravia cenſentur, & porrò etiam faciliùs condonantur, quæ ignorantes, quàm quæ ſcientes perpetramus, etiamſi tandem ne ignorantia quidem omni prorſus culpâ vacet. Talia enim facta non neceſſariò ſunt veræ malitiæ animo conceptæ, nedum extremæ aut deploratæ,
335. effecta atque documenta. Fieri enim poteſt, ut, ſi is, qui ignorans aliquid deliquit, rem probè ſciviſſet, id minimè fuiſſet facturus, virtutis amore ipſum revocante. id quod in verbis illis tacitè de ſe ſignificat Paulus, & cætera ipſius facta ſatis oſtendunt. At ſi ne potuiſſet quidem ſciens prudens iſta committere, reſque eâ neceſſitatis fuiſſet, voluntatis autem liberæ nullo modo; nihil id ad culpam minuendam feciſſet. Qui enim conſtat, ſi potuiſſet id ſciens prudens facere, quid fuiſſet facturus? qui conſtat, eum tam improbum futûrum non fuiſſe, ut etiam ſciens prudens tantum nefas in ſe admitteret? Quare ſtatuendum potiùs eſt, decreto, quod de Paulo ad Apoſtolatus officium adhibendo, jam multò antè à Deo factum fuerat, illam, quam diximus, conditionem fuiſſe appoſitam.

‡ *Iſtiusmodi enim conditione*] Hanc conditionem ſupponit liberaliter Crellius, nullo demonſtrat agumento: Nec debet id per quod Deus ſuum exequitur decretum, aut

tum, aut quod ex Dei decreto neceſſariò fluit, neceſſitate vel conſequentiæ vel conſequentis, habere rationem conditionis dubiæ ex qua in incerto pendeat decreti ipſius exſecutio.

Niſi dicere velis] Primùm non ſtatim Deus eripit Creaturis ſuum arbitrium cum limites ponit earum actionibus & decernit aliquid ab iis vel non fieri, vel fieri: Nam ab eo quod decrevit eas non facturas, abſtinent libere & ultrò, & id quod eas facturas decrevit, faciunt ſponte & alacriter. Secundò ſepoſitâ hac hypotheſi Divini decreti, potuiſſet Paulus *ſciens & prudens* illa ipſa facere quæ fecit ignorans; ſed poſito Dei decreto de illo præſervando à tam grandi peccato, non fuit poſſibile ut in illud incideret. Ita non fuit poſſibile ut Chriſto pendenti in cruce crura frangerentur, etſi ſepoſito Dei decreto quo conſtituerat nullum os ipſius fractum iri, potuiſſent milites Pilati ei crura frangere ut duobus latronibus inter quos crucifixus fuerat. Dei decretum de eventu aliquo impediendo, ponit tantum hypotheticam impoſſibilitatem illius, ſed non extinguit ipſam potentiam & facultatem agendi in cauſis ſecundis.

Non enim ideo miſericordiam] Vtrumque verum eſt: Nam ideo miſericordiam eſt conſecutus quia ignorans fecerit in incredulitate; ſumendo illam particulam cauſalem *ideo* vel *quia* de cauſa conſequentiæ; ut ſi dixeris, ideo eſt ibi incendium quia fumus apparet, vel ideo ſol eſt ortus quia dies eſt: & viceverſâ, ideo iſta ignorans non ſciens fecit, quia tantâ illum miſericordiâ Deus proſequi decreverat; ſumendo illam particulam *ideo* vel *quia* de cauſa conſequentis; ut ſi dixeris ideo fructus ſunt boni quoniam arbor bona eſt; vel ideo dies eſt quia ſol lucet. Quod enim hæc fecerit duntaxat ignorans, non ſciens & prudens, fluebat ex Dei decreto de ipſo miſericorditer ad fidem & ſalutem evocando; juxta quod fuit præſervatus ne incideret in peccatum irremiſſibile, quod nequit convenire cum deſtinatione & conſequutione veniæ & ſalutis.

Adde quod non obſcurè] Sed primò aliud eſt hoc profuiſſe ad miſericordiam decretam conſequendam, quod utcunque largiri poſſemus; aliud fuiſſe conditionem dubii eventus ex qua ei decreta fuerit miſericordia Divina: Nec enim ſtatim id quod eſt medium vel conditio prævia ad rem decretam obtinendam, habet rationem poteſtativæ & caſualis conditionis ad ipſum decretum: Fides & ſanctificatio requiruntur ad ſalutem obtinendam, ceu conditiones præviæ & prærequiſitæ in homine ſervando; Sed tamen non ſunt conditiones poteſtativæ & caſuales ex quibus decernatur alicui ſalus & gloria, cùm è contrario illo ipſo decreto de ſalute alicui danda in Chriſto, ipſi decernantur fides & ſanctificatio Eph: 1, 4. Deinde id quod Paulus blaſphemus & perſecutor fuerat *non ſciens*, profuit illi *ad veniam*, non poſitivè; cùm ignorantia juris, quæ non excuſat, nullam venialitatem poſitivam adjiciat peccatis mortalium, aut illos veniâ dignos abſolutè præſtet; ſed duntaxat negativè, quatenus abfuit agnitæ veritatis pertinax impugnatio & peccatum in Spiritum Sanctum, quæ ſi adfuiſſent miſericordiæ & veniæ expers remanſiſſet. Et quamvis peccata quæ ex ignorantia aliqua culpabili committuntur, ſint utcumque minùs gravia illis quæ ex malitia deſtinata & veritatis ac virtutis cognitæ odio peraguntur, tamen per id ipſa ignorantia non *prodeſt* poſitivè ad peccatorum veniam, vel ſufficienter, vel neceſſariò; quaſi ſufficeret ad veniam conſequendam peccâſſe ex ignorantia; cùm ipſamet ignorantia potiùs ſit criminalis & pœnam in juſto Dei judicio mereatur; aut quaſi neceſſe foret eos omnes veniam conſequi qui ex ignorantia peccant, quod à veritate & experientia eſſe alienum,

Digitized by Google

num, nemo ſanus diffitebitur; nec ſalus aut venia promittitur à Chriſto ei famulo qui cum neſciverit heri ſui voluntatem plagas fuerit meritus, ſed tantum quod mitiùs vapulabit eo qui heri ſui voluntatem noverit & contumaciter eam contempſerit Luc: XII, 47. 48.

Minus enim gravia] Peccata minus gravia non plus habent venialitatis in ſe quam quæ graviora ſunt, quamdiu non peccatur in Spiritum Sanctum; Prodeſt in illis diminutio hæc ad pœnam minuendam, non ad veniam faciliùs obtinendam: Alias citiùs & faciliùs remiſſionem fuiſſent conſequuti ſuorum peccatorum Scribæ & Phariſæi, quorum crimina minus gravia videbantur peccatis Publicanorum & meretricum; Hi tamen illos præceſſiſſe dicuntur in regno cœlorum: Æquè facilè Deus condonat peccata gravia reſipiſcentibus & deprecantibus, ac minora; Æquè facilè remittit debitum quingentorum denariorum ac illud quod eſt tantum quinquaginta: Sola illa vulnera ſunt ſimpliciter inſanabilia, quæ medicas gratiæ manus reſpuunt ejuſque ſaluberrima emplaſtra contumaciter ac perſeveranter abjiciunt. Quare venialitas peccatorum, ſive veniæ conſequendæ pro illis facilitas, non ex peccati levitate, ſed ex Dei bonitate & miſericordia in ſolidum eſt arceſſenda: Et hoc eſt quod vulgò dicitur ignorantiam excuſare non à toto ſed à tanto: adeoque imminuere pœnam, ſed non extinguere reatum.

Talia enim facta] Non diffiteor longè gravius eſſe peccare ex deſtinata malitia, quam ex infirmitate, ſubreptione, aut ignorantia. Nec tamen ideo naturâ ſuâ venialia ſunt omnia peccata quæ non ſunt extremæ & deploratæ malitiæ τεκμήρια: Nec attenditur apud Deum ut juſtè puniat, quid fieri potuerit ab homine rem probè ſciente, ſed quid fecerit dum agit ex ignorantia culpabili. Quin fieri non poteſt, ut is qui ignorans perſequitur Eccleſiam ubi veritatis cognitionem aſſequitur, deſiſtat à propoſito, virtutis & veritatis amore, niſi eò per gratiam Dei deducatur: Quâ gratia ceſſante perget potiùs peccare ex malitia, & addet ebrietatem ſiti. Nec video qui faciliùs condonentur ea quæ ex ignorantia committuntur, eo quod *fieri poteſt ut ſi is qui ignorans aliqid deliquit rem probè ſciviſſet, id minimè fuiſſet facturus, virtutis amore ipſum revocante*; cùm ſimiliter fieri potuiſſet ut ſi is qui ignorans peccavit rem probè ſciviſſet id eò magis ex deſtinata malitia fuiſſet facturus, ut patet ex iis qui peccant in Spiritum Sanctum: Quare ſi propterea quod potuiſſet ille cognitâ veritate abſtinuiſſe à peccato quod fecit ignorans, iſtius peccati veniam faciliùs conſequitur, debet eandem veniam eo difficiliùs conſequi quod æquè facilè potuiſſet re & veritate cognitâ libentiùs id patrare & ipſi cognitæ veritati bellum indicere.

At ſi ne potuiſſet] Fuit res illa & *neceſſitatis* ſuo ſenſu, in quantum ex hypotheſi decreti Divini de Paulo ad ſalutem & Apoſtolatum ſecernendo, nequivit fieri ut Paulus eò corruptionis aſſurgeret per quam Apoſtolatu & ſalute in æternum fuiſſet excludendus, & nihilomninus *liberæ voluntatis*, quatenus ultrò & liberè citra coactionem ſubſtitit in illo gradu, nec Caroli V. *Plus ultra* cogitavit. Ad hæc aliud eſt diſputare hîc de eo quod non potuit fieri, ex ſuppoſitione decreti Divini in contrarium, aliud eſt diſquirere de eo quod ſpectatâ ſolum intrinſecâ facultate Pauli, potuiſſet ipſe facere: Quare licet non poſſibile fuerit ipſum ſcientem & prudentem ex ſumma malitia iſta committere, propter Dei decretum, & ut vulgo loquuntur in ſenſu compoſito; tamen ſepoſitâ conſideratione illius decreti & in ſenſu diviſo, dubium non eſt quin potuerit eo devenire ut ſciens & volens eadem perpetraret. Minuit itaque ipſius culpam quod ulteriùs non pro-

Digitized by Google

non proceſſerit, quò & procedere potuiſſet, niſi Deus hos limites ipſius diluvio fixiſſet. Sed Crellius hîc obtinet antiquum ex perpetua oppoſitione neceſſitatis & liberæ voluntatis, cùm tamen multiplex neceſſitas poſſit optimè conciliari cum voluntatis libertate, ut fuſiùs alibi diſputamus. Nec ſtatim id culpæ minuendæ non inſervit, quod cum aliqua neceſſitate conſequentiæ & infallibilitatis eventus conjunctum eſt; Sufficit namque ad culpam minuendam, quocunque modo eveniat, quod non habeat omnes gradus malitiæ poſſibiles, ſed dentur errata graviora & pejora. Non operæ pretium eſt quærere quid potuerit qui eſt in culpa, ſed tantum quid fecerit: Nec debuit plus poſſe ut minus ſit ejus peccatum, ſufficit quod amplius nec fecerit, nec facere voluerit. Imò ſæpè ipſa impotentia amplius mali faciendi ſervit minuendæ culpæ, ſaltem inter homines; ut ſons aut reus eo ipſo abſolvatur à graviori criminatione quod conſtet eum, etſi aliquid malè fecerit, non potuiſſe tamen id facere cujus accuſabatur.

Quì enim conſtat] Certè id potuit conſtare ipſi Deo ex præſcientiæ ſuæ plenitudine: Et Deus qui non neſciebat quid facturus fuiſſet Paulus ſi ſibi porrò relinqueretur, prout ſolemne eſt hominibus in pejus proficere & tandem fit ſurculus arbor, decrevit id ipſum impedire, eumque, dum adhuc in illo gradu ſubſiſtebat, ad ſalutem & Euangelij præconium evocare.

Similiter & de illo decreto ſtatuendum eſt, quod Deus de Prophetico munere Ieremiæ committendo, antequam is naſceretur, ſe feciſſe teſtatur. Atque hoc ad alia quoque ſimilia Dei decreta transferri poteſt, etiamſi ea abſoluta eſſe videantur. Memoriâ enim hîc id repetendum eſt quod ſuprà alicubi commemoravimus, ſolere non rarò abſolutè proferri ea, quæ tacitam habent annexam conditionem, quando plus quàm veriſimile eſt, eam conditionem extituram, etiamſi tandem non ſit prorſus neceſſaria, ſed ex libero eorum, ad quos decreta illa quoquo modo reſpiciunt, arbitrio aliqua ratione pendeant. Quantò autem magis veriſimile eſt eam extituram, tantò minùs eam exprimere eſt neceſſe.

‡ *Similiter & de illo*] At jam oſtendimus decretum Dei de evocando Paulo ad Apoſtolatum & ſalutem, fuiſſe infallibile & abſolutum, non conditionatum & dubij eventus. Et nullis vel ſubobſcuris indicijs colligi poteſt conſilium de munere Prophetico Ieremiæ committendo, alterius ordinis fuiſſe, aut tacitam habuiſſe hanc conditionem, Niſi ſeipſum præſtiterit indignum iſtâ propheticâ dignitate. Nemo enim poteſt ſe eâ dignum exhibere; Et is quem Deus ad illam ſegregavit, ſpeciali conſilio Divino regitur & dirigitur ut nihil committat ejus per quod omninò indignus & incapax tanti muneris evaderet.

Atque hæc ad alia] Nempe vix ullum dabitur decretum Dei infallibile & abſolutum, juxta ſcholam Socinianam; ſed omnia ipſimet Numini incerta & dubij eventus ſtatuentur, nulluſque ſupererit eventus in futurum de quo id poſſimus uſurpare, θεῦ ἐν γούνασι κεῖται; ſiquidem ipſi Deo omnia ſua conſilia tenui ſunt pendentia filo, nec poteſt ipſi conſtare quis ſit ſuorum conſiliorum ſucceſſus, ut pote quæ ex caſuali & poteſtativa conditione ut plurimum ſuſpenduntur.

Memoria enim hîc] Concedo permiſſiones &

Digitized by Google

nes & comminationes Dei ſæpè tacitam habere annexam conditionem, ſed nego id ſtatuendum de ejus decretis & conſilijs: Nec in tali conditione apponenda ſuis promiſſis & minis, conſiderat ſimpliciter num veroſimile ſit eam exituram, ſed quid ſit officij & obligationis Creaturarum ad illam. Deus etiam non hîc ſe habet στοχαστικῶς & conjecturaliter, ariolando quam *veriſimile* ſit aliquid eventurum vel non: cùm omnes omninò eventus futuri, ſint ipſi, utpote omniſcio, perſpectiſſimi & præſentiſſimi: Hallucinaretur Deus & deciperetur in ſuis conjecturis, ſi id non eveniret quod exiturum aliquando ipſi veriſimile videbatur. Quin non video quomodo in Schola Sociniana illud quod *pluſquam veriſimile* eſt non ſit *prorſus neceſſarium*: cùm id quod amplius quam probabile eſt, neceſſarijs debeat annumerari. Abſurda quoque eſt antitheſis neceſſarij & liberi, cum multa quæ liberè fiunt neceſſitatem habeant vel immutabilitatis, vel infallibilitatis eventus. Denique ſuſpendere ullo modo decreta Divina ex eorum *arbitrio* quos reſpiciunt, ut eo ipſo ſint caſualia & incerta, eſt rerum ordinem invertere; cùm è contrario arbitrium hominum pendeat in ſuo exercitio ex decretis & conſilijs Divinis Prov: xx, 1. & nulla conditio ipſius promiſſionibus & comminationibus addita determinatam futuritionem, ſi unquam ſit exitura, aliunde conſequatur.

Ut igitur ea, quæ de diſcrimine illa decretorum abſolutorum & conditionatorum dicere cœperamus, perſequamur; priora illa ad exitum ſemper deducuntur, & irrita nullo modo fieri poſſunt: cum in Deum nec inconſtantia cadat, quæ voluntatem mutare, nec virium imbecillitas, quæ voluntatis effectum impedire poſſet. At poſteriora non neceſſariò ad exitum perducuntur; quia ceſſare poteſt conditio illis appoſita, quam Deus ex creaturarum arbitrio pendere voluit. Quòd ergo ceſſat decretorum effectus, id non ex Dei parte, ſed ex creaturis proficiſcitur. Ex Dei enim parte decreta rata ſunt ac firma. Non dicimus autem, decreta conditionata ad exitum non perduci; ſed non perduci neceſſariò, niſi tum, cùm conditio impleta fuerit. Tunc enim in abſoluta migrant, aut ex conditionatis abſoluta naſcuntur. Conditionata enim, impletâ conditione, fiunt abſoluta.

‡ *Priora illa ad exitum*] Sed hanc diſtinctionem jam ſatis profligavimus, & eo ipſo quod nullum Dei decretum caret ſuo exitu Eſa: XLVI, 10. Pſal: XXXIII, 11. ſequitur nullum dari decretum Dei conditionatum ſenſu Crelliano, id eſt quod ſit eventus dubij & fallibilis.

At poſteriora] Tantum abeſt ut Deus ſuſpendat conſilia ſua ex Creaturarum arbitrio, ut è contrario voluntates creatæ ac omnes omninò cauſæ ſecundæ in ſuo operari pendeant ex Dei conſilijs, nihilque fiat vel eveniat quod eorum executioni non ſubſerviat: Nempe *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt*, ut quondam dixit Seneca laudatus ideo Auguſtino *lib. 5. de Civit. Dei cap.* 8.

Quod ergo ceſſat] Nuſquam ceſſat effectus decretorum Dei, & ſi per Creaturas poſſet ceſſare, plus virium illis ineſſet ad impediendum, quam Deo ad exſequendum: Et abſurdè fingas *ex parte Dei*,

Digitized by Google

te Dei, *decreta rata ac firma*, quæ tamen ſuum effectum nunquam ſortiantur.

Non dicimus autem] Ampla hîc eſt abſurditatum ſeges : Nam I. non poteſt Dei decretum quod ex illius parte ratum & firmum ſit, ad exitum non deduci infallibiliter, etſi id fiat per cauſas liberas aut contingentes, non vero neceſſariò agentes. II. Bifariàm intelligi poteſt aliquod Dei decretum *neceſſariò perduci ad exitum*, vel quod non poſſit carere ſuo exitu & de facto nunquam careat; quo ſenſu omne Dei decretum, quæcunque tandem media deſtinaverit illius executioni, necesſariò perducitur exitum; vel quod ſuum exitum conſequatur per cauſas ſecundas necesſarias & naturales, non contingentes aut liberas, in ſuo operari; quo demum ſenſu largimur omnia Dei decreta non perduci *neceſſariò* ad exitum, quia plerumque ad ſuum exitum infallibiliter perducuntur per cauſas contingentes, aut liberas : Hoc vero ſtatuere non eſt dubij & incerti eventus decreta Dei fabricari. III. Neutiquam dici poſſent neceſſariò perduci ad exitum decreta conditionata Socinianorum, *tum cum conditio impleta fuerit*; quia tum non eſſent amplius in fieri ſed in facto eſſe, neque ea cenſentur *perduci* ad exitum, quæ illum jam conſequuta ſunt. IV. Cùm in doctrina Crellij decreta abſoluta & conditionata ſpecificè diſtinguantur & opponantur, tam impoſſibile erit conditionata in abſoluta migrare, quam abſoluta in conditionata degenerare : Quoniam homo & beſtia ſpecificè diſtinguuntur, nec poteſt homo in beſtiam abire, nec beſtia homo evadere. V. Quamvis verum ſit hoc axioma Metaphyſicum, Quicquid eſt dum eſt neceſſe eſt ut ſit, attamen actio voluntaria, vel contingens, per illam neceſſitatem ex hypotheſi quam habet dum eſt, non deſinit eſſe voluntaria vel contingens; manente illi ſua denominatione & ſpecificatione quam à proximo & ſecundario agente conſequitur : Pari ratione fingi non poteſt decretum conditionatum (ſi tale daretur) ob neceſſitatem hypotheticam quam conſequitur dum eſt in facto eſſe, excidere ſuâ ſpecificatione & denominatione, per quam dum erat adhuc in fieri à decreto abſoluto diſtinguebatur. VI. Adeo neſcit Crellius quid hic dicere debeat, ut modo metamorphoſim nobis obtrudat decreti conditionati in abſolutum, conditione illius jam impletâ; modò decreti ejuſdem conditionati partum, cùm editur in lucem, decretum faciat abſolutum: Sed utrumque perabſurdum eſt : Nam decretum conditionatum, ubi jam per executionem conditionis appoſitæ ad exitum ſuum perductum eſt, nec poteſt abire in decretum abſolutum, nec poteſt aliud decretum abſolutum à ſe diſtinctum ex ſe producere : Nam id non cadit amplius ſub ullum decretum, quod jam eſt in facto eſſe & ad exitum perductum eſt; Decretum enim omne eſt de rebus faciendis non factis; Ac ſicut quod factum eſt infectum nequit fieri, ita nec ſub deliberationem, nec ſub novum decretum, amplius cadere poteſt : Præſtitâ conditione annexâ alicui promiſſioni vel conditioni Divinæ, non abit ideo in aliam illa vel promiſſio vel comminatio, ſed tantum ex promittentis aut comminantis fide, veracitate, conſtantia, obtingit bonum promiſſum vel malum denunciatum ei penes quem conditionis præſtatio deprehenditur: Quod ſi promiſſio conditionata, conditione poſitâ, non degenerat in abſolutam vel aliam abſolutam ex ſe procreat, ſed ſolum præſtat rem promiſſam, non video cur decretum conditionatum impletâ conditione, abeat in decretum abſolutum, aut abſolutum aliud ex ſe procreare intelligatur : Siquidem conditione impleta, vi ejuſdem decreti res conditionata ponitur, non ſunt multiplicanda entia abſque neceſſitate. VII. Cùm omnia Dei decreta ſint æterna & apud ipſum concluſa

Digitized by Google

concluſa & rata ante jacta mundi fundamenta, non poſſunt citra magnam abſurditatem concipi nova & extemporanea Dei decreta, quæ ex conditionatorum executione fiant & procreentur. Denique conditiones illæ quibus impletis conditionata decreta in abſoluta abeunt, vel fuerunt Deo prævisæ, vel non: Si non, Deus non fuit omniſcius, uti ſuo loco diſputatum eſt: Si vero illi fuerunt prævisæ, decreta ex certo futuris adeoque prævisis conditionibus, non potuerunt fieri incerta & eventus ambigui: Maximè cum juxta Crellium, ſi ſecum conſentiat, nullam conditionem Deus apponat ſuis decretis, niſi de qua ipſi *pluſquam veriſimile eſt* eam *exiturum*. Cùm enim non poſſit non exiſtere ſuo tempore quod ipſi Deo, qui hallucinari & falli non poteſt, *pluſquam veriſimile* fuit exiturum, & talis ſit omnis conditio appoſita decretis ſuis, tam neceſſe eſt omnia ſua decreta, etiam quæ Crellio conditionata dicuntur, abſolutè & infallibiliter perduci ad exitum, quam neceſſe eſt Deum non decipi, falli, & errare circa eorum futuritionem, quæ olim extitura illi plus quam veriſimile fuit.

Quanquam & hîc diſcrimen aliquod animadverti poteſt inter decreta Dei promittentia & comminantia, ſeu mavis inter ipſas promiſſiones & minas. Nam promiſſiones quidem, ut alibi jam docuimus, conditione impletâ ad
336. exitum ſemper ac neceſſariò perducuntur, quia jus alteri largiuntur; ſed comminationes vel non ſemper, vel non eodem prorſus modo. migrant quidem & comminationes conditionatæ in abſolutas; ſed interdum ratione potiùs juris, quod is qui minatur, ad pœnam alteri infligendam habeat, quàm ratione actûs.

‡ *Quanquam & hic diſcrimen*] Iam ſæpiùs monui promiſſiones & minas decretis Dei non debere annumerari; quamvis non negem poſſe tandem illas utut remotiùs, refundi in aliquod Dei decretum, illudque abſolutum & peremptorium: Nam quia Deus ſpeciali & peremptorio decreto conſtituit quoſdam homines miſeros & perditos in Adamo redimere per Chriſtum, & conceſſâ ijs remiſſione peccatorum in ipſius ſanguine, eos per fidem & reſipiſcentiam adducere ad ſalutem, ex eo (prout univerſalia ex ſingularibus colliguntur) efflorefcunt ultrò aliquot veritates univerſales, quæ non tam decreta, quam decreti iſtius conſequentia cenſeri debent; v. g. I. Omnem reſipiſcentem & credentem in Chriſtum, remiſſionem ſuorum peccatorum conſequuturum ejus merito, & vitam æternam. II. Incredulos & impœnitentes æternùm arceri à regno cœlorum. III. Eorum peccatorum quæ Deus non remiſerit in Chriſto, pœnas ſeveriſſimas & exactiſſimas ipſum repoſciturum. IV. Incredulis, impœnitentibus & rebellibus æterna manere ſupplicia, cùm peccata Sponſoris beneficio non expiata, ſint ex ordine Iuſtitiæ Divinæ neceſſariò pleſtenda. Vt autem hæ veritates univerſales ultrò efflorefcunt ex Dei decreto ſpeciali, abſoluto & peremptorio, quo ſuos nominatim elegit ad ſalutem in Chriſto, ita illæ univerſales & categoricæ veritates ſubſtruuntur in fundamentum hypotheticarum ſive conditionalium promiſſionum & minarum, quibus muniuntur Dei mandata erga homines, ut ad illorum obſervationem inducantur; quæque promiſſiones & minæ in ſuo formali conceptu nihil minus quam decreta ſonant. Nam decreti Divini declaratio priuſquam perducatur ad exitum, habet rationem prædictionis & vaticinij de re futura;

Digitized by Google

futura; ſed promiſſio aut comminatio conditionata non eſt prædictio rei futuræ; Nec qui promittit aut minatur ſub aliqua conditione, eo ipſo conſtituit quid ſit eventurum, ſed tantum declarat quid facere vel omittere debeat, qui boni aut mali alicujus poſſibilis deſiderio, vel metu tenetur. Et quamvis dentur decreta Dei de talibus promiſſionibus & comminationibus hypotheticis faciendis ad homines, ipſa tamen Dei decreta de illis proponendis abſoluta ſunt, non conditionata vel incerta; tantum abeſt ut in *comminantia* & *promittentia* poſſint diſtribui.

Nam promiſſiones] Primùm non debet diſcrimen inter promiſſiones & minas, proponi in fundamentum alicujus diſtinctionis inter decreta Divina: Deinde ut ſanctio promittens, ſive Legalis ea fuerit ſive Euangelica, poſitâ conditione ſub qua facta eſt, ſemper impletur, ita ſanctio comminatoria in utroque fœdere Legali & Euangelico, neceſſariò ſuum eventum conſequitur, conditione poſitâ ex qua pendebat: ut inter *promiſſiones* & *comminationes* hoc reſpectu non fuerit à Crellio diſtinguendum. Ad utraſque enim ex aſſe Veracitas & Conſtantia Dei extenditur.

Migrant quidem &c.] Sed prærerea quod nulla eſt aut datur comminatio abſoluta, cùm omnis comminatio ſit denunciatio pœnæ incurrendæ ſi tranſgreſſus fueris, ita poſitâ tranſgreſſione & ex illa merito pœnæ dènunciatæ, ideſt conditione ſub qua comminatio facta fuerat, tam neceſſariò debetur pœna eam merenti, ex Dei veracitate & juſtitia, quam neceſſariò jus in bonum promiſſum acquiritur ei qui conditioni ſub quâ promiſsum erat ſteterit, ex benignitate & veracitate promittentis.

Sed interdum ratione] Suo loco non ſemel obſervavi delicto peccantis, non tam *jus ad pœnam ei infligendam* naſci Deo comminanti, quam id poni quod ex ſummi Rectoris officio & naturali ſua juſtitia juxta inviolabilem ſanctionem ſuæ legis neceſsariò plectere debet: Promiſſio Divina, poſitâ præſtatione conditionis ſub qua facta fuerat, Deum conſtituit debitorem rei promiſsæ ex juſtitia ſua univerſali; Comminatio Divina ſimiliter, poſitâ conditione ſub qua proponebatur, Deum conſtituit debitorem pœnæ denunciatæ, ex juſtitia ſua vindicativa & particulari; Adeo ut neutrobique Deus ſuſtineat perſonam ejuſmodi creditoris, qui vulgò cenſetur de ſuo jure remittere poſse: Itaque ut jure delinquenti pœna debetur, ſic etiam actu ejus delictum non poteſt non puniri, vel juxta Legis ἀπαραβάτως in ipſius perſona, vel in perſona Sponſoris ſui juxta ἐπιείκειαν Euangelij. Nec etiam comminationes Divinæ ſic efferuntur ut ſolum ſtatuant eum fore punibilem qui tranſgreſsus fuerit, ſed ut illum actu puniendum aſserant.

Quamvis enim de actu ipſo puniendi comminationes videantur loqui: tamen non rarò juris ipſius potiſſimùm habetur ratio. Cum videamus etiam poſt impletam conditionem, pœnæ remiſſioni aut relaxationi locum eſſe. Hoc modo accipienda eſt illa Dei comminatio primo homini propoſita: (*Gen: 2. 17.*) *In quocunque die comederis ex eo*, (ligno nimirum ſcientiæ boni & mali,) *morte morieris*; præſertim ſi de morte ſempiterna myſtico eam ſenſu accipias, ad quem Paulus Rom. 5. reſpicit. Nam & poſt impletam hujus decreti conditionem, habuit Deus jus pœnam decretam condonandi, & ſic comminationem iſtam vel remittendi penitus, vel relaxandi. Auctor certè libri Sa-

Digitized by Google

pientiæ affirmat, Sapientiam Protoplaſtum *cuſtodiviſſe & eduxiſſe à delicto ſuo.* (*cap: 10. 1.*) quod quid eſt aliud, quàm Adamum ſapientiæ beneficio delicti ſui pœnam, in illa Dei comminatione propoſitam, effugiſſe. Quod idem videntur omnes Chriſtiani agnoſcere, qui fidem ac pietatem illi eam tribuunt, qua interveniente homines à Deo juſtificantur. Comminatio ergo illa Dei, magis de jure, quod ad mortem Adamo infligendam habiturus ſit, loquitur, quàm de ipſo actu mortem inferendi.

‡ *Quamvis enim de actu*] Hæc diſtinctio inter *jus* & *actum* puniendi eſt inficeta: cum ei cui incumbit Iuriſdictio & adminiſtratio Iuſtitiæ, nihil acquiratur novi Iuris quo auctior & locupletior fiat per delinquentium peccata; & ſatiùs ſit diſtinguere inter pœnæ meritum, quod vulgò reatus dicitur, ſive obligatio ad pœnam, & ipſam punitionem actualem. Comminatio vero omnis utramque includit; primò quidem denunciationem reatus; deinde ex reatu contracto denunciationem pœnæ commeritæ, ſuo tempore, ordine & modo infligendæ.

Cum videamus etiam] Sed nequidem in Theologia Sociniana id univerſaliter verum eſt: cùm pœna denunciata incredulis, contumacibus & impœnitentibus, *poſt impletam conditionem* remitti & relaxari nec poſſit nec debeat: Et revera hæc aſſertio Crellij eſt falſiſſima: Nam quia maledictus pronunciatur quicunque non permanſerit in ijs quæ ſcripta ſunt in libro legis, omnes peccatores qui ſunt ſub lege eo ipſo ſunt ſub maledictione; adeoque ut rei & obligati ad pœnam coram Deo, ita etiam neceſſariò plectendi, vel in ſeipſis, vel ſi Deus cum illis miſericorditer agere maluerit, in illo Electorum Sponſore qui factus eſt *maledictio* pro nobis ut benedictio Abrahæ ad nos perveniret Gal: III, 13. Et quemadmodum ex ſanctione legali venit actu puniendum quod in legem commiſſum fuerit Rom: II, 8. 12. 16. ita ex ſanctione Euangelica, *Qui credit in Filium habet vitam æternam, qui vero non obtemperat Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper ipſum* Ioh: III, 36. poſt impletam conditionem pœnæ remiſſioni aut relaxationi locus eſſe non poteſt.

Hoc modo accipienda] Hæc comminatio primo homini facta complectebatur, mortem temporalem, ſpiritualem & æternam: adeoque quicquid nomine mortis, ut pœnæ habet rationem, in Scripturis exprimitur, & prout in genere *ſtipendium peccati mors eſt* Rom: VI, 23. Poſt transgreſſionem verò non fuit locus relaxationi aut remiſſioni pœnæ, quo ſenſu ſibi Crellius imaginatur: Nam primò non auſit ipſe hanc remiſſionem & relaxationem tueri quoad mortem temporalem; ad quam tamen juxta ipſum propiùs comminatio ſpectabat, eo quod mors corporea ad ſenſum literalem comminationis pertinebat, & nonniſi ad *myſticum* mors æterna: Sic enim exinde per unum hominem peccatum & mors introierunt in mundum Rom: V, 12. ut omnibus hominibus conſtitutum ſit ſemel mori Heb: IX, 27. Secundò ut perperam in morte ſempiterna, *myſticum* comminationis Divinæ ſenſum ruſpatur, cum æquè literaliter de æterna ac de temporali intelligenda fuerit; ita fruſtra eò reſtringit illam quam imaginatur remiſſionem & relaxationem pœnæ; quæ potiùs deberet oſtendi quoad ſenſum literalem comminationis, quam reſpectu ſenſus myſtici. Tertiò ſic hujus pœnæ remiſſionem in Chriſto omnes pij & fideles conſequuntur, ut perſonaliter eidem ſubſint omnes reprobi & increduli, & electorum reſpectu pœna ipſis ob peccatum debita non abeat in meram impunitatem,

Digitized by Google

punitatem, ſed tranſlata intelligatur in Chriſtum, qui factus eſt *peccatum* pro nobis, ut eſſemus juſtitia Dei in ipſo 2. Cor: v, 21.

Nam & poſt impletam] Poſt impletam hujus non *decreti*, ut perperam loquitur Crellius, ſed comminationis conditionem, ſic omnes homines facti ſunt in Adamo & cum ipſo rei mortis, ut ex ordine veritatis & juſtitiæ Divinæ pœna denunciata venerit illis infligenda; unde & in Adamo *omnes* mori dicuntur 1. Cor: xv, 22. Non ergo amplius *jus* fuit Deo pronunciatam ſententiam revocandi, aut ſimpliciter & abſolutè pœnam remittendi; ſed potuit pœnam debitam peccatori transferre in alium, ut ita & ille pœnæ denunciatæ ſubduceretur per miſericordiam, & tamen pœna denunciata peccato, actu executioni mandaretur per juſtitiam. Cùm autem Deus homini peccatori remittit ea peccata quibus ex ſua comminatione mors debebatur, id non facit per ſuæ comminationis remiſſionem & relaxationem, ut pote quæ maneat ſemper in ſuo vigore reſpectu incredulorum & & impœnitentium, ſed per ſubſtitutionem in ejus locum expromiſſoris illius & Vadis optimi, qui omnem pœnam illi ex comminatione Divina debitam in ſe ſuſcepit, ſuſceptam tulit, perlatam abſorbuit. Hæc tam obvia & intellectu facilia omnibus Chriſtianis viderent hic adverſarij, niſi mallent Dei Conſtantiam & Veracitatem impugnare, quam doctrinam Euangelicam de Chriſti ſatisfactione pro nobis admittere.

Auctor certè libri] Non opus hîc erat recurrere ad Philonem authorem Sapientiæ, qui non pertinet ad Scriptores Canonicos: Nec voluit Philo protoplaſtum ſapientiæ ſuæ beneficio delicti pœnam, quam aliàs perſonaliter in æternum luere debuiſſet, effugiſſe; ſed beneficio & ope ſapientiæ Divinæ, quæ filum Ariadneum, per quod ex hoc Labyrintho emergeret, contexuit & illi ſuppeditavit, excogitatâ illâ ſublimi ratione miſericordiam ſic exercendi in peccatorem, ut tamen peccatum debitam & denunciatam juſtam retributionem omnem referret in Mediatore θεανθρώπῳ, qui contriturus erat caput ſerpentis Gen: III, 15. & quem gratuitò promiſſum, Adam fide eſt amplexus, eaque ratione obtinuit plenam remiſſionem peccatorum ſuorum: Effugit ergo Adam pœnam perſonalem delicto ſuo debitam, ſed tamen illi ſuo delicto impune non fuit; Nec enim alio reſpectu ejus remiſſionem eſt conſecutus, quam Chriſti Redemptoris pro ſe quondam morituri, & cujus mors licet adhuc futura in ſenſu phyſico, tamen ut jam facta in ſenſu morali, admittebatur in ipſius λόγον, in æquiſſimo Dei judicio: unde dicitur *agnus mactatus ab origine mundi* Apoc: XIII, 8.

Quod idem videntur] Igitur ex Chriſtianorum albo debent diſpungi Sociniani, qui negant Adamum ullam Redemptionis & Salutis per Chriſtum prômiſſionem habuiſſe, & in proteuangelij explicatione Gen: III, 15. ultra antipathiam naturalem inter homines & ſerpentes nolunt procedere: Bene eſt quod Adamum à Deo juſtificatum agnoſcit Crellius; nec adeo vult ſubſcribere Tatiano & Ruperto Tuitienſi aſſerentibus illum peccati ſui remiſſionem nunquam fuiſſe conſequutum. Ruperti verba *lib.* 3. *in Gen. cap.* 31. haud pigebit obiter annotare: *De quo utrum aliquando per Chriſtum miſericordiam conſequutus ſit, per quem ſalvati & liberati ſumus, hodieque nonnulli diſſertant, pro eo quia videlicet nuſquam Scriptura Canonica teſtatur illum egiſſe pænitentiam. In eo duntaxat qui inſcribitur liber Sapientiæ de illo ſic ſcriptum eſt; Hæc (ſubauditur Sapientia) illum qui primus formatus eſt à Deo, pater orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus cuſtodivit, eduxit illum à delicto ſuo, & dedit illi virtutem continendi omnia: Verum hæc Scriptura neque de Canone eſt, neque de Canonica Scriptura ſumpta ſententia*

Digitized by Google

ta ſententia hæc, quomodo cætera quæ de patribus in eodem libro cum laude ſapientiæ commemorantur: Et paullò poſt, *Quia de illo vetere Adam nihil uſquam boni operis invenitur, & novus Adam illi eſt oppoſitus, Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur, ſalvatio ejus & à multis liberè negatur & à nullo ſatis firmiter defenditur;* Nequis tamen temerè definiat, *conſtat & hoc (ut Eccleſiaſtica refert hiſtoria) ab Encratitis hæreticis inventum eſſe, quibus Tatianus author extitit.* At vero ſi Adamus fuit juſtificatus, debuit juſtificari & remiſſionem peccatorum ſuorum conſequi verâ & vivâ fide in Chriſtum ſtudio pietatis obſignatâ; cùm remiſſio peccatorum & juſtificatio coram Deo nemini obtingat niſi per fidem in Chriſtum & vi Redemptionis quę eſt in illo; Act: IV, 12. X, 43. Eph: I, 7. Quare tantum abeſt ut juſtificatio Adami per fidem, inferat abſolutam impunitatem peccati quod commiſit, ut è contrario ſupponat poenę, quam commeritus fuerat, tranſlationem futuram in Chriſtū, qui eam luendam ſuſciperet loco ipſius; quod factum proculdubio; etſi fabuloſas reſpuamus narrationes quæ fingunt Golgotha ubi Chriſtus fuit crucifixus ſic appellatum fuiſſe ab Adami cranio ibi reperto, & ita contiguo cruci, ut ex ea in illud cruor Domini diſtillaverit ad peccatum ipſius detergendum & expiandum coram Deo.

Comminatio ergo illa] Imò ut reatum hominis, ſic etiam actuali poenæ peccatum ipſius ſubduci non poſſe, palàm demonſtrabat, quanquam jus Deo ſuperfuerit poenam ab ipſo commeritam, in Mediatorem transferendi, quo ſimul & delictum puniretur & parceretur perſonæ.

Unde patet, jus potiùs abſolutum ex conditione impleta naſci: actum autem non protinus neceſſariò ſequi, ſed adhuc ex arbitrio Dei pendere: quanquam ita, ut, niſi ex parte creaturarum aliquid interveniat, quod effectum decretorum iſtiusmodi veluti inhibeat, ut reſipiſcentia, deprecatio, vel illius, quem comminatio ſtringit, vel ſaltem aliorum, etiam ad exitum comminationes iſtiusmodi ſemper perducantur.

‡ *Unde patet, jus*] Satis ante dixi de inepta hac diſtinctione inter jus ad poenam & actum illius: Poſito reatu ſive merito poenæ per peccatum, non poteſt juxta veriſſimam Dei comminationem non ſequi ipſa poena: quamvis neceſſitas poenæ infligendæ, non tollat alterius ſubſtitutionem in locum primi debitoris, & poenæ quam fuerat commeritus, tranſlationem in Sponſorem ſuum. Eſt quidem *in arbitrio* Dei utrum velit facere, num in perſona ſontis punire peccatum, ut noxa caput directè ſequatur, num poenam illi debitam ab ejus expromiſſore exigere: Sed id arbitrij ejus amplius non eſt poſt delictum commiſſum illud vel punire, vel impunitum dimittere. Rom: I, 32.

Quanquam ita ut niſi] Sed ſæpiùs monui comminationes Divinas cum decretis Dei confundi non debere. Et valde abſurdè fingitur aliquid ex parte creaturarum poſſe intervenire quod effectum decretorum divinorum inhibeat, ac ſi homo fortior eſſet Deo, aut poſſet ejus decreta & conſilia pro lubitu reſcindere. Tum iſtiuſmodi Decreta Crelliana etiam poſt impletam conditionem, non migrant in abſoluta, ut ante fingebat adverſarius, quamdiu ex parte creaturarum aliquid adhuc poſſet intervenire quod effectum illorum inhiberet, & eorum executioni intercederet; Adeoque etiam poſt conditionem impletam conditionata cenſeri debent. Præterea *reſipiſcentia & deprecatio*, vel peccatoris ipſius, vel aliorum pro ipſo, nequit per ſe hominem

ſubducere

Digitized by Google

ſubducere pœnæ; ſed peccati quod commiſit expiatio debet fieri merito & ſatisfactione ejus quem *Deus propoſuit propitiationem per fidem in ipſius ſanguine, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ* Rom: III, 25. Quin id nobis valde mirum eſt quod Crellius videatur polliceri peccatori pœnæ quam Deus ei comminatus fuerat remiſſionem, ad ſolam aliorum deprecationem pro ipſo, & citra ullum actum propriæ deprecationis & reſipiſcentiæ; cùm tamen ſuper impœnitentibus & incredulis maneat ira Dei.

Antequam autem ab hac decretorum divinorum diſtinctione ad cæteras tranſeamus; aliquid adhuc addendum eſt de ultima decretorum divinorum perfectione, &, ut ita dicam, ἀκμῆ, quæ tum demùm locum habet, cùm ea jam jam ſunt ad exitum perducenda, atque adeò jam perducuntur; quæ proinde locum habet tantùm in decretis abſolutis, ſive illa nullam unquam conditionem habuerint additam, ſive conditio jam ſit præſtita. Tunc enim, ut diximus, decreta Dei conditionata in abſoluta migrant, aut ea ex ſe pariunt. Cùm ergo jam tempus eorum implendorum adeſt, tum ut ea fiant, Deus ita rem apud ſe decernit, ut vim ſimul eam adhibeat atque exſerat, quâ 337
ad ea perficienda eſt opus. Hoc non incommodè fortaſſe, peremtorium Dei decretum dicere poſſis, quod moram jam ampliùs nullam patiatur. Atque hic divinæ voluntatis actus, quem effectus protinus ſequitur, non ſemel verbum, aut ſermo Dei, aut etiam mandatum ejus appellatur, ductâ metaphorâ ab hominibus potentibus, qui cùm per miniſtros ſuos decreta ſua ferè exſequantur, jubendo, quæ volunt obtinent, ut jam ſuprà diximus, de potentia Dei loquentes. (*cap*: 22.)

Quæ tum demum locum] Sanè non poteſt commodè *ſtatui* quod perfectio & ἀκμὴ ſua decretis Divinis accedat cùm ſuam exſequutionem ſortiuntur: Sunt enim perfecta eo ipſo momento quo formata ſunt, nec exſecutio quicquam perfectionis addit ad decretum, ſed duntaxat rem decretam perficit.

Sive illa nullam] Antea diſtinxerat Crellius Dei decreta in abſoluta & conditionata; nunc abſoluta facit duum generum, videlicet ea quæ nullam unquam conditionem habuerint, & ea quibus conditio aliqua appoſita fuerit quæ nunc impleta ſit. Nempe pro ſua ſapientia decreta Dei abſoluta, oppoſitè ad conditionata, facit iterum vel abſoluta vel conditionata, quo abſurdo nihil abſurdius: Figmentum quo nititur, ſcilicet decreta Dei conditionata poſt præſtitam conditionem in abſoluta migrare, aut ea ex ſe parere, antea refutavi. Et quamdiu hæc conditionata ſunt ad exitum perducenda, tamdiu debent ſuſpendi ex conditione appoſita; ubi vero ad exitum ſunt perducta per impletionem conditionis, nihil amplius habent decreti vel abſoluti vel conditionati; cùm impletâ conditione nihil amplius ex re decreta ſuperſit in fieri.

Cum ergo jam tempus] Multa hîc conſertim occurrunt abſurda, paucis enotanda. 1. Valde ineptè fingitur Deum cum jam tempus decretorum ſuorum abſolutorum implendorum adeſt, de novo rem apud ſe jam decretam iterum decernere. Cui enim uſui novum iſtud decretum? An toties Deus ſua decreta fingit ac refingit, quoties illorum executioni invigilat per Providentiam ſuam actualem?

 ctualem?

ctualem? II. Ineptè vis & efficacia quam Deus adhibet & exſerit ad ſua decreta perficienda, reducitur ad tempus quo debent impleri: Cùm enim nexu quodam prorſus admirando decreta Dei ita inter ſe colligentur & plerumque ſubordinentur, ut unius executio viam ſternat & præparet ad alterius complementum, debet utique ad ſubſequentis impletionem pertinere vis & efficacia quæ exſeritur in perfectione præcedentis. III. Iniquè vis & efficacia quam Deus exſerit ad perficienda ſua decreta, reſtringitur ad decreta abſoluta; quaſi in ijs quæ conditionata fingunt adverſarij, otioſus foret ſpectator actionum humanarum, & cùm Oſiride Ægyptiorum manus ſuas in ſinu complicatas eo reſpectu teneret. IV. Ridiculè deſcribitur Deus ibi demum vim ſuam exſerere ad decreta ſua perficienda, ubi eorum executio eſt ἐν ἀκμῇ, & nihil amplius ſupereſt quod eam poſſet retardare. Sanè ibi potiſſimum vi aliquâ ſupernaturali opus eſt ubi eſt periculum aut metus oppoſitionis ac reſiſtentiæ: at nihil tale eſt metuendum in decretis abſolutis, vel ſimpliciter talibus, qualia ſunt ea quibus nulla unquam conditio addita fuit, vel talibus ſecundum quid, cujuſmodi ea ſunt quæ jam conditione impletâ, juxta Crellium, in abſoluta abierunt. In his enim vel nulla remora poteſt ſubeſſe ab arbitrio, vel ſi quæ olim intervenire potuiſſet, jam ſublata eſt per impletionem conditionis. Quid ergo opus eſt ut in talibus Deus vim aliquam extraordinariam exſerat, ad ea perficienda quæ jam ſunt in ſuo fieri & ad exitum perducuntur ſuapte, ſublatis obſtaculis omnibus quæ illum potuiſſent impedire? Itaque dicendum eſt ſimpliciter, Deum ita juſtè, ſapienter & potenter omnia regere ut quæcunque decrevit futura, vel efficiendo bona, vel permittendo mala, eaque ad bonum ſuum dirigendo, certò & infallibiliter eveniant, & ſemper illum vim ſimul eam adhibere atque exſerere (citra creaturarum intelligentium coactionem, ubi earum actio aliqua eò debet intervenire) quâ ad ea perficienda eſt opus; partim poſitivo concurſu ſuo tùm generali & ordinario, tùm extraordinario & ſpeciali gratiæ; partim etiam, ubi id opus eſt, auxilij ſui indebiti ſubtractione, vel negativâ, vel quoque privativâ, quam non minus juſtè & ſanctè, quam ſapienter & potenter adminiſtrat. Atque hinc fit quod executioni decretorum ſuorum inſerviant inviti aut neſcij ejus hoſtes infeſtiſſimi, & remorum ſuorum niſu triremem in eum portum ſubducant, cui tergum obvertere videbantur.

Hoc non incommodè] Cum hìc Crellius ſcepticè & dubius loquatur per *fortaſſe*, non eſt quod multum ejus conjecturæ tribuamus. Quandoquidem omne decretum Dei eſt abſolutum ab omni conditione dubia & eventus incerti, eo ipſo debet eſſe peremptorium, non vero tale fieri demum, cum ejus perfectio eſt ἐν ἀκμῇ, ejuſque executio ultra differenda non eſt & nullam amplius moram patitur. Sanè ut Iuriſconſultis *peremptoriæ exceptiones* illæ dicuntur quæ ſemper locum habent nec evitari poſſunt, & *peremptorium edictum* contra quod tergiverſari & cui reclamare non licet, ita peremptoria ſunt Dei decreta omnia, quæ ſemper locum habent nec poſſunt impediri vel euitari Eſa: XLVI, 10.

Atque hic divinæ] Verumenimverò verbum Dei cum ad ejus decreta refertur, non debet reſtringi ad eum voluntatis Divinæ actum quem effectus protinùs ſequitur, ſed extendi debet partim ad conſilium Dei immanens de effectu illo olim prodituro, partim ad eos actus Potentiæ & Providentiæ ſuæ quibus ſenſim ſine ſenſu viam ſibi ſternit ad effectus deſtinati perfectionem.

Non

Digitized by Google

Non dicimus autem, Verbum aut Sermonem Dei, aut Mandatum, ſemper hoc modo accipi. ‡ Quis enim neſcit, verbum aut ſermonem Dei pro doctrina ab ipſo profecta, & mandata pro præceptis ac legibus ab eo propoſitis, ſumi ſolere? Sed non ſemel his nominibus, aut verbis, dicendi vel jubendi ſignificationem habentibus, ultimum hunc voluntatis divinæ, operi jam imminentis aut incumbentis actum, &, ut ita dicam, impetum ſignificari, ſuprà dicto loco demonſtravimus. Teſtimoniis autem illic citatis poſſunt addi & iſta è Pſalmis: (*Pſal*: *107.20.*) *Miſit* (Deus) *verbum ſuum, & ſanavit eos*, (nempe Iſraelitas) *& eripuit eos de interitionibus* (vel *ſoveis*) *eorum.* Ubi quidem *mittere verbum ſuum*, nil eſſe aliud viri doctiſſimi animadverterunt, quàm mandare. Mandavit autem illi omnino volendo, ac vim efficaciamque ſimul adhibendo. Eodem modo & illi in iiſdem Pſalmis accipienda ſunt: (*Pſal*: *147.15,*) *Emittit* (vel ſimpliciter *mittit*, nempe Deus) *eloquium ſuum terræ, velociter currit ſermo ejus.* q. d. celerrimè id fit, quod Deus jubet, ac fieri omnino vult. & rurſus: (*ib: verſu 18.*) *Emittet verbum ſuum & liquefaciet ea.* h. e. ſolo juſſu, ſeu efficaci voluntatis decreto, liquefacit nivem, pruinam, glaciem, de quibus paulò antè fuerat loquutus. Interdum autem, non quidem peremtorius hic tantùm atque efficaciſſimus divinæ voluntatis actus, ſermonis divini nomine ſignificari videtur; ſed decretum tamen ejusmodi, cui hic tandem actus, tanquam perfectio quædam accedat. In quam ſententiam videtur accipiendus nobilis ille D. Auctoris Epiſtolæ ad Hebræos locus, cùm ait: (*Heb*: *4.12, 13.*) *Vivus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior* (ſeu *penetrantior*) *omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem* (ſic eſt in Græco) *animæ & ſpiritûs, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis; & non eſt ulla creatura inviſibilis* (ſeu *non manifeſta*) *in conſpectu ejus; omnia autem nuda & aperta oculis ejus, ad quem nobis eſt ſermo*, (ſeu *de quo nobis eſt ſermo.*) Loquutus enim fuerat eò uſque divinus Auctor de illo Dei decreto, quo ſtatuerit, & quidem juramento addito, non ingreſſuros incredulos ac rebelles in requiem ejus; Iſraelitas quidem olim in 338.
terram Palæſtinam; nunc verò tum eoſdem, tum alios, in terram illam novam ac beatam, in qua juſtitia habitat. Metuendum ergo hoc Dei decretum juramento confirmatum docet. Dei enim verbum non intermori, atque ab eo revocari, ſed vivere: non vi atque effectu ſuo carere, ſed efficax eſſe, ob adjunctam Dei potentiam; non falli etiam aut errare, ſive in exſequendo, ſive in judicando, ob adjunctam Dei ſapientiam; cum nec tam occultum ſit quicquam in homine, ad quod non penetret, ſive vim & efficaciam, ſive cognitionem reſpicias; nec ulla prorſus res ſit, quæ ejus notitiam effugere queat. Nam per proſopopœiam ex metonymia ortam, tribuuntur quædam Dei decreto, quæ Deo, decreta ſua exſequenti, propriè conveniunt.

‡ *Quis enim*

Digitized by Google

† *Quis enim neſcit*] Agnoſcas ergo eadem operâ inter verbum Dei præceptivum & decretivum, adeoque inter voluntatem præcipientem & decernentem, eſſe diſtinguendum.

Sed non ſemel] Tunc autem jubet & mandat fieri Deus quod futurum ſuo tempore peremptoriè & abſolutè decreverat. Ac ſicut actus ille voluntatis Divinæ quo rem conficit eſt *peremptorius & efficaciſſimus*, ita decretum æternum de illo actu ſuo tempore adhibendo, peremptorium & efficax ſtatui debet.

Sed decretum tamen ejuſmodi] Non ſolum cui ille actus tandem accedit, ſed etiam cui ex Dei conſilio immutabili ſuo ordine & tempore acceſſurus eſt: Iam autem nullum eſt Dei decretum cui tandem talis actus non accedat ſuo tempore; etiam ubi debet perduci ad exitum per liberas actiones Creaturarum, quibus ſic Deus moderatur, ut illæſâ earum libertate eveniat tamen quod ipſe vel efficere, vel ut fieret permittere decreverat. Quò poſſim inter alia referre illud Auguſtini *cap. 14. de corr. & grat.* Deo *volenti ſalvum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium: Sic enim velle aut nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.*

In quam ſententiam] Hoc non videbitur ei qui Pauli verba & mentem propiùs attenderit. Sunt qui per Dei verbum apud Apoſtolum ipſum Dei Filium intelligant, ex cujus ore prodit ille gladius δίστομος, qui deſcribitur Apoc: 1, 16. Sunt verò qui verbum Dei ibi ſumant προφορικῶς pro ipſius Euangelio, cujus illa vis & efficacia exſeritur in hominum converſione quæ deſcribitur Rom: 1, 16. Sed vis fiet Apoſtolo ſi trahantur ejus verba ad eam efficaciam quam Deus adhibet in omnibus ſuis decretis exſequendis; cùm illa non ſit ſemper gratiæ, ut ea eſt quæ Euangelij prædicationem comitatur per Spiritum Sanctum, verum ſæpè vel potentiæ tantum, vel etiam ſeveritatis & juſtitiæ.

Loqnutus enim ſuerat] Verum eſt; ſed commate 11. inde reverſus fuerat ad nos ab iſtorum contumacium exemplo dehortandos, propoſito novo officij præſtandi argumento, deſumpto à natura & efficacia verbi Divini, quod cum ſit vivum, efficax, penetrantiſſimum, non poſſit impune nec temerè debeat contemni aut violari.

Nam per proſopopœiam] Hîc non tam proſopopœa eſt quam metonymia effectus, quatenus per Dei verbum plurium cordium cogitationes reteguntur & manifeſtantur: vide Luc: 11, 35. Et vulgatum eſt in Scriptura tribuere Iudicium verbo Dei, quod judicij Divini ſenſus ad nos nonniſi verbi interventu regulariter perveniat: Si quis tamen malit illam particulam *Et diſcretor cogitationum* &c. referre non ad Sermonem Dei, ſed ad ipſummet, ad quem etiam commatis ſequentis verba neceſſariò pertinent, haud grauatè illi ſuffragabimur. Sed in eo parum ſitum eſt: Sufficiat Paulum non agere de aliquo ſpeciali Dei decreto, ſed in genere de verbi Divini quod in Eccleſia ſonat efficacia & virtute, cui refragari nemini tutum ſit.

Sed jam tempus eſt, ut alterum quoque diſcrimen, quod ex decernendi modo ac forma naſci diximus, addamus. Id verò eſt, quòd alia Dei decreta, licèt de eadem fortè re facta, ſint generalia, alia ſpecialia aut ſingularia. Generale eſt, Omnis qui credit in Dei filium, habet, ſeu certò habiturus eſt vitam æternam. Specialia ſunt, de Apoſtolis v. g. atque adeò de ſingulis hominibus, qui jam credunt, ac in fide perſeverant, vitâ

æternâ

Digitized by Google

æternâ donandis. Quanquam hoc diſcrimen etiam ex diverſitate ſubjectorum aliqua ratione pendet, de quibus Deus aliquid decernit. Generalis enim decreti ſubjectum generale eſt, ſpecialis ſpeciale aut ſingulare. Sunt autem hæc decreta ita inter ſe connexa, ut ex generalibus neceſſariò conſequantur ſpecialia, ſive ſimpliciter, ſi illa ſint abſoluta; ſive præſtitâ conditione, ſi eam habuerint annexam.

‡ *Id vero eſt quod alia*] Nihil ineptius aut abſurdius hac diſtinctione, quam proponere faciliùs potuit Crellius quam probare: Igitur pertendimus meritò non poſſe fingi ejuſmodi decreta, alia *generalia* alia *ſpecialia* ſive *ſingularia* quæ ex illis conſequantur; Et ſi alia deberent concipi generalia alia ſingularia, hæc ordine naturæ illis priora non poſteriora eſſent. Non debere fingi in Deo decreta generalia, à ſingularibus diſtincta, haud difficile eſt demonſtrare. Quamvis enim non negem, Deum etiam Vniverſalia cognoſcere in ſuo eſſe abſtractivo & præciſionis, nego tamen dari decreta univerſalia abſtractè & præciſè à ſingularibus, quæ ſub illis comprehenduntur: Nam ſicut Creatio eſt ſingularium, ex quibus per inductionem in unum collectis fiunt & formantur univerſalia, ita etiam Providentia actualis primò & per ſe occupatur in ſingularibus regendis & adminiſtrandis, tantum abeſt ut circa univerſalia duntaxat occupetur, prout nonnullis Peripateticis viſum fuit. Cum autem decreta Dei ſint de ijs rebus quæ cadunt ſub ipſius actualem Providentiam, & hæc nihil aliud ſit quam illorum executio, tam neceſſe eſt decreta Dei, utut ad finem aliquem generalem ſpectantia, primò & per ſe eſſe ſingularium, quam neceſſe eſt conſilia intentionis ordini executionis examuſſim reſpondere. Adhæc poſito dari decreta generalia à ſingularibus de re eadem diſcreta, tum ſingularia priora generalibus non poſteriora cenſeri deberent: Cum enim univerſalia fiant & enaſcantur ex ſingularibus per inductionem, quod multa ſingularia ejuſdem ordinis in communi quodam conceptu convenire deprehendantur, quam certum eſt ſingularia quoad nos & omne agens intellectivum, quod diſtinguit inter univerſalia & ſingularia, priora eſſe & notiora univerſalibus, tam debent decreta de ſingularibus præceſſiſſe decreta univerſalia, ſi aliquid diſtinctionis ſit obſervandum inter utraque.

Generale eſt] At hoc decretum dici non poteſt, nedum generalitatis titulo gaudere: Nam decretum omne generale diſtinctè à ſpeciali eſt abſolutum non conditionatum, ut mox dicet etiam Crellius: Sed hoc nec conditionatum dici poteſt, nec abſolutum: non conditionatum, quia eſt generale; non abſolutum quia in hoc quod conditionale eſt facilè reſolvitur, *Si omnes crediderint in Chriſtum ſervabuntur*: Præterea axiomata fœderalia, ſive categoricè enuncientur, ſive hypotheticè, perperam referuntur in ordinem decretorum divinorum: Nec magis ex illa univerſali ſententia, *Omnis qui credit in Dei Filium habet vitam æternam*, poteſt generale decretum fabricari, quam ex hac, *Maledictus qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea*; & *Omnis qui fecerit quæ lege præſcribuntur vivet per ea*; & *Si homo legem ſervaverit ex lege juſtificabitur*. Hæc enim & ſimilia referuntur ad promiſſiones aut comminationes Divinas, ſive Legales ſive Euangelicas, adeoque magis ſunt voluntatis præcipientis, quam decernentis. Adhæc non video quî hæc ſententia Euangelica, *Omnis qui credit in Dei Filium habet vitam æternam*, potius decretum Dei formaliter conſtituat quam hæc, *Omnes Prædeſtinati &*

Digitized by Google

ti & electi in Chriſto ad ſalutem, *vitam æternam conſequentur*, vel iſta, *Omnis qui audivit & didicit à Patre venit ad Chriſtum.* Hæ ſanè propoſitiones, quibus multæ ſimiles poſſent adjici, veriſſimæ ſunt, nec tamen debent haberi pro generalibus decretis diſtinctis à ſingulorum prædeſtinatione; cùm nihil aliud declarent quam infallibiliter exſequendum prædeſtinationis decretum, & ad Chriſtum adducendos & convertendos quotquot vi illius per vocationem efficacem à Patre tracti fuerint. Similiter ſententia à Crellio allegata, non eſt habenda pro decreto Dei aliquo generali, diſtincto ab eo ſpeciali quo conſtituit eos omnes & ſingulos quos elegit adducere ad deſtinatam ſalutem per fidem in Ieſum Chriſtum: nam ſignificat duntaxat quodnam medium ſit ab ipſo conſtitutum ad ſervandos ſuos electos, nempe fidem, & exprimit neceſſariam illius cum fine deſtinato connexionem; juxta quam promulgatione externâ fœderis Euangelici, promittitur & proponitur vita hominibus peccatoribus ſub conditione reſipiſcentiæ & fidei. Quod ſi hoc eſt generale & abſolutum Dei decretum, etiam debet concipi eo prius indeterminatum & generale decretum de mittendo Chriſto in mundum ut omnes credentes in ipſum vitam æternam conſequantur. Sed cum generale decretum de credentibus omnibus ſervandis nihil operetur, & in ſchola Sociniana potuerit nihilominus evenire ut nemo planè crederet, debebit duo decreta generalia & indeterminata feciſſe Deus, unum de mittendo Filio ſuo, alterum de ſervandis omnibus in Chriſtum credentibus, quæ potuerint eatenus fruſtra fuiſſe quod nemo illis poſitis per Chriſtum ſervatus fuiſſet. Tranſeo quod ſi ante jacta mundi fundamenta Deus decrevit abſolutè mittere Filium ſuum in mundum ad redemptionem generis humani, & ſalutem æternam dare omni credenti in Chriſtum, debuit ergo præſcire hominis lapſum per quem totum genus humanum fuit perditioni obnoxium: At id nolint concedere adverſarij, qui abrogant Deo certam notitiam futurorum contingentium & liberorum. Vno verbo ſi ex omnibus veris propoſitionibus univerſaliter affirmantibus aut negantibus quæ extant in Dei verbo aut ex illo colligi poſſunt legitimo diſcurſu, libuerit decreta Dei fabricari, in varias difficultates nos induemus, ex quibus haud ita facilè poterimus expediri.

Specialia ſunt] Primùm, generalis alicujus veritatis applicatio practica, cujuſmodi hæc eſt, non neceſſariò habet rationem decreti ſpecialis: Eſt enim hic ſyllogiſmus practicus; Omnis qui credit in Dei Filium habet vitam æternam; Petrus aut Paulus credit in Dei Filium; E. habet vel habiturus eſt vitam æternam: Et ita etiam proceditur in Moralibus: Omnis adulter reus eſt mortis: David fuit adulter; E. reus mortis: Si in utriuſque hujus ſyllogiſmi majori ſit decretum generale, & in concluſione decretum ſpeciale, quonam quæſo minor pertinebit? Secundò, ſpeciale Dei decretum de his & illis nominatim ſervandis, non pendet ex eorum prævisâ fide, ſed è contrario ipſa fides ex eo decreto pendet, & vi illius confertur in tempore ijs quos nominatim Deus per fidem in Chriſtum ſervare decrevit: Hinc appellatur *fides Electorum* Dei Tit: 1, 1. & dicuntur *crediдiſſe quotquot erant ordinati ad vitam æternam* Act: XIII, 48. Tertiò, cùm fides ſit *Dei donum* Eph: II, 8. Phil: 1, 29. & *nemo poſſit venire ad Chriſtum*, ideſt in ipſum credere, *niſi Pater traxerit ipſum* Ioh: VI, 44. inter hæc duo decreta Crelliana, generale nempe, quod omnis qui credit in Chriſtum ſit habiturus vitam æternam, & ſpeciale, quod Petro credenti & perſeveranti vita æterna ſit conferenda, debet ſemper tertium concipi, ſi ordine poſterius generali, tamen prius neceſſariò

Digitized by Google

neceſſariò iſto ſpeciali, quo nempe decrevit per ſpecialem & indebitam gratiam dare Petro ut credat & perſeveret. Atqui ex hoc decreto ſpeciali de Petro, Paulo, & alijs omnibus nominatim electis, fide donandis & per fidem in Chriſtum adducendis ad ſalutem, naſcuntur duæ iſtæ veritates quas Adverſarius nobis pro decretis duobus, uno generali altero ſpeciali, obtrudere conatur: Nam quia Deus omnes ſuos electos, quos nempe pro ſuis novit, vult per fidem in Chriſtum gratuitò ipſis in tempore conferendam adducere pro certo ad ſalutem, inde ultrò efflorefcunt abſque novo decreto, iſtæ propoſitiones quæ ſunt veriſſimæ; Omnis credens in Chriſtum ſervabitur; Omnis electus in Chriſto vivet in æternum; Petro ad ſalutem electo certò & infallibiliter datur fides & perſeverantia; Petro credenti & electo obtinget proculdubio vita æterna.

Quanquam hoc diſcrimen] Sed cum ſingulare omne in generali contineatur, non video cur duo decreta debeant hìc concipi, alterum generale, alterum ſpeciale; Non fecit Deus duo decreta de hominibus, alterum generale, fore omnes homines ratione præditos & riſibiles, alterum verò ſpeciale de Adamo, Eva & eorum ſingulis poſteris, ratione & riſibilitate donandis: Nam ſpecialia hæc & determinata decreta de Adamo, Eva & eorum ſingulis poſteris ratione ac riſibilitate donandis, ſi collectivè concipiantur, illam generalitatem conficiunt: Ita etiam ſpecialia decreta de ſingulis credentibus nominatim ſervandis, collectivè ſumpta adæquantur illi generali, quod nobis vult obtrudere Crellius de ſervandis omnibus credituris. Sed præterea hìc gratis ſupponitur poſſe decretum aliquod Dei verſari & occupari circa ſubjectum generale & indefinitum: Nam cur aliud ſubjectum aſſignabimus ſingulis Dei decretis, quam ſingulis actibus Providentiæ ſuæ, per quos illa ipſa decreta exſequitur, qui omnes verſantur circa ſubjecta ſingularia & definita?

Sunt autem hæc decreta] Hanc connexionem æquè concipias inverſo ordine, juxta quem ex ſpecialibus generalia neceſſariò conſequantur: Nam ex eo quod hic, & ille, & ille, nemine excepto inter mortales, eſt riſibilis, hæc generalis aſſertio benè ſequitur, Omnes homines ſunt riſibiles: Sic etiam ex eo quod hic & ille & ille credens ſervabitur, nemine iſtius ordinis excepto, optime colligitur, ergo Omnes credentes ſervabuntur. Præterea adhuc quæri poſſet an illa connexio quam hìc fingit adverſarius ſit duntaxat naturæ, an etiam temporis; Prius enim tempore Deum decreviſſe ſervare omnes credentes, quam ſingulos eos quos fide donare decreverat, vix abſque evidenti abſurditate dici poteſt.

Si eam habuerint annexam] Itaque decreta generalia Crellius facit hìc conditionata; & tamen mox ſtatuet quod etiam decreta generalia poſſunt eſſe abſoluta antequam conditio impleatur. Hoc generale decretum quod in exemplum ſumpſit adverſarius, *Omnis qui credit in Dei Filium habet vitam æternam*, quale quæſo erit, abſolutum-ne, an conditionatum? Si dicas conditionatum, quia ad illius *exſequutionem neceſſe eſt conditionem aliquam in creaturarum arbitrio poſitam accedere*, nihil proficies; nam etiam tum generale decretum poteſt eſſe abſolutum antequam conditio impleatur: Nec video quì poſſit negari hoc eſſe abſolutæ, indubiæ & infallibilis veritatis, Omnis qui credit in Chriſtum habet vitam æternam: Si ſtatuas illud abſolutum, tum ſanè quia ſpecialia *ſimpliciter* conſequuntur ex generalibus, ſi hæc abſoluta ſint non erit opus præſtatione ullius conditionis ad ſpeciale decretum de Petro, Iohanne &c. ex illo generali formandum. Eò nempe redeunt ſubtiles iſti diſcurſus Sociniani de decretis ſpecialibus & generalibus ac connexione eorum.

Diſcrimen autem inter illa eſt non exiguum. Nam præter ſubjectorum diverſitatem accedit & illa, quòd in iis decretis, ad quorum exſequutionem neceſſe eſt conditionem aliquam in creaturarum arbitrio poſitam accedere, generalia quidem decreta poſſunt eſſe abſoluta, antequam conditio impleatur; at ſingularia decreta ſub illis quodammodo comprehenſa, non item. Nam poſtquam v. g. Deus decrevit, omnes in Chriſtum credentes vitâ æterna donare; ſemper atque abſolutè id ratum fuit, etiam antequam quiſquam eſſet, qui in Chriſtum crederet. At Petrum aut Paulum nominatim vi hujus decreti ſalvum fore, ſimpliciter atque abſolutè verum non fuit, antequam illi in Chriſtum crederent: ſed ſub hac tantùm conditione, ſi in Chriſtum, & quidem conſtanter crediderint.

‡ *Nam præter ſubjectorum*] Neque hîc eſt ſubjectorum diverſitas ut ſuprà docui, cùm ſingulare ſub generali comprehendatur; neque ſecum conſentit adverſarius, ut ante monebam, de natura ſuorum decretorum generalium, quæ modò conditionata, modò abſoluta ſtatuit: Imò quam abſolutè & infallibiliter verum eſt omnes credentes in Filium habituros vitam æternam, etſi ad illius veritatis executionem in hoc & in illo, requiratur conditio fidei & perſeverantiæ, quam in Creaturæ arbitrio collocant Sociniani, tam abſolutè quoque & infallibiliter verum eſt hunc & illum credentem & perſeverantem vitam æternam conſequuturum: Quare nulla ratio ſubeſt cur ſpeciale decretum de hoc vel illo credente ſervando, non æquè abſolutum ſtatui poſſit, ac illud generale Crellianum de ſervandis omnibus credentibus.

Nam poſtquam] Verùm gratis fingitur decretum de omnibus credentibus ſervandis eſſe prius decreto de ſervandis Petro & Paulo ubi jam credunt: nam hæc erat ſuperiùs oppoſitio quam adverſarius inſtituebat inter decretum generale & ſpeciale; Ac ſicut ſemper & abſolutè id ratum fuit, Credentes in Chriſtum habituros vitam æternam, etiam ſemper & abſolutè verum fuit ex generali illo axiomate, Petrum & Paulum credentes, certiſſimè eſſe ſervandos. Et quamvis in tempore demum credant & perſeverent, tamen ab æterno erant credituri & perſeveraturi, ex illo Dei decreto ſpeciali quo eorum & cœterorum ſigillatim electorum nomina, inſcripſit libro vitæ: cùm ex iſto peremptorio ſingulorum nominatim decreto, conſequatur & omnes credituros ſervatum iri, & credituros omnes illos quos Deus ad fidem & ſalutem nominatim ordinare & eligere dignatus eſt.

Ut autem hoc diſcrimen inter decreta divina agnoſcatur, non parum re-
fert; præſertim cùm de ratione agitur, quâ Deus homines vel æternæ ſa-
339 luti deſtinarit, aut deſtinet, vel contrà interitui ſempiterno addixerit, aut
addicat. Etenim generale decretum, quale jam diximus, uti & ſpeciale ſub conditione factum, libertatem hominibus relinquit, conditionem propoſitam vel implendi, vel non implendi. At ſi decretum abſolutum de ſingulis nominatim ſit factum, antequam ii conditionem propoſitam impleverint,

nullus

nullus ampliùs ei libertati locus relinquitur, ſed neceſſitas ſingulis imponitur conditionem propoſitam, ſi modò conditio ampliùs nominanda eſt, implendi.

‡ *Vt autem hoc diſcrimen*] Sed cum illud diſcrimen ex ſuo cerebro fingat adverſarius, nec ullo lumine vel Scripturæ vel Rationis nitatur, eadem facilitate contemnitur quâ profertur.

Etenim generale] Præſtitiſſet Crellium ſuas hypotheſes falſas & Pelagianas de libero arbitrio, ad ſanioris Theologiæ limam revocaſſe, quam ex illis materiam Prædeſtinationis æternæ, ſenſu planè diverſo ab eo qui traditur in ſacris literis, explicatam velle. Sed neque difficile eſt telas areanearum quas hic nectit detexere. Decreto enim abſoluto de hoc & illo nominatim per fidem in Chriſtum adducendo ad ſalutem, nihil delibatur de libertate hominis, juxta quam ultrò, ſpontè, citra ullam violentiam aut coactionem, cùm ſingulari Dei gratiâ vocatur ad fidem eâque donatur, illam alacriter ſuſcipit & admittit; Et conſilium ejus æternum de his & illis fide donandis in tempore, importat quidem neceſſitatem eventus, neutiquam vero neceſſitatem coactionis, quæ demum repugnat humanæ libertati. Imò ſi conditionem fidei & perſeverantiæ (ſub qua in incertum huic & illi ſalus decernitur) implendi vel non implendi libertas ſit penes homines; tùm 1. Illa ipſa fides & perſeverantia deſinit eſſe ſingulare Dei donum, contra quam clamat univerſa Scriptura; 2. Electio æterna erit ex fide non ad fidem & ſanctificationem, ut docent ſacræ literæ; 3. Nequidem in Theologia Sociniana ullum erit ſpeciale decretum de hujus aut illius ſalute factum ſub hac conditione, ſi crediderint; ſed acquieſcendum erit in decreto generali, vago & indeterminato, de omnibus & ſingulis ſervandis, ſi ſteterint ei conditioni quam implicat hæc aſſertio, Omnes credentes ſervabuntur; 4. Homo erit faber ſuæ fortunæ, & ſibi non gratiæ Divinæ debebit ſuam ſalutem, quatenus præſtatio conditionis ſub qua promittebatur pependit ex illius arbitrio, & in ipſo fuit eam implere. Denique etſi non negemus fidem & perſeverantiam prærequiri neceſſariò in homine adulto ut ſervetur, tamen negamus illi qui per fidem & perſeverantiam ſervatur ſalutem æternam decretam fuiſſe ſub conditione poteſtativa fidei & perſeverantiæ, cujus præſtatio dubij eſſet eventus & penderet ex ipſius arbitrio: Nam quem Deus eligit ad finem eum etiam eligit ad media, & cui decrevit ſalutem quæ eſt ex fide, ei etiam fidem conferre certiſſimè decrevit, ſine qua ſalus non poſſet obtineri.

At ſi decretum abſolutum] Decretum hoc abſolutum quod defendimus, infert quidem neceſſitatem eventus, neque rem relinquit ſuſpenſam in dubio, ex putri paxillo libertatis humanæ: cùm enim omnes ſint proclives ad omne malum & inepti ad omne bonum ex naturæ corruptione, donec ea per gratiam Chriſti medicinalem conſolidetur & ſanetur, libertati eorum relinquere ſuam ſalutem, nihil aliud eſſet quam eos certæ perniciei devovere: Veruntamen non infert hoc decretum neceſſitatem coactionis; cùm Deus ſuos non cogat ſed trahat funiculis humanitatis, inſuperabiliter ſimul & incoactè operando in ipſis & velle & perficere. Nec ſi decretum abſolutum quod propugnamus de ſalute huic & illi danda, ſit factum ante præſtationem conditionis reſipiſcentiæ, & fidei, (eſt enim ſimpliciter æternum,) inde ſequitur ſalutem poſſe obtineri ab ullo antequam conditionem propoſitam impleverit. Eſt enim hæc conditio ſub qua & per quam ſalus obtinetur ab electis, non eſt tamen conditio

ditio ſub qua decretum de eorum ſalute ſit factum à Deo.

Si modo conditio] Non quidem eſt conditio poteſtativa & dubij eventus ex qua Deus ſuſpendat ſuum decretum, ſed poteſt dici conditio ſub qua proponitur, promittitur & confertur ſalus decreta, licet vi ejuſdem decreti infallibiliter præſtetur.

Unde ii, qui ſtatuunt, Deum jam ab omni æternitate de ſingulis hominibus nominatim ſervandis abſolutum feciſſe decretum, eum ſimiliter decreviſſe putant, ut iidem neceſſariò crederent. ſiquidem neminem ad ſalutem ſine fide perducere, immutabili itidem decreto ſanxit. Et hoc quidem aliquantò eſſet tolerabilius, ſi in æternæ tantùm ſalutis ratione illa regnare ſtatueretur neceſſitas. Verùm illius dogmatis auctores etiam in re contraria idem ſtatuerunt, ut nimirum ſibi uſquequaque conſentirent. quandoquidem volunt, Deum certos etiam homines, & longè quidem plures cæteris, æterno exitio nominatim atque abſolùtè deſtinaſſe, antequam quicquam mali feciſſent. Vnde porrò conſequitur, cùm neminem Deus, niſi peccato atque impietate ſua commeritum æterno interitui ſubjicere decreverit, Deum illis etiam neceſſitatem peccandi atqu impiè vivendi impoſuiſſe.

‡ *Vnde ii qui ſtatuunt*] Et hæc benè, ut ex ſuperioribus liquet, etiam ex ſuppoſitione decreti generalis quod Crellius Deo tribuit. Si enim ante omnia Deus hoc abſolutum fecit decretum, Neminem unquam ſervatum iri, niſi per fidem in Chriſtum, quâ ratione voluit & decrevit Deus quoſdam ſervari merito & beneficio Chriſti, qui aliàs fruſtra mortuus fuiſſet, eadem debuit illis velle & decernere efficaciter fidem, abſque qua nec placere Deo, nec ſervari potuiſſent.

Et hoc quidem aliquanto] Benè eſt quod ſaltem hic reſpectu ſalutis æternæ non multum videt difficultatis Crellius; Imò rem ita ſe habere omninò agnoſceret, ſi gratiæ Divinæ, initium, progreſſum & coronidem ſalutis humanæ dignaretur adſcribere.

Verum illius dogmatis] At neque eſt perfecta contrarietas inter Electionem & Reprobationem, cùm Prædeſtinatio magis æquivocè quam univocè prædicetur de utraque; nam reprobatio, utpote actus juſtitiæ Divinæ, debet fundari in peccato reproborum; ſed electio, ut potè actus miſericordiæ indebitæ, ſolius eligentis gratiæ & beneplacito innititur; & media quibus Electionis decretum ad exitum deducitur ſunt à Deo efficienter & poſitivè; ſed ea quibus decretum Reprobationis completur, à Deo non ſunt niſi deficienter & negativè: Neque eorum probamus ſententiam, rejectam quoque à Synodo Dordracena, quæ ſupra lapſum aſcendens in Reprobationis objecto aſſignando, vellet homines reprobatos fuiſſe & conſequenter *æterno exitio* deſtinatos, *antequam quicquam mali feciſſent*. Si enim Reprobatio negativè ſumatur pro præteritione, ideſt non electione ad ſalutem, adſcribenda eſt nativæ illi corruptioni in qua omnes jacentes conſiderantur à Deo, & cui eorum qui prætereuntur vel non eliguntur Reprobabilitas, adeoque & actualis Reprobatio, eo ſenſu debet imputari. Quamvis enim illa nativa corruptio, non ſit cauſa neceſſaria Reprobationis ubicunque reperitur, aliàs cum omnes homines per illam ſint reprobabiles, ex illa quoque deberent reprobari; attamen eſt illius

Digitized by Google

illius cauſa ſufficiens, ut non habeant ullam juſtam querelæ cauſam qui prætereuntur vel non eliguntur, quia non modo non digni erant, ſed inſuper indigni omninò erant ex illa nativa corruptione qui eligerentur: Ac ſicut qui ex eadem maſſa æqualiter indigni eliguntur, id debent ſpeciali & indebitæ Dei benevolentiæ facienti de ſuo quod vult, ita qui in illa relinquuntur, debent id ſuo peccato imputare, ac dicere cum Latrone Luc: XXIII, 40. *Juſtè ſumus in hac damnatione, digna enim factis noſtris recipimus.* Quod hunc potius quam illum Deus præterierit, cum ambo eſſent æquè reprobabiles, beneplacito & libertati ejus debet adſcribi: ita figulus ex eadem maſſa facit vas aliud ad decus, aliud ad dedecus; ac ſicut qui aſſumitur, cum æquè reprobabilis eſſet, non habet de quo glorietur niſi in Domino, ita qui non eligitur, non habet de quo queratur niſi de ſe ipſo, quia reprobabilis propter peccatum erat. Si item Reprobatio ſumatur affirmativè, pro prædamnatione ſive ordinatione ad pœnam, ea non poteſt non tribui & originali peccato & omnibus prævifis peccatis actualibus tàm omiſſionis quam commiſſionis in quæ reprobi ultrò ruunt ex quo ſibi occulto ſed juſto tamen Dei judicio permittuntur: Nemo enim à juſtiſſimo Deo poteſt ordinari ad iram & pœnam, niſi qui ſons & peccator fuerit.

Deum illis etiam neceſſitatem] Decretum reprobationis, ſive negativè ſive affirmativè ſumatur, talem neceſſitatem non imponit reprobis: Nam utrobique præſupponitur peccatum: Ibi quidem originale & commune, hìc inſuper actuale & multiplex: At neutrobique peccandi neceſſitas reprobis per tale decretum imponitur, ſed potius ſupponitur: Et ſi mali cum ſint nequeunt benè agere, hæc impotentia benè agendi & malè agendi neceſſitas, non debet adſcribi Deo ceu eam infligenti & imponenti, ſed ipſimet peccato hominem ſibi penitùs ſubjicienti, & quamdiu dominatur omnem benè agendi facultatem in ipſo extinguenti. Et quamvis *neceſſariò* peccent reprobi, quatenus deſtituti gratiâ indebitâ ſanctificante, nihil aliud poſſunt quam malè agere, non tamen ideo *liberè* & incoactè non peccant dum lubenti animo, & *liberaliter*, ut loquitur quandoque Auguſtinus, ſubſunt peccato & herile illius imperium in ſe gratanter admittunt.

Quæ abſurda illi penitùs evitant, qui generale quidem de credentibus ſervandis, non credentibus autem æternùm puniendis decretum, ante mundum conditum, adeoque ante ipſam fidem & incredulitatem hominum, ſimpliciter factum eſſe ſtatuunt: ſpecialia autem de his aut illis, ſive ſervandis, ſive damnandis, tum demum abſolutè fieri cenſent, poſtquam illi vel conſtanter crediderint, vel in incredulitate perſeveraverint.

‡ *Quæ abſurda*] Hæc abſurda ſatis declinant qui hominem lapſum & peccatorem objectum conſtituunt Prædeſtinationis Divinæ; ut non habeant vel quod glorientur electi, quia miſeri erant & digni morte æternâ, vel quod querantur reprobi, quia erant ſuâ culpâ peccatores, & juſtè reprobabiles. Hoc ſenſu juxta Damaſcenum *lib.* 2. *Orth. fid. cap.* 29. prout ſaltem eum emollire conatur D. Wallæus, *loco de Vol. Dei, pag. tom.* 1. 181. electio pertinebit ad voluntatem *antecedentem*, quod nullam habeat cauſam in homine vel ejus merito, reprobatio ad *conſequentem*, quod in hominis peccato & merito fundetur. Sed quæ hìc confinguntur hypotheſes ab adverſario, plura & graviora abſurda invo-

Digitized by Google

involuunt, quam illa ſint quibus mederi ſtudet. Nam 1. impingit ipſe in ſua principia: Si enim *ante mundum conditum*, jam *factum* erat *ſimpliciter* & abſolutè hoc decretum *generale de credentibus ſervandis, non credentibus autem æternùm puniendis*, debuit utiquè etiam ſimpliciter & abſolutè factum fuiſſe decretum de Chriſto mittendo & proponendo hominibus in objectum fidei: Neutrum autem decretum potuit abſolutè factum fuiſſe ceu de rebus infallibiliter eventuris, quin etiam *ante mundum conditum*, id certum & infallibile fuerit hominem lapſurum: quoniam ſi contingens & incertus fuiſſet reſpectu Dei lapſus hominis, ut pote pendens ex illius arbitrio, non potuiſſet certò & abſolutè decerni vel miſſio Chriſti in mundum ad homines redimendos, vel ſalus credentibus & exitium incredulis; ſiquidem potuerit evenire ut homo ſtaret, & ſic nec Chriſto redemptore egerent ulli, nec diſcrimen ullum eſſet credentium & incredulorum: Cùm ergo repugnet rectæ rationi, decretum ullum abſolutum certò & infallibiliter eventurum, inædificari conditioni dubij & incerti eventus, aut hæc decreta de Chriſto mittendo & ſervandis omnibus credentibus in ipſum non erunt abſoluta, contra quam ſtatuit hic Crellius, aut abſolutam & infallibilem futuritionem etiam ante conditum mundum habuit lapſus hominis, citra libertatis ſuæ læſionem, quod aliàs negant adverſarij. II. Cùm Deus hoc generale & abſolutum decretum fecit *ante conditum mundum*, de credentibus ſervandis, non credentibus æternùm puniendis, vel ſuppoſuit alios eſſe credituros, alios in incredulitate permanſuros, vel neſcivit ullos credituros, aut incredulos futuros: Si poſterius dixerit Crellius, non tantum in Dei Omniſcientiam incurret, ſed & ea tribuet Deo quæ nequidem cadant in hominem mediocriter prudentem, quod decretum faciat abſolutum de illis puniendis ab una parte & ſervandis ab altera, de quibus necdum certò ipſi conſtiterit num unquam ſint extituri in rerum natura: Sic Deus præparaverit à jactis mundi fundamentis Paradiſum pro crediturïs ex decreto abſoluto de illis ſervandis, etſi neſciret an ulli hominum eſſent credituri; & inferos extruxerit ad incredulos puniendos ex abſoluto decreto, etſi ipſi nondum conſtiterit an ulli has pœnas eſſent merituri. Si prius affirmarit adverſarius, nempe Deum in hoc decreto generali condendo jam illud pro certo ſuppoſuiſſe alios fore credentes, alios incedulos, ergo etiam pro certo ſuppoſuit 1. hominem lapſurum: 2. ſe quibuſdam ex hominibus lapſis indulturum miſericorditer fidem, ut credentes habeant vitam, alijs juſtè eandem, ut pote indebitam, denegaturum, & eos nativæ ſuæ & voluntariæ corruptioni non modo relicturum, ſed etiam ob illa ſua peccata ſeverè puniturũ. Si dicat Crellius hoc decretum generale fuiſſe indeterminatum, de credentibus & incredulis in idea, non medebitur huic vulneri; nam ſaltem per prius indeterminatè Deus decreverit fore aliquos credentes, & ſic quibuſdam ſe fidem indulturum ad ſalutem: adeoque ſuppoſuit certò, licet non determinatis perſonis, aliquot credituros, cum credentibus decrevit ſalutem æternam: At in ſchola Sociniana id non potuit Deus ſupponere tanquam certò futurum, quod repugnet arbitrij libertati, vel abſolutè fidem alicui decerni ut credat, vel præſciri infallibiliter à Deo ipſum crediturum priuſquam credat. Si dicat Crellius decretum hoc ſuum generale de credentibus ſervandis & incredulis puniendis, ſic eſſe intelligendum, ſi ſint qui credant, aut qui malint eſſe increduli, tum eò redibit unde digreſſus erat, & conditionatum faciet quod antea abſolutum ſtatuebat. III. Non video quî decretum de credentibus ſervandis, non

credentibus

credentibus æternùm puniendis, factum dici potuit ſimpliciter *ante fidem & incredulitatem hominum*; Licet enim fides & incredulitas hominum actu non extiterit, antequam ipſi extarent actu, debuit tamen, non ſecus ac ipſum ſubjectum quod denominatur inde credens, vel incredulum, habere ſuum eſſe cognitum, & exiſtere objectivè in mente Divina ante mundum conditum, ſi ullum decretum de hominibus credentibus ſervandis, & incredulis puniendis ante mundum conditum factum fuerit: Nihil ante conditum mundum potuit Deus conſtituere de hominibus vel beandis vel puniendis, niſi ex prævio ejus decreto homines certò & infallibiliter fuiſſent exituri: Pariter nequivit decernere ſe ſervaturum homines credentes, & incredulos puniturum, niſi eorum reſpectivè fides & incredulitas obverſata fuiſſet menti ſuæ & ſuam habuiſſet futuritionem infallibilem: Vno verbo extitit ipſa fides & incredulitas hominum *ante mundum conditum*, quomodo ipſi homines qui jam tum à Deo in duos diſtinctos ordines diſtribuebantur, credentium & incredulorum: Et cùm non entis nulla ſit affectio, debuerunt ſuo ſenſu eſſe homines ante conditum mundum, ſi jam tum ut credentes & increduli conſiderabantur; nec non ipſa fides & incredulitas ſi jam tum abſolutè illi ſalus & præmium, huic damnatio & pœna decernebatur. IV. Valde abſurdè hæc duo decreta, uti ea vocat Crellius, immediatè ab ipſo opponuntur, generale nempe de nemine ſervando niſi qui crediderit, & ſpeciale de hoc & illo qui conſtanter crediderit ſervando. Nam etſi largiremur Vniverſale & fœderale hoc axioma, Deus omnes credentes in Chriſtum ſervabit, non effloreſcere per modum poriſmatis, inductionis & conſequentiæ, ex ſpeciali illo, peremptorio & irrefragabili decreto, quo hos & illos nominatim, ad ſalutem per fidem in Chriſtum conſequendam & obtinendam eligere dignatus eſt, cœteris in ſua perditione nativa & ſibi juſtè relictis; Etſi concederemus Deum hoc conſilium apud ſe firmiter iniiſſe de omnibus & ſolis credentibus ex humano genere ſervandis & cœteris puniendis, priuſquàm in ſigno rationis, de his & illis ſpeciatim ſervandis quicquam ſtatueret; Attamen deberet inter illud generale & indefinitum decretum de ſervandis omnibus & ſolis credentibus, & ſpeciale de his aut illis conſtanter credentibus nominatim ſervandis, aliud decretum intercurrere, ex quo, cùm fides non ſit omnium teſte Paulo 2. Theſſ: III, 2. his aut illis decreverit nóminatim gratiam & fidem largiri qua credant in Chriſtum, & credentes vitam æternam conſequantur: Aliàs ſemper recurrit quæſtio quì fiat quod hi credant, illi non: Cum enim eorum fides non ſit ex ipſis, ſed ſit ſingulare & ſpeciale Dei donum Eph: II, 8. Phil: I, 29. non potuerunt eam conſequi niſi ex ſingulari Dei benevolentia, quæ ſingulare & ſpeciale quoque decretum de hoc beneficio illis in tempore conferendo neceſſariò ſonat: Si fidem eorum rejicias in ipſorum liberum arbitrium, non in Dei gratuitam tractionem, tum & ſeipſos diſcriminaſſe cenſendi ſunt ab alijs, contra Paulum I. Cor: IV, 7. & poterit homo aliquid boni facere & cogitare ex ſeipſo extra Chriſtum & abſque illo, contra univerſam Scripturam Ioh: XV, 5. I. Cor: II, 14. 2. Cor: III, 5. V. Perabſurdè hæc decreta ſpecialia, tempore poſteriora ſtatuerentur generalioribus; Nam conſilium Deus non capit in arena, ſed quicquid decrevit id omne decrevit ante jacta mundi fundamenta, ideſt ab æterno: Cur enim potius æternum facias decretum de ſervandis credentibus in genere, quam decretum *de his aut illis* nominatim ſervandis? Etſi potuit Deus Paulum ſeparare ab utero ad ſalutem & Apoſtolatum, cur non etiam ab æterno? Et ſi potuit ab æterno facere decretum

Digitized by Google

tum generale de ſervandis credentibus, quod præſupponit decretum de lapſu permittendo & Chriſtum mittendo in mundum ac proponendo in objectum fidei hominibus lapſis in peccatum, cur non ſimiliter potuerit ab æterno feciſſe decretum de his & illis ſervandis, adeoque de fide & reſipiſcentia his & illis conferenda ad ſalutem? VI. Parùm convenit rationi quod *ſpecialia* decreta *de his aut illis* nominatim *ſive ſervandis ſive damnandis*, ſtatuat Crellius *tum demum abſolutè fieri, poſtquam illi vel conſtanter crediderint vel in incredulitate perſeveraverint*; Hinc enim ſequetur tum demum aliquem nominatim prædeſtinari ad gloriam, cum actu glorificatur: ſiquidem actu glorificatur quicunque conſtanter ad finem uſque crediderit: At inter prædeſtinationem ad gloriam & actualem glorificationem magnum eſſe interſtitium & naturæ & temporis, luculenter docet Apoſtolus Rom: VIII, 29. Et qui inter Dei decreta & eorum executionem nullum intervallum temporis agnoverit, is non tantum tollet omnem rerum, priuſquam eveniant, futuritionem quæ ex decretis Divinis arceſſitur, ſed etiam dignus meritò habebitur quod bellum indixerit ſenſui communi qui naviget ad Anticyras.

Poſtquam illas decretorum divinorum differentias perſequuti ſumus, quæ naturam eorum propiùs attingunt; aliquid etiam de cæteris addamus, quæ ex circumſtantiis externis atque adventitiis pendent, & aliquem in rebus teſtimoniiſve ſacris uſum habent. Earum autem duas ſupra memoravimus, quarum prior ex temporis differentia petitur. Etſi enim vulgò arbitrentur, decreta Dei temporis differentiam non admittere, ſed omnia ab æterno facta eſſe: tamen ne ea nunc repetamus, quæ hinc inde ſunt a nobis dicta, ad hanc ſententiam refutandam pertinentia; id ſolum ad eam convellendam ſufficeret, quòd ſacræ literæ ad oſtendendam ſingularem, vel rerum, vel perſonarum quarundam præſtantiam, aut Dei erga has charitatem, aut deniq; inſignem
340. nonnullarum rerum certitudinem, commemorant, de iis Deum jam olim, & quidem ante conditum mundum, decreta feciſſe. ut tum de ſalute noſtra ſempiterna, (*Epheſ: 1. 4: & d. 2 Tim: 1. 9. add. 1 Cor: 2. 7.*) tum de Chriſto ſalutis noſtræ duce, & gloria ipſi deſtinata legimus. (*Ioh: 17. 24. conſ: & verſum 5. 1 Pet: 1. 20.*) At hujuſmodi argumentum nullum eſſet, ſi id omnibus prorſus Dei decretis eſſet commune. Quod enim commune omnibus eſt, nullam peculiarem unius præ altero præſtantiam demonſtrat.

‡ *Etſi enim vulgò*] Atqui id tam luculenter docet Scriptura Act: XV, 28. XV, 18. & tam evidenter ratio perſuadet, quæ inſinuat Dei æterni æterna quoque eſſe conſilia, cùm tam abſurdum ſit eum novi alicujus conſilij & decreti eſſe ſuſceptibilem, quam ipſi aliquid ex improviſo accidere, aut illum ulli mutationi eſſe obnoxium; ut laterem lavet Crellius dum ſe opponit conſtanti illi ſententiæ omnium Chriſtianorum, cæteroquin diverſa ſentientium quoad Dei gratiam & illius neceſſitatem ac operationem.

Ne ea nunc repetamus] Sed hæc ſuo loco ſufficienter ſunt refutata, ut ea repetere hîc nihil attineat.

Vt tum de ſalute] Verum, ô bone, hoc decretum non eſt generale de ſalute credentium, ſed ſpeciale de horum & illorum ſalute per electionem Dei gratuitam,

Digitized by Google

tam, adeoque ſimul de illis fide & reſipiſcentiâ donandis.

Tum de Chriſto] Hîc multa involuit Crellius quæ ſunt evoluenda: Nam I. ſi *ante conditum mundum* decretum factum eſt *de Chriſto ſalutis noſtræ duce* conſtituendo, hoc decretum debuit eſſe ut æternum, ſic abſolutum & infallibilis eventus: Verum id ſtatui non poteſt quin ſimul ex decreto Dei de permittendo lapſu primi hominis & totius generis humani in ipſo, illius lapſus certa & infallibilis futuritio ante jacta mundi fundamenta neceſſariò aſſeratur. II. Locus I. Pet: I, 20. ſic indicat Chriſtum à Patre fuiſſe præordinatum ab æterno in Redemptorem generis humani, ut ſimul omnibus ſanæ mentis relinquat colligendum Deum quoque ab æterno decreviſſe permiſſionem lapſus, ut iſte lapſus, quo ſepoſito Chriſtus nec Mediator nec Redemptor futurus fuiſſet, cùm ubi nullum eſt vulnus ibi emplaſtro opus non ſit, vi illius decreti futuritionem certam & infallibilem habuerit. III. Locus Ioh: XVII, 5. 24. non agit ut ſuo loco oſtendi, de gloria prædeſtinata Chriſto cùm nondum eſſet, ſed de ea quam à Patre per generationem æternam & apud eum habuit ac poſſedit ab æterno; Confer loca Ioh: I, I. V, 26.

At hujuſmodi] Imò hîc invertimus ſchema: Nam primò omnium Dei decretorum par debet eſſe ratio generica & quoad ordinem decernendi; At fatetur adverſarius plurima ex illis facta fuiſſe *ante conditum mundum*: Quare nulla ſubeſt ratio cur idem de reliquis omnibus ſtatuere non debeamus. Deinde de ijs perſonis decreta ſunt facta ante conditum mundum, ut vult Crellius, erga quas *ſingularis* Dei *charitas* in Scripturis commendatur: At verò hæc ſingularis Dei Charitas meritò commendatur erga omnes & ſingulos credentes & quibus in tempore datur ut reſipiſcant & credant; Ergo de omnibus illis & ſingulis ad ſalutem adducendis decreta ſunt facta ante conditum mundum.

Sed præterea id quoque ejus ſententiæ ‡ falſitatem manifeſtè docet, quòd multa Dei decreta de iiſdem ſubjectis facta, uti & affectus, ex quibus ea manant, ſibi invicem adverſentur, & unum ab altero tollatur. Aliud enim ab amore manat, aliud ab odio; illud à gratia atque miſericordia, hoc ab ira; illud ad felicitatem hominis ſpectat, hoc ejus pœnam atque interitum poſtulat. Unde ſuprà vidimus, Deum dici pœnitere eorum, quæ de hominibus certis decreverit, ac ſententias à ſe latas, & apertè etiam promulgatas, mutatis hominum moribus, aut alijs quibuſdam rebus intervenientibus revocare. Non ergo eodem tempore omnia in Deo exiſtunt, adeòque nec ab omni æternitate ſimul extitere. Quare poſſumus ita Dei decreta diſtinguere, ut alia dicantur à Deo ante conditum mundum eſſe facta, ut de mundo ipſo condendo, conſervando, regendo, decretum de ſalute nobis per Chriſtum offerenda, & reipſa præſtanda; & ſi quæ his ſunt conjuncta: alia poſt conditum mundum, diverſis iterum temporum articulis, prout rerum ipſarum ratio, aut præſtantia poſtulare viſa fuit.

‡ *Quod multa Dei decreta*] Sed nec decreta Dei ſibi mutuò adverſantur, cum diverſa ſint non verò contraria, quemadmodum ſuo loco oſtenſum Miſericordiam

diam Dei ejus Iuſtitiæ non adverſari; nec verum eſt ulla Dei decreta *de ijſdem ſubjectis facta* eſſe, quæ *ſibi invicem adverſentur*, & quorum *unum ab altero tollatur*. Intelligo autem hîc eadem ſubjecta, non ſpecificè tantum, quo ſenſu non diffiteor decreta Dei de hominibus in genere, alia ab amore & miſericordia, alia ab odio & ira proficiſci, ſed numericè, quo demum reſpectu procederet argumentum Crellianum: Tam vero impoſſibile eſt circa eundem numero hominem contraria concipere Dei decreta, unum ab odio & ira, alterum à miſericordia & gratia, ut ſimul eundem velit perdere & ſervare, quam impoſſibile eſt in Deum id cadere, quod nequidem homini ſapienti tribui poteſt, ſi modò hujus Catoniani moniti meminerit,

„ *Sperne repugnando tu tibi contrarius eſſe,*
„ *Conveniet nulli qui ſecum diſſidet ipſe.*

Vnde ſuprà vidimus] Imò ſuo loco oſtenſum, Pœnitentiam quæ ἀνθρωποπαθῶς Deo tribuitur, nullius antecedentis decreti à Deo facti revocationem ſonare, cum ſint Dei conſilia planè immutabilia, ſed ad ſummum non executionem pœnæ comminatoriç, ſub certâ conditione priùs denunciatæ; quæ etiam non executio ex firmo & immutabili Dei decreto procedit. Pœnitentia Dei non in Deo ſed in rebus ipſis mutationem ſonat, eamque ex Dei decretis & conſilijs.

Non ergo eodem tempore] Nemo ſanus dixerit *omnia*, id eſt omnes creaturas omneſque eventus extra Deum, *eodem tempore* in Deo exiſtere: Quia ſi exiſtentia eorum actualis & in tempore conſideretur, ea non eſt *in Deo* ſed extra Deum; Si vero intelligatur exiſtentia objectiva, qualem omnia habent ex Dei præſcientia & decreto in mente Divina, hoc reſpectu omnia in Deo exiſtunt, non *eodem tempore*, ſed ab æterno. Et ſapè tam neceſſe eſt omnia Dei decreta *ſimul* ab æterno extitiſſe in mente & conſilijs ipſius, quam impoſſibile eſt aliquid novi ex improviſo illi accidere, de quo novum decretum formare debeat. Verum nuſquam evidentiùs revixit Anthropomorphiſmus quam in Socini ſchola, quæ Deum ſibi imaginatur ſimilem homini, prout tempora & res ferunt, veliſicantem occaſionibus, ac nova decreta & conſilia ſubinde fabricantem. Omnia *ab omni æternitate ſimul* non *extitêre*, exiſtentiâ actuali; ſed omnia *ſimul* ab omni æternitate extiterunt, exiſtentiâ objectivâ, quam ex Dei decretis & præſcientia nanciſcuntur.

Quare poſſumus ita] Id ut ſe poſſe Sociniani oſtendant, alijs argumentis opus eſt: niſi ſuppliciter petierint has hypotheſes ſibi concedi, licet omni probabilitate deſtitutas. Primùm enim nullum exemplum profertur decretorum divinorum *poſt conditum mundum* factorum, *prout rerum ipſarum ratio aut præſtantia poſtulare viſa fuerit*; Imò paullò ante dicebat Crellius quod decreta quæ facta leguntur ante conditum mundum, facta fuerint ob *ſingularem rerum præſtantiam*: Si ergo ulla rerum *præſtantia* venit Deo conſideranda, illa ejus decreta ponet non temporalia ſed æterna. Deinde *ſi decretum de ſalute nobis per Chriſtum offerenda & reipſâ præſtanda*, eſt æternum & factum ante conditum mundum, non video quî decretum de his & illis *reipſâ* donandis ſalute *per Chriſtum* demum poſt conditum mundum factum ſtatuatur: Quo jure enim hos & illos nominatim excludes à decreto æterno *de ſalute Nobis per Chriſtum offerenda & reipſâ præſtanda*? Annon hi & illi ſub iſto pronomine *Nos*, nominatim continentur?

Sed his differentiis perſequendis non immorabimur. Illud tantùm diſcrimen ex temporis ratione petitum hîc explicabimus, quamquam paucis, quod in decretis

Digitized by Google

in decretis cernitur de eadem re factis, atque ita inter ſe nexis, ut unum ex altero quodammodo fluat. Illud autem eſt, quòd aliud Dei decretum dicatur antecedens, aliud conſequens: quam diſtinctionem vulgò Theologi tradunt, cùm de voluntate divina agunt, præſertim ea, quæ ad ſalutis noſtræ rationem ſpectat. Revera autem ad Dei decreta pertinet. Nam voluntas illa, ad quam diſtinctio hæc adhibetur, non ipſa volendi facultas eſt, ſed ejus actus, & actus quidem ille potiſſimùm, qui decretum propriè appellatur. Quanquam haud negaverimus, hanc diſtinctionem etiam affectibus illis accommodari poſſe, qui vel decreta illa pariunt, vel ad eorum exſequutionem requiruntur; nec tantùm poſſe, verùm etiam debere. Habet autem hæc diſtinctio in illis tantùm decretis locum, ad quorum effectum neceſſe eſt actum aliquem creaturæ accedere. qualia ſunt decreta de ſalute aut exitio hominum ſempiterno. Antecedens enim Dei voluntas ſi- 341.
ve decretum illud eſt, quod actum illum creaturæ liberum, ad exſecutionem decreti pertinentem antecedit; conſequens, quod eundem conſequitur.

‡ *Illud autem eſt quod*] Quouſque hæc diſtinctio voluntatis Divinæ in *Antecedentem* & *Conſequentem* poſſit admitti, à Molinæo & Wallæo è noſtris, ut cœteros mittam, fuit explicatum: Neque contentionis funem ducere de vocibus hac in parte velimus cum Crellio: Sufficiat monere, I. Pleroſque ex ijs qui Chryſoſtomi & Damaſceni authoritate fulti hanc diſtinctionem uſurparunt, voluntatem Dei hac in parte ab ejus decretis diſtinxiſſe, nec cenſuiſſe cum Crellio eam *reverà ad Dei decreta* pertinere. Ipſis enim voluntas antecedens habet rationem velleitatis inefficacis, quâ antecedenter ad actus humanos vellet id fieri, quod conſequenter ad eos amplius fieri non vult: Nemo autem eorum qui velleitates ineſficaces Deo tribuunt, (perperam utique & abſurdè,) eas illius decretis ſolet annumerare. II. Quæ hic movet Crellius de *affectibus illis qui vel decreta illa pariunt, vel ad eorum exſecutionem requiruntur*, ut ex illis fiat voluntas Dei antecedens & conſequens, ipſimet adverſari. Quî enim hæc diſtinctio & ad decreta ſimul pertinebit, & ad illius *affectus* imaginarios, qui vel antecedenter, vel conſequenter, ſe habent ad illa? Annon ſana ratio exigit ut cauſæ rerum, earumque effectus & conſequutiones ab ipſiſmet rebus diſtinguantur? III. Verum quidem eſſe dari talia Dei decreta quæ omnem *actum creaturæ liberum* præcedant, & alia quæ talem actum præſupponant & ſuo modo conſequantur: Nam v. g. decretum Dei de homine creando, in ſigno rationis antecedit omnem actum ejus liberum: at decretum de homine per Chriſtum redimendo, conſequenter ſe habet ad illius lapſum voluntarium, & ejus futuritionem infallibilem ſupponit: Sed neque tale Decretum Conſequens adverſatur Antecedenti, ut Deus illo nolit evenire quod hoc volebat, aut viceverſâ; neque decretum illud quod ſupponit aliquem actum liberum creaturæ certò futurum, tempore poſterius debet conſtitui illo actu: Satis enim eſt ſi ab æterno certam illius actus ſuo tempore futuritionem præſupponat, eique innitatur. Sic enim *decretum de ſalute nobis per Chriſtum offerenda & reipſa præſtanda*, conſequenter ſe habet ad liberum lapſum hominis quem Deus permit-

permittere decreverat, ut tamen, vel ipſo Crellio fatente, ſit æternum & factum ante conditum mundum. IV. Perabſurdè fingi tale decretum Dei *antecedens quod actum illum creaturæ liberum ad exſecutionem decreti pertinentem* antecedat, & tale *conſequens* quod eundem conſequatur. Nam neceſſe eſt omne Dei decretum ad cujus executionem pertinet aliquis actus creaturæ, ordine temporis & naturæ illum ipſum actum præcedere, adeoque impoſſibile dari tale Dei decretum conſequens, quod actum illum creaturæ liberum conſequatur qui ad ſui exſecutionem pertinebat. Si dicas mentem Crellij eſſe, quod decretum conſequens, ſit illud quod conſequitur actum liberum creaturæ pertinentem ad exſecutionem decreti antecedentis, nihil dixeris ad hanc cauſam: Sic enim agnoſcimus decretum de Chriſto mittendo & electis per ipſum ſervandis conſequenter ſe habere ad lapſum liberum protoplaſtorum, certò futurum ex antecedenti decreto de homine creando & ejus lapſu voluntario permittendo. Itaque hæc diſtinctio, ſi fuerit admittenda, inter decretum Antecedens & Conſequens, prioritatem duntaxat & poſterioritatem invehet ordinis, pro noſtro capiendi modo, &, ut loquuntur Scholæ, *in ſigno rationis*, nullam autem temporis, ut ſomniat adverſarius.

Antecedere autem poteſt decretum vel generale, vel ſpeciale aut ſingulare. Et ſingulare quidem ſemper habet conditionem annexam. Generale autem poteſt etiam eſſe abſolutum: quanquam conditionati vim habere debet. Generale decretum in ſalutis noſtræ negotio eſt: Omnis, qui crediderit, ſervabitur: Omnis, qui non crediderit, condemnabitur. quæ decreta quomodo conditionatorum vim habeant, ſuperiùs eſt explicatum. Speciale decretum antecedens eſt, Petrus aut Paulus, ſi crediderit, ſervabitur: contrà, ſi non crediderit, condemnabitur. At conſequens decretum eſt: Petrus, vel Paulus, quia credidit, ſervabitur: Pilatus v. g. quia non credidit, condemnabitur. Inter quæ decreta, quantum interſit, & quantus nihilominus ſit nexus, quivis facilè cernit. Ex antecedente enim decreto neceſſariò fluit conſequens, poſtquam conditio fuerit impleta. Itaque ex eo, quòd Deus decrevit, ut omnis credens ſervetur, neceſſariò ſequitur, Paulum quoque, quia credidit, ſervatum iri. Eadem ratio eſt & decreti ſpeciatim de Paulo ſervando ſub eadem conditione facti.

‡ *Antecedere autem poteſt*] Non hîc quæritur quid poſſit fieri ex falſis hypotheſibus adverſariorum, ſed quid revera fiat & factum ſit. Diſtinctionem decreti *in generale & ſingulare* ſuo loco profligavimus. Falſum eſt ſingulare decretum ſemper eſſe conditionatum in ſchola Sociniana: Antea enim ſtatuebat Crellius decreta *ſpecialia de his aut illis ſervandis, abſolutè fieri poſtquam illi conſtanter crediderint.* Falſum quoque eſt decreta ſingularia eſſe antecedentia in eadem ſchola; cùm de hoc & illo ſervando in tempore nihil Deus decreverit, niſi conſequenter ad illius actus liberos fidei & perſeverantiæ. Falſum itidem eſt decreta generalia, ſenſu Sociniano, eſſe conditionata, vel actualiter, vel virtualiter & interpretativè:

Si enim

Si enim his verbis decretum generale exprimitur, *Omnis qui crediderit ſervabitur*, illud abſolutum ſtatui debet, cùm nulla hìc conditio ſubintelligi poſſit. Falſum denique eſt, Deum duplex decretum feciſſe de Paulo & Pilato, unum antecedens & commune utrique de utroque ſervando ſi crediderint, alterum conſequens & diſpar, de illo ſervando *quia credidit*, de hoc *quia non credidit* condemnando: Nec enim Deus de Paulo duplex decretum fecit, ſed unicum, illudque non anceps ac dubium, ſed certum, infallibile & abſolutum de illo ad ſalutem per fidem in Chriſtum adducendo; unde gloriatur ſe miſericordiam conſequutum ut eſſet fidelis I. Cor: VII, 25. Non decrevit eum Deus ſervare ſi crederet, fidei conditione in ejus arbitrio relicta; ſed decrevit eum ad fidem traducere ut ſervaretur. Nec potuit Deus decreviſſe ſervare Pilatum ſi crederet, cùm ejus incredulitate præviſâ & permiſſâ, ab æterno decreverit uti ad Chriſti paſſionem & mortem, uti liquet ex Act: IV, 28.

Inter quæ decreta] Nempe iſti homines, ijs ſimiles qui vident geminos ſoles, inter hæc quæ fingunt decreta antecedentia & conſequentia, & interſtitium magnum vident, & neceſſarium nexum, & evidentem contrarietatem, uti paullò ante inſinuabat Crellius: cùm tamen neque connexa eſſe queant quæ ſunt contraria, neque nexum inter ſe habeant quæ aliquo interſtitio inter ſe diſtant: Sed ita ſomnia ſibi fingunt amantes.

Ex antecedente enim] At verò ſi tum demum locus eſt conſequenti *poſtquam conditio fuerit impleta*, hinc ſequetur omne decretum conſequens abſolutum fore, non conditionatum. Adhæc poſtquam conditio fuerit impleta non eſt locus novo & ſecundo decreto, ſed tantum executioni prioris & antecedentis quod ex illa conditione ſuſpendebatur.

Neceſſariò ſequitur] Si autem hoc neceſſariò ſequitur, locus non erit ſpeciali decreto vel conditionato & antecedenti de Paulo ſervando ſi crediderit, vel conſequenti & abſoluto de eo ſervando quia crediderit: Non ſunt enim multiplicanda entia extra Deum, ut nec decreta Dei, abſque neceſſitate. Præterea nec video quî *antecedens* ſtatuatur decretum ſingulare de Paulo ſervando ſi crediderit, ut paullò ante volebat Crellius, quandoquidem *neceſſariò fluit* tanquam *conſequens*, ex illo generali antecedente quo Deus decrevit *ut omnis credens ſervetur*. Mendacem oportet eſſe memorem.

Ex quo etiam intelligitur, ex qua cauſſa pendet antecedens decretum, ex eadem pendere & conſequens; quanquam non ex ea ſola; ſed ex illa quidem, tanquam cauſſâ primâ, ex conditione autem impleta, tanquam cauſſâ mediâ, ſive ſecundâ. Omnis enim conditio, cùm præſtita eſt, fit cauſa impulſiva decreti abſoluti, & porrò etiam effectûs ex eo manantis. Quanquam interim cauſſæ illius diverſa eſt ratio in promiſſis, & in comminationibus: in præmiis, & pœnis, pœnis, inquam, juſtis, quales ſunt divinæ. Nam conditio præſtita bonum promiſſum non ſemper meretur: imò noſtra opera præmia à Deo nobis deſtinata merentur nunquam: mala pœnam ſemper merentur.

‡ *Ex quo etiam intelligitur*] Præterea quod perperam adverſarius ſupponit ſuo ſenſu diſtinctionem quam non probat inter decretum Dei antecedens & conſequens, abſurdè fingit decretum antecedens ex aliqua cauſa pendere: Cùm

Digitized by Google

revera nec decretorum Dei cauſa extra Deum quærenda ſit, licet rerum decernendarum hæc vel illa cauſa potuerit obverſari menti Divinæ; & ſi quæ cauſa *προκαταρκτικὴ* & extrinſecè ac moraliter movens Deum ad hanc rem illi vel huic decernendam hic venit concipienda, ſuſpendi illa debeat ab aliquo actu libero Creaturæ, & per conſequens non poſſit eſſe cauſa decreti antecedentis quod *actum Creaturæ liberum antecedit*, ut ante Crellius definiebat.

Sed ex illa quidem] Quid hic hæreticus intelligat per cauſam primam & mediam ſive ſecundam, non facilè aſſequetur qui Davus fuerit, non Oedipus: Si enim fides habeat rationem cauſæ primæ ex qua pendeat hoc decretum antecedens, *Omnis credens ſervabitur*, non eſt cur de illo gradu dejiciatur, & in ordinem cauſarum mediarum & ſecundarum referatur, in hoc decreto conſequenti, *Paulus ſi crediderit* vel *quia credit ſervabitur.* Iſti homines qui tam ſubtiles videri volunt, telas texunt Aranearum, in quibus multum operæ, uſus & veritatis nihil.

Omnis enim conditio] Vtrumque falſum eſt: Nam ſuppoſito decreto conditionato (quod antea ſubruimus) præſtatio conditionis non ponit decretum abſolutum de re decreta conferenda ei qui conditionem impleverit, ſed tantum illius rei ex parte Dei impletionem & executionem. Nec quicquid habet rationem conditionis antecedentis ad aliquid obtinendum vel conſequendum, eo ipſo illius rei quæ obtinetur *cauſa impulſiva* cenſeri debet. Et dignus ſit qui ad parua logicalia relegetur qui inter conditionem & cauſam impulſivam nequeat diſtinguere: Illa rationem habet duntaxat antecedentis, hæc efficientis, & ſuo ſenſu influentis in effectum qui ſequitur: Eſt quidem omnis cauſa impulſiva antecedens ad effectum, ut etiam conditio; ſed viceverſâ non ſtatim cauſaliter ſe habet ad rem aliquam quicquid ad illam ſe habet antecedenter: Aliàs aurora fiet cauſa ortus ſolis, quod eum ſoleat & debeat præcedere. Fides & opera ſe habent antecedenter, non tamen cauſaliter ad vitam æternam: *Sunt via ad regnum non cauſa regnandi*, ut ſcitè dictum à Bernardo. Sunt conditiones ſine quibus non obtinetur regnum cœlorum, ſed non ſunt cauſæ propter quas obtinetur.

Quanquam interim] Hìc Crellius ſubruit quod priùs ædificaverat: Agnoſcit enim conditionem non ſemper habere rationem cauſæ impulſivæ; adeoque poſſe quidem ad ſummum dici cauſam conſequentiæ, quia antecedenter ſe habet ad præmium quod confertur, non tamen cauſam conſequentis, quoniam illud non meretur, adeoque illius cauſa impulſiva dici non poteſt. Sed nec ſatis mentem ſuam explicat: Nam qui dicit quod *conditio præſtita bonum promiſſum non ſemper meretur*, ſtatuit quod ſaltem aliquando illud mereatur. Et tamen *noſtra opera præmia à Deo nobis deſtinata merentur nunquam*, inquit adverſarius. Ergo nunquam conditio præſtita ab hominibus bonum promiſſum meretur, etſi illud ex Dei conſtantia & veracitate infallibiliter conſequatur. Præterea ſi, ut ſtatuit Crellius, opera *mala pœnam ſemper merentur*, ergo ſemper illis pœna debetur ex ordine juſtitiæ Divinæ, quod nolunt Sociniani. Nam cum meritum & debitum ſint correlata, nequit eſſe meritum pœnæ ex parte creaturæ, quin ſit pœnæ debitum ex parte Dei. Quæ porrò aliàs diximus de promiſſis & comminationibus Divinis ad decreta Dei non revocandis, hic repetere nihil attinet.

Illud denique repetendum, & aliquantò pluribus explicandum, quòd antecedens decretum vel prorſus conditionatum, vel conditionati vim habeat: at

beat: at conſequens decretum, quia præſtitam conditionem ſequitur, ſem-
per ſit, aliqua ſaltem ratione, abſolutum. Dico autem, *aliqua ſaltem ra-
tione*; quia duobus modis dici poteſt, præſtitam eſſe conditionem in decre-
to poſitam. Prior imperfectior eſt; poſterior perfectior. Ille eſt, ſi ad
certum tantùm tempus conditio ſit præſtita, nec præſtari adhuc deſierit, ve-
rùm conſtantia adhuc ac perſeverantia in ea præſtanda requiratur, quâ ceſ-
ſante, ceſſet & decretum conſequens, ejuſque effectus. Hic verò eſt, ſi
conditio penitus ſit præſtita atque abſoluta, ita ut nihil ampliùs in poſte- 342.
rum relinquatur præſtandum. Si priori modo præſtita ſit conditio; nondum
penitus abſolutum eſt decretum, prout nec conditio: ſi poſteriori modo;
penitus abſolutum eſt. Rationem enim, quâ impletur conditio anteceden-
ti decreto annexa, ſequitur ratio decreti conſequentis: ita ut ſi illa peni-
tus ſit abſoluta, & hoc penitus ſit abſolutum; ſi nondum, & hoc non-
dum penitus ſit abſolutum, ſed aliqua ex parte ex futura conditione pen-
deat. Itaque quamdiu illi v.g. qui in Chriſtum revera credunt, adhuc vi-
vunt, nondum penitus abſolutum eſt ſpeciale Dei de illis ſervandis decre-
tum. quia perſeverantia in fide uſque ad mortem requiritur; quâ ceſſante,
ceſſat Dei de ſuprema illorum felicitate decretum. qua de re vide, quæ ip-
ſe de ſe Paulus ſcribat, tum in Epiſtola priori ad Corinthios, (*cap: 9.26.*)
tum in ea, quæ ad Philippenſes extat. (*c. 3.11, & d.*) At cùm illi in fide ob-
dormierunt, fide, inquam, bonis operibus animata, jam in tuto eſt eorum
ſalus, jam extra omnem dubitationis aut mutationis aleam eſt poſita, decreto
Dei planè abſoluto illorum felicitatem firmante.

‡ *Illud denique repetendum*] Sed ſuo loco ſatis refutavimus diſtinctionem decretorum divinorum in abſoluta & conditionata; & ſi cum ea concidit hæc altera eorundem diſtributio in antecedentia & conſequentia, non erat cur tantopere in illa explicanda Crellius inſudaret, & eandem fabulam ſub alijs nominibus ageret.

Dico autem aliqua] Videat quæſo Lector, quot Dei decreta iſti homines fabricentur circa unius Pauli ſalutem: primum eſt generale, de omni credente ſervando; ſecundum eſt ſpeciale antecedens, at conditionatum, de Paulo ſervando ſi crediderit; tertium eſt ſpeciale conſequens & abſolutum ſecundum quid, de Paulo jam credente ſervando, ſi perſeveret: quartum ſimpliciter abſolutum de Paulo quia credidit & perſeveravit ſervando. Quod ſi petas ab hæreticis quibus vel rationibus Theologicis vel Scripturæ teſtimonijs hæc portenta nitantur, fruſtrà fueris: Sic volunt, ſic jubent, ſit pro ratione voluntas: Et quod pejus eſt, quamvis tot decreta Divina adhibeant ad unius hominis ſalutem, eaque ut plurimum tenui pendentia filo, & ipſi Deo eventus incerti, nullum his interſerunt de fide & perſeverantia illi homini danda, licet utraque ita ſit donum Dei ſpeciale, ut nemini niſi ex ſpeciali illius gratia & decreto unquam obveniat.

Itaque quamdiu illi] Summa huc redit, neminem abſolutè prædeſtinatum eſſe ad

gloriam

gloriam & ſalutem æternam, antequam actu ſit glorificatus & intromiſſus in regnum cœlorum: cùm tamen omnibus ijs quos Chriſtus à dextris collocabit dicendum ſit fuiſſe paratum ipſis regnum cœlorum à jactis mundi fundamentis Matth: xxv, 34. & Apoſtolorum nomina dicantur ſcripta fuiſſe *in cœlis* Luc: x, 20. etiam dum adhuc in his terris verſabantur; nec tum demum decernatur gloria conferenda electis cum ad eam intromittuntur, ſed potius gloria ante decreta ſecundum Dei voluntatem, conſtantiam, conſilium & fidem, ipſis actu conferatur. Verum hæc monſtra debent cudere Sociniani ſuis hypotheſibus inſervituri, & ridiculè confundere ultimam executionem decreti cum ipſomet decreto: Eat nunc Paulus aliò cum ſua armilla aurea Rom: viii, 29. 30. in qua Vocatio ex Electione ſequitur, ex Vocatione Iuſtificatio, ex Iuſtificatione Glorificatio, nexu tam certò & indiſſolubili, ut infallibiliter correſpondeant ultima primis; Omnia enim hæc ab hæreticis laxantur & diſſociantur facilè, nec ullam agnoſcunt prædeſtinationem certam ullius ante ejus actualem glorificationem, tantum abeſt ut inter hanc & illam, Vocationem & Iuſtificationem ordine medio temporis & naturæ interponere velint. Taceo quod nihil certi & abſoluti ſtatuant de ijs *qui in Chriſtum revera credunt*, cùm tamen ſit iſtud æternæ & indubitatæ veritatis quod qui credit in Chriſtum non peribit ſed habebit vitam æternam: Et cum qui credit in Chriſtum, credat eo ipſo ſibi per eum remiſſa eſſe omnia ſua peccata, & conſequenter ſe habiturum vitam æternam, aut falſum debet ſubeſſe illius fidei. quod veræ fidei naturæ repugnat, aut fiet illi certò ſecundum ſuam fidem. Non neſcio equidem *perſeverantiam in fide uſque ad mortem requiri*; Verum ſicut fides vera & ſalvifica fluit ex æterna Dei electione Ioh: viii, 47. Act: xiii, 48. Tit: i, 1. ita etiam pertinet ad Dei dona ἀμεταμέλητα Rom: xi, 29. adjunctamque neceſſariò habet perſeverantiam finalem, ex Chriſti interceſſione Luc: xxii, 32. Ioh: xvii, 20. 21. Dei cuſtodia, obſignatione, & confirmatione 1. Pet: i, 5. 2. Cor: i, 21. 22. & immutabili prædeſtinatione 2. Tim: ii, 19. Matth: xiv, 24. Vt verus amor nunquam perit, ita nec vera fides: Hæc ut ille probatur conſtantiâ, & *credere verè* (inquit Auguſtinus *tract.* 100. *in Ioh.*) *eſt credere quomodo credendum eſt, inconcuſſè, firmè, ſtabiliter, fortiter.* Quare verè credentium reſpectu metuendum non eſt ne *ceſſante* perſeverantiâ, ceſſet *Dei de ſuprema illorum fœlicitate decretum*, cum infallibiliter ex eo decreto de illorum fœlicitate, fluat & ipſa fides quâ credunt & vera in fide perſeverantia, Deo in illis operante & velle & perficere.

Qua de re vide] Quam certus & ſecurus hac in parte Paulus fuerit, liquet ex Rom: viii, 38. 39. Gal: ii, 20. 1. Tim: i, 15. 16. 2. Tim: i, 12. iv, 7. 8. Nec defuerunt è Scholaſticis qui illam Pauli certitudinem, quam inficias ire non poterant, ex ſpeciali revelatione arceſſerent. Eam autem non evertunt loca hic citata Crellio: Nam 1. Cor: ix, 26. 27. Paulus ſollicitè quidem ſtudet alijs prælucere ad pietatis certamen, non linguâ tantum & ore, ſed re, manu & opere, & quantum potis eſt cavet ne dum alios ad ſtrenuum pugilatum hortatur, ipſe athleta ignavus & rejectaneus deprehendatur; ſed hæc ſollicitudo & vigilantia illius non extinguebat fidei ſuæ certitudinem; ac ſi neſciviſſet firmum ſtare Dei fundamentum 2. Tim: ii, 18. aut metuiſſet poſſe ſe tranſire ab ovibus ad hœdos, ab electis ad reprobos: Hiatus enim qui eſt inter utroſque, qualis intercedebat inter Abrahamum & epulonem Luc: xvi, 26. nequit pertranſiri: eratque Paulus magis radicatus in ea charitate quę omnem timorem iſtius ordinis profligat & expellit 1. Ioh: iv, 18. quam ut ſibi quicquam mali vel ominaretur vel metueret. Par eſt ratio alterius

Digitized by Google

alterius loci Paulini Phil: III, 12. & d. Hæc enim verba non tam dubietatem ponunt in mente Apoſtoli, quam exprimunt & negotij de quo agit gravitatem, & ſuam ſedulitatem ad illud conſequendum.

At cum illi in fide] Tunc equidem evaſerunt omnia pericula ſubverſionis, quæ ipſis ex parte carnis, mundi & diaboli imminebant in ſtadio hujus vitæ, quatenus nunc finito tentationum certamine metam & coronam ſunt adepti, & mortui in Domino à ſuis laboribus quieſcunt & opera eorum ſequuntur eos Apoc: XIV, 13. Sed inde non ſequitur, ergo omnibus modis, etiam reſpectu decreti Divini, eorum ſalus antea dubia erat & eventus ac ſucceſſus incerti. A dicto ſecundum quid, ut norunt Philoſophi, ad dictum ſimpliciter & abſolutè, non procedit argumentum. In patria quidem omnis vexatio & tentatio ceſſat, & omnes lachrymæ abſterguntur; attamen nemo ſanus indè colliget, ergo in via ſalutis certitudo etiam objectiva nulla eſt. Verum aliud eſt quod hic moliuntur Sociniani & clanculum ſtudent inſinuare: Vt enim negant animam humanam ſupereſſe poſt animal, & hanc partem Sadducæiſmi & Atheiſmi egregiè excolunt, à morte quidem fidelium qui perſeveraverint auſpicantur decretum abſolutum de eorum fœlicitate & gloria; at hanc illorum fœlicitatem & gloriam nolunt tunc inchoari, ſed omnino eam cenſent differri uſque in diem judicij. Quod ſi probatum fuerit, ut poteſt facillimè fieri, illicò poſt mortem ſequi judicium Heb: IX, 27. & fideles, animæ ſuæ reſpectu, recipi in gloriam & admitti ad Dei viſionem & fœlicitatem æternam Luc: XXIII, 43. 2. Cor: V, 1. 2. 3. 4. Phil: I, 23. corruet eoipſo decretum illud extemporaneum Dei planè abſolutum, in ipſorum morte factum, quo eorum futura fœlicitas firmari aſſeritur.

Hæc ſi obſerventur, & cum duabus proximè præcedentibus decretorum divinorum differentiis conjungantur, intelligetur diſcrimen inter prædeſtinationem hominum ad ſalutem, & electionem, illam nimirum, quæ firmior eſt ac perfectior, & non niſi verè in Chriſtum credentibus ac piè viventibus convenit.

I *Hæc ſi obſerventur*] Quod diſcrimen hic imaginatur ſibi adverſarius inter Prædeſtinationem ad vitam & Electionem ad eandem, omni deſtituitur fundamento: Agnoſcimus equidem Prædeſtinationis nomen, maximè apus Scriptores Eccleſiaſticos, quanquam non ſine uſu Scripturæ Act: IV. 28. latiùs quandoque patere ipſâ Electione, & tum hanc, tum Reprobationem, ceu genus utriuſque, licet non ſimpliciter univocum, complecti; ut & Electionis vocabulum non uno modo ſumi in Scripturis. At ſi prædeſtinatio ad vitam & electio gratuita ad eandem, ut utraque Dei decretum ſonat, intelligatur, non plus eſt differentiæ inter utramque quam inter animal rationale & hominem. Patet quod dico ex Eph: I, 4. 5. ubi Dei electio in Chriſto per illius prædeſtinationem explicatur.

Illam nimirum quæ firmior] At omnis Dei electio eſt firmiſſima & perfectiſſima, ut liquet ex Matth: XXIV, 24. 2. Tim: II, 19. Rom: IX, 11. XI, 1. Quare non debet electio Dei in firmiorem ac perfectiorem, & infirmiorem ac minus perfectam diſtribui.

Et nonniſi verè] Id verum eſt à poſteriori; firmam & certam Dei electionem *nonniſi verè in Chriſtum credentibus, ac piè viventibus* convenire; cum & omnis electus à Deo tandem verâ fide & ſanctificatio-

ficatione donetur vi ejuſdem electionis, & omnis verè fidelis & pius Dei electis eo ipſo debeat annumerari; Sed falſa eſt Crellij aſſertio à priori, quaſi nemo eligatur à Deo ad ſalutem, niſi qui in ipſo electionis decreto, ut jam verè fidelis & pius menti Divinæ obverſatus fuerit: Nec enim ſumus electi ex fide, ſed ad fidem & ſanctificationem Eph: 1, 4. Neque electio Dei homines invenit fideles, ſed facit, uti liquet ex varijs Scripturæ locis, jam ante ſuo loco à nobis annotatis: quibus & adde Ioh: xv, 16.

Prædeſtinatio enim, ut & ipſa vox quodammodò indicat, fidem ac pietatem hominum anteceſſit, electio eam demum conſequitur; atque adeò illa ante conditum mundum facta eſt, hæc variis fit temporibus, prout & ipſi homines non eodem tempore credunt ac piè vivunt. Ad illam nullis hominum non tantùm meritis, ſed ne ullis quidem operibus, impulſus fuit Deus; ad hanc non quidem meritis operum, ſed operibus tamen ex fide manantibus impellitur.

‡ *Prædeſtinatio enim*] Hic incipit adverſarius ſua diſcrimina inter Prædeſtinationem & Electionem propinare lectoribus; ſed parum fauſtis avibus. Admittimus quod ſtatuit Prædeſtinationem *fidem ac pietatem hominum* antecedere; Sed cum prædeſtinatio ad vitam nonniſi nomine tenus ab electione diſtinguatur, hæc neutiquam poteſt fidem & pietatem electorum conſequi. Neque hæc minus dicitur facta *ante conditum mundum* quam illa, uti liquet ex Eph: 1, 4. ubi dicitur Deus nos elegiſſe *in Chriſto ante conſtitutionem mundi, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate.* Hinc electis dicitur præparatum fuiſſe regnum cœlorum (ipſorum utique electione gratuitâ) *à conſtitutione mundi* Matth: xxv, 34. & liber vitæ agni, cui per electionem Dei gratuitam eorum nomina inſcripta ſunt, nobis proponitur ceu conſcriptus *à fundatione mundi* Apoc: xiii, 8. Et cum electus fuerit Iacob & Eſau reprobatus *quùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid egiſſent boni vel mali, ut ſecundum electionem Dei propoſitum maneret* Rom: ix, 11. quâ fronte audet Crellius aſſerere electionem fieri *varijs temporibus, prout & ipſi homines non eodem tempore credunt ac piè vivunt?*

Ad illam nullis] At cum hæc ab illa non differat, ea non magis quam illa fidei & operibus venit adſcribenda. Paulus Rom: ix, 11, 12. propoſitum Dei ſecundum ejus *electionem* manere dicit, *non ex operibus ſed ex vocante:* & Rom: xi, 5. *electio gratiæ* commendatur, quia eſt merè gratuita; prout ſcitè dictum eſt ab Auguſtino *contra Pelag. & Celeſt lib. 2. cap. 24. Gratia Dei non erit gratia ullo modo, niſi gratuita fuerit omni modo.* Nec Deus ſuos elegit ex operibus, ſed ad opera & ſanctificationem Ioh: xv, 16. Eph: 1, 4. Ac disertè ipſa electio, quæ *proprium* Dei *propoſitum* appellatur, *operibus* noſtris opponitur 2. Tim: 1, 9. ne ex operum intuitu & conſideratione facta ſtatuatur. Nec erat cur tam ſcrupuloſè à nomine *meriti* abſtineret adverſarius, ubi tam inſolenter docet Deum *operibus impelli* ad homines eligendos. Is ſanè non Deo & ipſius gratiæ, ſed ſibi & ſuis operibus, debebit ſuam ſalutem, qui credet ſe ſuis operibus Deum impuliſſe ad ſui electionem; cùm tamen tam apertè profiteatur Apoſtolus ſe miſericordiam fuiſſe conſequutum ut eſſet *fidelis* 1. Cor: vii, 25. & ſtatuat omnem noſtri diſcriminationem ab alio, gratiæ diſcriminanti eſſe adſcribendam 1. Cor: iv, 6.

Illa

Digitized by Google

Illa generatim tantùm ab æterno fuit à Deo facta, electionis decretum de unoquoque pio fit nominatim; quanquam ex ſingularibus his decretis iterum univerſale quoddam colligitur. Illud decretum conditionati vim habuit: hoc abſolutum eſt, prout conditio vel penitus eſt præſtita, vel nondum. Electio enim hæc incipit, ſimul atque quis fidem ſuam pietate vera perficere atque animare incipit; ſed non niſi vitâ univerſâ cum pietate exactâ, penitus abſolvitur. Itaque fide aut pietate intra metam illam extremam ceſſante, aut in ipſo fortè portu naufragium faciente, ceſſat & electio; non ceſſante interim, nec ulla ratione mutatâ prædeſtinatione.

‡ *Illa generatim tantùm*] Nec prædeſtinatio ad vitam facta fuit *generatim tantum*, cùm ſit præordinatio gratuita creaturarum intelligentium ad ſuum finem quem certò aſſequuntur; Neque hac parte prædeſtinatio ad vitam ab electione gratuita ullo modo venit diſtinguenda. Facta fuit ut electio ſic etiam prædeſtinatio, *nominatim* de unoquoque eorum qui per fidem & pietatem erant adducendi ad ſalutem: Novit enim Deus qui ſui ſint, & eorum nomina ſcripta ſunt in cœlo & inſcripta libro vitæ agni ante jacta mundi fundamenta.

Quanquam ex ſingularibus] Sed revera nullum univerſale decretum debet in Deo concipi circa ſalutem hominum, niſi quatenus per inductionis modum exſurgit & colligitur ex electione ſingulorum.

Illud decretum conditionati] At ſatis antea hæc diſtinctio decretorum Dei in conditionata & abſoluta fuit à nobis impugnata. Et nequit conditionata ſtatui Prædeſtinatio ad vitam, ſi Electio, quæ revera idem ſignificat, abſoluta fuerit. Præterea Crellius ſibi turpiter contradicit, dum facit oppoſitè ad decretum prædeſtinationis conditionatum, abſolutum electionis decretum, ſed *prout conditio vel penitùs eſt præſtita vel nondum.* Nam I. eodem ſenſu faciet prædeſtinationem abſolutam, prout conditio, à qua conditionatam eam aſſerit, vel penitùs fuerit præſtita vel nondum. II. Vt non poteſt id dici decretum abſolutum quod pendet adhuc ex conditione dubij eventus & quæ nondum penitùs præſtita eſt, ita non poteſt amplius decreti vim habere, id quod futurum conſtitutum fuerat ſub certa conditione, ubi jam *conditio penitùs eſt præſtita*; hac enim præſtitâ decretum ſuum complementum obtinuit, & cum non ſit amplius in fieri, eo ipſo nequit ulteriùs annumerari decretis, quæ ſunt conſilia de futuro.

Electio enim hæc incipit] At Electio eſt actus ſimplex & indiviſibilis beneplaciti Divini, iſque æternus, non temporarius aut ſucceſſivus: Et totum illud tempus quo quis fidei ac pietati ſeriæ ſtudet non pertinet ad formandum decretum Electionis, quod jam præceſſit ab æterno, ſed tantum ad illud exſequendum.

Sed nonniſi vitâ] Quid verò abſurdiùs, quam fingere tum demum abſolvi electionem, cum electus glorificatur, & ad umbilicum deducitur executio electionis ſuæ? Et cùm tam apertè Paulus hæc tria beneficia Vocationis, Iuſtificationis & Glorificationis diſtinguat à noſtra Prædeſtinatione, quæ idem eſt quod noſtra Electio Rom: VIII,30. quid iniquius quam illa omnia ſub nomine Electionis comprehendere?

Itaque fide aut] Sed prout ipſi electi nequeunt deficere Matth: XXIV, 24. 2. Tim: II, 19. ita nec deficere unquam poteſt vera & ſalvifica fides, quæ ſpeciatim ſolis.

Digitized by Google

ſolis electis Dei competit Tit: 1, 1. Act: XIII, 48. Quare ut nemo verè pius unquam faciet naufragium in portu, cùm *bonum opus* quod Deus ſemel in ſuis incœpit *perficiat uſque in diem Chriſti* Phil: 1, 6. ita etiam tam non poteſt ceſſare electio Dei, quam non poteſt Deus ſuo fine excidere. Vt taceam quod Crellius conſtanter inhæret ſuæ falſæ hypotheſi, quam non probabit in æternum, de diſcrimine Electionis & Prædeſtinationis ad vitam, & quod illam mutabilem & dubij eventus, hanc immutabilem & infallibilem ſtatuat. Et cum omnes faciat generatim præordinatos ad vitam, tamen ex illius ſententia poſſet evenire ut nemo vitam conſequeretur, omnibus naufragium facientibus in portu, & ceſſante (ipſorum culpâ) electione ſingulorum. Scilicet hi ſunt abſurditatum flores, qui ex illis ſenticentis colliguntur.

343. Denique electio ex prædeſtinatione, poſita conditione, quam illa poſtulavit, neceſſariò conſequitur: ita ut Electio ſit veluti concluſio, ex majore propoſitione, quam prædeſtinatio ponit, & minore, quam præbet hominum fides ac pietas, deducta. Prædeſtinationis enim decretum eſt: Omnem credentem ſervatum iri. Quòd autem Paulus v, g. credat, aſſumtio eſt. Unde concluſio ſequitur, Paulum ſervatum iri: quod quamdiu in decreto conſiſtit, electio eſt, quæ juſtificationem in ſe complectitur; cùm ad effectum perducitur, glorificatio eſt. Majorem, ut diximus, ſola Dei proponit gratia: minorem Dei gratia, & hominum voluntas ac probitas, per illam excitata, illique ſubſerviens. Quare & concluſio. Sed hæc obiter quodammodo, quanquam non abſque neceſſitate à nobis dicta ſunt.

† *Denique electio ex*] Atqui ſanè id falſum eſſe ex ſuperioribus liquet: Nec enim Dei decreta ſunt actus dianoetici & diſcurſivi, ſed ſimplices & noetici; nec prædeſtinatio ad vitam ab electione debet diſtingui; tantum abeſt ut hæc ab illa per modum concluſionis deducatur.

Et minore quam præbet] Quaſi vero *fides* hæc ac *pietas* ſit ex illis, non ex ſpeciali Dei dono, manante ab ipſorum prædeſtinatione gratuita & electione ad gloriam.

Prædeſtinationis enim decretum] At hoc imaginario decreto nemo magis ad vitam quam ad interitum deſtinaretur: Quam enim certum eſt *omnem credentem ſervatum iri*, tam etiam verum, omnem incredulum & impœnitentem damnandum eſſe. Prædeſtinationis etiam decretum non eſt de conditionibus per quas homines peccatores poſſint ſervari, ſed de certis perſonis per has conditiones eaque media ad ſalutem æternam & ſupremum finem traducendis. Agnoſcimus equidem procedere hoc argumentum, Omnis credens ſervabitur, Paulus credit, ergo ſervabitur: Sed illa major non tam ex decreto prædeſtinationis, quam ex fœderis Euangelici clauſula venit arceſſenda; Et minor quod Paulus credat, ſupponit ejus electionem gratuitam & firmiſſimam ex qua fluxerit ejus fides. Quare hic Crellianus ſyllogiſmus non exhaurit totum decretum prædeſtinationis & electionis Divinæ.

Electio eſt, quæ] Sed jam ante monui ex Paulo electionem ac prædeſtinationem diſtingui à vocatione, juſtificatione & glorificatione: Et nulla ſubeſt ratio cur juſtificatio ad ipſum electionis decretum formaliter pertineat, glorificatio vero effectivè; quoniam non minus ad executionem electionis juſtificatio &

Digitized by Google

catio & fides pertinent quam ipſa glorificatio & vita æterna: Vt enim glorificat tandem Deus quos ſemel juſtificavit, ita juſtificat eos omnes in tempore quos ab æterno elegit & prædeſtinavit ad ſalutem. Et ſi electio diſtincta à prædeſtinatione juſtificationem in ſe complectitur, quò quæſo pertinebit vocatio efficax in qua fide & gratiâ regenerante donamur, quamque Paulus in armilla ſua aurea mediam inter prædeſtinationem & juſtificationem collocavit? Ad electionem Crellianam non poteſt ſpectare; cùm electio ipſius ex fide & operibus ſuſpendatur; vocatio vero fidem & opera præcedat: Nec pars eſſe poteſt Prædeſtinationis; eò quod Prædeſtinatio ſit æterna & facta ante conditum mundum, vocatio autem fiat in tempore. Addo quod juſtificatio impij, uti dicitur Paulo, nequit formaliter pertinere ad eam electionem quæ fit ex operibus, aut ſub illa contineri, cum disertè Paulus neget nos ex operibus juſtificari, Rom: III, 28. Gal: II, 16. & bona opera, ut docet Auguſtinus *in Pſal. 31.* non præcedant juſtificandum, ſed juſtificatum ſequantur.

Majorem, ut diximus] At hæc Dei gratia nihil in ſingulis operatur juxta Crellium, cùm jam ſupponat in homine fidei & operum conditionem, eam vero non ponat nec efficiat. Nec ſolum ex Dei gratia eſt quod omnis credens ſervetur, ſed etiam ex eadem purè putè manat, adeoque ex merè gratuito Dei decreto, quod credentes ſint & fiant quotquot de facto ad ſalutem adducuntur.

Minorem Dei gratia] Sed hæc Dei gratia quæ hominum voluntatem ac probitatem excitat, ô Crelli, quænam eſt & à quo decreto eſt arceſſenda? An etiam torpentem duntaxat voluntatem & probitatem excitat, an vero potius illam determinat, hanc efficit, cùm gratiâ Dei ſimus quicquid ſumus, & id omne boni & ſancti quod volumus & facimus in illam ſit tranſcribendum? Nec enim eſt volentis aut currentis, ſed miſerentis Dei, & operantis cum efficacia & infallibili ſucceſſu & velle & perficere in electis juxta ſuum beneplacitum. Imò ſi voluntas & probitas hominum *gratiæ* Divinæ *ſubſervit*, ergo gratia Dei ex ſingulari & ſpeciali decreto, voluntatem determinat ad bonum & eam probitatem excitat, quâ homines perveniant ad ſalutem. Adeo malè cohærent quæ de hoc Prædeſtinationis myſterio ſomniant Sociniani, dum crudum Pelagianiſmum ex orco ſtudent revocare, & obſurdeſcunt ad illud Auguſtini *de verb. Apoſt. ſerm. 2. Audi Deus quid dicat; Qui coronat in miſeratione & miſericordia. De miſericordia te coronat; de miſeratione te coronat: Non enim dignus fuiſti quem vocaret, & vocatum juſtificaret, & juſtificatum glorificaret. Reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt. Si autem gratiâ non ex operibus, alioqui gratia jam non eſt gratia &c.*

Reſtat altera, quam ſuprà poſuimus, decretorum divinorum diſtinctio, ex accidentaria quadam eorum qualitate petita. Ea eſt, quòd decreta Dei vel occulta ſint, vel aliis, ac nominatim hominibus, patefacta. quam diſtinctionem, ut alibi jam monuimus, (*cap: 21.*) Scholaſtici ita efferunt, ut decretum occultum voluntatem beneplaciti appellent; patefactum, voluntatem ſigni. Utuntur autem, præſertim nonnulli, hac diſtinctione illic inprimis, ubi id, quo Deus verbo ſuo, alióve ſigno externo declaravit, cum eo pugnare videtur, quod intra ſe revera vult. qua de re ſuo loco jam diximus, & paulò inferiùs nonnihil dicemus. Verùm latiùs hæc diſtinctio extendi

tendi poteſt, & aliis etiam Dei decretis, quorum alia patefacta ſunt, alia à Deo celantur, vel nunc occulta, nunc manifeſta, accommodari. Sunt autem decreta quædam Dei, ipſis etiam angelis, licèt apud Deum in cœlo degentibus, & faciem ejus videntibus, occulta, aut aliquando fuerunt. Nam & rationem ſalutis noſtræ à Deo ante ſecula conſtitutam, vocationemque Gentium non ſatis ante Evangelii prædicationem patuiſſe angelis, liquet ex iis, quæ leguntur Eph: 3. (*verſu 8, 9, 10.*) ubi ait Apoſtolus, ſibi *datam hanc eſſe gratiam, in Gentibus evangelizare inveſtigabiles* (ſeu *imperveſtigabiles*) *divitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti* (Gr. *quæ ſit communio myſterii*, h. e. quanta ejus myſterii ſit amplitudo, tanta nimirum, ut omnibus terræ nationibus ſit commune,) *abſconditi à ſeculis in Deo, qui omnia creavit* (additur in Græco *per Ieſum Chriſtum*,) *ut innoteſcat* (*nunc*) *principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei, ſecundùm præfinitionem ſeculorum*, h. e. multis antè ſeculis factam. Unde idem Apoſtolus, de myſterio pietatis, ſeu religionis Chriſtianæ loquens, (*1 Tim: 3. 16.*) ait,
344. *Deum viſum eſſe angelis*, intellige ratione hujus myſterii, ſeu voluntatis antea abſconditæ: ad quod myſterium vulgata interpretatio Latina, & Syriaca verſio verba hæc manifeſtè referunt. Sic & in Apocalypſi legimus, (*Apoc: 5. 3.*) librum illum ſcriptum intùs & foris, ſignatumque ſigillis ſeptem, qui fuerit in dextra ſedentis ſuper thronum, *neminem potuiſſe neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire, neque reſpicere* (vel *inſpicere*) *illum.* Manifeſtum autem eſt, per librum illum ſignificari recondita Dei de rebus futuris decreta, quæ poſtea in eadem Apocalypſi ſub certis imaginibus, & ſignorum verborumque involucris proponuntur, ut cuivis patebit ea legenti, quæ porrò in eodem & ſequenti capite de apertione ſigillorum ejus libri ſcribuntur.

‡ *Ea eſt quod decreta*] Omnia Dei decreta quibus apud ſe conſtituit ab æterno quid ſit eventurum vel non in tempore, hactenus nobis occulta manent, donec vel ex prædictionibus Divinis quid ſit poſthac eventurum hominibus innoteſcat, vel per ipſos eventus colligant à poſteriori quid Deus de hoc & illo priuſquam eveniret jam in anteceſſum decreverat. Verum inde decreta Dei perperam diſtribuentur in *occulta* & *patefacta*, cum ſaltem eventus ipſa omnia Dei decreta & conſilia tandem patefaciat, nullumque amplius ex illis occultum ſit remanſurum poſt conſummationem ſæculi: Et tantum abeſt ut Scholaſtici diſtinguentes inter *voluntatem beneplaciti* & *voluntatem ſigni*, aut alij inter voluntatem occultam & revelatam, voluerint inter decreta Dei occulta & patefacta diſtinguere, ut è contrario his terminis voluntatem Dei præcipientem, quam revelatam & ſigni appellarunt, à voluntate Dei decernente, ideſt ab ipſius decretis, diſtinguere, terminis licet paullò obſcurioribus, ſtuduerint. Et ſanè ſi quis locus Scripturæ iſti diſtinctioni ſtatuminandæ inſervit, is eſt qui extat Deut: XXIX, 29. ubi ita loquitur Moſes; *Quæ occulta ſunt penes Iehovam Deum noſtrum ſunto; quæ*

revelata,

Digitized by Google

revelata, nobis & filijs noſtris uſque in ſæculum revelata ſunt, ut faciamus omnia verba hujus legis. His autem verbis, per occulta Deo relinquenda, arcana ejus conſilia intelliguntur, in quæ irrumpere velle ſummæ eſt temeritatis Act: 1, 7. Per revelata vero ejus mandata, quibus noſtrum eſt inſiſtere. Imò Thomas ipſe *1. p. q. 19. art. 11. præceptum* Dei, voluntatem ſigni eſſe ſtatuit, ac pertendit hanc *metaphoricè* dici voluntatem Dei, ſed *propriè*, eam quæ dicitur voluntas beneplaciti; Et quamvis idem Thomas *art. 12.* ſignis voluntatis Divinæ annumeret permiſſionem & operationem, quibus à poſteriori etiam decreta Dei nobis innoteſcunt, juxtà tritum Durandi verſiculum, *Præcipit ac prohibet, permittit, conſulit, implet*, tamen ſolidiores Theologi agnoſcunt hanc diſtinctionem coincidere cum ea qua diſtinguimus inter Dei decreta & præcepta; unde definiunt voluntatem ſigni eam *qua Deus vult fieri aliquid à Creaturis intelligentibus & rationalibus*, prout ea ſignificatur *per præcepta & interdicta, promiſſiones item & comminationes*; voluntatem vero beneplaciti eam *qua Deus aliquid vult facere aut impedire*, ut loquitur & diſtinguit D. Ludovicus Crocius *Syntag. Theol. lib. 3. cap. 16.* Quamvis autē hæc diſtinctio ſic explicata legitima ſit, eam tamen minus commodis verbis exprimi, obſervarunt jam ante nos eruditi viri, ut nominatim Molinæus & Wallæus: Neque noſtri hic eſt inſtituti longiùs per iſta evagari.

Vtuntur autem] At nullam inter hæc pugnam intercedere eſt certiſſimum: Abſit enim ut contrarias & pugnantes in Deo voluntates ſuſpicemur: Sed illa *ἐναντιοφάνεια* tollitur facilè diſtinctione noſtrâ inter Dei decreta & præcepta, ita ut non ſtatim decreverit in omnibus operari per gratiam indebitam, id quod ipſis præcipit per normam officij. Interea benè eſt quod Crellius utcunque agnoſcit, id omne Deum *intra ſe reverâ* non velle, quod *verbo ſuo alio-ve ſigno externo* quandoque *declarat*; etſi non probemus eum tam crudè loqui: cum præſtet dicere Deum non illicò velle id efficere & operari decretive, quod præceptivè injungit hominibus ut faciant.

Verum latius hæc] Imò propriè & accuratè loquendo decretis Divinis à ſe invicem ſecernendis hæc diſtinctio accommodari non poteſt.

Intellige ratione] Intellige potius ratione incarnationis Chriſti, per quam manifeſtatus in carne, ipſis tanquam ſuis Miniſtris & apparitoribus viſus eſt, in ſua nativitate, paſſione, reſurrectione, & aſcenſione, ut conſtat ex hiſtoria Evangelij: Nec enim de Myſterio pietatis loquitur Paulus, ſed de Deo qui per hoc myſterium pietatis, ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, ὤφθη ἀγγέλοις, ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσιν, ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ, ἀνελήφθη ἐν δόξῃ: Et ſanè tam expreſſè hæc verba pertinent ad Chriſti perſonam, ut contra omnium codicum Græcorum fidem, & omnium interpretum conſenſum, ellipſis nominis *Dei* in Latino & Syro interpretibus, perperam hic urgeatur à Crellio, ut lumen hujus loci, fidei Catholicæ circa Divinitatem & Incarnationem Chriſti, quaſi aliud agendo eripiat. Nam cæteroquin non opus erat tam longè petito argumento ad probandum plurima Dei decreta etiam ipſis Angelis occulta ſemper fuiſſe & etiamnum remanere, cum tam diſertè dicat Chriſtus eos neſcire diem judicij Mar: XIII, 32.

Verùm in hac diſtinctione decretorum Dei, maximè hominum habenda eſt ratio, quibus vel patefecerit Deus decreta ſua, vel non patefecerit. Eſt autem hæc differentia ita comparata, ut non tantùm in diverſis Dei decretis

Digitized by Google

cernatur, verùm etiam in iiſdem, ſed diverſo tempore. Nam eadem Dei decreta, quæ aliquando occulta fuerant, & hominibus haud patefacta, poſtea illis patefiunt; ut quidem factum videmus in decreto de ſalute humani generis; (*Rom: 16. 26, 27. 1 Cor: 2. 7, & d. Eph: 1. 9. conſ: cum antec. & ſeqq. 2 Tim: 1. 9, 10.*) tum nominatim in decreto de Gentibus extraneis ad communionem ſempiternæ felicitatis vocandis. (*Act: 10, & 11. Eph: 3. 5, & d. add. Col: 1. 26, & d.*) Ut taceam, etiam reſpectu diverſorum hominum, idem Dei decretum, & occultum, & patefactum dici poſſe: quia his id aperuerit Deus, illis non aperuerit. Sic olim patefecit Deus multa Iſraelitis, quæ Gentibus non promulgavit. Dicuntur autem decreta Dei, quæ aliquando fuerunt à Deo occultata, & humano ingenio abſque revelatione divina inveſtigari ac cognoſci non poſſunt, *myſteria*, ſeu ſecreta. Quanquam & res ipſæ à Deo conſtitutæ, ſed hominibus occultæ, & doctrinæ, quibus *illæ* poſtmodum à divinis viris explicantur, myſteria appellantur. Sic univerſa ſalutis noſtræ ratio à Deo conſtituta, ſic vocatio Gentium, ſic fidelium in adventu Chriſti ſuperfuturorum, ſine morte interveniente transmutatio à Deo decreta, & ſententiæ de iſtis rebus propoſitæ, myſteria in ſacris literis dicuntur. (*vid: l. d. Rom: 16. 1 Cor: 2. Eph: 1. & 3. & Col: 1. 1 Cor: 15. 51.*)

‡ *Vt quidem factum*] Hæc patefactio utraque fuit eventualis: Vtrumque enim antea ſatis luculenter prædictum fuerat per Prophetas, quod etiam conſtanter demonſtratur ab Apoſtolis in Novo Teſtamento.

Sic olim patefecit] Neque id mirum: cum cœteras gentes ſineret in ſuis vijs ambulare Act: XIV, 15. utpote *alienatas à republica Iſrael & hoſpites teſtamentorum, nec promiſſionis ſpem habentes, & ſine Deo in hoc mundo* Eph: 11, 12. & ſoli Iſraeli ſua ſtatuta & judicia curaret annuncianda Pſ: CXLVII, 19. 20.

Dicuntur autem decreta] Myſteriorum voce videntur ſæpiùs uti Scriptores ſacri, circa doctrinas ſalutem noſtram ſpectantes, quod familiarior eſſet ipſis Ethnicis, ac religioni accommodatior, & quo inſinuarent neminem doctrinæ ſalutaris fieri participem, abſque ſpeciali Dei gratia & illuminatione; prout apud Ethnicos nemo fiebat epopta Myſteriorum ſuorum, qui ritè illis initiatus non fuiſſet.

Solet autem Deus ideo quædam, licèt multo antè decreta occultare, quæ tamen aliquando hominibus revelare conſtituit, ne omnibus protinus patefacta evileſcant, & pretium dignitatemque ſuam quodammodo perdant; tantoque manifeſtiùs appareat, quantopere Deus illos amet, quibus conſilia illa ſua patefecerit, quæ per tot ſecula celarit. Quædam autem ſunt, quæ nunquam patefacit Deus, antequam ad exitum perducat, vel obſcurioribus
345. tantùm indiciis ſignificat, quorum vis nonniſi illis pellucet, qui oculos habent ad res divinas, & ad occultiora providentiæ divinæ veſtigia legenda ac perſcrutanda ſemper intentos. Et de hoc quidem utroque decretorum genere accipi poſſunt illa Prov. 25. (*verſu 1.*) *Gloria Dei eſt celare verbum*, ſi modò ibi

Digitized by Google

dò ibi *verbum* pro re, quam Deus ipſe conſtituit, ſumatur, ut verba præ ſe ferunt. Tantò enim illuſtriora poſtmodum apparent Dei opera, jam antè ab eo decreta, tantoque efficacius ſapientiæ ac potentiæ divinæ radios, quibus circumfulgent, hominum oculis immittunt, quantò fuerant inopinatiora. Verùm alia multa decreta ſua Deus hominibus aperit, & maximè ea, ſine quibus obſequium ipſi debitum præſtari nequit. Hæc enim partim hominum mentibus inſculpſit, partim peculiari ratione diverſis temporum articulis, per quoſdam veluti gradus ab imis ad ſumma aſcendens, hominibus revelavit: donec tandem per Chriſtum ejuſque myſterium, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſunt reconditi, (*Col: 2. 3.*) ad illud faſtigium rem perduxit, ad quod mortalibus aditus patet: neque jam ampliùs nobiſcum tanquam cum ſervis agit, (hi enim neſciunt, quid ipſorum agat dominus) ſed tanquam cum filiis atque amicis. (*Ioh: 15. 16.*) ſiquidem univerſum de felicitate noſtra ſempiterna conſilium nobis aperuit.

‡ *Quorum vis nonniſi illis*] At dari homines tales, qui Deo non revelante, in decretorum divinorum adyta penetrare queant, faciliùs dixèrit quam probaverit adverſarius.

Hæc enim partim hominum] Iterum confundit Crellius Dei mandata cum illius decretis, immemor ejus quod monet Paulus Rom: 11, 33. Quæ enim inſculpſit hominum mentibus, pertinent non ad occulta ſua conſilia, ſed ad officij noſtri normam, ad quam omnia noſtra dicta, facta, & cogitata exigere debemus.

Donec tandem per] Sed nec ante tempora manifeſtationis Chriſti in carne, ſimpliciter pios celavit ſuum de felicitate æterna adeunda & conſequenda conſilium, licet nunc clariùs, diſtinctiùs, diffuſiùs, illud toti terrarum orbi curarit propalandum: luce veritatis, quam unica ipſius Goſçen quondam obtinebat, ad eos quoque tranſmiſſâ qui quondam Cimmerijs obvoluti tenebris in valle umbræ mortis ſedebant.

Verùm & alia decreta ſua non pauca, tum olim per Prophetas, tum poſtea per Chriſtum ejuſque ſervos hominibus patefecit: quorum etiam præcipua, & ſcitu magis neceſſaria in ſacris literis deſcripta habemus: quanquam non omnia æquè clarè; prout nec omnium intelligentia nobis eſt æquè neceſſaria. Olim quidem, cùm Prophetiæ donum in populo Iſraëlitico vigeret, tum alia, de quibus conſulebatur Deus, tum generatim omnia ſolebat per Prophetas patefacere, quæ ad populum univerſum ſpectarent, & de quibus eum præmoneri, ſalutis ipſius non parùm intereſſet. ut cùm pœnam illi vellet inducere, præſertim graviorem, quam reſipiſcentia interveniente poſſet effugere: de quo rerum à Deo decretarum genere loquitur Amos, dum ait: *Non faciet Dominus verbum*, (h. e. quicquam, ſeu rem ullam) *niſi revelaverit decretum ſuum ad ſervos ſuos Prophetas.* (*Amos 3. 7.*) Cæteroquin innumera ſunt Dei de his aut illis hominibus aut rebus decreta, (tot enim ſunt, quot ipſa Dei facta) quæ Deus nec olim Prophetis, nec cuiquam mortalium hodie aperit.

 utpote

Digitized by Google

utpote quorum cognitio nec anguſtiâ mentium noſtrarum capi poteſt; nec ſi poſſet, foret neceſſaria: imò ſæpè ne utilis quidem: ne dicam, eam interdum vel noſtro in pietate profectui, vel ipſis divinis conſiliis obſtituram, quæ
346. niſi occulta eſſent, eo ipſo irrita fieri poſſent. quas duas ob cauſſas Deus ultimi judicii tempus nobis eſſe vult occultum, ut in id ſemper intenti, pietatem ſtudio non interrupto colamus, eaque ratione ad decretorium illum diem perpetuò nos comparemus, ſeu mavis parati ſimus; cæteros autem, qui impietate delectantur, dies ille ſecuros inveniat, ac nihil tale opinantes opprimat. Satis eſt nobis de re ipſa conſtare, etiamſi temporis articulum ignoremus. & ſufficere nobis debet, tum promiſſa Dei, uti & minas, tum mandata nobis eſſe propoſita, ut ſciamus, quid in univerſa vita ſequi, quid fugere debeamus, quid item à Deo ſperandum nobis ſit, quid metuendum. Hoc enim pacto *omnia nobis* (ut Petrus ait) *à divina potentia donata ſunt, quæcunque ad vitam & pietatem pertinent, per cognitionem ejus, qui vocavit nos per gloriam & virtutem; per quæ maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit* (vel *donata ſunt.*) *ut per hæc efficiamur divinæ conſortes naturæ, fugientes ejus* (vel *ubi effugerimus eam,*) *quæ in mundo eſt concupiſcentiæ* (Gr. *in concupiſcentia* ſeu per concupiſcentiam) *corruptionem*: (*2 Pet: 1. 3, 4.*) Itaque cogitandum nobis eſt illud Moſis ad Iſraëlitas: (*Deut: 29. 29.*) *Abſcondita, Domino Deo noſtro: quæ manifeſta* (Hebr. *& revelata ſunt*) *nobis & filiis noſtris uſque in ſempiternum, ut faciamus univerſa verba Legis hujus.*

‡ *Ut cum pœnam illi*] At nec omnes comminationes quæ leguntur apud Prophetas, prædictiones ſunt rerum futurarum; cùm hæ ſint abſolutæ, illæ vero plerumque conditionatæ: nec quæ prædictiones factæ leguntur imminentium calamitatum toti populo, & quarum intuitu invitabatur ad reſipiſcentiam, inſervient unquam demonſtrando poſſe homines proprijs viribus ad reſipiſcentiæ officia ſe accingere, atque ſic Dei decretis & prædictionibus intercedere ne eveniant. Quid quod Amos non loquitur loco hîc citato de pœnis comminatorijs, quæ eo fine denunciantur, ut homines peccatores terrore compulſi reſipiſcant & convertantur, ſed de pœnis decretis & infligendis peccatoribus, quarum denunciatio ſæpè præcedit earum immiſſionem, ut fulgur & tonitru fulmen, quo illi magis inexcuſabiles reddantur: Ita jam centum viginti annis ante diluvium quo Deus decreverat perdere primum mundum, illud denunciarat eventurum, ut liquet ex Gen: VI, 3. 1. Pet: III, 20.

Quæ niſi occulta eſſent] Abſurdè exiſtimat Crellius Deum ideo celare ſua conſilia, ne *irrita* fiant. Quis enim poſſet ejus voluntati obſiſtere? Nec video quî hæc cauſa habeat locum in eo conſilio quo voluit nobis occultum eſſe tempus ultimi judicij: ſiquidem etſi decretorius ille dies patefactus eſſet hominibus, per id tamen nemo poſſet irritum reddere Dei de illo, ſuo tempore habendo, conſilium. Adhæc hic ſaltem fateri debet adverſarius occulta illa Dei conſilia eo ipſo quod ne irrita fiant occultantur, infallibiliter eventura, etiam per liberas creaturarum intelligentium voluntates, quæ citra coactionem, neceſſariò illis

ad exitum

Digitized by Google

ad exitum deducendis ſubſervire debent. Quod ſi ideo inter alia noluit Deus hominibus revelare diem judicij, quo eos *qui impietate delectantur dies ille ſecuros inveniat ac nihil tale opinantes opprimat*, tam neceſſe eſt illos ſecuritati vacare, quam neceſſe & infallibile eſt Deum ſuo fine non excidere in rei tantæ occultatione.

Et ſufficere nobis debet] Neque id malè, quoniam ex voluntate Dei præcipiente, ad quam promiſſa & minæ pertinent, non ex illius voluntate decernente, quæ nos maxima ſui parte latet, vitam noſtram inſtituere debemus: Vir pius & ſapiens faciet quod ſibi præſcripſit Deus in Scripturis, & cœtera committet Deo, ut faciat quod voluerit.

Quontopere autem illi fallantur, qui decreta Dei revelata, quæ illi voluntatem ſigni appellant, interdum pugnare cenſent cum occultis, quæ voluntatem beneplaciti vocant, jam ante, cùm de ſinceritate divina ageremus, docuimus. Contradictionem certè id dogma involvit. Nam vel id, quod voluntatem ſigni appellant, revera vult Deus; vel non vult. Si vult; contradictoria & ſe mutuò perimentia ſimul vult, v.g. Judam, cui unà cum aliis Apoſtolis gratiam ſuam obtulerit, æternùm ſervari, & non ſervari: quorum illud voluntate ſigni, hoc voluntate beneplaciti velle cenſetur. Si non vult; quomodo voluntas appellatur? Voluntas enim erit, & non erit.

‡ *Quantopere autem illi*] Revera falluntur qui voluntatem Dei decernentem cum præcipiente ſtudent committere: (ſic malumus loqui quam parum appoſitè cum Crellio decreta Dei in *revelata* & *occulta* diſtinguere:) quamvis enim illa latiùs multo pateat, tamen optimè convenit inter utramque: Nam licet Deus non decreverit efficere in omnibus id quod ſingulis præſcripſit, imò decreverit permittere ut multi contrarium ejus faciant quod mandavit, non permiſſurus bonus cum ſit mala fieri, niſi eſſet etiam omnipotens ut de malo benè faciat & ſuam lucem educat ex noſtris tenebris, attamen nihil præcipit contrarium ſuis decretis, & nullum eſt ipſius decretum quod ſuis mandatis adverſetur. Interea verò non debet Crellius inficiari Scripturam ita ſæpiſſimè loqui, ut inſinuet neceſſariò diſtinguendum inter voluntatem decernentem & præcipientem; ne putemus vel Deum ea omnia decreviſſe futura quæ mandat hominibus & ad quæ ex officij ſui norma tenentur; ſic enim nemo mortalium deprehenderetur deuius unquam ab officio, eo quod non poſſit non fieri, quod Deus voluerit voluntate decernente, ideſt futurum decreverit; vel omnia illa quæ decreverit eventura, etiam per homines, habere eo ipſo vim legis & mandati, adeo ut impij, ea facientes quæ manus & conſilium Dei fieri decreverunt, non modo ſint extra culpam, ſed etiam præmium mereantur. Neque in hac diſtinctione umbra eſt illius contradictionis quam adverſarius hîc ſibi imaginatur: Etenim idem Deus & velle & non velle cenſendus eſt pro vario hoc reſpectu: Revera id vult quod voluntatem *ſigni* dicunt alij, nos voluntatem præcipientem appellamus, quatenus ſuis mandatis ea injungit hominibus quæ ceu honeſta ſibi ex rei natura grata & accepta & ipſis ſalutaria, præſtare debent; & tamen revera id non vult fieri vel evenire in omnibus voluntate decernente, quatenus non ſolum non decrevit ſingulis largiri gratiam neceſſariam ad ea præſtanda, ſed revera decrevit

Digitized by Google

crevit eam gratiam illis non indulgere, & eos ad perditionem præſcripſit: Patet exemplo Iudæ, quod affert Crellius: Simul Deus volebat eum *æternùm ſervari, & non ſervari*, ſed diverſo hoc ſenſu & reſpectu: Volebat eum ſervari, voluntate præcipiente, quâ ei mandabat ut inſiſteret viam ſalutis: Non volebat eum ſervari voluntate decernente, juxta quam reprobus erat, *προγεγραμμένος εἰς τȣτὸ τὸ κεῖμα* & filius perditionis, cujus ſcelere & proditione ab æterno decreverat uti ad ea exſequenda circa Filium ſuum, quæ futura conſtituerat Act: IV, 28. Neque inter hac duo ſpecies eſt ulla pugnæ vel umbra contradictionis: Nam reprobatio Iudæ & ordinatio nequitiæ ipſius ad paſſionem Chriſti, ejus peccatum & corruptionem ſupponebat; ea tamen ipſum non præſtabat immunem ab officio illo præſtandi, ad quod homines invitantur ſub ſalutis præmio, nec eum ſubducebat legi Divinæ; adeoque non poterat impedire quominus per voluntatem Dei præcipientem officij iſtius ſui feriò admoneretur, etiam propoſito præmio ſalutis, quo ſic inexcuſabilior fieret apud Deum. Itaque voluntas illa quæ *ſigni* dicitur vulgo Theologorum, eſt voluntas præcipiens, quâ Deus declarat quid velit, ideſt quid jubeat homines facere; ſed non eſt voluntas decernens quâ conſtituit quid velit fieri & evenire.

Mirari autem hoc loco & illos cogimur, qui cùm tantam decretorum divinorum varietatem, quantam hucuſque vidimus, vel cernant, vel cernere haud difficulter poſſint, ſtatuere tamen non verentur, decreta Dei eſſe ipſam Dei eſſentiam, atque adeò, cùm illa eadem numero ſit, omnia Dei decreta reipſa idem eſſe. Qui quidem, ſi vim hujus dogmatis ſpectes, rationem decretorum divinorum penitus ignorare, imò ne ſeipſos quidem intelligere, meritò dici queunt. cùm non uno modo contradictionem hac ſententia ſua involvant. Nam quid aliud eſt Dei decretum, quàm
347. voluntatis, ipſiúſque adeò eſſentiæ divinæ effectus quidam? Quòd ſi Dei decreta ſunt ipſa Dei eſſentia; eſſentia Dei, ipſeque adeò Deus, erit effectus ſui ipſius; ſeipſo naturâ prior, & poſterior.

‡ *Mirari autem hoc loco*] Mirionem hic agit Crellius in re non ita difficili, ſi modo animum advertere voluiſſet: Cùm enim nihil ſit in Deo quod non ſit Deus, imò decretum Dei *ſubjectivè* loquendo, ſive ex ipſius parte, nihil aliud ſit quam Deus decernens & ſeipſum per modum actus vitalis determinans ad hæc & illa objecta extra ſe in tempore producenda vel permittenda, tam neceſſe eſt decreta Dei illo reſpectu eſſe Dei eſſentiam & cum illa reciprocari, quam cæteroquin verum eſt eadem illa decreta *objectivè & terminativè* conſiderata, eſſe varia & libera: Ideo viri eruditi ex Rabbenu Hakados *in Gale Razeia*, hoc axioma proferunt, *Nihil invenitur in Deo quod non ſit ipſe Deus*; cui concinit & iſtud Auguſtini *tract. 20. in Ioh. Deo eſt conſubſtantiale, quicquid ejus eſt & quod eſt.*

Nam quid aliud eſt] Malè *effectus* dicitur, cùm actus ſit illius, iſque & immanens & æternus: Iam autem cum Crellio voluntas Dei ipſius ſit eſſentia, non eſt quod abſurdius reputet eſſentiam Dei concipi per modum actus vitalis in ſuis decretis, quam per modum facultatis in ſua voluntate, per quam ſeipſum determinat ad talia extra ſe olim perficienda vel permittenda. Et ſanè idem incommodum

Digitized by Google

modum occurrit hîc circa voluntatem Dei, quam eſſe illius eſſentiam agnoſcit adverſarius, ac circa ejus decretum; Dicam enim mutatis mutandis, Quod ſi Dei voluntas eſt ipſa Dei eſſentia, eſſentia Dei ipſeque adeo Deus erit facultas & qualitas ſui ipſius, & ſeipſo naturâ prior & poſterior, cum facultas ſit ſubjecto ſuo poſterior naturâ: Verum ut nemo erit qui hic non facilè reſpondeat negari illam ſequelam, eo quod voluntas quæ per modum facultatis in Deo concipitur non ſit accidentalis, nec poſterior naturâ ipſo Deo, ſed tantum ordine concipiendi, ita etiam in argutia Crellij, negamus id ſequi quod ſibi imaginatur, poſito quod decreta Dei ſint ipſe Deus; tum quia falsâ nititur hypotheſi, quod illa ſint effectus Dei, cum ſint actus duntaxat immanentes illius, quorum adeo non cauſa dici debet, ſed principium; tum quia illi ipſi actus non ſunt poſteriores naturâ vel tempore Deo, ſed ſolum ordine & pro noſtro concipiendi modo; cum inter ipſum ut eſt principium ſuorum actuum immanentium, & hos ſuos actus immanentes, non ſit aliud diſcrimen quam rationis; quale eſt inter Angelum & ſuam ipſius intelligentiam actualem; cum nunquam fuerit quin actu intelligeret; vel inter animam noſtram & ſuam cogitationem in actu primo, quandoquidem anima Neotericis quibuſdam Philoſophis, Res cogitans, haud omninò abſurdè definitur. Quod ſi non erit Angelus ſeipſo naturâ prior & poſterior, etſi ordine debeam prius concipere illum eſſe quam intelligere, quare erit Deus ſeipſo naturâ prior & poſterior eo quod debeam prius concipere illum eſſe quam illum decernere & operari ex intellectu & voluntate, in quibus nihil eſt potentiæ paſſivæ, & qui cum ejus eſſentia, quæ eſt actus perfectiſſimus, reciprocantur?

Præterea eſſentia Dei non neceſſariò, ſed contingenter exiſtet: ſiquidem decretum omne liberæ voluntatis effectus eſt. liberæ autem voluntatis effectus non eſt, qui prorſus neceſſariò exiſtit, ſed qui contingenter. Quòd ſi quis de omnibus Dei decretis id agnoſcere nolit, neceſſe tamen eſt, ut de quibuſdam agnoſcat, quæ ex voluntatis beneplacito atque arbitrio manaſſe in ſacris literis dicuntur; ut ſunt ea, quæ de ſalute noſtra facta ſunt. Satis autem ad hanc abſurditatem evincendam vel unum decretum eſſet: cùm illi de omnibus in univerſum ſentiant, ea ipſam Dei eſſentiam eſſe; & ratio, quâ ad id oſtendendum utuntur, ex ſimplicitate Dei ducta, in omnibus æquè valeat.

‡ *Præterea eſſentia Dei*] Neque multo plus ponderis eſt in hoc altero argumento: Quo enim modo diximus antea decretum Dei eſſe unum ſubjectivè & multiplex terminativè, eodem modo neceſſarium & liberum ſtatui debet. Neceſſarium eſt ſaltem genericè ex parte Dei: Nam ut nequit Deus concipi extitiſſe ab æterno, quin ſimul concipiatur ſeipſum actu intellexiſſe, & quid poſſet à ſe fieri ſi vellet, ita non poteſt concipi fuiſſe ceſſator & otioſus, aut non ex omnibus poſſibilibus eorum futuritionem decreviſſe quæ judicavit maximè convenientia futura ſuæ gloriæ. Liberum tamen eſt terminativè, libertate tum ſpontaneitatis, tum contrarietatis, tum contradictionis. Et perpetuò Crellius hac nititur falsâ hypotheſi, quod idem vario reſpectu, neceſſarium & liberum dici non poſſit, ſive quod *liberæ voluntatis effectus non eſt, qui prorſus neceſſariò exiſtit, ſed qui contingenter*:

Digitized by Google

tingenter : Prorſus neceſſariò Chriſtus mortem pro redemptione noſtra acceptavit & ſuſcepit; in eum enim finem venerat in mundum, neque non potuit obedire Deo; Id fecit tamen alacriter & liberrimè: Agnoſcimus omnia Dei decreta circa res creandas & creatas manaſſe ex ipſius beneplacito & arbitrio; ſed negamus illa non eſſe neceſſaria quoad ſuam exiſtentiam, eo quod libera ſint quoad ſuam terminationem.

Addè, quòd decreta divina in ipſa ratione ſeu eſſentia ſua includant reſpectum ad extra, ut loquuntur, ſeu ad creaturam aliquam. At eſſentia Dei abſoluta eſt, nullum ad creaturas reſpectum in ſeſe, ſeu in ratione ſua comprehendens. Aliàs tam neceſſariò exiſterent creaturæ, atque ipſe Deus; adeoque neceſſe fuiſſet, illas unà cum Deo ab omni æternitate exiſtere. quod nil eſſet aliud; quàm creaturas non eſſe creaturas.

‡ *Adde quod decreta*] Quid inde? Nonne Omniſcientia & Omnipotentia Divina, etiam includunt reſpectum ad extra? An ergo propterea diſcrimen reale erit concipiendum inter Deum & ejus vel Omnipotentiam vel Omniſcientiam? Etiam Creatorem eſſe includit reſpectum ad Creaturam: Nemo tamen ſanus inde colligit Creatorem non eſſe Deum.

At eſſentia Dei] Fateor eſſentiam Dei eſſe abſolutam, ſi in ſe tantum conſideretur; ſed habet tamen ſuum eſſe reſpectivum multiplex, ſi conſideretur cum oppoſitione relativa ad Creaturas.

Aliàs tam neceſſariò] Non ſequitur: Sed reſpectus Dei ad Creaturas & poſſibiles & futuras, fuit æternus, ſive *ab omni æternitate*, non quod ab omni æternitate actu exiterint (cœperunt enim hoc modo eſſe demum in tempore;) ſed quod ab æterno creaturæ habuerint & ſuam poſſibilitatem per Dei omnipotentiam cui impoſſibile non erit omne verbum; & ſuam futuritionem per ipſius decreta & voluntatem; quo duplici reſpectu tam neceſſariò exiterunt creaturæ ab æterno, quoad earum poſſibilitatem ex Dei omnipotentia & futuritionem certam ex illius decreto & nutu, quam neceſſe eſt ipſum Deum omnipotentem & omniſcium exiſtere: Vno verbo non fuit neceſſe creaturas exiſtere cum Deo ab omni æternitate, ſed tantum ab æterno Deum decreviſſe quid eventurum eſſet creaturis in tempore: Nec poſſunt decreta Dei illo poſteriora eſſe tempore, quin ab æterno fingatur torpuiſſe, nulloſque actus terminatos ad extra ex intellectu & voluntate ſua elicuiſſe.

Præterea natura Dei una eſt: decreta Dei infinita. Adhæc, decreta quædam, de eodem ſubjecto, quanquam diverſo tempore facta, inter ſe pugnant, & unum tollit alterum: cum alterum v. g. pœnam, alterum impunitatem ejuſdem, ſive hominis, ſive populi, alterum felicitatem, alterum infelicitatem atque interitum ſanciat, quemadmodum ſuprà apertiſſimis ſacrarum literarum teſtimonijs demonſtravimus. Taceo, quòd decreta executione jam penitus mandata, decreta eſſe deſinunt: ut decreta de mundo condendo; de diluvio orbi inducendo; Iſraëlitis ex Ægypto educendis; Chiſto in mundum mittendo, morti tradendo, exaltando. Dei autem eſſentia deſinere nulla poteſt ratione.

‡ *Præterea*

Digitized by Google

‡ *Præterea natura Dei*] Iam ante huic objectiunculæ reſpondimus : Decretum Dei eſt unicum, quia unico & ſimpliciſſimo voluntatis ſuæ actu conſtituit ab æterno quid futurum vel non eſſet in tempore; nec aliter quam objectivè & terminativè multiplex ſtatui poteſt; prout ſcientia Dei circa objecta infinita verſatur citra unitatis ſuæ detrimentum.

Adhæc decreta quædam] Id vero eſt falſiſſimum: Nihil enim pugnæ aut contrarietatis eſt inter Dei decreta *de eodem ſubjecto*, ut inſtar Caſtoris & Pollucis per vices occidant & oriantur. Et quæ eidem homini vel populo modò mala modò bona accidunt ſucceſſivè, ut ſunt ab eodem Deo, ita unius ejuſdemque decreti ſibi ſemper conſtantis effecta cenſeri debent. Eidem ægro modò adſtringentia, modò laxantia, propinantur ex ejuſdem Medici decreto & ſententia.

Taceo quod decreta] Abſurdè: Nam decreti exſequutione non finitur decretum ut deſinat factum fuiſſe; ſed tantum res decreta deſinit eſſe in fieri cum jam facta eſt. Etiamnum hodie manet & verum eſt Deum ab æterno decreviſſe condere mundum, diluvium orbi inducere, Chriſti ſanguine ſuos electos redimere, Iſraelitas ex Ægypto educere; licet res ipſæ decretæ jam olim factæ fuerint ſuo tempore ac ſuæ exſecutioni demandatæ. Non deſinit omniſcientia eſſe ipſe Deus, eo quod multa quæ ſub ſcientiam Dei cadunt deſinant & intereant.

Sed dices: ſi decreta Dei non ſunt ipſa Dei eſſentia; accidentia erunt. Nefas autem ſit, accidens in Deo ſtatuere. Compoſitus enim fuerit Deus ex eſſentia & accidente. ſi compoſitus, ab alio erit compoſitus. ſic non à ſeipſo, non ab æterno extiterit: ſic Deus non fuerit Deus. Præterea, ſi decreta Dei ſunt varia, ſi alia aliis ſuccedunt, & quidem prioribus nonnunquam contraria; Deus erit mutabilis. Abſit autem, ut Deum mutabilem ſtatuamus. cùm ipſemet teſtetur, Deum ſe eſſe, non hominem, & non mutari. quaſi dicat, Deum ſe non fore, ſi mutaretur. Hæc quantam vim habeant, breviter videamus. 348.
Primùm unde liquet nefas eſſe accidens ullum Deo tribuere? Quid enim? num ſacræ literæ id prohibent, & quidem tam apertè, ut religio id ſit vel cogitare? Ubi, quæſo, ejus rei vel leviſſimum extat indicium, ubi veſtigium? Imò verò qui talia, qualia nos decreta Dei volumus, accidentia in Deum cadere poſſe negat, is, ſi vim ſententiæ ſpectes, eum eſſe Deum negat, quandoquidem liberam illi voluntatem, ac porrò imperium quoque, ob quod inprimis Deus dicitur, eripit. Si enim liberâ Deus voluntate præditus eſt, poteſt aliquid apud ſe ſtatuere, quod poterat etiam non ſtatuere. Actus ergo ille decernendi in ipſo exiſtens accidens erit. ſiquidem accidens id omne eſt, quod ita alicui ineſt, ut poſſit etiam abeſſe citra ſubjecti corruptionem.

‡ *Sed dices, ſi decreta*] Quantum inſit ponderis utrique huic rationi facilè intelligetur ex ſequentibus.

Primum, unde liquet] Ex eo ſanè quod cum ſit Iehova & is qui eſt, debet ita eſſe ſua eſſentia, ut nihil in eo ſit quod ipſe non ſit, aut quod ei extraeſſentialiter attribuatur: Accidens autem non tam ens quam entis eſſe, ipſe dixit Ariſtoteles. Et cum Dei ſimplicitas omnem re- ſpuat

ſpuat compoſitionem, non poteſt ea compoſitio in ipſum cadere quæ eſt ex ſubjecto & accidente: Adhæc omne accidens ineſt ſubjecto mutabiliter: Deus vero eſt immutabilis: ut non malè dixerit Alcuinus *lib. 1. de Trinit. cap. 11. Æterternitas & incommutabilitas negat alicujus accidentis in Deo inſtabilitatem: quia omne accidens ſecundum tempus eſſe vel non eſſe poteſt, vel potuit, vel etiam poterit.*

Imò vero qui talia] Verum eſt illum Deum negare qui negat Dei decreta, aut eorum libertati aliquid detrahit; ſed ut illa agnoſcamus neutiquam neceſſe eſt accidentia Deo tribuere.

Si enim liberâ voluntate] At neque eſt de eſſentia ejus quod liberè fit ut poſſit non fieri, ut ſæpiùs demonſtravi, cum ſufficiat illud fieri ex proæreſi & ἑκουσίως; Neque ſi Deus potuit pro ſua ſumma libertate aliter atque aliter de rebus extra ſe decernere quam de facto decrevit, inde ſequitur actum ipſum id decernendi quod potuit non decreviſſe, in ipſo accidens eſſe: Nam 1. actus ſive actio in communi, nedum in Deo, cujus reſpectu hæc tria, *Eſſe*, *Poſſe*, *Operari*, nonniſi ratione diſtinguuntur, accidens minus propriè ſtatuitur: quia accidentis eſſe eſt ineſſe, ideſt eſse in ſubjecto: at actio non tam eſt in ſubjecto, quam eſt ab agente, tanquam à ſui principio. 2. Actus ipſe decernendi, ut eſt Dei actio immanens, revera nihil aliud eſt quam ipſius eſsentia per modum actus vitalis ſignificata, adeoque accidens dici nequit.

Siquidem accidens, id] Nec ſatis benè philoſophatur Crellius de natura accidentium: Nam dantur multa ſubſtantialia quæ ſic inſunt alicui, ut poſſint etiam abeſse citra ſubjecti corruptionem; nam ſi quis v.g. ſex haberet digitos, poſſet ſextus abeſſe citra corruptionem ſubjecti: Idem ſtatui poteſt de folijs & fructibus in arbore, de capillis & excrementitijs humoribus in corpore, & plurimis alijs. Viceverſâ dantur plurima accidentia diſtinctè à ſubſtantijs & oppoſitè ad illas, quæ non poſsunt abeſse citra ſubjecti interitum, ut ſunt omnes proprietates quæ ex rerum principijs internis proximè fluunt. Quare ut non omni accidenti convenit ſic ineſse ut poſſit etiam abeſse citra ſubjecti corruptionem, ſic viceverſâ non omne id accidens ſtatui debet, quod ita convenit ſubjecto cui attribuitur, ut poſſit etiam illi non convenire citra ſubjecti corruptionem. Taceo quod actus divinus decernendi, ex parte ipſius ſubjecti, neceſsariam habeat exiſtentiam, uti jam ſuprà monui, nec ita liber ſit ut potuerit non eſse, niſi terminativè & objectorum reſpectu. Quare huc redit paralogiſmus Crellij, Id accidens eſt quod ita alicui ineſt ut poſſit etiam abeſse citra ſubjecti corruptionem; Tale eſt Dei decretum; Ergo: Verum nec major vera eſt, uti liquet ex modò dictis, nec etiam minor; tum quia non ineſt Deo tanquam ſubjecto inhæſionis, ſed tantum illi convenit tanquam ſubjecto attributionis; tum quia ſic liberum eſt terminativè & ex parte rerum decretarum, ut non poſſit non convenire Deo ex parte ipſius, eo quod nequit concipi intellectu & voluntate perfectiſſimis prædìtus, quin aliquod decretum de rebus extra ſe vel faciendis, vel non faciendis, illi eo ipſo vindicetur.

Adde, quòd, cùm certa Dei decreta inter ſe contraria eſſe videamus, neceſſe eſt ut Dei eſſentiam ſecum ipſa pugnantem conſtituant, & id, quod nos facere fallò exiſtimant, ipſi faciant, h. e. Deum revera mutabilem, imò quovis homine, qui ad certum aliquod tempus naturam ſuam retinet eandem, mutabiliorem ſtatuant. ne cætera, quæ paulò antè recenſuimus, abſurda nunc repetamus.

‡ *Adde*

Digitized by Google

‡ *Adde quod, cùm*] Sed id falſum eſse jam ſæpiùs monui; & cum omnia Dei decreta ſimul ei inſint, eo ipſo nequeunt eſse *inter ſe contraria*, quoniam contraria ſe mutuo pellunt ex eodem ſubjecto, nec eidem ſecundum eaſdem partes ſimul ineſse poſsunt: Nec minus abſurdum eſt voluntatem Dei quam ipſius eſsentiam, *ſecum pugnantem* conſtituere; ſecum autem pugnabit voluntas Dei decernens, ſi illius decreta adverſis frontibus inter ſe concurrant ac ſecum pugnaverint.

Et id quod nos facere] Iſtius criminis palàm tenentur Sociniani, qui decreta Dei ſomniant contraria & multis mutationibus obnoxia: Sed non video quibus rationibus Crellius ſuffulciat hanc ſuam criminationem, quod nullum diſcrimen, niſi rationis, agnoſcentes inter Deum & Dei decretum, adeoque non majus inter ipſum & hoc ejus attributum complexum, quam inter ipſius eſsentiam & alia ipſius attributa ſimplicia, licet illud per modum actus, pleraque ex iſtis per modum facultatis exprimi ſoleant, eo ipſo Deo notam mutabilitatis inuramus. Omnes quidem mutationes eveniunt in mundo ex Dei decreto, ſed tamen nova facit citra novitatem voluntatis; & illud ejus decretum ex quo fiunt mutationes iſtæ, manet conſtans & immotum.

Imò quovis homine] Ergo in ſchola Socinianorum Deus ne quidem ad certum aliquod tempus retinet ſua decreta, ſed Euripo inconſtantior ea fingit & refingit omni momento.

Non cadunt quidem in Deum accidentia ejus generis, qualia in creaturas multa cadunt. Novas enim facultates non acquirit, nedum ut eas recipere poſſit qualitates, quæ ad imminuendam ipſius naturam ſummamque perfectionem ſpectare queant, quales creaturis etiam invitis accidunt multæ. Sed actus tamen liberæ voluntatis varios in ipſum ita cadere, ut ab eo poſſint abeſſe, & porrò etiam ab ejus natura atque eſſentia differant, tam ab omni abſurditate abeſt, quàm abeſt, eum voluntate libera eſſe præditum.

‡ *Non cadunt quidem*] Tam abſurda eſt hæc Crellij Philoſophia, quam ejus Theologia impia eſse ſolet. Nam I. cùm accidentis natura generica ſemper eodem modo ſe habeat, vel nullum accidens cadet in Deum, vel talia in eum cadent accidentia qualia *multa* competunt creaturis. II. Cùm facultates, ſive potentiæ, ut vulgò referuntur ad prædicamentum qualitatis, naturales ſint rebus creatis & earum eſsentijs ſuperadditæ ad operandum, non vero acquiſitæ variorum actuum repetitione, ut habitus multi, non video cur hoc differat Deus à creaturis quod *novas facultates non acquirat*; etenim nequidem in ἀσεβείᾳ Peripatetica novas facultates ſibi acquirunt creaturæ, utpote quæ omnes ſuas facultates habent ſibi inſitas & implantatas à natura. III. Cùm nec omnes creaturæ ſint ſuſceptivæ qualitatum deſtructivarum in genere entis, ut patet in Angelis & naturis ſpiritualibus, hæc limitatio non ſufficit diſtinguendo Deo à creaturis in communi, quod *eas recipere non poſſit qualitates, quæ ad imminuendam ipſius naturam ſummamque perfectionem ſpectare queant.* IV. Cùm actus non habeat rationem accidentis, cujus eſse eſt ineſse, à poſitione actuum immanentium ad poſitionem accidentium in Deo, non procedit argumentum: Nam ut relatio non dicit eſse in aliquo ſed eſse ad aliquid, unde meritò accidentalis natura ut à ſubſtantiali diſtinguitur venit ei abroganda, ſic etiam actio dicit potius

Digitized by Google

eſse ab aliquo, quam in aliquo, & per conſequens non tam accidens entitativum, quam modus entis ſubſtantialis ſtatui debet. v. Cùm & nihil ſit in Deo quod non ſit Deus, & ſit ipſe actus puriſſimus, in quo nihil mixtum eſt potentiæ paſſivæ, non datur ulla ratio cur potiùs à Dei eſsentia realiter differant actus ejus liberi, quam vel ipſa facultas liberæ voluntatis ex qua eliciuntur, vel actus ille voluntatis Divinæ quo Deus neceſsariò vult ſeipſum & ſuam bonitatem: Nam ut hic ipſa Dei eſsentia concipitur per modum actus vitalis, ad ipſum Deum neceſsariò terminata, ita eadem iſthic debet concipi per modum actus vitalis liberè terminata ad creaturas. Ac prout id quod Deus eſt liberrimum agens nihil addit accidentale ipſius eſsentiæ & perfectioni ſubſtantiali, ita non poſsunt accidentibus ab ipſius eſsentia realiter diſtinctis annumerari actus illi liberi immanentes quos ei tribuendos in ejus decretis agnoſcimus. Quam ergo *ab omni abſurditate abeſt* actus ejuſmodi liberos Deo convenire, tam abſurdum eſt eos realiter à Deo, ut accidentia ſolent à ſuo ſubjecto inhæſionis, diſtinguere.

At compoſitus erit Deus. Quî verò? Compoſitus, inquiunt, erit ex eſſentia & accidentibus. Quid? num ſubjectum accidentis, ex ſeipſo & accidente ſuo componitur? Homo quidem compoſitus eſt; at non ideò, quia præter eſſentiam ſuam etiam accidentia habeat. ſed quia partibus tum eſſentialibus, tum integrantibus conſtat. Ex eo enim tantùm componitur quippiam, ex quo tanquam parte quadam, ſive eſſentiali, ſive integrali conſtat. At nemo ex ſuo accidente conſtat. Aliàs enim id non ampliùs foret accidens. Accidens enim eſt, quod ineſt non ut pars, & poteſt ab eo, cui ineſt, abeſſe, ut habet Philoſophi definitio. Quiſque non niſi ex ſua conſtat eſſentia. Hæc eum abſolvit, integra integrum. Quòd ſi quid præter eſſentiam eum conſtitueret, jam id ipſum eſſentiale ipſi foret; ac porrò ſimul & eſſentiale, & non eſſentiale.

‡ *Quid? num ſubjectum*] Miror iſtos homines qui tam ſubtiles Philoſophi videri volunt, tam craſsè philoſophari. Non componitur quidem ſubjectum ſubſtantiale *ex ſeipſo & accidente ſuo*, ſed tamen quodlibet concretum conſtat ſubjecto & accidente & ex illis componitur. Nec valet horum imaginatio, Nullum ſubjectum ſubſtantiale componitur ex ſubjecto & accidente, ſed tantum ex *partibus tum eſſentialibus, tum integrantibus* phyſicis, ergo nullum compoſitum coaleſcit ex ſubjecto & accidentibus tanquam ſuis partibus eſsentialibus metaphyſicis: Qui enim opponit ſubjectum recipiens & inhæſionis accidentibus quæ illi inſunt, ſatis inſinuat illa accidentia non eſse illius partes vel eſsentiales, vel integrantes phyſicas; in ea enim oppoſitione ſubjectum ſumitur pro ſubſtantia contradiſtinctè ab accidenti, quæ per conſequens nihil perfectionis entitativæ, aut partiũ quantitativarum reſpectu integritatis ſuę conſequitur per accidentia quibus extraeſsentialiter afficitur; At ſi ſubjectum intelligatur non inhæſionis, ſed attributionis & compoſitionis cui nempe tribuatur eſse compoſitum, vel *ex his*, uti loquuntur Scholaſtici, ideſt ex partibus phyſicis & quantitativis componentibus, vel *cum his*, ideſt ex ſubſtantia & accidentibus quibus ſubſtat, tam neceſſe eſt ſubjectum compoſitionis illius quæ *cum his* dicitur, conſtare ſubſtantiâ & accidentibus ei ſubjectivè inhærentibus,

tibus,

Digitized by Google

tibus, quam oportet ſubjectum compoſitionis illius quæ *ex his* appellatur conſtare partibus phyſicè eſſentialibus, vel integrantibus. Ac ſicut cum dico totū conſtare partibus ſuis, v. g. hominem animâ & corpore, nolo illud componi ex ſeipſo & ſuis partibus, ita cum dico naturam aliquam creatam conſtare ſubjecto & accidentibus, nolo ſubjectum inhæſionis *ex ſeipſo & accidente ſuo* componi, ſed illam ipſam naturam, cui hæc duo realia & diſtincta entia competunt, ſubſtantia nimirum & accidens, ex illis duobus ſimul junctis conſtare & componi. Quare ſubjectum accidentium hac in parte non habet rationem totius, ſed partis, quæ concurrit cum accidentibus ſibi inhærentibus ad illam compoſitionem quæ *cum his* appellatur. Et ſuppoſito diſcrimine reali inter ſubſtantiam & accidens, quod Crellius non vocat in dubium, quis negabit ibi eſſe realem compoſitionem ubi hæc duo entium genera realiter diſtincta, ſubſtantia ſcilicet & accidens, uniuntur & una ponuntur, ad conſtitutionem tertij, quod neque ſubſtantia eſt mera, neque merum accidens, ſed concretum ex utroque? Quam vero nulla compoſitio iſtius generis poſſit in Deum cadere, non ſolum liquet ex illius abſolutiſſima ſimplicitate, & quod ſit actus purus, in quo nulla datur potentia paſſiva ac receptiva accidentium ſive formæ accidentalis, ſed patet inſuper ex eo quod poſitâ tali in Deo compoſitione, ſimul cauſa aliqua Deo ſuperior eſſet concipienda, quæ has partes inter ſe componeret: ut cum conſidero parietem album, debeo concipere aliquem qui parieti jam ſtanti tectorium & albedinem induxerit.

At non ideo, quia] Imò etiam *ideo*; Nam ut eſt per partes ſuas eſſentiales phyſicas, compoſitum eſſentiale phyſicum, & per partes quantitativas, ſive integrantes, compoſitum integrale, ita poſſet ſtatui compoſitum eſſentiale metaphyſicum, per ſuas partes eſſentiales metaphyſicas, quales ſunt diverſo reſpectu actus & potentia, eſſe & eſſentia, ſubjectum & accidens.

Ex eo enim tantum] Fateor; ſed concreti iſtius cui competit compoſitio quæ dicitur *cum his*, hoc reſpectu partes eſſentiales ſunt, ſubſtantia & accidens. Et quamvis *nemo* ex ſuis accidentibus conſtet ſimpliciter, nec illius accidentia ſint ejus partes phyſicæ eſſentiales vel integrales, conſtat tamen quilibet ex ſua ſubſtantia & ſuis accidentibus ſimul, ceu partibus ſuis quæ metaphyſicè eſſentialiter ſe habent ad illam compoſitionem: Et ſicut conſideratio partium integralium & quantitativarum in homine ex quibus conſtat ſuo ſenſu, non tollit conſiderationem partium phyſicè eſſentialium, quarum reſpectu aliud totius genus conſtituit, ita neutrarum conſideratio poteſt extinguere conſiderationem illarum partium ex quibus concreſcit in tertium genus totius, quod conſtat ſubſtantiâ & accidentibus ſuis.

Accidens enim eſt] Accidens quidem non ineſt ut pars illius cui ineſt, ſed poteſt tamen ineſſe ut compars cum eo cui ineſt, concreti ſive compoſiti illius quod ex tali accidentium ſubjecto ſubſtantiali & ex illo accidente ei inhærente enaſcitur. Anima etiam ineſt corpori, non ut pars corporis cui ineſt, ſed ut pars hominis ipſius ex anima & corpore conſtantis, adeoque partialiter cum corpore concurrens ad totius hominis conſtitutionem. Imò eo quod accidens *poteſt ab eo cui ineſt abeſſe*, partialiter ad aliquam compoſitionem ex ſubſtantia & accidenti cum illo ſuæ inhæſionis ſubjecto, debet concurrere; cum illæ maximè partes ſint in compoſito quæ à ſe mutuò divelli & ſeparari poſſunt. Nec obſtat quod accidens non poteſt exiſtere extra ſuum ſubjectum; nam forma canis aut quercus non deſinit eſſe illius pars eſſentialis cum materia cui ineſt & ex qua educitur,

Digitized by Google

tur, juxta vulgarem Philoſophiam, concurrens ad ejus intimam conſtitutionem, etſi extra canem aut quercum, quem in hac ſignata materia conſtituit, exiſtere non poſſit.

Quiſque nonniſi ex] Hoc etiam eſt ἀφιλοσοφὸν: Nam aliæ ſunt partes eſſentiales quibus totum eſſentiale phyſicum abſolvitur; aliæ partes quantitativæ & integrales, quibus conſtat totum extenſum & corporeum. Homo cui crus periit in bello, vel auris reſciſſa fuit, habet tamen integram hominis eſſentiam, cum per id non deſinat eſſe animal rationale, licet non habeat integrum corpus, & aliqua ſui parte integrali mulctatus ſit. Præterea monent inſuper Metaphyſici quemque conſtare ex actu & potentia, item ex eſſe & eſſentia, item juxta nonnullos ex natura & ſuppoſito; adeo perperam hic dicitur quod *quiſque nonniſi ex ſua eſſentia conſtat.* Imò accuratè loquendo nemo propriè ex ſua eſſentia conſtat, ſed potius ex illis partibus diſtinctis ex quibus illius eſſentiâ exſurgit & conflatur: Et quam abſurdè dixeris totum ex ſe toto vel ex ſua totalitate conſtare, cum conſtet ex illis partibus quæ concurrunt ad ejus totalitatem abſolvendam, tam abſurdè ſtatuas neminem niſi ex ſua eſſentia, ideſt revera ex ſe toto conſtare: Et ſi eſſentia ſua quemlibet *abſolvit, integra integrum*, debet illa eſſentia accedere ad aliquid quod per illam ſit abſolvendum: Nihil enim abſolvitur, niſi quod jam inchoatum & partiale antea fuiſſe concipitur; adeoque juxta bellulam hanc Philoſophiam, quilibet ex ſe inchoativè & ſuâ eſſentiâ integrativè conſtabit & componetur. Præterea ut in compoſitione *ex his*, eſſentiale compoſitũ phyſicum abſolvitur per illius partes eſſentiales phyſicas, cujuſmodi ſunt in Schola Peripaterica materia & forma, ita etiam in compoſitione *cum his*, eſſentiale compoſitum metaphyſicum peragitur per illius partes metaphyſicas, quæ ſunt ſubjectum & accidens, quorum illud materiam in compoſito ſimpliciter phyſico, hoc formam imitatur: Sic amphora prout diſtinguitur ab urceo non tantum conſtat ſua materiâ argillaceâ & ſenſibili, ſed etiam cum hac ſua materia, figurâ, forma & capacitate ſpeciali. Quid quod Crellius his verbis, in quibus aliquid ſubtilitatis venatur, *Hæc eum abſolvit integra integrum*, videtur ſupponere poſſe rem eſſe nec tamen integram ſuam eſſentiam habere: Cùm tamen quicquid eſt, eo ipſo quod eſt, habeat illius rei eſſentiam quam eſſe dicitur; ſitque eſſentia rerum, ut quid reſultans ex harmonia & conjunctione partium eſſentialium, planè indiviſibilis. Anima ſeparata non poteſt dici eſsentia hominis non integra, ſed tantum pars primaria & nobiliſſima hominis, quæ cum corpore conjuncta, efficit ut homo eſsentialiter ſit & dicatur.

Quod ſi quid præter] Fateor hominem non conſtitui in eſse hominis niſi per eſſentiam humanam, conſtantem vel reſultantem ex anima & corpore naturali nexu inter ſe conjunctis; Ac ſicut in eſſe hominis eo ſenſu conſtituitur per eſſentiam humanam, & in eſse corporis naturalis per eſsentiam ſive naturam corporis cujuslibet phyſici, exſurgentem ex intima compoſitione & conjunctione materiæ & formæ ſe mutuò circuminceſſivè penetrantium; ita etiam conſtituitur in eſse concreti, per eſsentiam concretivam, reſultantem ex ſubjecto ab una parte præciſè & merè ſubſtantialiter conſiderato, & accidentibus quæ ei inſunt ab altera. Atque hæc accidentia, licet non ſint ei eſsentialia ut habet rationem hominis, vel corporis naturalis, vel animalis, tamen ſunt ei eſsentialia ut habet rationem concreti ſive compoſiti compoſitione *cum his*, ideſt ex ſubjecto & accidente. Adhæc licet accidens prædicabile & commune non pertineat ad eſsentiam rei cui convenit, ſed eam extraeſſen-

traeſsentialiter afficiat, quo pertinet illa Porphyrij definitio, quod poſſit adeſse & abeſse ſine ſubjecti interitu, tamen de omni accidenti prædicamentali ſtatui non poteſt quod ſubjecto ſuo eſsentiale non ſit: nam proprietates quælibet rerum, fluentes immediatè ex earum forma, ut vulgò loquuntur, eſsentialibus debent annumerari, ut & omnes potentiæ ac facultates naturales, vegetativæ, ſenſitivæ, rationales, quæ hominibus competunt; quas tamen non ſubſtantias ſed accidentia eſse, nemo hactenus in Philoſophia ordinaria verſatus ivit inficias.

Dices fortè, etſi Deus ſimpliciter ſumtus non ſit hac ratione futurus compoſi- 349.
tus; compoſitum tamen fore aliquod, ex Deo, & illius, ſive uno, ſive pluribus accidentibus. ut *homo albus* compoſitum quoddam eſt ex homine abſolutè ſumto, ſeu ex natura hominis, & albedine, quod unum per accidens appellare ſolent. Sic ergo, inquies, & Deus hoc vel illud decernens, erit compoſitum quippiam, ex Deo ſimpliciter ſumto, & decernendi actu. At ſi in eo quippiam eſt abſurdi; nega, Deum eſſe creatorem; nega, patrem noſtrum eſſe; nega, pios amare, impios odiſſe; & ſi quæ ſunt ſimilia. Niſi enim dicere velis, idem eſſe, Deum eſſe, & creare, pios amare, impios odiſſe, cogeris hujusmodi ex Deo & actu creandi, itemque ex eodem Deo & paterno erga nos affectu, odioq; impiorum compoſitum agnoſcere. Itaq; qui tam frivola urgent, vel ea, quæ minimé ſunt frivola, ſed in ſacris literis teſtatiſſima, & totius religionis ac pietatis fundamenta, ſubvertunt; vel verborum ſono ſeipſos magis, quám alios, terrent falluntque.

‡ *Dices fortè, etſi*] Neque univerſaliter loquendo, omne concretum eſt *unum per accidens*, eo quod componatur ex ſubjecto & accidente; cum plurima accidentia per ſe, neceſsariò & univerſaliter primò, ſuis ſubjectis conveniant (ut riſibilitas homini) quæ cum illis unum per ſe conſtituunt; Et quamvis per accidens conveniat homini eſse albo, tamen quodcunque album eſt, eſsentialiter neceſsariò & per ſe, conſtat ex ſubjecto cui ineſt albedo & ipſamet albedine, tanquam ex partibus illud concretum & compoſitum ſub hoc formali eſsentialiter & per ſe conſtituentibus: Adeoque id ſemper manet quod poſitis accidentibus in Deo, neceſsariò componetur compoſitione propriè dictâ, & ſic abſoluta ejus ſimplicitas everteretur.

Sic ergo, inquies] Nempe poſito quod actus decernendi ſit accidens in Deo, ut volunt Sociniani; cùm tamen in rei veritate, nec quà actus eſt poſſit dici accidens contradiſtinctum à ſubſtantia, nec quà actus Divinus poſſit realiter diſtingui à Dei eſsentia, quæ per modum illius actus vitalis ſignificatur & exprimitur.

At ſi in eo quippiam] De his actibus potentiæ, amoris, odij Dei, idem debet eſſe judicium quod de actu decernendi; Nempe creationem activam eſse ipſum Deum per modum actus vitalis & liberrimi ſe determinantem ad productionem Creaturarum extra ſe: Nec enim poteſt negari potentiam creativam ſolâ ratione diſtingui ab eſsentia Divina: Nulla vero ſubeſt cauſa ſufficiens cur illius potentię actus, magis ab ipſamet potentia diſtinguatur. Et prout hic actus creandi ex parte ſubjecti identificatur cum potentia creativa, ita etiam debet identificari cum eſsentia Divina, quæ nonniſi ratione à

potentia

potentia creativa diſtinguitur. Idem dico de actu amoris vel odij Divini, quo ſuos amare, impios odiſse dicitur: Nam uterque ille actus, ſignificat ipſum Deum ſe liberè determinantem ad miſericordiam in illos, & juſtitiam in alios: Nunquam negabimus decretum Dei eſse actum immanentem liberrimæ voluntatis; ſed negamus vel illum actum eſse accidens naturæ Divinæ ſubjectivè inhærens & realiter ab ipſa diſtinctum, vel ex Deo agente & ſuo actu, maximè immanente, fieri ullum compoſitum, quale exurgit ex ſubjecto ſubſtantiali & accidentibus ei inhærentibus. Quare quæ hic diſputat Crellius pro accidentibus in Deo, ex eo quod variæ illi conveniant actiones & immanentes & tranſeuntes, revera *frivola ſunt*, *vel ea quæ minimè ſunt frivola ſed in ſacris literis teſtatiſſima, & totius religionis ac pietatis fundamenta ſubvertunt*: & Sociniani inutili hoc *verborum ſono*, *ſe ipſos magis quam alios terrent falluntque*. Poteſt utique facillimè eſsentia Dei concipi per modum actus vitalis vel immanentis vel tranſeuntis; prout non rarò concipitur per modum facultatis ad agendum, ut cum ejus potentia, voluntas, ſcientia &c. commemoratur in Scripturis: Sed perabſurdè ex eo conciperentur accidentia propriè dicta Deo ceu ſuo ſubjecto inhærentia, ex quibus & illius natura aliqualis compoſitio emergeret.

Concidit jam ſponte ſua id, quod tam infirmo fundamento ſuperſtruitur: Omne compoſitum ab alio componi. Deum ergo ab alio compoſitum; ac porrò non a ſeipſo, non ab æterno extitiſſe, concedendum fore. Deum enim compoſitum eſſe, oſtenſum non eſt. Ejuſmodi autem, ſi ita appellare libet, compoſitum ex ſubjecto & accidente, non ſemper aliud componens requirit. cùm ſubjectum libera voluntate præditum, & ſive novas qualitates, ut in hominibus accidit, acquirens, ſive varia apud ſe decernens, variiſque operibus incumbens, ſibi ipſi accidentia adjungat; & ſic huic inter ſe & accidentia compoſitioni ipſummet ſufficiat. Et quidem præter liberam Dei voluntatem nulla alia ſuperior requiritur efficiens, quæ faciat, ut Deus hæc aut illa apud ſeſe decernat; ipſamet ex ſeſe veluti fœcunda eſt ad parienda hujuſmodi decreta.

‡ *Deum enim compoſitum*] At ſanè compoſitus eſse debebit, ſi conſtet ex ſubjecto & accidente; quod mordicùs pertendit Crellius, nullo probat argumento.

Ejuſmodi autem, ſi ita] Antea negabat accidentia ſubjecto inhærentia ullam cum ipſo compoſitionem facere; at nunc convictus evidentiâ veritatis, id fatetur utcunque, ſed negat talem compoſitionem *ſemper aliud componens* requirere. Verum & in eo fallitur: Nam omne compoſitum habet rationem cauſati; ergo ſupponi debet in omni compoſitione cauſa componens, quæ ex partium componentium conjunctione, unum quid conficiat.

Cum ſubjectum liberâ] Sed tunc idem ſubjectum partim agentis, partim patientis habet rationem; quod Deo nequit convenire, ut pote qui actus puriſſimus & ἀκίνητὸς non componitur ex actu & potentia: Adhæc qui novas qualitates acquirit, etiam aliquas earum cauſas extra & præter ſe debet agnoſcere, cujuſmodi ſunt exempla, inſtitutio, objecta &c ut nulla ratione *huic inter ſe & accidentia compoſitioni ipſemet ſufficiat*. Qui nigredinem contrahit, liberè ſe

rè ſe exponendo radijs ſolaribus, non ſolus ſibi cauſa eſt illius nigredinis. Præterea hoc argumentum ab hominibus ad Deum immutabilem non poteſt procedere: cùm certum ſit nulli ſubjecto novas accedere qualitates quod non mutetur; unde etiam Philoſophis novarum qualitatum inductio *alteratio* dicitur. Sed imprimis nullum liberum agens, *varia apud ſe decernens varijſque operibus incumbens*, per id *ſibi ipſi accidentia adjungit*; cùm ut antea oſtendi nullo modo actio ſe habeat ad agentem ut accidens ad ſubjectum: Eſt enim agens ſui actus ſubjectum prædicationis & attributionis, non vero inhæſionis, quale accidenti omni convenit: Hinc eſt quod nullum poteſt concipi compoſitum ex actu & agente, & quod nunquam Metaphyſici, licet inter ſpecies compoſitionis enumerent eam quæ fit ex ſubjecto & accidente, cogitarint de ulla compoſitione ex agente & actu ſuo.

Et quidem præter liberam] Hoc libenter do, ſufficere Deo ſolam liberam ſuam voluntatem ad ſua decreta formanda; ſed nego hos actus liberæ voluntatis in Deo, eſſe quid accidentale realiter diſtinctum ab ipſa voluntate & eſſentia Divina. Ac ſicut ipſa voluntas Dei ſe habet ad ſua decreta potiùs per modum *principij quo* Deus agit, quam per modum cauſæ efficientis, quæ eſt *principium quod* ſui effectus & ſupponit reale diſcrimen inter ſe & illum, ita metaphora fœcunditatis & partus quam hic adhibet Crellius, minus commoda eſt; cùm decreta Dei non ſint fœtus vel proles voluntatis Divinæ, ſed actus illius. Verum debuit hic homo fœcunditatem tribuere voluntati Divinæ ad ſua decreta, quia fingit Deum ſubinde nova concipere & parturire conſilia, de quibus nihil penitùs antea cogitaverat. Sed & attendat adverſarius ad hanc metaphoram, cum proteruè ſubſannat quæ fides Catholica docet juxta Scripturas de æterna generatione Filij. Cur enim minus fœcundus erit intellectus divinus ad generationem τῦ λόγυ, quam fœcunda ſtatuitur Divina voluntas ad decreti ſui partitudinem?

Ad ſecundam objectionem quod attinet; mutabilitas illa à Deo abeſt, quæ vel imperfectionem aliquam naturæ, vel inconſtantiam levitatemque voluntatis argueret. Et de hac poſteriori quidem vel ſolùm, vel potiſſimùm loquitur ſcriptura, cùm Deum mutari negat. Eam autem à Deo abeſſe, etiamſi quædam nunc decernat, quæ antea non decreverat, imò quorum contraria antè decreverat, ſatis oſtendimus, cùm de conſtantia divina ageremus, Et ſanè, ſi omnes agnoſcimus, Deum fœdus, quod olim per Moſen ſanxerat, novo percuſſo antiquaſſe, ac leges ceremoniales, quas per eundem tulerat, & quarum tranſgreſſionem ſeverè etiam ultus fuerat, per Chriſtum abrogaſſe, extraneos populos, quos olim à ſocietate fœderis 350.
excluſerat, nunc ad eam benigniſſimè invitaſſe; agnoſcere etiam cogimur, nihil ejuſmodi vel decretorum, vel actionum divinarum varietatem ac mutationem, cónſtantiæ divinæ detrahere, ac Deo minimè indignam eſſe. Quin potiùs liberrimæ hæc mutatio & voluntatis, & poteſtatis eſt; adde & ſapientiæ, quæ rebus mutatis ita conſilia mutet, ut ea illarum rationi attemperet. Niſi talis in Deo mutatio admittatur, fruſtrà aut iratum placas, aut cùm non iraſcitur, offendere metuis. ſiquidem nec iratus placari,

Digitized by Google

nec mitis ac placidus irritari poſſit. Omnis ergo precum vis, omnis religio diviniq; ue numinis metus hoc pacto tolletur. Quod verò ad alteram illam mutabilitatem attinet, quæ imperfectionem aliquam naturæ divinæ argueret; eam ne Deo hac ratione tribuamus, minimè verendum eſt. Siquidem omnis ea, de qua loquimur, varietas ac mutatio in actibus tantùm verſatur liberæ voluntatis. Qualitates enim facultateſque, ut jam antea diximus, nec novas acquirit, nec quas naturaliter habuit, unquam perdit. ſed quid dico perdit? ne minimam quidem earum mutationem ſentit, aut ſenſurus eſt unquam. Omnes, non minùs quàm ipſe, æternæ ſunt atque invariabiles; eademque ad beatitudinem ſummam, atque ad omnem actionum perfectionem ſufficientiſſimæ.

‡ *Ad ſecundam objectionem*] Hinc nunquam poterit adverſarius ſe commodè expedire: Omnis enim *mutabilitas*, ſonat imperfectionem in Deo: Et cùm ipſe omnia moveat, debet manere extra omnis motus & mutationis periculum, niſi per inſignem abſurditatem ſimul moventis & mobilis conditio ei aſſignetur. Nec malè monet Pierius *Hierogl. lib.* 39. *cap.* 33. idque ex Pauſania, olim ſimulachra deorum quadrantalia ſolita fieri, quo Numinis ſtabilitas & immutabilitas omnimoda ſignificaretur. *Iupiter ipſe manens ſtabilis, dat cuncta moveri.*

Et de hac poſteriori] Quod ſi nequidem quoad conſilium & voluntatem mutationi ulli Deus eſt obnoxius, quanto minus mutabitur, quoad locum, tempus, vel naturam, aut obnoxius fiet ulli lationi, accretioni, alterationi? Vide loca Num: XXIII, 19. Pſal: CII, 27, 28. Mal: III, 6. 2. Tim: II, 13. Heb: VI, 18. Iac: I, 17. Quamvis nonnulla ex ijs locis pertineant ſpeciatim ad voluntatis conſtantiam, quædam tamen ſunt generaliora, ut Pſaltis, Malachiæ, Iacobi, quam ut eo reſtringantur. Ideo ſive Tertullianus ſive Novatus aut Novatianus is ſit, *cap.* 4. *lib. de Trinit. Immutatio* (inquit) *portio eſt mortis: nam & incrementa originem monſtrant, & detrimenta mortem atque interitum probant: Et ideo, Ego, ait, ſum Deus, & non ſum mutatus: ſtatum ſuum tenens ſemper, dum id quod natum non eſt, converti non poteſt. Hoc enim in ipſo, quicquid illud poteſt quod eſt, Deus ſemper ſit neceſſe eſt, ut ſemper ſit Deus ſervans ſeſe virtutibus ſuis; Et ideo dicit Ego ſum qui ſum.* Et Auguſtinus *Confeſſ. lib.* 11. *cap.* 10. *In quantum quiſque non eſt quod erat, & eſt quod non erat, in tantum moritur & oritur.*

Eam autem à Deo] Sed qui poteſt à Deo abeſſe illa mutabilitas & inconſtantia voluntatis, *ſi quædam nunc decernat, quæ antea non decreverit, imò quorum contraria ante decreverat*; Annon illi eo reſpectu iſtud Poëtæ conveniet, *Tempora mutantur & nos mutamur ab illis?* An ille conſtans in propoſito, qui priora ſua decreta reſcindit, & incipit decernere contrarium ejus quod priùs decreverat? Quanto melius Proſper *ſentent.* 145. *Æterna & incommutabilis eſt voluntas ejus, nec conſilio alternante variatur, in qua ſimul eſt quicquid in rebus creandis, vel ordinandis præceſſit aut ſequitur?* Et ſuo loco oſtendimus illam conſiliorum divinorum varietatem, inefficacitatem, & mutabilitatem, cum *conſtantia Divina* conſiſtere non poſſe.

Et ſanè ſi omnes] Atqui illa cæremoniarum antiquatio per Chriſtum & Gentilium ad fœderis Divini communionem evocatio, non proceſſit ex novo aliquo Dei conſilio, ſed ex æterno & immutabili ipſius decreto, juxta quod illam mutationem ſuo tempore futuram & prædixit per Prophetas, & in ipſo cultu & fœdere

Digitized by Google

fœdere Moſaico, multifariam adumbravit Heb: VIII, 6. 7. 8. &c. d. IX, 8. 10. Mutatio hæc omnis proceſſit in rebus ipſis extra Deum, non vero in ipſius decretis & conſilijs intra eum: Nam facit nova ſine novitate voluntatis, & ut ſcitè Auguſtinus *lib.* 1. *Conſ. cap.* 6. *Apud illum rerum omnium inſtabilium ſtant cauſæ; & rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines; & omnium irrationabilium & temporalium ſempiternæ vivunt rationes.*

Nihil ejuſmodi vel] Malè hic ex actionum divinarum mutatione, decretorum divinorum mutatio colligitur: cum illæ ipſæ actiones variæ, extra Deum ab eodem conſtanti & immutabili ipſius decreto profluant, Eſa: XLVI, 10.

Quin potius liberrimæ] Agnoſco Deum in operum ſuorum mutatione & varietate extra ſe, etiam demonſtrare liberam ſuam poteſtatem & voluntatem: ſed nego voluntatis & poteſtatis Divinæ libertatem inferre ullam decretorum ſuorum mutabilitatem intra ſe: Quod enim ipſi ſemel placuit poſtea diſplicere non poteſt, non per defectum libertatis, ſed per conſtantiam voluntatis, nixæ ſapientiâ & potentiâ perfectiſſimâ.

Adde & ſapientiæ] Sapientiæ quidem id eſt humanæ & finitæ, velificari tempori, & præſentibus occaſionibus accommodare ſua conſilia, ut uſus poſtulat & res, cum res ipſas ſuis conſilijs accommodare non poteſt: Verum id minimè convenit ſapientiæ Dei, cui nihil ex improviſo poteſt accidere cujus reſpectu priorem debeat mutare ſententiam, & velle quod poſſit, cùm id quod ante volebat non potuerit. Sapiens homo *rebus mutatis* conſilia ſua mutat & ea illarum rationi attemperat, quia res illæ ſunt extra ipſum nec ejus ſubſunt arbitrio & poteſtati: Sed cum res omnes extra Deum pendeant ex illius conſilio & decreto, tantum abeſt ut debeat rebus mutatis mutare ſua conſilia, ut è contrario omnis illa rerum mutatio, ex conſtantibus ipſius conſilijs certiſſimè procedat Act: XV, 18.

Niſi talis in Deo mutatio] Parum prudenter noſtro judicio philoſophantur qui putant mundum ruiturum, niſi cœlum quieſcat & terra moveatur: Longè imprudentius adverſarij, qui putant omnem religionem ruituram, niſi res humanæ eodem tenore procedant & Deus ſit mutationi obnoxius: Hoc revera eſt θεομαχεῖν, nec tam contra nos, quam contra Scripturam ipſam diſputare. Abſit à nobis ut talem Deum fingamus qui affectuum noſtrorum æſtu vario rapiatur: In cryſtallino mari quod ejus thronum circumdat Apoc: IV, 6. malacia & tempeſtas per vices non dominantur: Nulli in eo decumani fluctus viſuntur, nullæ excitantur procellæ. Semper placidum ventis ſtat hoc mare, cui *pacifici*, cujus meminerunt Geographi, elogium jure ſummo tribuatur. Quod quandoque Deus *placari* vel *irritari* ἀνθρωποπαθῶς dicitur, debet θεοπρεπῶς intelligi. Placatur precibus piorum, non quod per illas mutetur, ſed quod illis indulgeat & concedat beneficia quæ favoris & amoris ſui certiſſimæ ſunt indicinæ; Irritatur criminibus peccatorum, non quod ad eorum conſpectum in iram, quæ brevis furor eſt, exardeſcat, ſed quod ea pro ſua juſtitia & ſeveritate impunita nolit relinquere. Igitur debemus metuere Numen, non quod ex placido in iratum mutetur noſtris peccatis, ſed quod ſoleat peccata in ſe commiſſa punire eo modo quo homines potentes contumelias ſibi illatas, ubi in iras exarſerunt, ſeveriſſimè ulciſcuntur: Debemus eum in adverſis precari, non quo ipſe mutetur & ex irato mitis reddatur, ſed quo mutetur ſtatus noſter, & juxta promiſſiones ſe invocantibus factas, poſt nubila Phœbus nobis appareat. Hæc cùm tam præſtò ſint, ſatis apparet per Dei immutabilitatem nullâ ratione precum uſum, Nu-

Digitized by Google

minis reverentiam & religionis cultum everti: Ridiculum eſt ſtatuere non proceſſuram tuam navem in fluvio, niſi concedatur tibi ipſas ripas fugere & recedere.

Quod vero ad alteram] At nulla concipi poteſt mutabilitas in Deo quæ aliquam imperfectionem in ipſo ponat, ut ex ſuperioribus liquet: Nec poteſt dari *varietas & mutatio in actibus* Divinæ voluntatis, quin Deo evidenter inuratur nota inconſtantiæ; Imò tantum abeſt ut mutatio ulla cadat iu actus voluntatis Divinæ, ut è contrario nequidem ſtrictè loquendo multiplicitas illis conveniat: Vnico enim & ſimpliciſſimo voluntatis ſuæ actu, omnia decrevit, quæ voluit unquam vel futura eſſe vel non futura; prout unico & perfectiſſimo omniſcientiæ ſuæ actu, ſeipſum & omnia extra ſe novit. Et cum agnoſcat Crellius potiſſimum Scripturam agere de voluntatis inconſtantia & mutatione à Deo removenda *cùm Deum mutari negat*, quâ fronte & conſcientia audet illam unam varietatem & mutationem Deo tribuere, quæ *in actibus voluntatis* ſuæ verſetur? Facultatem volendi à voluntatis actibus fruſtra hîc diſtinguat, ut illam immutabilem, hos ſolos mutabiles faciat: Nam I. abſurdè tribuet Deo *qualitates & facultates*, ab ipſius eſſentia, ut in nobis, realiter diſtinctas: Eſt enim magnus ſine quantitate, & bonus ſine qualitate. II. Vt ſolâ ratione, non realiter, facultas volendi in Deo ab ipſius eſſentia diſtinguitur, ita ſolâ ratione actus volendi ab ejus volitiva facultate venit diſtinguendus: quare cum in ipſo non ſit reale diſcrimen inter actum & facultatem uolendi, ille nequit mutabilis aſſeri, poſtquam de hujus conſtantia & immutabilitate conſenſum fuerit. III Conſtantia & immutabilitas voluntatis, quæ Deo, fatente Crellio, tribuitur in Scripturis, non ſpectat ipſam facultatem ſed ejus actus: Eâ enim Deus ab hominibus diſtinguitur evidenter: At non poteſt diſtingui ab hominibus per immutabilitatem voluntatis,ut ſonat facultatem volendi: Nam etiam ea qualitas & facultas in genere entis conſiderata, conſtanter & inuariabiliter omnibus ineſt. Quare ſupereſt ut in eo conſtantia & immutabilitas voluntatis Divinæ ſita ſit, in quo ſolum apparet mutabilitas & inconſtantia voluntatis humanæ; ideſt non in ipſa facultate volendi, quæ etiam non variat in nobis, ſed in conſilijs & actibus qui ex illa eliciuntur.

His ad eum modum explicatis, pauca de uſu doctrinæ hujus addemus; qui quidem in univerſa religionis ratione latiſſimè patet. Omnia enim, quæ ad religionis naturam conſtituendam maximè pertinent, decretis divinis vel penitus nituntur, vel aliquam ſaltem ab illis vim accipiunt. Ad religionem enim præcepta inprimis & promiſſa, hiſque oppoſitæ comminationes pertinent. Præcepta autem, ſi ceremonialia ſint, qualia Moſaica fuerunt plurima, non niſi à decreto divino robur, homineſque obligandi vim accipiunt. Si ad morum honeſtatem pietatemque vitæ ſuâ naturâ pertineant; per ſe quidem nos obligant, ſed majorem inde vim capiunt, quòd Deus ea ita à nobis decrevit exigere, ut niſi ea obſervemus, non modò felicitate ſuprema nos velit excludere, ſed & graviſſimas nobis pœnas infligere. Promiſſa verò, præſertim tanta, unde niſi à Dei decretis? Ex his omnis eorum vis, omnis eorum certitudo pendet. Unde Paulus inprimis, cùm ſe-

Digitized by Google

cùm felicitatem noſtram explicat, ejuſque certitudinem nobis oſtendit, di-
vina decreta, quibus ea nobis ſit deſtinata, diligenter inculcat; ut præter
alia loca præcipuè in Epiſt. ad Romanos & ad Epheſios videre eſt. (*Rom*: 8.
22, *& d. Epheſ*: 1. 4, *& d.*) Similiter & comminationum vis decreto nititur.
Quicquid vel ipſi Chriſto, vel nobis per ipſum contingit, id totum decre- 351.
tis divinis jam olim factis imputandum eſt. Imò nihil planè à Deo fit, aut
fieri poteſt, quin aliquod in ipſo decretum ea de re antecedat. quanquam non
ſemper longè antecedit, ſed multa cum ipſis factis ita ſunt connexa, ut ſi-
mul cogitentur ac fiant, & non tam tempore, quàm naturæ ordine, ut
cauſſæ effectum, antecedant. Neque enim omnium ea eſt vel ratio, vel di-
gnitas, ut longum temporis anteceſſum vel ferant, vel poſtulent. Itaque
non mirum eſt, decretorum divinorum in univerſa Theologia creberrimam
fieri mentionem. cùm iis ſublatis omnia Dei opera, omnem religionem con-
cidere ſit neceſſe. Ea verò, quæ de variis decretorum divinorum generibus
ſunt à nobis dicta, quem in ſacra Theologia uſum habeant, ex ipſis dictis no-
ſtris haud difficulter poteſt intelligi, ſiquidem exempla, quibus ea illuſtravi-
mus, ex ſacris literis petita, ſatis, quis diſtinctionum illarum ſit uſus, unum-
quemque monere poſſunt.

‡ *Ad religionem enim*] Iam ſuo loco ſatis ſuperque evicimus voluntatem decernentem in Deo non debere confundi cum præcipiente, ad quam pertinent promiſſiones & minæ.

Præcepta autem] Præcepta ceremonialia & poſitiva, uim ſuam accipiunt à ſolo Dei juſſu, quod juxta ſuum decretum de talibus præceptis promulgandis proceſſit: Et tantum abeſt ut *robur* omne ſuum *nonniſi à decreto Divino* accipiant, ut è contrario decretum Dei fuiſſe illa promulgare, nonniſi à poſteriori ex eventu & juſſu ejus nobis innoteſcat: Et cum Deus habeat penes ſe authoritatem imperij, nobis relicta obſequi gloria, non debemus inquirere quid penes ſe decreverit, ſed quid nobis præceperit & mandarit.

Si ad morum honeſtatem] Leges ipſæ quà leges ſunt, obligant. Nec duplex in moralibus eſt obligatio, altera ex parte rei, altera ex parte Dei: cum illa rei honeſtas, ex juſſu Dei, ſuis ſuffulto promiſſis & minis, quod etiam inculcat lex naturæ, oriatur. Licet enim in idea & in ſigno rationis res morales juſtæ ſint priuſquam jubeantur, tamen actualiter non obligant, niſi quatenus ſub leges cadunt & juſſæ ſunt.

Promiſſa verò] Etſi non inficior Deum decreviſſe hæc *promiſſa* apponere ſuis mandatis, tamen cum decretis confundi non debent, eo quod promiſſa ſint conditionata, decreta abſoluta & eventus certiſſimi, ut ſuprà diſputavi. Nec promiſſorum *vis* & *certitudo* pendet ex Dei decretis, ſed partim reſpectu Dei ex ipſius benignitate & veracitate, partim reſpectu hominum ex præſtatione conditionis ſub qua facta ſunt.

Vnde Paulus inprimis] At Paulus non tantum à promiſſione conditionata arceſſit certitudinem fœlicitatis noſtræ, ſed à prædeſtinatione abſoluta, cujus vi operatur in nobis & velle & perficere.

Similiter & comminationum] Eodem modo ſe res hic habet ut in promiſſis, de quibus jam dictum eſt.

Quicquid vel ipſi] Quam hoc verè & benè,

Digitized by Google

benè, tam abſurdè & falſò poſtea ſubjicitur decreta Dei *non ſemper longè* antecedere ſuos eventus, ſed *multa cum ipſis factis ita eſſe connexa, ut ſimul cogitentur ac fiant, & non tam tempore, quam naturæ ordine ut cauſæ effectum antecedant.* Sanè inter ea quæ nobis per Chriſtum contingunt, fœlicitas noſtra æterna jure meritò ſuum locum primarium obtinet; ſi autem omnia quæ nobis per Chriſtum contingunt, *decretis Divinis jam olim factis* imputanda ſunt, utique ad decreta *jam olim* facta Prædeſtinatio ad fœlicitatem & gloriam per Chriſtum ſingulorum eorum qui ſervantur debebit referri, non vero fieri demum in articulo mortis, ubi jam crediderint & perſeveraverint conſtanter in fide, ut ſuprà fingebat adverſarius. Tum nulla eſt ratio, cur eventuum quorundam decreta *jam olim*, imò ab æterno, facta fuerint; aliorum vero decreta ita ſint cum ipſis factis connexa, ut ſimul cogitentur ac fiant. Cur enim ulla hìc daretur intercapedo inter decretum & eventum? aut quo jure alia decreta æterna alia temporalia fingent Hæretici? At inquit Crellius, non omnium *ea eſt vel ratio, vel dignitas, ut longum temporis anteceſſum vel ferant vel poſtulent.* Id vero dicere & ariolari longè facilius illi eſt, quam demonſtrare. Si *dignitas* rei attendatur, quæ major dabitur ſalute & glorificatione actuali Titij vel Mævij antea peccatoris? Hic tamen inter decretum & executionem nullum temporis anteceſſum agnoſcunt adverſarij. Præterea cum agnoſcat Crellius poſſe dari ſolam naturæ & ordinis prioritatem, non temporis, inter cauſam & cauſatum, hinc liquet quam perperam Sociniani & Vorſtiani hoc argumento negent decreta Dei eſſe ſimpliciter æterna, eo quod Deus prior ſit ſuo decreto, ut omnis cauſa ſuo effectu; Nam ut taceam quod Deus habet potius rationem principij quam cauſæ ad ſua decreta, non neceſſariò debet prioritas temporis intercedere inter cauſam & effectum, cum ſufficiat prioritas ordinis & naturæ. Denique tam falſum eſt ullum poſſe dari Dei decretum, quod nullo tempore antecedat ſuum eventum, quam falſum eſt vel ullum dari Dei decretum quod non ſit æternum & ab æterno, vel ullum decretum æternum ita immediatè connexum poſſe eſſe cum ſuo eventu, ut res aliqua decreta ab æterno exiſtere potuerit. Certè potuerunt & debuerunt eſſe Dei decreta ab æterno, quia ſunt actus illius immanentes; ſed tamen nullus eventus & effectus extra Deum potuit eſſe ab æterno vi iſtorum decretorum, tum quia repugnat ullam rem extra Deum productam eſſe æternam, uti etiam ſuo loco probavit Crellius mundum nec fuiſſe, nec eſſe potuiſſe ab æterno; tum quia omnia Dei decreta licet æterna, ſunt de rebus & eventibus futuris & exiturís in tempore.

Ea vero, quæ de] Sed & nos ſuo loco ſæpiculè in his aberrantem Crellium in viam reducere ſtuduimus.

Illud ergo ſupereſt, ut, cùm univerſam Chriſti religionem immotis Dei decretis ſuperſtructam, iiſque tum præcepta ſancita, tum promiſſa ac comminationes ſtabilitas eſſe videamus; promiſſis indubitatam fidem adhibeamus; minas pertimeſcamus; ac porrò præceptis pareamus, & ne latum quidem unguem ab illis unquam diſcedere audeamus. Siquidem quod ad promiſſa attinet, quæ non niſi ſub conditione obſervationis mandatorum facta ſunt, quàm conſtanti atque immutabili Dei decreto nitantur, tum aliunde, tum ex Auctore Epiſt. ad Hebr. ſuprà docuimus, qui ait, (*Heb: 6. 17, & d.*) Deum *abundantius volentem*

tiùs volentem oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui, interpoſuiſſe juſjurandum: ut per duas res immobiles, quibus (Gr. *in quibus*) *impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum* (Gr. *validum*) *ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem* (ſeu *ingredientem*) *uſque ad interiora velaminis,* (h. e. in ipſum cœlum) *ubi præcurſor pro nobis introivit Ieſus, ſecundum ordinem Melchiſedech pontifex factus in æternum.* Contrà etiam comminationes divinæ, incredulis atque impiè viventibus per Chriſtum propoſitæ, de illis à cœleſti hæreditate excludendis, immutabili decreto jam olim ſunt ſancitæ, & perinde ac promiſſa, juramento confirmatæ. Nam ut in eadem ad Hebræos Epiſtola docetur, ex qua verba divini ſpiritus modò repetivimus, Deus juravit, (*cap: 3. & 4,*) homines incredulos non ingreſſuros in requiem ſuam, olim quidem in terrenam, (*Pſal: 95. 11,*) nunc verò eos, qui per Chriſtum ad vitam æternam fuerant invitati, in cæleſtem. 352.
Quare, ut divinus ſpiritus ibidem monet, (*Heb: 4. 11, 12.*) *feſtinemus ingredi in illam requiem: ut ne in id ipſum quis incidat incredulitatis exemplum;* (vel ut Græca habent, *ne in eodem quis cadat inobedientiæ exemplo.*) *Vivus enim eſt Dei ſermo & efficax.* Utut autem Deus differre videatur ea, quæ decrevit, nos tamen de fide nihil remittamus. Etenim *non mentietur*, ut inquit Propheta. (*Hab: 2. 3, 4.*) *ſi moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima ejus in ſemetipſo,* (vel ut cum Græcis interpretibus habet D. Auctor ad Hebræos, (*Heb: 10. 38. 39.*) *ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ in eo:*) *juſtus autem in fide ſua vivet. Nos autem non ſumus ſubtractionis (filij) in perditionem: ſed fidei in acquiſitionem animæ.* Hac porro fide nixi, Dei Chriſtique (*1 Tim: 6. 14, 15, 16.*) *mandatum ſervemus ſine macula, irreprehenſibiles, uſque ad adventum Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem ſuis temporibus oſtendet beatus & ſolus potens, Rex regum, & Dominus dominantium; qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem: quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt: cui honor & imperium ſempiternum. Amen.*

‡ *Iiſque tum præcepta*] Iterum volūntas decernens cum præcipiente perperam confunditur.

Quam conſtanti &c] At ſanè ille locus epiſtolæ ad Hebræos pertinet ad conſtantiam Dei in ſuis promiſſis & juramentis, non vero directè & immediatè ad decretorum divinorum immutabilitatem; quæ non tam à veracitate Dei pendet, quam ab ejus ſtabilitate, virtute & potentia. Præterea licet promiſſiones Dei *ſub conditione* factæ ſint, tamen vi conſtantis & immutabilis decreti Divini de rebus promiſſis nobis præſtandis, illius ipſius conditionis implendæ gratiam infallibiliter conſequimur; ac inde naſcitur illa fiducia, quæ animæ noſtræ in ſalo tentationum fluctuanti, anchora eſt firmiſſima & certiſſima. Sed nec erat cur Crellius promiſſum Euangelicum factum ſub conditione fidei & reſipiſcentiæ, de quo hoc loco agit Apoſtolus, confunderet cum promiſſione legali facta *ſub conditione obſervationis mandatorum* divinorum.

Contra

Digitized by Google

Contra etiam comminationes] Sed etiam iſtæ comminationes partim Dei veracitate, partim illius juſtitiâ vindicativa, potius quam ejus decretis ſimpliciter ſic dictis, nituntur; quanquam non negem, Deum decreviſſe excludere ab hæreditate cœleſti omnes incredulos & impiè viventes, non per decretum univerſale, indeterminatum & vagum, ſed per decretum ſpeciale, determinatum & ſignatum. Imò ex eo quod hunc & illum nominatim, ceu incredulum & impœnitentem, ab æterno decrevit cœlo excludere, enaſcitur illud univerſale axioma quod nemo incredulus & impœnitens, ſive Tros ſive Rutilus fuat, ingredietur in Dei quietem & regnum cœlorum. Porrò quam immutabile eſt Crellio decretum *de incredulis atque impiè viventibus à cœleſti hæreditate excludendis*, tam neceſſarium eſt ex ordine juſtitiæ Divinæ impios pœnas peccatis ſuis, debitas tandem referre. Quoniam vero iſtæ comminationes promiſcuè ſonant in Eccleſia, & ipſorum Electorum ſanctificationi promovendæ à Deo deſtinantur, noſtrum eſt earum vi feſtinare ingredi in illam requiem; idque per fidem in Ieſum Chriſtum, qui via eſt veritas & vita; certò confiſi Deum bonum opus quod in nobis incœpit perducturum ad exitum, & juxta ſua tum promiſſa tum decreta, nos tandem in cœleſtem Patriam admiſſurum, ubi ab ipſo glorificati, *ipſum* viciſſim in æternum laudabimus & glorificabimus. Amen.

Hactenus à nobis refutatus fuit Crellius, qui hunc primum librum, ceu Prologum galeatum, voluit præ figere Volkelio, & in eo omnium hæreſeôn Socinianarum ſemina occultè ſpargere: Nunc ad ipſum Volkelum rectà veniendum eſt.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

1.

DE DEI OPERIBUS.

CAPUT I.

De Creatione.

‡ *Reſpondente ad hoc & duo ſequentia capita* JOHANNE NICLENIO, Exœcio-Omlando.

HActenus de Dei attributis, quibus natura ejus continetur, ea fuêre dicta, quibus lectoris animus ad ea rectiùs intelligenda præpararetur, quæ poſtmodum de ſingulis Dei operibus, quantùm quidem ad ipſum religioſè colendum pertinet, explicaturi ſumus: quippe in quibus ſumma Dei & potentia, & ſapientia, & poteſtas, & juſtitia, veritasque maximè elucet, nec non tota voluntatis ipſius ratio clariſſimè cernitur.

‡ *Quibus natura ejus*] At cum de Dei decretis diſputaret ibi Crellius, ea negabat ad ejus naturam ſpectare, & animosè contendebat decreta Dei ipſummet Deum non eſſe.

Omnia porrò Dei opera his duobus generalibus quaſi capitibus continentur, nimirum tum rerum omnium creatione; tum divinâ providentiâ. Ac de creatione quidem diſputaturis, utile eſt, de voce nonnihil dicere. Verbum igitur Creare interdum rem, quæ non erat antea, formare ſeu efficere, (*Gen: 1. & alibi paſſim.*) interdum verò jam formatam inſtaurare atque reficere ſignificat. (*Pſal: 51. 12. Eſa: 43. 7. & 65. 17, 18. Eph: 2. 10: & 3. 9: & 4. 23. Col: 3. 6. Iacob: 1. 18. Apoc: 3. 4.*) Utriuſque autem ſignificationis exempla paſſim apud divinos ſcriptores reperiuntur: de quibus nos priorem hoc loco amplectimur, ſtatimque ad rei ipſius explicationem aggredientes, creationem in duo genera diſtribuimus: quorum alterum ſuperiores; alterum inferiores naturas complectitur. Ac ſuperiores quidem illæ ſunt, quæ in ſupremo cælo, quod Dei ipſius ſedes in ſacris literis dicitur, habitant: (*Pſal: 11. 5: 10. 3, 19. Eſa: 66. 1. Mat: 6. 34.*) veluti ſunt Angeli. Inferiores autem ſunt, cælum hoc aſpectabile, terráque, & quæcunque horum ambitu continentur.

‡ *His duobus generalibus*] Inſufficiens enumeratio partium, niſi ſenſu valde generali Divina Providentia ſumatur; non tantum de rerum creatarum in genere ordinaria adminiſtratione, conſervatione & directione ad finem naturalem, ſed

Digitized by Google

etiam de creaturarum intelligentium in ſpecie (hominum maximè) tum Prædeſtinatione, tum Redemptione per Chriſtum, earumque ad finem ſupernaturalem infallibili ordinatione.

Verbum igitur Creare] Sic tamen ut I. iſta vox ſemper connotet opus aliquod extraordinarium & omnipotentiæ Divinæ, adeoque ejuſmodi quod omnium creaturarum vires & activitatem ſuperet: unde nulli unquam creaturæ in Scripturis hoc verbum creandi in Kal, ſive activo ſenſu, tribuitur. II. Cùm in proprio & primo ſignificatu, non de ſpirituali noſtra reſtitutione per Chriſti beneficiũ, ſed de primæva origine & productione mundi uſurpatur, importet ſemper productionem rei ex nihilo, vel tali abſolutè, vel tali ſecundum quid, ideſt ex materia nihilo proxima, indigeſta, & planè indiſpoſita ad eam formam quæ venit inducenda: ad quam ſignificationem debet & ſecunda hîc Volkelio annotata analogicè referri, quò magis totum opus Regenerationis & Redemptionis noſtrę per Chriſtum, ejus gratiæ in ſolidum adſcribi queat. Nec ſanè vox Græca κτίζειν, aut Latina *creare*, poteſt ἐνέργειαν & emphaſim verbi Hebraici ברא exhaurire: cum utrumque illud hominibus etiam haud infrequenter tribuatur apud authores utriuſque linguæ, hoc vero uni Deo in Scripturis reſervetur.

Creationem in duo genera] Hæc diſtributio non eſt ſatis accurata: Nam juxta Scripturæ ſtylum, ſi Creatio ex objecti parte venit diſtinguenda, ea dicitur eſſe modò & frequentiſſimè cœli & terræ, Gen: I, I. Exod: XX, II. modò viſibilium & inviſibilium Col: I, 16. Priorem formulam admiſit ultrò Symbolum Apoſtolorum; ſed Symbolum Nicænum ei conjunxit etiam poſteriorem, quò creationi Divinæ nihil ſubduci poſſet. Theologi vero plurimi, aliam immediatam faciunt, cui nulla omninò præjacet materia, cum ipſius materiæ primam productionem involuat; aliam mediatam, ex materia rudi & indiſpoſita; qualis deſcribitur hominis, formati ex luto terræ: Ad priorem pertinet Angelorum & naturarum ſpiritualium productio, ut & illius primævæ materiæ ex qua conſtant omnia viſibilia; Ad ſecundam vero viſibilium omnium ex materia rudi & indigeſta formatio.

Quæ in ſupremo cælo] Agnoſcimus aliquam diſtinctionem inter ſupremum cœlum quod *tertium* dicitur Paulo 2. Cor: XII, 2. & *cœlum hoc aſpectabile*, quod ſtelliferum vulgò nuncupatur, & velo ſeparanti Sanctum Sanctorum à loco Sancto confertur ab Apoſtolo Heb: VI, 19. Sed ſi Angeli *in ſupremo cælo habitant*, aut cenſendi ſunt Angeli diutiſſimè ſuo caruiſſe habitaculo, *ſi præextiterunt illi creationi cujus hiſtoriam pertexit Moſes Gen: I.* aut ſupremum illud cœlum debet haberi pro re increata, quo abſurdo nihil abſurdius, cum id ſoli Deo Creatori competat; aut debuit ſupremum cœlum præextitiſſe creationi cœli & terræ, quæ à Moſe deſcribitur, adeoque ſeipſo prius fuiſſe; quod referre refutare eſt.

CAP: II.

De creatione Angelorum.

IAm ut ad Angelorum creationem propiùs accedamus, primò quæri poteſt, num illi in rebus creatis numerandi ſint. Deinde ſi hoc conſtet, quando,

Digitized by Google

quando, & quales eos Deus, & in quem finem condiderit.

Angelos igitur à Deo creatos eſſe, ex eo primùm oſtendi poteſt, quòd 2.
D. Auctor Epiſt: ad Hebr. de iis citat illa Pſalmi verba: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignis flammam*; & ad eadem ſub ipſum capitis finem oculum referens, ait, eos eſſe *miniſtrantes ſpiritus, qui emittantur ad miniſterium.* (*Pſal: 104. 4. Hebr: 1. 7, 14.*) Nam etſi in ipſo Pſalmo, ſi verborum ſenſum ex contextu cum cæteris æſtimes, de ventis atque fulminibus, aut igne cæleſti, qualis ille fuit, quo Sodoma & cæteræ urbes finitimæ fuerunt hauſtæ, ſermo eſſe videtur; ut pote quos Deus ad decreta ſua exſequenda veluti emittat, & quibus miniſtrorum inſtar utatur: apertè tamen cernimus, D. Auctorem ad Angelos cæleſtes ea verba referre. Eum enim ſenſum non modò per ſe ſumta verba facilè ferunt, ſed etiam quodammodo poſtulant; præſertim ſi Græcam veteris Teſtamenti verſionem ſequaris, quæ inter Judæos tum temporis paſſim recepta erat, & quâ in citandis teſtimoniis, tum hic, tum cæteri N. Teſtamenti ſcriptores plerumque utuntur. eſtque valde credibile, hanc verborum iſtorum ſententiam, quam Divinus Auctor ſequitur, vulgò quoque inter Judæos receptam fuiſſe. Siquidem & vocis Angelorum, frequentior in ſacris literis uſus, & articulus ei in Græco præfixus, & ejus collocatio, eam ſubjecti locum obtinere, & de Angelis κατ' ἐξοχὴν ſic dictis accipiendam eſſe, ſuadet. Patet ergo ex hoc loco, ita à D. Auctore citato, Deum Angelos ſpiritus effeciſſe, & flammæ ignis ſimiles; iiſque agilitatem, celeritatem, ſubtilitatem, ac vim quidvis penetrandi dediſſe. Hæc verò dari à Deo non potuiſſent, niſi ipſam eorum naturam condidiſſet.

Deinde ſi Angeli à cauſa aliqua efficiente externa fuerunt producti, à Deo productos fuiſſe neceſſe eſt. Etenim ſi hujuſmodi cauſæ vi extiterunt, conſequens omnino eſt, eos certo demum tempore ab ea fuiſſe productos. ſiquidem iſtius generis cauſæ, non poſſunt non effectum ſuum tempore antecedere. Cauſam porrò iſtam liberrimo præditam arbitrio fuiſſe ſtatuendum eſt: cum alioqui nulla poſſit reddi ratio, cur hoc tempore, & non alio, ſive antè, ſive pòſt, eos produxerit: niſi fortè in cauſis progreſſum in infinitum, qui ſeipſum evertit, ponere velis. Hujuſmodi autem cauſa, quæ liberrimè rem quampiam produxit, dominium abſolutum in opus ſuum habet. Qui verò tantam habet in Angelos poteſtatem, Deus eſt, ut ex iis, quæ de Deo diſputata ſunt, intelligi poteſt. Sed unde mihi conſtabit, inquies, angelos à cauſa efficiente externa productos fuiſſe? Inde, quòd alioquin id, quod abſurdiſſimum eſſe mox docebimus, ſtatuendum tibi fuerit, nempe Angelos, non ſecùs atque ipſe Deus, à ſeipſis, & quidem ab omni 3.
æternitate extitiſſe. Nam certo demum tempore exoriri, & ex non entibus entia fieri, ſine cauſa efficiente externa non potuerunt. Illud verò, quod

 diximus,

diximus, abſurdiſſimum eſſe non una ratione probatur. Primò enim hinc conſequeretur, eos naturâ ſuâ fuiſſe liberos, & Deo minimè ſubjectos; ac porrò Deum iis, non niſi precario jure, ſeu ipſis ita volentibus imperare; ſi modò ullius imperio ſubjici poſſunt, qui à nemine prorſus dependent. quin etiam ſequeretur, antequam ii ſeſe Deo ſubjicerent, infinito tempore (nam ante quodlibet tempus finitum effluxit infinitum) eos nemini paruiſſe, fuiſſeque inter entia ſeu ſubſtantias diviniſſimas maximam ἀναρχίαν. Præterea ſi angeli, non ſecùs ac Deus, per ſemetipſos extitiſſent, ac porrò vitam, intelligentiam, vireſque naturales ex ſemetipſis habuiſſent, nulla poſſet reddi ratio, cur Deo non ſint per omnia æquales. Cauſa enim hujus diverſitatis atque inæqualitatis ne cogitari quidem poteſt, ſecùs quàm ſi ii à Deo cenſeantur producti. Denique ſequeretur, eos immortalitatem ex ſeipſis habere. Unde enim vim habuerunt infinito tempore vivendi, inde immortalitatem; Atqui immortalitatem ex ſemetipſis non habent. alioqui dici non poſſet, Deum ſolum habere immortalitatem, quemadmodum Apoſtolus affirmat. (1 Tim: 6. 16.) Id enim eatenus de Deo dicitur, quatenus ſolus à ſemetipſo immortalitatem habet, cæteri omnes ab ipſo. Et hæc ratio vel ſola ad rem totam decidendam ſufficeret.

‡ *Nam ante quodlibet*] Tempus vitioſè diſtribuas in finitum & infinitum; cum tempus infinitum, maximè à parte ante, concipi nequeat abſque evidenti contradictione: tunc enim daretur motus qui nunquam incœpiſſet, quod non convenit cum motus natura, qui debet incœpiſſe ab aliquo momento ante quod non fuerit; & daretur infinito majus, quia in tempore infinito forent menſes & anni infiniti, & tamen plures menſes quam anni deberent numerari: Igitur ante tempus finitum non fuit tempus infinitum, ſed abyſſus æternitatis. Interea hoc Volkelij argumentum, quo ſtudet probare Angelos non fuiſſe ab æterno, in ſuos poteſt retorqueri, qui decreta Dei Deo eſſe coæterna inficiantur; Ex eo enim dogmate ſequetur Deum per infinitum tempus otio torpuiſſe & nihil decreviſſe, aut de rebus decernendis anxium deliberaſſe, ſi demum certo & finito tempore ſua decreta de rebus extra ſe futuris condere aggreſſus eſt.

Angelos verò, ut ex veteribus Eccleſiæ doctoribus non pauci cenſuerunt, ante mundi hujus fabricationem fuiſſe à Deo conditos, inde primùm colligitur, quòd Moſes, qui mundi fabricationem diligentiſſimè deſcripſit, non videatur creationem angelorum prætermiſſurus fuiſſe. Nam quòd aliqui ajunt, creationem angelorum creatione lucis contineri, id vix refutari meretur. Nam præterquam quòd Angeli Lucis nomine nuſpiam intelliguntur; apertè ait Moſes, lucem illam à Deo vocatam eſſe diem, & tenebras ei oppoſitas, noctem. Deinde cum videamus, ſtatim poſt mundi creationem, diaboli inſtinctu ſeductum in paradiſo hominem; non eſt credibile, illum intra tam breve tempus, & à Deo productum, & cum tanto angelorum

exercitu

Digitized by Google

exercitu prolapſum fuiſſe, ſeque adverſus Deum adeò contumaciter geſſiſſe, & tantas tamque impias adverſus ipſum inimicitias ſuſcepiſſe.

‡ *Angelos verò*] Hic error multis rationibus poteſt refutari: Nam viſibilium & inviſibilium creatio ſimul conjungitur & tribuitur Chriſto Col: 1, 16. Et cum principium Moſaicum ſit principium temporis & exiſtentiæ ac durationis rerum omnium creatarum, non potuerunt Angeli præextitiſſe Moſaico principio, quin eo ipſo æterni fuerint, & per infinitum tempus duraverint; ſiquidem juxta ipſiusmet Volkelij ſententiam, *ante quodlibet tempus finitum, effluxit infinitum.* Et cum ante principium Moſaicum non daretur Vbi in quo eſſent & operarentur Angeli, ſitque rerum creatarum reſpectu verum axioma Auguſtini *epiſt. ad Dard.* Quod nuſquam eſt, neque eſt, neceſſe eſt eos non fuiſſe. Nullum tunc fuiſſe Vbi in quo eſſent Angeli, patet ex dicto Philonis *lib. 2. de alleg.* πρὸ γενεσέως ὐκ ἦν τί σὺν τῷ Θεῷ: Siquidem *ante omnia Deus erat ſolus ipſe ſibi & mundus & locus & omnia*, inquit Tertullianus *cont. Prax cap. 5.* Egere tamen Angelos ſuo Vbi definitivo, hactenus conſtans fuit Theologorum Chriſtianorum ſententia: Et fruſtra mobilitatem accepiſſent, prout Damaſceno dicuntur ὐσίαι ἀεικίνητοὶ, *lib. 2. Orthod. fidei, cap. 3.* negato illis ſpatio in quo agerent & ſe moverent. Nec quiſquam ſanæ mentis hic debet recurrere ad ſpatia imaginaria, quæ ſunt cerebrina commenta hominum otioſorum; nam non minus ad Vbi definitivum Angelorum ſpatium reale requiritur, quam ad circumſcriptivum naturarum corporearum. Neque ſi Deus ſibi ipſi erat locus ante ſpatiorum finitorum creationem, idem ſtatui poteſt de Angelis, qui cum ſint naturæ finitæ, non ſolum intrinſecè debent terminari per ſuam eſſentiam, ſed etiam extrinſecè per determinatos fines ſpatiorum intra quos ſint & operentur. Et cum cœli non præceſſerint principium Moſaicum, id fingi nequit de Angelis, niſi eos credamus diutiſſimè ſuo habitaculo caruiſſe, & per inania vacua ſpatiorum imaginariorum miſerè aberraſſe. Quid, quod vel negandum Angelos comprehendi rebus quæ cœlo & terrâ continentur, vel fatendum eos cum reliquis creaturis incœpiſſe, quandoquidem tunc Deus creavit cœlum & terram & quæcunque ſunt in illis Exod: xx, 11. Sed intereſt hic obſervare myſterium iniquitatis; Non tam enim ſolliciti ſunt Sociniani de exordio exiſtentiæ Angelorum, quam per indirectum quærunt receptum aliquem ſuo errori, ut à Samoſatenianiſmo depulſi ad Arianiſmum tranſeant: & inſinuent non procedere argumentum pro æterna Chriſti divinitate ex eo deſumptum quod extiterit ante principium Moſaicum; ſiquidem etiam Angeli ante illud extiterint, nec per id deſinant eſse creaturæ: Verum cùm non fuerit tempus ante principium temporis, ſed abyſſus æternitatis, vel ſi loquendum cum Volkelio, ante tempus finitum quod incœpit in principio Moſaico fuerit tempus infinitum, neceſse eſt eum ab æterno ſive à tempore infinito extitiſse, qui cum principio temporis aut poſt illud non incœperit eſse.

Ex veteribus Eccleſiæ] Non utuntur Sociniani hoc argumento, quod Veterum reverentiâ ducantur; cur enim illos in alijs capitibus de SS. Trinitate & ſatisfactione Chriſti tam proterviter reſpuunt? ſed tantum ne primi videantur hanc inſaniam inſanire. Ad ipſum vero argumentum tria reſpondeo: 1. Parum in hac materia de Angelis debet tribui Veteribus, cum plerique ex illis & Angelos fecerint corporeos, quorum teſtimonia non ſolum ad hanc rem corraſit Vorſtius, patrocinium ſuo errori inde

 quæſiturus.

Digitized by Google

quæſiturus *Apol: Exeg. cap.* 7. ſed etiam prolixè retulerunt Sixtus Senenſis *Bibl. Sanctæ lib.* 5. *annot.* 8. ac Iohannes Gerardus Voſſius *lib.* 1. *de Orig. Idol. cap.* 6. & Angelis tribuerint amores muliebres & procreationem Gigantum ex Gen: VI, 2. perperam intellecto; Loca Veterum huc facientia qui videre volet, ea reperiet apud Sixtum Senenſem *lib.* 5. *annot.* 70. *& ſeqq.* II. Plerique Veterum qui huic Socinianæ ſententiæ favere videntur, prout eorum teſtimonia Voſſius congeſſit in unum *lib.* 1. *de Orig. Idol. cap.* 7. ſic intelligendi ſunt, ut non tam ante principium Moſaicum quam in ipſo principio ante cœtera Angelos fuiſſe conditos ſtatuant: Eum in ſenſum ſumendos eſſe Gregorium Nazianzenum & Chryſoſtomum, docet Damaſcenus *lib.* 2. *orth. fidei, cap.* 3. III. Non ita conſtans fuit apud Veteres hæc ſententia, quin multi ſe ei oppoſuerint & ſenſerint nobiſcum, ut Auguſtinus *lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 9. Epiphanius *hæreſ.* 65. Cyrillus *lib.* 2. *contra Iul.* Author *quæſtionum ad Antiochum quæſt.* 3. Theodoretus *q.* 3. *in Gen.* Gregorius I. *Moral. in Iob lib.* 32. Beda *ad* 1. *Gen.* & multi alij. Poſteriores è Veteribus prioribus hac in parte eſſe præferendos, nemo ſanus ibit inficias.

Quod Moſes, qui mundi] Reſpondeo primum eſſe argumentum negativum, quod nihil probat: Nec etiam meminit Moſes metallorum & mineralium & gemmarum & ſaxorum, quæ tamen omnia à Deo fuiſſe tum demum creata nemo negaverit. II. Cùm nonniſi compendiosè naturæ & mundi natalia deſcribat Moſes, & quantum faciebat ad inſtitutum ſuum, mirum non foret ſi ea demum commemoraret quæ in omnium ſenſus & oculos incurrunt. III. Eo quod Moſes ſubinde meminerit Angelorum à Deo miſſorum ad executionem decretorum ſuorum, eos ſatis ſuperque creaturis Dei annumerat. Si autem Dei creaturæ ſunt, nequiverunt præexiſtere illi principio quo demum cœperunt creaturæ tranſire à non eſſe ad eſſe. IV. Siquidem Angeli pertinent ad exercitus cœleſtes, 1. Reg: XXII, 19. Luc: II, 13. & Moſes conceptis verbis teſtatur Deum in illo principio cœlos & omnes eorum exercitus feciſſe Gen: II, 1. non poteſt affirmari Moſem omninò de Angelorum creatione ſiluiſſe. Hoc vero argumentum non ſoli Chriſtiani urgent, ſed etiam Iudæi, ut videre eſt apud Menaſſeh Ben Iſrael *de Creat. prob.* 24. V. In hoc aſſerto Sociniani premunt egregiè veſtigia ſui Patriarchæ, Iuliani Apoſtatæ, qui malitioſè admodum Moſem traducebat quia ſileret de Angelorum productione, cui ſe opponit Cyrillus *lib.* 2. *contra Iul.*

Nam quod aliqui ajunt] Etſi hoc argumentum eſſet omninò infirmum, præcedens tamen veritati comprobandæ ſufficeret: Neque tamen hoc per merum ἐκφαυλισμὸν poteſt refutari: Cùm enim Angeli *lux* ſint intelligibilis, & qui perſeverarunt in officio *Angeli lucis* nominentur in Scriptura 2. Cor: XI, 14. nihil eſt abſurditatis ſi Deus ſtatuatur primo die cum luce ſenſibili lucem etiam intelligibilem ſive Angelos lucis creaſſe, quandoquidem ad operum Dei exordia Angeli ipſi ſatis palam referuntur Iob: XXXVIII, 7. Quin Volkelius hîc provocans ad Veteres, non debuit neſcire Auguſtinum, Gregorium, Bedam, Cyrillum, citatos ipſi Voſſio, hanc ſententiam propugnare: Nec Chriſtianis ea ſolum arriſit, ſed etiam plurimis Iudæorum, quos inter R. Levi Ben Gerſon diſtinctionem factam inter lucem & tenebras interpretatur diſcrimen poſitum inter mundum Angelicum & Elementarem.

Deinde cum videamus] Miror hoc ficulneum argumentum tanti viſum fuiſse Epiſcopio *Inſt. Theol. lib.* 4. *ſect.* 3. *cap.* 1. *&* 3. ut inde fabricatus ſit duplicem creationem, unam primam cœli & Angelorum, alteram ſecundam diutiſſimè poſt factam,

Digitized by Google

factam, ubi jam Angeli magno numero defeciſſent, ſex dierum ſpatio; cum tam disertè Deus Exod: xx, 11. profiteatur ſe ſextiduo creaſſe cœlum & terram & quæcunque ſunt in illis, adeoque ipſos Angelos, quos cœlo & terrâ extermi-nare nemo ſanus volet: Sed ita decuit Epiſcopium de creatione abſque Scriptura & contra eam philoſophari perperam, ut Socianiſmum quem intus & in cute alebat quadantenus interpolaret. Sanè nequiverunt Angeli defeciſſe ante Hexaemeri opus completum; cùm de omnibus à Deo creatis, dicatur eum vidiſse quæcunque fecerat & illa fuiſse valde bona Gen: 1, 31. Vnde liquet necdum post abſolutum opus ſextæ diei Angelos defeciſse, aut à bonitate ea quam in ſua creatione acceperant adhuc receſſiſse: Nullaque ſubeſt ratio cur multo prolixius ſpatium interceſserit inter Angelorum creationem & eorum apoſtaſiam, quam inter creationem hominis & illius lapſum: Eum enim brevi admodum tempore in ſtatu integritatis permanſiſse, conſtans eſt ex Scripturis hauſta & Iudæorum & Chriſtianorum ſententia, quam & hic Volkelius admittit, fatendo *ſtatim poſt mundi creationem, diaboli inſtinctu, ſeductum in Paradiſo hominem* fuiſse. Nonnullis perſuaſum fuit ipſo ſecundo die, altero à ſuâ creatione, Angelos lapſos fuiſse, quo proximè accedit quod habet Menaſseh Ben Iſrael ex ſuis, *problem. 20. de Creat.* de inferno & dæmonibus factis eo die: Probabilius tamen nobis eſt Angelos perſtitiſse uſque ad finem Hexaemeri, nec ante defeciſse quam Deus manum ſupremam operi ſuo per hominis creationem admoviſset: Neque planè rejicienda eorum opinio qui diabolum invidiâ motum in hominem, quod eum videret ad Imaginem Dei conditum, à ſuo conditore defeciſse ſenſerunt. Quod video nequidem ipſum Mahumetem latuiſse, etſi id narret ſuo more varijs fabulis incruſtatum, *Alcorani Azoarâ 7.* Vtut ſit, nec labi potuit diabolus priuſquam crearetur, nec potuit creari ante principium univerſi.

Jam ut, quales angelos ipſorum naturæ ratione Deus condiderit, videamus; ex divinis literis conſtat, eos naturâ ſuâ ſpiritus eſſe, quod divinus ille 4. auctor epiſtolæ ad Hebr. uti vidimus, teſtificatur. Huc accedit, quòd eoſdem tum immortalitate, tum ob id ipſum Dei filiorum nomine tituloque decorari comperimus. (*Luc: 20, 36. Iob: 1. 6: 2. 1. Pſal: 89. 7.*) Quia enim quiſpiam propter ſimilitudinem, quæ illi cum Deo ſit, Dei filius appellari ſolet, nullaque re, ſi ad naturam reſpectum habeas, Deo quiſpiam ſimilior eſſe poteſt, quàm immortalitate; conſequens eſt, angelos, qui tales à Deo conditi ſunt, ejuſdem filios meritò appellari. Quanquam interim ejuſmodi eſt eorum immortalitas, ut, ſi Deus vellet, eoſdem perdere poſſet. Quicquid enim Deus condidit, idem quoque deſtruere, ſi velit, poteſt. Iſtud etiam ad naturam eorum, quam in creatione acceperunt, pertinet, quòd liberam iis voluntatem ſeu arbitrium indiderit Deus; quemadmodum ſequenti capite docebitur.

‡ *Eos naturâ ſuâ*] In eo ergo & à Vorſtio & à plurimis Veterum diſſentit Volkelius, etſi Epiſcopius nihil habeat quod hic certò definiat. Nec ſtatim debent eſse Angeli ejuſdem naturæ & ſimplicitatis cum Deo, ſi ita ſpiritus ſtatuantur, ut om-

Digitized by Google

ut omnem molem & conditionem corpoream atque materialem reſpuant.

Quia enim quiſpiam] Filij Dei Angeli vocantur, non tantum quod ſint conditione immortales, ſed etiam quod ſint naturâ ſpirituales, præditi intellectu & voluntate, atque inter meras creaturas, proximè ad Dei ſimilitudinem, puritate, ſanctitate, juſtitiâ, immaterialitate, dignitate, accedentes; unde etiam & communi cum Deo nomine אלהים *Elohim*, quandoque indigitantur, ut Pſal: VIII, 6. Heb: II, 9. Sed hinc colligo contra Volkelium aut potiori jure Angelum quemlibet dici Dei filium quam Chriſtum, quamdiu ſaltem hic in terris verſabatur, ſi nihil aliud fuerit quam merus homo, cùm morti eſset obnoxius; aut præter eam naturam quà mortalis erat & paullò inferior Angelis, aliam illi longè auguſtiorem & verè Divinam competijſse, cujus reſpectu *proprius* Dei filius eſset Rom: VIII, 32, nec rapinam duceret ſe æqualem facere Deo Phil: II, 6.

Quanquam interim] Verùm cum Angelos condiderit ejus naturæ, ideſt ſpiritualis & immaterialis, ut eo ipſo interitui non forent obnoxij, nequidem poteſt velle eos perdere; Nam quod ſemel ei placuit poſtea diſplicere non poteſt. Et quicquid hîc ei tribuatur per potentiam abſolutam, ſi tamen ejus ordinaria diſpenſatio ſpectetur, imperterritè dixero non poſse deſtrui ab eo Angelicam naturam, ſiquidem illam voluerit talem facere ut maneret in æternum.

Iſtud etiam ad] Et manet ipſis hæc libera voluntas, licet in bonis Angelis fixa & determinata ad bonum, ad malum vero in malis: Adeo facilè conciliabilis eſt, vel hoc Angelorum exemplo, multimoda neceſſitas agendi cum arbitrij in agendo libertate.

Poſtremò in quem finem angeli creati ſint, ipſum Angelorum nomen ſatis ſuperq; declarare videtur, quippe quod nuncii, ſive ad rem quampiam expediendam miſſi, ſignificationem habet. Mittuntur autem divinitùs, vel ad illos, quos Deus charos habet, cuſtodiendos beneficiiſq; cumulandos; aut quippiam illis Dei nomine annunciandum; vel ad eos, qui Deo propter ſcelerum impuritatem odio ſunt, affligendos, debitoque ſupplicio afficiendos. Utriuſque autem hujus rei exempla paſſim apud ſacros autores reperire promptiſſimum eſt.

Poſtremò in quem finem] At cum illi fini inſervire non potuerint ante opera Hexaemeri, vel inde liquet quod ante illa non extiterint.

CAP: III.

De ſtatu Angelorum.

SEquitur ut de angelorum ſtatu dicamus, cumque tum ad illorum creationem, tum ad ordinis dignitatem reſpectu habito, conſideremus. Ac primùm quidem ſatis patet, eos & bonos, ſeu malitiæ omnis expertes, & felices fuiſſe conditos: verùm ita, ut tam in integritate ſua perſiſtere, atque hoc pacto

pacto felicitatem ſuam tueri, quàm ab illa deſciſcere, & hac porrò excidere poſſent; cum, ut ſuprà jam monuimus, libero voluntatis arbitrio eſſent præditi. Hujuſmodi autem voluntatis libertate eos fuiſſe præditos, inde perſpicitur, quòd non ſolùm plurimi de illis peccati pœnas jam dederunt graves; ſed graviores etiam aliquando daturi ſunt. Quæ quidem res nullum locum haberet, cum Deus juſtiſſimus ſit, ſi angeli libero voluntatis arbitrio deſtituerentur. Quid enim iniquius, Deoque ſanctiſſimo indignius eſſe poſſet, quàm ideo quempiam ſupplicio afficere, quòd vel eo ſeſe obſtrinxerit 5.
facinore, cujus vitandi nullam poteſtatem habuit; vel ea non præſtiterit, quæ præſtare in ipſius manu nequaquam fuit? Credibile autem eſt, Deum cæleſtibus iſtis creaturis certas præſcripſiſſe leges, ex quibus ſtatum actionesque ſuas componerent; ut nimirum ſeſe in omnes abſolutiſſimum habere imperium oſtenderet. Factum autem eſt deteſtandâ quorundam angelorum ſuperbiâ atque contumaciâ, ut cum ſeſe robore potentiaque plurimùm valere ſentirent, Dei imperium per ſummum contemptum detrectaverint, obliti quantam illius beneficio adepti eſſent felicitatem; & ideo juſtiſſimo Dei judicio ex ampliſſimo illo atque florentiſſimo ſtatu dejecti, ad æternam perditionem deſignati fuerint. Hinc Judas, ſuum principium eos non retinuiſſe, ſed ſuum domicilium reliquiſſe, ideoque ad magni diei judicium, æternis vinculis ſub tenebris aſſervari aſſerit. (*Iud: verſu 6.*) Qua de re infrà loco commodiore plura nobis dicenda erunt. (*Lib: 3. c. 26.*) Nunc enim ad illum angelorum ſtatum veniendum eſt, qui ordinis eorum dignitate continetur. Intelligendum igitur eſt, certos eſſe tam bonorum, quàm malorum angelorum gradus. Ad illos enim quod attinet, videmus tum apud Judam, tum apud Danielem vatem, Michaëlem Archangelum, & unum de angelorum principibus nuncupari. (*Iud: verſu 9. Dan: 10. 13.*) Quid, quòd alibi eorum & throni, & dominatus, & principatus, & poteſtates enumerando percenſentur. (*Eph: 1. 21. Col: 1. 16.*) Hos etiam, nimirum malos angelos, gradibus quibuſdam diſtinctos eſſe inde conſtat, quòd in divinis literis & dæmoniorum principem, & imperia, & poteſtates, & principatus, commemorari, & cæteros omnes Diaboli angelos appellari videmus. (*Matth: 9. 34. & 12. 24. Col: 2. 19. Eph: 6. 12. Matth: 25. 14. Apocal: 12. 7, 9.*)

‡ *Et felices fuiſſe*] Non quod fuerint jam tum ab initio in ea fœlicitate conſtituti quâ nunc fruuntur qui permanſerunt, ſed quod omnis labis & miſeriæ expertes fuerint collocati in via ad fœlicitatem ſupremam, à qua deficere & cui inſiſtere poterant per vires divinitùs acceptas.

Libero voluntatis] Quo tamen, ſi ſpectetur in genere entis, non exciderunt, vel mali ſuo irreparabili lapſu, vel boni ſuâ confirmatione.

Credibile autem eſt] Imò neceſſe eſt creaturam omnem, maximè intellectu & voluntate præditam, ſubeſſe creatori: Nec dubium quin Angeli lege quapiam naturali, ei haud abſimili ad quam tenemur, conſtricti

Digitized by Google

contriᷓti & obligati fuerint, cùm nulla creatura intellectualis poſſit eſſe exlex coram Deo.

Intelligendum igitur] Quam non abhorremus à graduum diſtinctione quadam inter Angelos bonos, & malos, tam cenſemus I. Eos errare qui ex graduum accidentali diſtinctione, eſſentialem & ſpecificam faciunt, contra expreſſum Pauli teſtimonium Heb: I, 14. II. Perperam Angelis creatis *Michaëlem* Archangelum annumerari, cùm potius eo nomine Chriſtus, qui Angelus eſt fœderis & magni conſilij, ipſorumque Angelorum omnium Princeps & caput, indigitetur: Etenim quod Michaëli tribuitur Iudæ verſu 6. videlicet dixiſſe eum Satanæ, *Dominus te increpet*, aſſignatur ipſi Iehovę Zach: III, 2. Neque ſolum dicitur Dan: X, 21. Princeps Iſraelitarum, verum etiam Dan: XII, I. appellatur Princeps maximus, *qui ſtat*, inquit Gabriel ad Danielem, *pro popularibus tuis*; quod revera uni Chriſto competit. Quin ita Apoc: XII, 7. deſcribitur prælium Michaelis & Angelorum ſuorum contra Draconem & ipſius Angelos, ut nequeat commodiùs intelligi quam de Chriſti pugna contra Diabolum, in qua victoriam retulit, uti docemur Heb: II, 14. maximè cum ſit illius conterere caput ſerpentis Gen: III, 15. Accedit & ipſum nomen מכאל *Micael*, quod propriè ſonat *Quis ſicut Deus fortis*, prout & Maccabæi in ſuo vexillo, (unde & illis ſuum nomen per contractionem) hanc habebant ſententiam, מי כמך באלים יהוה, *Mi Camoca Baelim Iehova, Quis ſicut te inter Deos, ô Iehova!* Illi quoque apprimè convenit epitheton *Archangeli*, quod ita ipſius ſolius eſt ut nunquam in plurali uſurpatum legatur apud Scriptores ſacros. Quin Pantoleon Diaconus & Cartophylax magnæ Eccleſiæ, apud Lipomanum *de feſto S. Michaelis*, vult Michaelem eum eſſe qui apparuit Moſi ex rubo Exod: III, 2. & Ioſuæ dixit ſe *militiæ Iehovæ principem* eſſe Ioſ: V, 14. Id autem utrumque ſoli Chriſto competit. Nec eſt quod urgeat Volkelius Michaelem *unum de Angelorum principibus nuncupari* à Daniele; Nam præterea quod plurium Archangelorum nuſquam meminerunt Sacræ Scripturæ, potius dici debet *primus è principibus*, ut etiam redditum à Iunio, ideſt primus ex Angelis, qui principum & poteſtatum nomine veniunt quandoque in Scripturis, & eorum ἀρχηγὸς atque caput; Notum etiam eſt quod vox Hebraica אחד *Achad*, non unum tantum ſignificet, ſed etiam quandoque *primum*, ut notant ipſi Lexicographi, allato in exemplum loco Num: XXIX, I. & ſæpiſſimè à Græcis interpretibus redditur πρῶτος. Nec detrahit quicquam huic ſententiæ noſtræ quod dicat Iudas Michaelem non auſum fuiſſe pronunciare ſententiam maledictionis adverſus Satanam; Ipſe enim Lorinus agnoſcit, id non ei tribui per impotentiam, ſed per moderationem. Si quis tamen poſt has rationes auditas voluerit adhuc mordicùs pertendere Michaelem eſſe nomen Angeli creati, per nos illi licebit in ſuo ſenſu abundare. III. Non ſatis firmum eſſe argumentum pro diſtinctione graduum inter Angelos, quod deſumitur ex Apoſtolo, cui dicuntur *throni & dominatus, principatus & poteſtates*. Etenim benè & ſapienter de his nominibus ita loquitur Auguſtinus *Enchir. cap.* 58. *Quid inter ſe diſtent quatuor illa vocabula, quibus univerſam ipſam cœleſtem ſocietatem videtur Apoſtolus eſſe complexus, dicendo ſive ſedes, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates, dicant qui poſſunt, ſi tamen poſſint probare quod dicunt; Ego me iſta ignorare confiteor.* Et multis veroſimile eſt grandia hæc nomina commemorari à Paulo in Angelorum deſcriptione, non tam ad eorum ordines diſtinctos ſignificandos, quam ut ſe accommodaret ingenio Platonicorum & Pſeudo-Apoſtolorum, qui ut preſſiùs urgerent cultum Angelorum, eos iſtis

ſuperbis

ſuperbis titulis veſtiebant. IV. Ita agnoſcendum Angelos Apoſtatas anteſignanum & vexilliferum ſuæ rebellionis habuiſſe, qui cum excellentior eſſet inter Angelos factus eſt pejor inter dæmonas, prout rerum optimarum corruptio peſſima eſſe ſolet, ut tamen illa nomina imperiorum, poteſtatum & principatuum, quę illis quandoque tribuuntur, diſtinctos gradus inter eos non neceſſariò denotent.

CAP: IV.

De Creaturis inferioribus, & primùm de mundi creati materia.

‡ *Reſpondente* GUILIELMO BONNIVERTIO, *Sedanenſi.*

IAm ut ad inferiores naturas accedamus, quarum nomine, ut ſuprà diximus, cælum aſpectabile, terramque & omnia horum ambitu comprehenſa intelligimus; unde, & quo pacto eæ conditæ à Deo fuerint, hoc loco conſiderandum exiſtimamus. Primò igitur de materia dicendum eſt, de qua contrariæ in ſpeciem ſententiæ, ſed revera eædem, in duobus apocryphis, ut vocant, libris extant. Nam lib. 2. Machab. cap. 7. 28. legimus, Deum cælum & terram, & omnia, quæ in eis ſunt, hominumque genus, *ex nihilo* feciſſe. Auctor tamen libri Sapientiæ cap. 11. 18. aſſerit, Deum *ex infor-* 6.
mi materia omnia creaſſe. Poſterior locus prioris eſt explicatio. Ideo enim Deus *ex nihilo* omnia feciſſe dicitur, quia ea creârit ex materia informi, hoc eſt, ejuſmodi, quæ nec actu, nec naturali aliqua potentia ſeu inclinatione id fuerit, quod poſtea ex ea fuit formatum; ita ut, niſi vis quædam infinita acceſſiſſet, nunquam quicquam ex ea fuiſſet exiturum.

‡ *Quarum nomine*] Sed nec ex uſu Scripturæ, nec ullâ ſanâ ratione poteſt demonſtrari, cœlum aſpectabile & ſydera, *ad inferiores naturas* pertinere. Sanè Veteres mundi Elementaris ſive inferioris terminum in concavo lunæ poſuerunt, & cenſuerunt, ut author eſt Macrobius *lib. 1. in Somn. Scip. cap. 11. inter lunam terraſque locum mortis & inferorum vocari, ipſamque lunam vitæ eſſe mortiſque confinium:* Superiorem vero *& immutabilẽ partem à ſphæra quæ aplanes dicitur uſq; ad globi lunaris exordiũ* dimenſi ſunt.

Poſterior locus] Abſurda eſt hæc conciliatio: Nec enim Deus omnia *ex nihilo* creavit, quia omnia creavit ex *materia informi*: ſed omnia materialia creavit *ex nihilo* remotè, proximè vero *ex informi materia*, quæ ex nihilo jam creata fuerat. Quare unum horum non eſt explicatio alterius, ſed utrumque verum eſt vario illo quo dixi reſpectu. Etenim ſaltem remotè Deus eſt cenſendus omnia ſenſibilia feciſſe ex nihilo; cum illa ipſa informis materia cujus meminit author Sapientiæ, vel ex nihilo fuerit producta à Deo, vel Deo ipſi ab æterno coextiterit: Sed poſterius non auſint dicere Sociniani, quin Hermogenis ac Veterum Materiariorum errorem ex orco revocare deprehendantur, & materiam illam æternam independentem à Deo ſtatuant. Creationem vero eſſe rerum productionem ex nihilo, plurima evincunt; Nam id debet eſſe diſcriminis inter generationem & creationem ſaltem primam, quod generatio naturalis ſit productio ex nihilo ſe-

Digitized by Google

cundum quid, eo quod ex non homine gignatur homo, creatio vero ſit productio ex nihilo abſolutè tali, vel privativè, vel negativè. Et cùm omnes alij artifices præjacentem requirant materiam ad agendū, id pertinet ad Dei excellentiam ut ipſe ſibi eam ſuppeditet, nec minus in ſuo operari ſit independens quam in ſuo eſſe: Aliàs, ut benè monuit olim Ambroſius, *eſſet figuræ tantum inventor, non autem moderator naturæ, & plus accepiſſet inveniſſetque quam contuliſſet, ſi ulla materia præexiſtebat.* Quod ſi naturas ſuperiores & Angelos Deus creavit ex nihilo, non vero ex præjacente aliqua materia, cùm ipſi ſint immateriales, cur non ſaltem primò & remotè cenſebitur naturas etiam inferiores ex nihilo condidiſſe? Annon Paulus Rom: IV, 17. eidem potentiæ Divinæ tribuit quod vivificet mortuos, & vocet τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα, *ea quæ non ſunt ac ſi exiſterent*, quatenus facit omnia entia ex non entibus, ideſt revera ex nihilo? Annon diſertè ad Heb: XI, 3. docet *conſtructa fuiſſe ſæcula verbo Dei*, εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι; adeo ut ea quæ nunc videntur non facta fuerint ex apparentibus, ideſt ex præexiſtente aliqua materia? *Surgent* hac in parte Iudæi in judicium contra Socinianos: ſtatuunt enim certâ fide tenendum omnia ex nihilo creata eſſe; & ipſius materiæ primæ creationem ex Scripturis demonſtrant, & negant contrarium eſſe rationi aliquid creari ex nihilo; de quibus videantur *prob.* 3. 4. & 5. Menaſſis Ben Iſrael *de Creat.* ubi ſub finem tertij laudat R. Moſem *in Halacoth teſuba, cap.* 3. quod inter illos qui ex gremio Iſraelis excluduntur, etiam eum ponat qui aſſereret *Deum non eſſe ſolum primum & creatorem univerſi, hoc eſt qui poneret materiam primam coæternam* Deo. Cùm ergo author libri 2. Maccab. dicit omnia *ex nihilo* facta fuiſſe, reſpicit ad ſimpliciter primam rerum originem; ſed cum Philo in Sapientia monet omnia Deum creaſſe *ex informi materia*, reſpicit ad eum rerum ſtatum in quo erant cū primùm cœperunt formari, quando terra recens ex nihili gremio producta adhuc eſſet inanis & vacua, ideſt ornatu illo elegantiori deſtituta, quem poſtea per ſummam Dei potentiam conſequuta eſt: quod Moſes expreſſit per ſuum תהו ובהו *tohu vabohu*, ex quo Poëtæ illud Chaos antiquum deſumpſerunt quod Ovidius deſcripſit his verbis;

Ante mare & terras & quod tegit omnia cœlum,
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe
Quem dixêre Chaos, rudis indigeſtaq; moles,
Nec quicquam niſi pondus iners congeſtaque eodem
Non benè junctarum diſcordia ſemina rerum.

Quam ad rem pertinet illa Scholaſticorum diſtinctio, qui *nihilum* aliud faciunt privativum, aliud negativum. Privativum appellant materiam formâ eâ carentem, quæ in eam eſt introducenda. Negativum illud dicunt, quod nihil prorſus eſt. Priori ergo modo mundus, in illo l. 2. Mach. loco, factus ex nihilo dicitur, quod vel ex eo apparet, quòd tum de cæteris omnibus rebus, tum nominatim de homine iſtic aſſeritur, eum ex nihilo eſſe factum: cum tamen tum de aliis nonnullis rebus, tum inprimis de homine conſtet, eum ex terra formatum eſſe. Longè autem rectiùs illa materia, ex qua Deus omnia creavit, nihilum dicitur, quàm pleraque eorum, quæ Scholaſtici, cùm de nihilo privativo loquuntur, intelligunt. Ea enim non modò formam aliquam, & nonnunquam quidem præſtantem habent; ſed etiam inclinatio-

Digitized by Google

inclinationem quandam ad formam illam recipiendam, ob cujus abſentiam nihili nomen ſortiuntur: ſed illa materia, ex qua Deus omnia condidit, & rudiſſima fuit, & inclinationem naturalem ad ea, quæ ex ipſa poſtmodum ſunt formata, habuit nullam.

‡ *Quam ad rem pertinet*] Nolim contentionis funem cum quoquam ducere ſuper hac *nihili* diſtinctione; Per me licet ut nihilum ſecundum quid dicatur nihilum privativum, ſed negativum quod omninò &,abſolutè tale eſt. Verum nego authorem lib. 2. Maccab. de privativo nihilo eſse intelligendum, cum revera,ſi prima rerum origo attendatur, ea non præjacenti alicui materiæ ſit vindicanda, ſed ſimpliciter nihilo negativo. Nec valet Volkelij ἔνστασις, quod *tum de alijs nonnullis rebus, tum inprimis de homine conſtet eum ex terra formatum eſſe*; Nam primò etſi hæc proximè creata ſint ex nihilo privativo, ut ſonat carentiam omnis diſpoſitionis ſubjectivæ ad formam inducendam, tamen remotè facta ſunt ex nihilo negativo, cum ipſa rudis & indiſpoſita eorum materia, nec à ſeipſa, nec ab æterno extiterit, ſed ex nihilo ſimpliciter tali produci debuerit: Secundò plantæ & animalia terreſtria poſſunt dici prodijſſe ex terra, ut aves & piſces ex aquis, potiùs tanquam ex loco, quam ceu ex materia ſuæ originis: Tertiò etſi mediata corporis Adami creatio ex luto terræ facta ſit, tamen & illa ipſa terra ex qua deſumptum fuit, & anima quam ei Deus inſufflavit ceu ipſius partem potiorem & nobiliorem, proceſſit per immediatam creationem ex merè nihilo.

Sed illa materia] Vtut rudis fingatur & indiſpoſita ad formas eas nobiliores, quas deinde conſecuta fuit, non poteſt tamen concipi ſimpliciter informis: cum repugnet actu quippiam exiſtere, & omni formâ carere; nam illa eſt quæ rem actuat &,ut vulgò loquuntur, dat eſſe rei. Adhæc Deum *omnia* ex tali materia condidiſſe, nullo modo ſtatui poteſt, quin illa ipſa materia negetur àDeo condita fuiſſe.

Conſentiunt cum hac ſententia illa D. Auctoris ad Hebr. verba, quæ extant cap: 11. 3. ubi ait: apparata eſſe ſecula verbo Dei, *ita ut non ex apparentibus*, (ſeu *ex non apparentibus*) *ea*, *quæ cernuntur*, *fierent*. In quibus verbis ſatis apertè indicat, ex rebus quibuſdam, licèt non apparentibus, res aſpectabiles fuiſſe conditas. Quænam autem illa fuerint, quæ non apparuerunt, non aliunde meliùs, quàm ex hiſtoria creationis à Moſe deſcripta, diſcere poſſumus. Is enim, cùm in ipſo Geneſeos initio totam creationis, quàm deſcripturus erat, rationem ſummatim propoſuiſſet illis verbis: (*Gen: 1. 1, 2.*) *In principio creavit Deus cœlum & terram*; candem poſtea diſtinctiùs explicaturus, à capite rem arceſſit, &, quis antea rerum ſtatus, quæ facies fuerit, indicat, quæque operum deinceps enumerandorum, ſaltem plurimorum, materies, dum ita porrò ſubjicit: *Terra autem erat deſolata* (ſeu *informis*,) *& inanis, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, hoc eſt, aquarum profundarum, quibus terra tegebatur. Quòd ſi aquæ, quibus terra tegebatur, tenebris fuerunt obrutæ; certè terram & aquam res non apparentes fuiſſe conſtat. Ex terra autem & aqua ſublunaria omnia extitére.

Digitized by Google

‡ *Conſentiunt cum hac*] Vim facit Volkelius verbis Apoſtoli: Nam aliud eſt quod dicit Paulus, res nempe quæ cernuntur non factas eſſe *ex apparentibus*, ideſt ex ulla præjacente materia, aliud quod ei affingit hæreticus, factas fuiſſe *ex non apparentibus*, ideſt ex aliqua inviſibili materia: Ideo Chryſoſtomus rectè mentem Apoſtoli per locum parallelum Rom: IV, 17. interpretatur, cum dicit facta eſſe τὰ ὄντα ἐξ ὐκ ὄντων, ideſt uno verbo ex nihilo. Non ergo eſt intelligendus Paulus poſitivè, quaſi *ex rebus quibuſdam, licet non apparentibus, res viſibiles* fuerint conditæ, ſed negativè, quod res omnes productæ fuerint ex nihilo, non ex ullis alijs rebus quæ antea vel apparerent vel exiſterent: Semper enim recurreret quæſtio, à quo, quando vel quomodo, factæ fuerint res illæ inviſibiles ex quibus viſibiles conditæ fuerunt.

Quænam autem illa] Fruſtrà hîc recurrat Volkelius ad Moſem, ut ſuo huic fœdo errori quærat patrocinium: Nam Moſes ſatis inſinuat quod ante illud principium, quo Deus manum admovit creationi cœli & terræ, nihil revera præter ipſum Deum extiterit.

Is enim, cum in ipſo] Sec nec illa verba neceſſariò continent propoſitionem generalem narrationis ſubſequuturæ, nec ſi id verum foret inde ſequeretur illi Principio quo creavit Deus cœlum & terram præextitiſſe terram deſolatam & inanem cujus fit mentio com: 2. Prius non viderunt plurimi interpretes, qui primum illud comma ad opus primæ diei cenſuerunt pertinere, & Deum magni iſtius ædificij & ſupremum tectum in Cœlo Empyræo cum ejus incolis, ſcilicet Angelis, & imum fundamentum, nempe terram, ſed eo die adhuc deſolatam & inanem. illo primo die ſimul extruxiſſe arbitrati ſunt; Hanc eſse communem Lombardi, Lyræ, & omnium Scholaſticorum ſententiam, ut alios interpretes mittam, qui per cœlum & terram, in principio creata, antiquum Chaos intellexerunt, in comperto eſt: Saltem Angelos ſtatim in hoc principio conditos fuiſſe conſtantior hactenus fuit Doctorum Chriſtianorum ſententia, quam Innocentius III. in Concilio Lateranenſi his verbis expreſſit; *Firma fide credendum eſt Deum ab initio temporis, ſimul utramque de nihilo condidiſſe creaturam, ſpiritualem & corpoream, angelicam & mundanam.* Poſterius etiam non obſervarunt hactenus ulli ex ijs interpretibus qui putarunt in priori commate Moſaico propoſitionem generalem contineri. Neque ſenſerunt Moſem velle indicare verbis ſubſequentibus, *quis rerum ſtatus, quæ facies fuerit*, ante illud principium, cum nullæ res extra Deum fuerint ante rerum creatarum principium & priuſquam manum creationi cœli & terræ Deus admoveret; ſed tantum exiſtimarunt ijs ſubſequentibus verbis ſignificari, quis rerum ſtatus quæ facies fuerit, in primo inſtanti quo cœperunt per Dei voluntatem a non eſse ad eſse tranſire: Et cum in voce Moſaica והארץ *vahaaretz* particula ו *vau*, ſimpliciter poſſit ſumi *copulativè* pro &, non *ſubjunctivè* pro *autem*, non multum præſidij poſsunt adverſarij in ea reponere: Quanquam & conceſso poſteriori, non ſequeretur præextitiſſe toti illi principio terram hanc deſolatam & inanem, ſed tantum Deum in illo principio quo voluit vacare cœli & terræ creationi, ab hujus terræ informis & deſolatæ productione auſpicium feciſſe, ut ſolet Deus & natura à minimis incipere.

Saltem plurimorum] Quod ſi non omnium, reliqua ergo oportet vel abſolutè immaterialia fateri, vel ex nihilo producta, non ex illa præjacente materia, agnoſcere.

Res non apparentes] At non dicit Apoſtolus res viſibiles factas fuiſſe ex rebus præexiſtentibus & non apparentibus, ſed è contrario refert eas non factas fuiſſe ex rebus quæ apparerent & exiſterent.

Adhæc

Digitized by Google

Adhæc illæ tenebræ non debent ſumi privativè, ſed tantum negativè, quod nondum lux eſſet creata; aliàs pari ratione dicerem fieri viſibilia ex non apparentibus citra creationem, cum in conclave variâ refertum ſuppellectile pretioſâ, ſed quæ ob feneſtras clauſas, vel tenebras noctis non apparebat, derepente lux infertur.

Ex terra autem] Id nec Philoſophicè, nec Theologicè dici poteſt: non Philoſophicè, quoniam vel pauciſſimi vel nulli fuêre Philoſophi, qui hiſce duobus elementis omnia conſtare aſſererent. Peripatetici quatuor enumerant, ignem, aërem, aquam & terram; Chymici tria, Salem, Sulphur & Mercurium. Non Theologicè; cùm ad ſublunaria homo pertineat, qui tamen in ſua totalitate non ſolùm ex terra & aqua extitit. Quod ſi hoc ſecundo commate Moſes deſcribit materiam præjacentem cœli & terræ, fruſtra eam reſtringit Volkelius ad *ſublunaria.* Adeo ſibi parum conſtant errorum Doctores, quibus nihil antiquius quam à regia via recedere.

Quare dubium nullum videtur eſſe, quin D. Auctor terram informem, 7.
& aquam, profundiſſimis tenebris immerſas, rerum non apparentium nomine potiſſimùm complexus fuerit. præſertim cum in Græca veteris Teſtamenti verſione, quam, ut ſuprà jam monuimus, novi Teſtamenti ſcriptores in citandis ex illo teſtimoniis ſequi ſolent, loco ejus quòd in Hebræo terra dicitur *deſolata*, extat vox ἀόρατος, hoc eſt, *inviſibilis.* inviſibilis autem tera non alia ratione fuit, quàm quia in tenebris illis non apparuit, nec ante lucem vaſto illi rerum chao illatam, apparere potuit. A luce autem, ut ſequentia apud Moſen verba docent, creatio rerum cœpta eſt.

‡ *Quare dubium nullum*] Cùm Volkelius per *videtur* loqui amat, eo ipſo aliquod *dubium* in hoc ſuo Paradoxo ſupereſſe fatetur. Et jam ſæpiùs monui Apoſtolum ad Hebræos, non præſtruere creationi viſibilium res illas non apparentes, ſed duntaxat negare ex apparentibus ſive jam extantibus, viſibiles res creatas fuiſſe. Quanquam neque ſi id largiremur adverſario, metuere deberemus bonæ cauſæ. Dato enim viſibilia hæc omnia, ex diſcordibus rerum ſeminibus enata fuiſſe, quæ illa terra informis, tenebris & aquis involuta, in ſuo ſinu abdebat, an tamen inde ſequetur, jam principio omnium rerum terram illam informem præextitiſſe, nec à Deo ex nihilo tum productam fuiſſe, cum incœpit primam manum creationi mundi totius adhibere?

Præſertim cum in Græca] Eſto terra illo primo die quo cœpit extare fuerit adhuc ἀόρατος & tenebris involuta, an non tamen ipſa debuit facta fuiſſe μὴ ἐκ φαινομένων, ideſt ἐξ οὐκ ὄντων, ut interpretatur Chryſoſtomus? Niſi fingant Sociniani hujus primæ materiæ *inviſibilis* primam & præjacentem adhuc aliam materiam inviſibilem, & hujus iterum aliam, in infinitum.

Inviſibilis autem] Sed hæc inviſibilitas diſparuit creatâ luce & diſpulſis tenebris; Verû aliud eſt terram non viſam aut viſibilem fuiſſe ob defectum lucis, aliud eſt ea quæ videntur per lucem non creata fuiſſe ex rebus quæ jam apparerent, aut ſaltem accenſâ luce apparere poſſent.

A luce autem] Sed primùm illa lux vel ex nihilo negativo fuit creata, vel ex præjacente quâ hìc comminiſcitur adverſarius materia: At poſterius non auſit adſtruere, quippe qui ſola *ſublunaria* ex illa materia

Digitized by Google

præjacente fabricetur. Deinde non eſt ſimpliciter verum quod à luce creatio rerum cœpta ſit. Nam eo primo die, & terra cœpit creari, ſed adhuc rudis & informis, & lux ei affundi quæ tenebras quibus cingi videbatur diſpelleret. Et quamvis jam olim Manichæi illud ERAT de terra urſerint, materiæ æternitatem probaturi, tamen a plurimis Veteribus & recentioribus oſtenſum eſt terram talem fuiſſe, non ante creationem, cum ſimpliciter non eſſet, ſed quando crearetur; Adeoque illud ERAT, non eſſe ſecundi adjecti, ut in illo, *In principio erat λόγος*, ſed tertij adjecti, denotans qualis initio terra fuerit cum conderetur.

Nam ſi quis dicat, ipſam terram unà cum cælo priùs à Deo productam, quia apud Moſen primùm legamus, *In principio creavit Deus cælum & terram:* & poſtea ſtatim ſubjiciatur: *Terra autem erat deſolata*; reſponſio ex iis, quæ diximus, facilè intelligi poteſt. Neque enim à Moſe dicitur, Deum priùs, quàm cætera crearentur, quæ in toto reliquo capite facta leguntur, cælum & terram creaſſe: ſiquidem de creatione cæli & terræ nominatim legimus in opere ſecundi & tertij diei, verſ. 6. & ſeqq. ſed, ut viri doctiſſimi ante nos obſervarunt, *(Vid. Fr: Vatab.)* cæli & terræ creatione ſummatim comprehenduntur omnia, quæ poſtea ſigillatim ſex dierum ſpatio facta ſcribuntur, & per Cælum quidem omnia cæleſtia corpora, per Terram terreſtria intelliguntur: quo pacto non ſemel in ſacris literis creatione cæli & terræ, omnium rerum aſpectabilium formatio deſignatur. Initio ergo, ut diximus, res tota breviter à Moſe proponitur: poſtea diſtinctè ac per partes explicatur. Cùm verò additur, *Terram fuiſſe deſolatam*, animadverterunt iidem viri doctiſſimi, Terram hîc vocari per occupationem ſeu anticipationem. Nondum enim ita fuiſſe vocatam, ſed poſtea nudatam aquis ita vocari cæpiſſe. q. d. Id quod Deus poſtea vocavit Terram, cum ſcilicet nudata fuit aquis, fuit deſolata & inanis, nondum ulla re exculta atque ornata.

‡ *Nam ſi quis dicat*] Pleroſque ex interpretibus id dicere, nec omninò improbabiliter, jam ante monuimus; Et licet cœlum & terra perfecta non fuerint primo die, adfecta tamen fuerunt multifariàm; Nam quoad æthercam regionem, creatum fuit cœlum ſupremum cum ſuis incolis, nempe Angelis; creata quoque fuit lux, quæ in cœlis ſtelliferis naturâ jam conſtitutâ ſedem ſuam erat habitura. Quoad regionem elementarem, creatum fuit illud Chaos terræ informis, demerſæ in profundam aquarum voraginem, ex qua emerſit ſequentibus diebus cum expanſo, utriuſque elementi, aquæ nempe & terræ, ſecretio. Ergo poteſt commodiſſimè dici *Deum priùs quam cætera crearentur quæ in toto reliquo capite facta leguntur, cœlum & terram creaſſe*, non quidem perfectivè ſed adfectivè. Nec ulla ratio poterit unquam ſufficiens excogitari quæ contrarium neceſſariò ſuadeat.

Siquidem de creatione] Nempe ſecundo, tertio, quarto, quinto & ſexto die, inchoatum & adfectum opus primi diei, Deus continuavit & abſolvit: Secundo die, cœlo ſupremo, quod eſt ſedes ſpecialis Majeſtatis Divinæ, Angelorum &

Beatorum

Beatorum, adjecit expanſum, ideſt cum aerea regione eam omnem ætherex parstem, quam in ſedem lucis jam creatæ & luminarium eam deferentium deſtinabat: Tertio, terram aquis immerſam illo onere quo premebatur ſublevavit, eamque omnis generis plantis & herbis exornavit: Quarto, ſtellas & luminaria, quibus hactenus caruerat cœlum, intulit expanſo ut ita perficeretur: Quinto, non ſolum piſces dedit aquis, ſed aves aëri, quæ tamen ut plurimum in terra degunt & ex illa aluntur: Sexto demum, terra animantia quælibet cum homine, primario ſuo hoſpite, conſequuta eſt. Quæ igitur *de creatione cæli & terræ nominatim legimus in opere ſecundi & tertij diei*, illa non ad inchoationem eorum quæ jam cœperat primo die, ſed ad illorum perfectionem ſpectare intelligenda ſunt.

Sed ut viri doctiſſimi] Iam ante monuimus nec eſſe eam omnium ſententiam, nec tamen illâ conceſſâ ſequi quod volunt adverſarij: Is ipſe Vatablus ad quem provocat Volkelius, ita loquitur; *Dilucidiùs ſic vertitur; Initio quùm creavit Deus cælum & terram, tum terra &c.* non ſanè quod terra illi initio præextiterit, ſed quod talis eſſet qualis Moſi deſcribitur illo ipſo initio quo eſſe incipiebat. Quare ſic ſtatuit Vatablus *per cælum* intelligi *omnia corpora cæleſtia, per terram vero terreſtria*, & Moſem *proponere initio rem totam, ut author ejus agnoſcatur*, ut tamen nunquam vel per ſomnium, præjacentem creationi cœli & terræ materiam aliquam cogitare voluerit.

Cum vero additur] Sed nihil obſtat quominus eadem prolepſis obtineat in prioribus verbis, quibus Deus dicitur creaſſe cœlum & terram: Nam terra quidem erat, ſed aquis obruta, necdum apta quæ ab ullis animantibus tereretur. Eodem ſenſu dixit Petrus, *cælum olim extitiſſe per Dei ſermonem, & terram ex aqua & in aqua conſiſtentem* 2. Pet: 111, 2. Et licet nondum terra id eſſet perfectè quod poſtea vocata fuit, tamen jam tum meritò vocabatur quod paullò poſt apert[illegible]s futura erat, aquis, quibus involuebatur, partim in expanſum rarefactis, partim in nubes ſublatis, partim in mare, fontes & fluvios derivatis, ut homini & alijs animantibus præberet commodum domicilium. Porrò non potuit Volkelius hîc ſe explicare abſque ſolœciſmo; Quis enim non miretur illam anticipationis Moſaicæ explicationem? *Id quod Deus poſtea vocavit terram, cum ſcilicet nudata fuit aquis, fuit deſolata & inanis, nondum ullâ re exculta atque ornata*: nam Grammaticè debuiſſet dici, *fuit deſolatum & inane, necdum ullâ re excultum & ornatum.* Verum terra non deſinit ſuo ſenſu eſſe terra, licet ſit deſolata & inanis, necdum ullâ re exculta & ornata; Etiam terra erat vera terra, cum diluvio immiſſo aquis undique operiretur & ſubmergeretur.

De hujus autem ipſius terræ & aquæ, uti & ſpiritûs Dei, qui ſuper aquis ferebatur, iiſvé incubabat, creatione nihil dicit Moſes, nec quicquam alibi ſacræ literæ pronunciant: ut non malè ii facere cenſendi ſint, qui ſententiam hac de re ſuam vel ſuſpendunt, non audentes definire id, quod ſacræ literæ non definierunt: vel id, quod rationi maximè conſentaneum videatur, ita ſequuntur, ut aliis vel ambigendi, vel diſſentiendi, rudioribus etiam rem planè ignorandi relinquant libertatem, quam ſuo iis ſilentio ſacræ literæ dederunt; nec ea diſſentientibus impingunt abſurda, quæ ex ipſorum ſententia conſequi videantur, ſi ea ipſi non agnoſcant.

Digitized by Google

‡ *De hujus autem ipſius*] At malitioſè admodum *Spiritum Dei qui ſuper aquis ferebatur* Volkelius facit ejuſdem ordinis cum terra & aqua quibus incubabat: Nec enim ille Spiritus creatura fuit, ſed creator, qui per metaphoram deſumptam ab avibus, quæ ſuis ovibus incubant ad ea excludenda, nobis deſcribitur incubans illi moli terreæ & aqueæ, ad eam fovendam, & ex illa poſtea illam excludendam varietaté creaturarum, quarum ortus Moſi deinceps deſcribitur: Et quoniam modò provocabat Volkelius ad teſtimonium Vatabli, audiatur ipſe Vatablus de iſto Spiritu Domini; Is ergo ſic loquitur; *Quidam Hebræorum intelligunt de vento: ut ſit Hebraiſmus, Spiritus Dei, pro vento à Deo excitatus; ita Pſal. 147. b. Flabit Spiritus ejus, & fluent aquæ. Vel dicitur Spiritus Dei, ideſt ventus magnus; Cum enim Hebræi magnitudinem alicujus rei ſignificare volunt, adjiciunt hoc nomen Deus, ut Pſal. 67. c. Mons Dei, Mons pinguis. Potior ea videtur eſſe opinio quæ de Spiritu Divino intelligit, ut hic ſit ſenſus, Spiritus Divinus volitabat, ideſt agitabat ſeſe ſuper aquas, hoc eſt fovebat ſubſtantiam illam terream & aqueam: Vox enim Hebræa* מרחפת *Merachepheth, pro qua interpres vertit ferebatur, ſignificat volitare, incubare.* Verum id pertinebat ad malitiam Antitrinitariam, ut obiter & quaſi aliud agendo luculentum teſtimonium pro divinitate & ſuppoſitalitate Spiritus Sancti, bonæ cauſæ eriperetur. Præterea falſum eſt Moſem nihil dicere de creatione illius terræ & aquæ cui *incubabat* Spiritus Dei: nam utriuſque originem ſatis evidenter arceſſit ab eo principio quo cœpit manum adhibere creationi cœli & terræ. Et res ipſa id per ſe exigit: Nam aut creatæ fuerunt hæc aqua & terra, aut non creatæ: ſi non fuerunt creatæ, coextiterunt Deo ab æterno, & Deus ipſe fuerunt: Quid ergo juris Deo in ipſas, ut eas in rem ſuam converteret, & ex illis mundum hunc aſpectabilem fabricaret? Si vero creatæ fuerunt, debuerunt utique creari in illo ipſo principio quod fuit initium omnis creaturæ; & cum ſæpè Scriptura teſtetur, illo ſextiduo Deum creaſſe cœlum & terram & quæcunque ſunt in illis, ideſt uno verbo quæcunque ad Vniverſi conſtitutionem & integritatem ſpectant, aut illa terra & illa aqua non pertinebunt ad integritatem Vniverſi, aut ad Hexaemeri opera debebunt neceſſariò revocari.

Vt non malè facere] Hinc iterum apparet quid maximè moliantur iſti homines, nempe creationem mundi non eſſe illius productionem ex nihilo: etſi impiam & profanam hanc ſententiam per modum Scepticiſmi proponant, & ſilentium prætexant Sacræ Scripturæ, in re quam ſatis evidenter à Scriptura exponi facilè viderent, niſi abriperentur ſuâ libidine contradicendi omnibus veritatibus Catholicis, & tempus ac res quaſdam creatas ante initium temporis & creationis concipiendi, quo negent vel æterna ideo eſſe Dei decreta quod dicantur facta ante jacta mundi fundamenta, vel ideo Dei Filium eſſe Patri coeſſentialem & coæternum, quod dicatur jam fuiſſe in illo principio 1. Ioh: 1, 1. & antequam mundum hunc Pater condidiſſet Prov: VIII, 22. 23. Tot vero & tam gravia *abſurda*, involuit hæc Sociniana ſententia, ut ſolius impudentiæ clypeo defendi poſſit. Quod ſi ea ipſi non agnoſcunt, debent ſibi imputare, quod juſto Dei judicio ſcotomate perculſi palpent in tenebris, & credant mendacio poſtquam rejecerunt dilectionem veritatis.

CAP

Digitized by Google

CAP: V.

De Creationis modo.

§ *Reſpondente ad hoc & ſequens caput* ANTONIO à DORTH, Clivo-Veſalienſi.

SEquitur ut quomodo, quaque ratione Deus omnia condiderit, perpendamus. Quæ quidem quæſtio tribus partibus continetur. Vel enim hîc de creationis inſtrumento, ſeu mavis modio, quæritur, vel de rerum creatarum cohærentia; vel de ordine, quem in creando Deus ſervavit. Primò igitur ſolo verbo ſive juſſu ſuo Deum omnia conſtituiſſe accepimus. *Dixit enim & facta ſunt*, inquit ille; *mandavit, & extiterunt.* (*Pſal: 33. 9.*) Et Moſes ſingula Deum dicendo fabricaſſe ait. (*Gen: 1.*) In quo quidem inexplicabilem Dei potentiam elucere nemo non intelligit; utpote qui nec laborem ac moleſtiam in opere iſto perficiendo ſubierit; nec ullius operâ ad tantæ rei molitionem uſus fuerit: ſed ſolo mandato ſuo omnia confecerit. 8.

‡ *Vel enim hic de*] At nulla cauſa inſtrumentalis poteſt concipi creationis mundi: Deus enim unus & trinus, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, immediatus & ſolus eſt author Vniverſi; ac ſicut non eguit ad fabricam mundi præjacente materiâ, ſed eam ſibi-met ſuppeditavit per ſuam omnipotentiam, ſic nec indiguit operis, miniſtris & inſtrumentis ad iſtam ſtructuram, quam ſolo potenti ſuo verbo à fundamento excitavit & perfecit ſextidui ſpatio. Per Filium ſuum Pater omnia creavit Heb: 1, 2. non tanquam per ſuum vel miniſtrum, vel intermedium inſtrumentum, ſed tanquam per ſuam Sapientiam æternam, prout & artifex quilibet per ſuam ſapientiam & induſtriam ſolet operari. Fuit ergo Filius, ſi ſpectetur ordo agendi in Divinis, principium quo Pater omnia creavit, non creationis inſtrumentum vel medium; nam ut à Patre prodit & agit Filius, ita Pater agit per Filium; at ſi ſpectetur Filius abſolutè, fuit principium quod cum Patre & Spiritu Sancto creationis Vniverſi; unde tam frequenter illa ei deputatur ceu opus ſuum, ut nominatim Ioh: 1, 3. Col: 1, 16. Et quamvis prima fronte videatur Moſes τὸ *Dixit* Dei, de ſolo ipſius nutu & juſſu potenti intelligere, cùm tamen hoc mentale verbum emiſerit per ſuum Verbum notionale, quod eſt ipſius æterna ſapientia, hinc eſt quod illi notionali λόγῳ, id eſt Dei Filio, omnium rerum productio & creatio tribuitur Pſal: XXXIII, 6. Ioh: I, 1. 2. 3. Interea tamen ita verum eſt Deum *nullius operâ* ad tantæ rei molitionem uſum fuiſſe, ſi de cauſa ſecundaria & ſubſidiaria id intelligatur, ut nihilominus veriſſimum ſit, Patrem in eo egiſſe per Filium ſuum & Spiritum Sanctũ, non tanquam per cauſas partiales, illi ſocias, vel inferiores, ſed tanquam per ſuppoſita & perſonas ejuſdem ſecum naturæ virtutis & voluntatis.

Jam ad cohærentiam rerum creatarum quod attinet, ea quidem tanta tamque admirabilis eſt, ut ſigillatim eam in omnibus notare, notatamque pro dignitate explicare, & infiniti laboris ſit, & porrò vires ingenij noſtri longè ſuperet.

ſuperet. Quamobrem generatim dico, cælum, terram, omniaque quæ horum ambitu continentur, admiranda quadam ratione procreata certis diebus, certiſque ſedibus diſtributa, ſummo conſenſionis vinculo conſtricta, & alia ex aliis ita nexa eſſe, ut ex diverſis naturis convenientiſſimo quodam numero colligatis, unum, idque aſpectu pulcherrimum corpus appareat, quod eam ob cauſſam à ſapientiſſimis hominibus κόσμος, ſive ornatus, ac latinè Mundus appellatum eſt. ex quo quidem ſingulariſſimam Dei ſapientiam eminere quis non animadvertat?

Sed ut tandem de ordine, quem Deus in ædificando mundo aliiſque naturis procreandis ſecutus eſt, dicamus; videmus illum à rudimentis exordio ducto, paulatim ad ea, quæ ſumma erant, perveniſſe. Non enim hominem, qui omnes terreſtres naturas nobilitate ſuperat, ſtatim condidit: ſed priùs elementa ſuis locis diſtribuit, cælum fabricavit, luminibus diſtinxit, terram floribus, herbis, arboribus, frugibuſque veſtivit, multitudinem & varietatem beſtiarum procreavit, quàm ad hominem formandum ſeſe conferret. Hæc autem nonniſi eam ob cauſam tanto ordine facta videntur, ut Dei hac in re perſpiceremus admirabilem non modò ſapientiam, ſed etiam bonitatem, qui quanti hominem faceret, quamque diligentem illius procurationem haberet, oſtendere voluerit; quippe cum & domicilium omnibus opibus omnibuſque rebus neceſſariis inſtructum ei, priuſquam in vitam ingrederetur, paraverit, & illum omnibus naturis tanquam dominum ac principem præfecerit.

‡ *A rudimentis exordio*] At ô bone, ſi Deus exordium duxit à rudimentis, cur ſuperiori capite negabas ad illud exordium pertinuiſſe ſubſtantiam illam aqueam & terream, cujus fit mentio Gen: 1, 2? Nam in ea revera ſola notantur futuri operis prima rudimenta, quæ Deus paulatim eruderavit, expolivit, & ad ſummam deduxit perfectionem.

CAP: VI.

De Hominis creatione.

9. AD hominis creationem quod attinet, tametſi eum non minùs, quàm alia animantia, ex terra Deus conſtituit; tamen eum omnium terreſtrium naturarum præſtantiſſimam eſſe, tum ex eo conſtat, quòd Deus illo in lucem edito ab omnibus operibus ſuis conquievit, nequaquam conquieturus, ſi excellentior adhuc creatura fabricanda fuiſſet; tum quòd in eo ſuam imaginem impreſſiſſe, unà cum Moſe alij etiam divini ſcriptores teſtificantur. (*Geneſ: 1. 26, 27. 5. 1. & 9, 6. 1 Cor: 11. 7. Iac: 3. 9.*) Quæ quidem in eo conſiſtit, quòd eum

Digitized by Google

eum Deus non ſolùm ratione atque intelligentiâ præditum eſſe: ſed dominatu etiam ſuo omnes naturas inferiores, ſive in terris, ſive denique in aëre degentes complecti, & ita divini imperij ſimilitudinem gerere voluerit: id quod ex ratione, tanquam cauſſa efficiente, profluit, eaque nititur.

‡ *Tametſi eum non minus*] Hoc non eſt verum de toto homine; Licet enim corpore terreſtris fuerit & ejuſdem naturæ cum alijs animantibus, cœleſtis tamen fuit origine quoad animam, eique hoc fuit ſpeciale quod Deus *inſpiravit in ejus faciem ſpiraculum vitæ* Gen: II, 7. ut non gradu tantum, quod videntur ſentire Hæretici, ſed etiam ſpecie ab omnibus beſtijs differret.

Quæ quidem in eo conſiſtit] Fateor quod etiam ad illum dominatum homini conceſſum, extendatur imago Dei in ipſo; ſed fruſtra ad eum ſolum, vel cum eo ad *mentem ratione præditam*, illam reſtrinxeris: cùm pars illius potior partim ad animæ rationalis conditionem & naturam, partim & maximè ad illius dotes, ſapientiæ & ſanctitatis concreatæ, quæ veniunt Theologis *juſtitiæ originalis* nomine, neceſſariò ſit referenda; Quapropter illius imaginis reparatio per Chriſtum, non tam reſpicit illum dominatum, (licet eo utcunque etiam faciat locus I. Cor: III, 21. 22. 23.) quam ſapientiam, juſtitiam & ſanctitatem, ut liquet ex Eph: IV, 24. Col: III, 10. Nec ſanè illa reparatione imaginis Dei in nobis per Chriſtum opus foret, ſi nihil illa damni per peccatum paſſa fuiſſet. Gen: IX, 6. & Iac: III, 9. monemur etiam illius ſuperſtites in hominibus reliquias debere eſſe nobis inviolabiles & ſacras; ſed Gen: V, 3. non fruſtra notatur Adamum jam peccatorem genuiſſe filium ad ſuam imaginem, ideſt æquè ſecum peccato obnoxium & miſerum, juxta dictum Pauli Rom: V, 12. & legem ordinariam naturæ quâ cautum eſt ſimile ſibi ſimile progignere; Id enim tacitam continet antitheſim cum eo quod commemoratur com. I. Deum quo die creavit hominem illum condidiſse ad imaginem ſuam: Non oppoſuiſset Moſes tam evidenter imaginem hominis, imagini Dei, niſi hæc homini primùm collata, per illius tranſgreſſionem ingentem mutationem ſubijſset. Procederet quidem argumentum nonnullorum, quo volunt probare Adamum gignendo filium ad imaginem ſuam, eum genuiſse ad imaginem Dei, eo quod ipſe ad imaginem Dei genitus fuerat, ſi in ſtatu primævæ ſuæ creationis perſtitiſset; ſed cum per peccatum imagine Dei inductâ in illius locum imaginem diaboli ſubſtituerit, (prout ſolet deleri imago Principis monetæ publicæ inſculpta ſi vehementiùs terræ affricetur) non eſt de nihilo quod Spiritus Sanctus imaginem hominis jam peccatoris juxta quam filium ſuum genuit, tam luculenter diſtinguit à Dei imagine ad quam ipſe conditus fuerat. Hinc Gloſſa ordinaria notat quod homo *poſtquam per inobedientiam hanc ſimilitudinem* (Dei, ad quam conditus fuerat) *delevit, factus terrenus terrenos generavit; unde qualis terrenus tales & terreni:* & Dionyſius Carthuſianus; *Quæritur circa id quod in Gloſſa tangitur & in Scholaſtica Hiſtoria clariùs fertur, Adam ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus eſt, reliqui ad ſimilitudinem & imaginem Adæ, qualiter hoc ſit verum? Reſpondetur quod loquendo de his in quibus imago & ſimilitudo Dei in homine principaliter conſideratur, omnes homines ad imaginem & ſimilitudinem Dei producti ſunt, in quantum, memoriam, intellectum, voluntatemque habent; ſed quantum ad accidentalia aliqua in quibus imago & ſimilitudo ſecundariò conſiſtit, cæteri ad Adæ imaginem ſimilitudinemque plaſmati ſunt.*

Digitized by Google

Quæ quidem res quò pateat illuſtriùs, hominis tum mentem ratione prædiтam, tum dignitatem atque imperium, quâ Dei imago potiſſimùm continetur, attentiùs paulò conſiderabimus. Eſt igitur animadvertendum, mentis iſtam rationem nihil aliud eſſe, quàm eam hominis vim, quâ res quasvis cognoſcibiles percipit atque dijudicat. Quæ quidem quàm variè à Philoſophis dividatur, hoc loco nil attinet commemorare. Cum enim Theologiam religioniſque negotium tractare noſtrum ſit inſtitutum; ſatis ritè officio noſtro perfungemur, ſi rationis humanæ vim in ſuperiorem & inferiorem diſtribuerimus. Ac ſuperior quidem ratio eſt, quæ honeſtum à turpi, rectum à pravo diſcernit, honeſtumque ac rectum tantâ tuendum conſtantiâ ſuadet, ut nullo nec labore, nec periculo, nec libidinis aut nefariæ cupiditatis incendio, ab illius ſtudio deterreamur. Inferior autem ratio eſt ea hominis potentia, quâ utile ab inutili aliquo modo diſtinguitur, utileque inutili præponitur, ſimiliter etiam jucundum moleſto, honorificum ignominioſo. Hujus ductum homines ut plurimùm ſequuntur.

‡ *Quâ Dei imago*] Hoc eſſe falſum jam monuimus: Illa enim primaria erant imaginis Divinæ in homine monilia, quæ & peccatum abſtulit & per Chriſtum reparanda fuerunt. Sed in eo notandus eſt Socinianorum Atheiſmus, quod dignitatem mentis humanæ expoſituri nunquam immortalitatis animæ meminerunt, ſed è contrario eam palàm oppugnant, ut ſuo loco videbitur.

Si rationis humanæ] Hæc diſtinctio rationis ſuperioris ab inferiore Scholaſticis & Philoſophis quibuſdam uſurpata, non magni eſt momenti; nam potius ſe habet ex parte objecti quam ex parte ſubjecti: & poſſet quis quæ hîc de ratione inferiori dicuntur haud incommodè referre ad eam hominis ſive partem ſive facultatem animæ quæ ἄλογος & ſenſitiva eſt. Sed datâ hac diſtinctione ſemper ſubeſt ſcrupulus qui fiat quod *hujus ductum homines ut plurimum ſequuntur.* Etenim ex ordine naturæ ratio inferior deberet ſubeſſe ſuperiori, ut primum mobile ſphæras inferiores ſuo motu rapere ſolet. Quod ergo contrarium quiſque in ſe experitur, præpollente ut plurimùm utili & jucundo adverſus honeſtum in bilance, teſte eo qui dixit, *Si violandum eſt jus, regnandi cauſâ violandum eſt*, & illâ apud Poëtam, *Video meliora proboque, deteriora ſequor*, evidentem in nobis arguit corruptionem, & certam in automati noſtri rotulis laxationem & anomaliam.

Quod verò ad imperium attinet, quo homo creaturas ſublunares complectitur, & in quo imaginem Dei, quam is homini impreſſit, potiſſimùm conſiſtere diximus; ejus vis univerſa cernitur in facultate ſeu poteſtate eas creaturas ſibi ſubjiciendi; id quod abſque ratione ac conſilio fieri non poteſt. Intelligendum autem eſt, nequaquam homini prorſus directum atque adeò tantum in memoratas naturas imperium conceſſum eſſe, quantum in eas ipſe Deus habet. Neque enim ad Dei imaginem homini imprimendam opus fuit,
10. hunc in gubernando illi parem effici; cum ſatis fuerit, hominem eadem in re

Deo

Digitized by Google

Deo ſimilem exiſtere. Conceſſit autem ei imperium utile, id eſt, ea ex parte eum omnibus naturis præfecit, quatenus eas ad vitæ ſuæ uſum neceſſitatesque convertere poteſt. Quanquam uſus ille non peræquè ſemper liber fuit, ſed primò paulò anguſtioribus terminis circumſcriptus, poſtea laxior ex Dei voluntate evaſit. (*Gen: 1, 29. conf: cum c. 9. 3.*)

‡ *Potiſſimum conſiſtere*] Non erit id verius eò quod ſæpiùs ab hæreticis inculcetur; Nullaque ſuberat ratio legitima cur per prius ad imaginem Dei non referrentur ſpiritualitas & immortalitas animæ, quæ illius eſſentiam ſemper ſpectant, & juſtitia originalis quæ primarium fuit in ſtatu integritatis ejuſdem ornamentum.

Neque enim ad Dei] Fateor id ſuffeciſſe in imagine Dei analogica, quæ ei quadantenus ſimilis eſt quam homo ſuipſius videt in ſpeculo, quo non ſolum ejus lineamenta & colores, ſed etiam motus & geſtus exprimuntur: Sed ſecùs ſe res habet in imagine Dei eſſentiali quæ convenit proprio ejus Filio, qui dicitur *imago Dei inviſibilis* Col: 1, 15. & *ſplendor gloriæ ac character perſonæ* Patris Heb: 1, 3. Hæc enim Dei imago in Chriſto eam refert quâ filij patribus ſuis ſimiles quandoque ſunt, non tantum vultu, voce, inceſſu & geſtibus externis, ſed inſuper temperamento, ingenio, indole & naturâ. Quare in Divinis Filius non tantum ὁμοιούσιος, ut volebant Ariani, ſed revera ὁμοούσιος & conſubſtantialis Patri haberi debet, ut cenſuit & definivit contra illos Eccleſia Catholica, nixa evidentibus Scripturę teſtimonijs, Ioh: XIV, 9. 10. Phil: II, 6.

Quanquam uſus ille] Licet ille uſus non tam latè patuerit ante diluvium in actu exercito, & maximè tempore primævæ innocentiæ & integritatis hominum, ſub quo minus egebant tanto aliarum creaturarum ſubſidio, ad præcavendas vel expugnandas miſerias quibus per peccatum facti fuerunt obnoxij, attamen in actu ſignato amplius erat dominium eorum in reliqua animantia, quam ſupereſt poſt peccatum. Nihil enim ipſis tunc fuiſset nociturum, & ferociſſimæ feræ, à quibus poſtea debuerunt ſibi tantopere metuere, ut inde primam occaſionem cœperint arctioris inter ſe ſocietatis & urbium muniendarum, quemlibet ipſorum tanquam proregem ſuum venerabantur & ſuſpiciebant. Vnde Deo ſic jubente, Adamo ſe præſtò ſtiterunt, nomina ſua ab eo ſorturæ Gen: II, 19. Nec Gen: IX, 3. laxior uſus creaturarum aliarum conceditur hominibus quam antea obtinuerit, ſaltem poſt peccatum; Nam quamvis in ſtatu innocentiæ carnibus aliorum animantium victuri non fuiſſent, ad id ſufficientibus aliunde fructibus & frugibus terræ, juxta locum Gen: I, 29. tamen veroſimilius eſt ſtatim poſt peccatum non minus ex carnibus beſtiarum victitaſse, quam ſe induiſse, Deo etiam authore Gen: III, 21. illarum pellibus & exuvijs. Imò cum jam ab initio mundi & ex quo protoplaſti fuerunt ob ſuam defectionem ejecti ex Paradiſo, viguerit uſus Sacrificiorum & Victimarum, cujuſmodi etiam Abel obtuliſse legitur, non eſt veroſimile eos qui hæc Sacrificia offerebant nihil ex ſuis oblatis delibaſse & deguſtaſse: Siquidem ab ævo obtinuit ut viverent ex altari qui altari inſerviebant 1. Cor: IX, 13. Et cùm jam ante diluvium vigeret diſcrimen animalium mundorum & immundorum, uti liquet ex Gen: VII, 8. ex eo facile colligitur, jam tum ſatis laxum fuiſse eorum uſum inter homines. Quapropter Gen: IX, 3. non tam nova proponitur conceſſio, quam reſtitutio priſci juris, quo Noa potuiſset facilè ſuſpicari excidiſse homines

omneſque compluere, & ſole ſuo tam malos, quàm bonos illuminare dicitur. (*Mat: 5. 45.*) Quæ quidem rerum humanarum procuratio adeò latè patet, ut nihil hominibus vel boni vel mali accidere poſſit, niſi Deo aut decernente, aut permittente.

‡ *Conſultum cupit*] At hoc facit Deus non affectivè tantum per evanidum deſiderium & inefficacem cupidinem, ſed effectivè & actu, juxta loca hic Volkelio citata. Et revera ad generalem conſervationem hominum pertinet locus 1. Tim: iv, 10. non ad ſpecialem eorum redemptionem per Chriſtum, ut perperam nonnulli argutantur; Hinc eſt quod hominibus jumenta, hac in cura Divina & conſervatione per eam, expreſſè conjunguntur à Davide Pſal: xxxvi, 7.

Quæ quidem rerum] Agnoſco neceſſarium diſcrimen inter ea quæ fiunt Deo decernente, & ea quæ eveniunt ipſo permittente: Sed etiam meminiſſe oportet 1. Deo etiam decernenti tribuenda eſſe non ſolum bona jucunda quæ hominibus eveniunt, ſed etiam mala triſtia & pœnalia quà talia, in quæ incidunt; cum nullum ſit malum in civitate quod Deus non fecerit Amos iii, 6. Lam: iii, 37. 38. ii. Mala turpia ſic evenire ipſo permittente & diſpenſante, ut futuritio infallibilis eventus permiſſi, nullam labem inurat permittenti, juxta iſtud Auguſtini *cap.* 100. *Enchir.* quod ſæpiùs ad partes vocavi; *Propterea namque magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem; quia non fieret niſi ſineret; nec utique nolens ſinit ſed volens; nec ſineret bonus fieri malè, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet benè.*

Intelligendum tamen eſt, Deum non exiguam curæ iſtius partem in hominum prudentia operaque poſuiſſe: ſæpeque adeò per ipſummet tanquam inſtrumentum quoddam ei conſulere atque proſpicere. Unde efficitur, ut ſi homo ſibi ipſi deſit, prudentiâque divinitùs ſibi conceſſâ ad ſeſe conſervan-
dum minimè utatur, ſed vel in mala ſeſe ipſe temerè præcipitet, vel bonis in 11.
humana facultate poſitis non fruatur, dummodo eorum uſus pietati ne officiat, Deum tentare meritò dicatur. Hanc ob rem nemo prudens de montis cacumine ſeſe præcipitabit, ut Dei agnoſcat in ſeſe tuendo potentiam; nec laboribus quiſquam parcet, agrivé culturam negliget, quia Deum victum atque cultum procurare perſuaſum habeat; nec denique tam amens fuerit quiſquam, ut minimè ſibi in domo ædificanda laborandum exiſtimet, quia divinis literis proditum ſit, niſi Dominus ædificet domum, inanem laborem ſumere, qui eam ædificare inſtituant. (*Pſal. 127. 1, 2.*) Quamquam enim minimè dubium eſt, quin ad Deum iſta omnia referenda ſint, tanquam ad fontem omnium bonorum; ut pote qui & deligendi contrariaque rejiciendi prudentiam hominibus dedit, & acquirendi viam rationemque monſtravit, & perficiendi facultatem conceſſit, & opem ſuam nemini rectè imploranti unquam denegat: intelligendum tamen eſt, tunc demum revera nos iſta conſequi, cum Dei auxilio freti omnia facimus, quibus ad ea paranda opus eſt.

Digitized by Google

‡ *Vnde efficitur*] Sed etiam tum illa ipſa hominis imprudentia, Divinæ ſubſervit Providentiæ; ac ſicut *ſæpè* Deus homini *per ipſummet, tanquam inſtrumentum quodam*, conſulit atque proſpicit, ita non rarò eum punit & caſtigat per ipſum; juxta illud, *Nemo læditur niſi à ſeipſo*; Item, *Quos Iupiter vult perdere, dementat.*

Jam ut de ſpeciali hominum conſervatione ſermonem inſtituamus; animadvertendum eſt, eam ad fidelium nationem potiſſimùm ſpectare. Fideles porrò eos omnes nominamus, qui jam inde à mundi primordiis ad hæc uſque tempora, Dei ſtudio incenſi, virtutem, fidem, juſtitiamque coluerunt, & etiamnum in vera pietate ſeſe exercent. Deus quippe omnium ſervator cum ſit: maximè tamen fideles illi curæ eſſe, divinæ literæ teſtificantur. (*1 Tim: 4. 10.*) Hos enim nequaquam vulgari eum, ſed ſingulariſſimâ gratiâ ſuâ complexum ſemper fuiſſe, atque nunc etiam complecti, nemo vel mediocriter in ſacris voluminibus verſatus ignorare poteſt: cum non ſolùm omnia ad vitæ cultum neceſſaria illis ſuppeditet: verùm Angelorum etiam fidiſſimâ cuſtodiâ eos circumſepiat. id quod hominibus impiis contingere, (niſi fortè in eorum vita ſalus multorum, præſertim bonorum, agatur, quales ſolent eſſe Principes ac magiſtratus,) nemo rerum divinarum peritus unquam dixerit.

Fideles porrò eos] Aut ergo debes fateri viguiſſe *jam inde à mundi primordijs* fidem in Chriſtum, aut fideles novæ fabricæ comminiſci, qui deſtituantur fide in Deum & Chriſtum ejus, Ioh: XIV, I.

Non deſunt quidem homines rerum cæleſtium haud ſapientes æſtimatores, qui quòd ſæpè cum bonis virtutiſque ſtudioſis peſſimè agi; hominibus contrà omnium ſcelerum turpitudine inquinatis omnia optata contingere cernunt, in eum delabantur mentis errorem, ut vel Deum nullum eſſe, vel certè nullam rerum humanarum curam habere: ſed omnia temerè ac caſu, ſine conſilio, ſine ordine, ſine lege fieri aſſerunt. Iſtis autem primò hoc damus reſponſum, ſæpenumero fieri, ut quos pios eſſe arbitramur, haud quaquam ii ſint, qui eſſe creduntur. Deus autem, qui intimos etiam hominum ſen-
12. ſus introſpicit, omnia cernit atque animadvertit, quæ non ſolùm palàm, ſed etiam occultis in locis ab hominibus geruntur; & porrò non parùm frequenter juſtiſſimè in illos vindicat, qui nobis juſti, & ideo nequaquam puniendi, ſed omnibus bonis egregiè cumulandi eſſe videntur. Deinde ſi maximè conſtaret, iſtos, quos malè accipi videmus, in ſinceræ pietatis ſtudio verſari: nequaquam tamen conſequens eſſet, Deum nullam rerum humanarum providentiam habere: cum is ſæpè numero ea de cauſa ſuos variis calamitatum anguſtiis vexari patiatur, ut illos ad vigilantiam preceſque ardentes magiſmagiſque excitet, ad virtutis ſtudium vehementiùs inflammet, ad fortiter pugnan-

Digitized by Google

pugnandum inſtruat, ut fidei ipſorum, ut fortitudinis, ut victoriæ præſtantiam in aſpectum lucemque proferat, & ſic nominis ſui amplitudinem mirum in modum illuſtret.

‡ *Sed omnia temerè*] Videant iſti homines qui tanta cum animorum contentione Idolum ſui liberi arbitrij in arce repoſitum vellent, num ex ſuis placitis id non ſequatur, quod tamen à ſua doctrina hic fingunt remotiſſimum; Nec enim videmus qui non omnia humana *temerè ac caſu* eveniant, ſi liberum hominum arbitrium ſit independens à Deo, ita ut nec illud determinare Dei potentiæ ſit, nec ejus omniſcientiæ certò prænoſſe quonam ſeipſum ſit determinaturum; quorum utrumque ad placita Sociniana pertinet.

Cùm is ſæpenumero] Sed non omitti debuiſſet potior ratio, quod etiam melioribus comparatè ad alios adverſa plurima eveniant, ad ſanctificationem eorum promovendam, eoſque ob peccata præcedentia caſtigandos, & à peccatis in poſterum deterrendos: Nam homines ſimpliciter & abſolutè innocentes affligi, tam alienum eſt à Dei juſtitia, quam contradictorium dari malum aliquod hominum reſpectu, quod nec culpæ, nec pœnæ fuerit.

Adde, quòd non rarò fit, ut qui nobis florere, ab omnique calamitate atque cura vacare videntur, ii omnium infeliciſſimi ſint; quippe qui clandeſtinis conſcientiæ tormentis, juſto Dei judicio miſerandum in modum affligantur. Neque enim Deus, quæ ipſius ſapientia eſt, judicia ſua ſemper omnibuſque aperta eſſe voluit; nempe ut fidei noſtræ exercitatio locum haberet, quam perire atque evaneſcere neceſſe foret, ſi ſingula ſcelera ſtatim atque apertè ſuppliciis vindicaret. Adde etiam, quòd homines non tam virtutis amore, ſummivé, quod virtuti propoſitum eſt, præmii cupiditate incenſi, ſed malorum metu coacti divinis monitis obedirent. Quid, quòd Deus improborum mentes ita implicare ſolet, ut, dum alios impios ſcelerum ſuorum pœnas minimè vident perſolvere, nequaquam hoc ſibi exitio fore arbitrentur, ſi vel in omni flagitiorum turpitudine aſſiduè volutentur, eoque pacto ſecuriores fiant, & divinorum judiciorum laqueos haud quaquam effugiant.

‡ *Adde quod non rarò*] Atqui illa ipſa *clandeſtina conſcientiæ tormenta*, ſatis comprobant Deum habere ἔκδικον ὄμμα, nec in ejus tribunali ulli peccato impunitatem expectandam.

Adde etiam] Sed & hoc negligi non debuit, plura ſcelera manere inulta in hac vita, quo inſinuetur ſupereſſe hoc tranſacto aliud ſæculum, in quo Deus ſit repoſciturus pœnas ab impijs debitas & tarditatem ſupplicij ejus gravitate compenſaturus: Verum Sociniani ad illas pœnas futuri ſæculi nolunt attendere, quod revera illarum ſecuri ſtudeant eſſe, de gehennæ tormentis & Tartari doloribus acerrimis in æternum continuandis nihil credentes.

Quid quod Deus] Hoc utique Deus facit ita juſtè & ſapienter, ut propterea author peccati ſtatui non debeat: adeoque illa implicatio, non tam efficienter quam permiſſivè ipſi venit adſcribenda.

Digitized by Google

Poſtremò fieri poteſt, ut Deus, qui juſtiſſimus eſt, aliqua certorum hominum delicta, quantumvis non ſempiternâ, temporariâ tamen impunitate donet; quia nimirum cæteroquin eæ in illis ſint virtutes, quæ veniam iſtam quodammodo mereri videantur: vel etiam quia pietatis parentum ac majorum, unde illi ortum ducunt, & ſuorum, quæ illis fecit, promiſſorum, Deus rationem habet, quemadmodum de familia Davidica legimus. (*1 Reg: 11. 12, 13, 32. c. 15. 3, 4.*)

‡ *Poſtremo fieri poteſt*] Hic ſanè multa ſunt abſurda. Nam I. impunitas merè temporalis, *ſempiternâ* non conceſſâ, potius foret pœnæ dilatio quam ablatio. II. Repugnat juſtitiæ Divinæ, ut ſuo loco oſtenſum, impunitas abſoluta peccati. III. Valde ineptè ſtatuas, dari in homine peccatore eas virtutes, *quæ veniam iſtam quodammodo mereri videantur.* Nullâ enim virtute poteſt homo ſibi *mereri* apud Deum veniam peccatorum ſuorum; tum quia omnis venia & remiſſio peccati eſt merè gratuita Rom: XI, 6. tum quia virtutes ipſæ ſemper in ſe & pro ſe debitæ, officij neglecti & violati pœnam tollere non poſſunt: Qui anni præſentis canones ſive uſuras perſolvit fœneratori, per id non diſpungit vel effectivè vel meritoriè debitum contractum ob perſolutionem neglectam anno ſuperiori: Vide quod dicit Chriſtus Luc: XVII, 10. IV. Solet quidem Deus juxta ſua promiſſa miſericordiam ſuam continuare in pios ad milleſimam uſque generationem; verum id non facit impunitatem abſolutam præſtando poſterorum criminibus in majorum gratiam & ob ipſorum virtutes, contra dictum expreſſum Scripturæ Ezech: XVIII, 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. ſed poſteris eum ſubinde continuando favorem, juxta quem inſiſtant patrum veſtigijs, nec à Dei cultu & obſequio penitùs deficiant. Neque favet Volkelio *familiæ Davidicæ* exemplum quod hic urget: Nam 1. quod dicitur Deus hoc vel illud non feciſſe, vel ad tempus diſtuliſſe, *propter Davidem* ſeruum ſuum, non importat abſolutam impunitatem peccatorum quæ de poſteris Davidis referuntur. 2. Nec Deus in hac formulâ, *propter Davidem*, reſpicit ad merita illius, ſed ad promiſſa ſua ſpecialia quæ leguntur 2. *Sam:* VII, 13. 1. Chron: XXVII, 5. 6. à quibus præſtandis non poterat per ejuſmodi peccata dimoveri; Hinc non minus Ieroſolymorum quam Davidis ipſius habet rationem 1. Reg: XI, 13. quia videlicet elegerat Ieruſalem ut eſſet ſuum nomen ibi, quemadmodum elegerat Davidem ut eſſet ſuper populum ſuum Iſraelem 2. Chron: VI, 6. 3. Promiſſio facta Davidi erat abſoluta, quod ex fructu lumborum ſuorum proditurus eſſet Meſſias: Quare debuit continuare ſtemma illius uſque ad nativitatem Chriſti.

Hîc verò, quo pacto igitur Dei juſtitia elucebit, inquies, & quomodo totus terrarum orbis intelliget, Deum ſceleribus minimè delectari, ſed unicuique pro eo ac meritus eſt reponere? Reſpondemus, in hoc omnes divinos authores conſpirare, præſtitutum eſſe diem magnum quendam atque horribilem, quo Deus de omnibus hominum tum cogitatis, tum ſermonibus, tum actionibus,
13. tam evidens facturus eſt judicium, ut omnes nihil ipſius judicio omnibuſque factis juſtius eſſe ſint agnituri.

‡ *Reſpondemus*

Digitized by Google

‡ *Reſpondemus in hoc*] At cum juxta Socinianos impij non ſint reſurrecturi, nec per conſequens comparituri in judicio, ſaltem illis ex eorum grege qui pœnæ commeritæ ſe ſubduxerint in hac vita, conſtare non poterit de hac exacta Dei juſtitia. Præterea, cum agnoſcant adverſarij I. Multos pios & ſanctos, utut non vixerint abſque peccato, conſequuturos tamen in die judicij regnum cœlorum; II. Neminem eorum hanc gloriam ex ſuis meritis reportaturum; debent neceſſariò vel fateri, contra quam ſentiunt, tunc ergo conſtiturum peccata quæ pij commiſerint ſimpliciter impunita non fuiſſe, ſed pœnas ipſis debitas ſuo tempore Deum in Chriſto, vade ipſorum, exegiſſe, adeoque illis reponi non pro eo quod *meriti* fuerant, ſed pro eo quod Chriſtus illis ſuâ obedientiâ integerrimâ & ſanctiſſimâ paſſione meritus eſt; vel agnoſcere, contra quam docet hîc Volkelius, nequidem in judicio ultimo ita patefactum iri juſtitiam Dei, *ut totus terrarum orbis intelligat Deum ſceleribus minimè delectari, ſed unicuique pro eo ac meritus eſt reponere.* Sanè non reponet pijs pro eo ac meriti ſunt, ſi nequidem attendat Deus ad meritum Chriſti pro illis, cùm illam fœlicitatem quam conſequentur non ſint perſonaliter meriti; nec patebit juxta placita Sociniana quomodo eorum peccatis & ſceleribus, quæ quondam commiſerint, Deus delectatus non fuerit, ſiquidem voluerit ultrò abſque ulla ſatisfactione, ipſa diſſimulare ac remittere.

CAP: VIII.

De Gubernatione hominis, & primùm de religione primi mundi.

GUbernatio hominis ea divinæ providentiæ pars eſt, quâ illius vita regitur atque gubernatur. Eſtque vel ordinaria, vel extraordinaria. Ordinaria eſt, quâ Deus perpetuò hominis ſtatum moderatur. Extraordinaria, quâ Deus inuſitato modo ſingularibus de cauſis hominem gubernat. Neque enim ita ad ordinariam ejus regendi rationem alligatus eſt, quin ab eâ pro ſumma ſua ſapientia ac voluntate recedere interdum poſſit. Quanquam verò ad ordinariam hominis gubernationem illud quoque pertinet, quòd Deus legibus quibuſdam naturaliter homini præſcriptis, & animo ejus inſculptis, vitam ipſius regat, & tacito quodam inſtinctu ad bonum felicitatemque ipſius ducat: tamen quia id ex ſola hominis creatione pendet, nec aliam præterea Dei actionem poſtulat, nihil de eo hîc dicemus ampliùs: ſed de ea gubernatione, quæ providentiæ divinæ propria eſt, & alia quapiam manifeſtiori ratione, quàm ſit iſta naturalis, vitam hominum regit ac moderatur. Hæc autem potiſſimùm in religionis præſcriptione conſtituta eſt. cui cum promiſſio præmiorum rectè factis propoſitorum conjunctiſſima ſit, commodum fuerit ſimul iſta ponderare. Intelligendum autem eſt, Deum pro temporum diverſitate, diverſas ſui colendi vias hominum generi oſtendiſſe. Sunt quippe alia tempora, quæ priora; alia quæ poſteriora nominare licet.

Digitized by Google

nullum reperies generale Dei præceptum hominibus propoſitum: licet ex quibuſdam Dei dictis, quæ inibi leguntur, generalia præcepta conſtituere non ſit difficile: ut ex illo Dei ſermone, quem ad Cainum, ante interfectum ab ipſo fratrem habuit, (*Gen: 4. 6, 7.*) quo illum ab ira dehortatur, & ad rectè agendum appetitumque coërcendum hortatur. Et hujuſmodi quidem admonitionibus eorum temporum homines crebrò inſtructos, ipſiſque apparitionibus, ut Deum exiſtere agnoſcerent crederentque, & eum colendum ac metuendum ſtatuerent, edoctos fuiſſe, tum per ſe credibile eſt, tum ex fac: lit: non obſcurè colligi poteſt. Poſt diluvium verò generalia Noacho & poſteris ejus tradidit præcepta, ceremoniale alterum, de quo paulò agemus inferiùs; alterum morale, de ſanguine humano non fundendo. *Qui enim*, inquit, *ſanguinem humanum profuderit, profundetur ſanguis illius: ad imaginem quippe Dei homo factus eſt.* (*Gen: 9. 4, 5, 6.*) Reliqua verò omnia ſingularia exiſtimanda ſunt: veluti illud fuit, quo primi parentes noſtri ab arboris illius fructu prohibebantur; & quæ Deus Noacho, tum de arca ædificanda, tum de aliis ad eam rem ſpectantibus parandis præceperat: (*Gen: 2. 17. & 6. & 7.*) & quæ ſunt generis ejuſdem.

‡ *Vt igitur de prima*] Verum eſt Deum per gradus proceſſiſſe in promiſſionis ſuæ per Chriſtum complendæ diſpenſatione; interea tamen abſurdè dixeris priorum illorum temporum religionem *valde imperfectam* fuiſſe; Habuerunt & illi homines, pro eo ſtatu & conditione, quod illis ſufficeret ad ſalutem: Etſi ephœbi prætexta ſit imperfecta comparatè ad togam virilem, ſufficit tamen ei induendo qui nondum exceſſit ex ephœbis, imò ejus ſtaturæ & ætati concinnè & apprimè convenit.

Etenim quantum conjicere] His conjecturis Socinianis haud temerè debemus aſſentiri. Nam cum Lex Dei moralis, ſit immutabilis & æterna, ſive conſideretur ut inſcripta tabulis lapideis in monte Sinai, ſive attendatur ut naturaliter inſculpta omnium cordibus, ſemper eadem fuit eritque perpetua norma faciendorum & fugiendorum in genere morum. Quin inepta valde eſt oppoſitio quam hic Volkelius inſtituit inter fixas leges ac generalia præcepta à Deo propoſita, & dictamen *rectæ rationis*; cùm illa hoc contineri & Paulus doceat Rom: 11, 14. 15. & agnoſcant omnes Chriſtiani, qui officia morum, prout Decalogo continentur, juris naturalis & perpetui ſtatuunt. Et quæ inſuper hic ariolatur Volkelius *de ſingularibus Dei mandatis ad certas perſonas certáve negotia pertinentibus*, quæ forent loco præceptorum generalium eorumque vices ſupplerent, quia nullo probabili firmantur indicio, facilè contemnimus: Turpe eſt Iuriſconſulto ſine lege loqui, & Theologo ſine Scripturis.

Itaque in eorum] Argumentum eſt negativum quod nihil concludit: Satis fuit Moſi vetera illa tempora replicanti, ſummaria rerum capita breviter attingere, nec ſpeciatim enarrare præcepta morum quæ tunc viguerint, cùm per ſe ſupponeret officiorum moralium immutabilitatem inter homines. Imò eo quod *ex quibuſdam Dei dictis quæ inibi leguntur, generalia præcepta conſtituere non ſit difficilè*, juxta Volkelium, nec difficile etiam erit ex illis dictis colligere, jam tum illa generalia

ralia

ralia præcepta viguiſſe; Nec potuerit Deus Cainum ab ira, odio & invidia in fratrem dehortari, aut ipſum propter fratricidium plectere, niſi ex lege generali jam ab initio vigente, de ejuſmodi criminibus & vitijs fugiendis conſtitiſſet.

Et hujuſmodi quidem] Atqui adminitiones illæ ſæpiùs repetitæ ſupponebant regulam officij, cui conſervandæ, renovandæ, inculcandæ, determinandæ, potiſſimùm crebræ iſta apparitiones inſerviebant: Et fruſtra invitaſſet Deus homines ad ſe colendum & metuendum, niſi certa fuiſſet & ab ipſo præſcripta cultus ſibi deferendi norma; Fruſtra eum homines coluerint ſuis ἐθελοθρησκείαις, ut videre eſt Matth: xv, 9. Col: II, 23.

Poſt diluvium vero] At ut nihil dicam de cæremoniali iſto mandato, quod veroſimile eſt jam antea viguiſſe & quamdiu Deus cœpit coli ſacrificijs & victimis, certum eſt morale illud præceptum *de ſanguine humano non fundendo*, etiam ante diluvium viguiſſe: Vnde talionem metuebat Cain poſt occiſum ſuum fratrẽ, & Lemech ſecurum ſe Numinis profeſſurus, Thraſonem agebat & cædes minitabatur. Ad plura fuiſſe Noam ejuſque liberos obſtrictos in genere morum, etſi hoc potiſſimum mandatũ Deus legatur repetijſse in ſecuritatem novarum ſocietatũ inter homines ſtabiliendarum, vel ipſi agnoſcunt Iudæi, qui commemorant ſeptem Noachidarum præcepta, tanquam fundamenta prima juris naturalis & gentium inter homines, quæ Seldenus erudito & prolixo commentario illuſtravit.

Reliqua vero omnia] Agnoſco ſingularia quædam & merè poſitiva mandata, etiam Deum ſubinde dediſse ſuis, ante tempora Abrahami vel Moſis; licet non eo fine quem ante fingebat *adverſarius*, ut eſſent vice generalium; *Sed primò ſingularium quorundam poſitio, non eſt generalium negatio vel remotio*; Deinde ſubdolè & iniquè confundit Volkelius ea quæ pertinent ad ſtatum innocentiæ & fœdus naturæ, ante hominis *lapſum*, quò ſpectat interdictum arboris ſcientiæ boni & mali, cum *ijs quæ pertinent* ad ſtatum naturæ lapſæ & corruptæ, & per fœdus gratiæ ac mulieris ſemen, cujus promiſſio extat in Proteuangelio Gen: III, 15. reſtituendæ & reparandæ.

Etiamſi autem, ut diximus, de aliis generalibus Dei mandatis ad mores pertinentibus, nihil in iſtorum temporum hiſtoria legamus: nihilominus tamen ex iis, quæ ibi narrantur, colligi poſſunt nonnulla pietatis officia, de quibus hominibus generatim omnibus vel conſtitit, vel conſtare facilè potuit. Nam ut taceam, jam tum patuiſſe, Deum eſſe colendum ac metuendum, à malefactis eſſe abſtinendum, rectè factis ſtudendum, appetitum eſſe coërcendum, à cæde, tum aliorum omnium, tum inprimis ſanguine junctorum, eſſe abſtinendum; conſtabat etiam, parentibus nequaquam illudendum, ſed præcipuum quendam honorem habendum eſſe. Aliter enim nec Noachus filio ſuo Chamo, irreverenter ſeſe erga ipſum gerenti, maledicere jurè potuiſſet: nec reliqui duo illius filii, Sem nimirum & Japhet, nuditatem paternam contegere officii ſui eſſe intellexiſſent: nec denique idem Noachus his præ illo benè precatus fuiſſet. (*Gen: 9. 2. & ſeqq.*) Illud quoque ſine dubio ex divina diſciplina jam tunc conſtabat, nequaquam fas eſſe, ut qui Dei ſtudium profitebantur, prophanorum hominum filias in matrimonium ducerent: quippe cum hæc res tanti ſceleris loco habita fuerit, ut dilu-

lavij

Digitized by Google

luvii illius cauſa extiterit. (*Gen: 6. 1, 2, & ſeqq.*) Quid autem de Sodomiticis illis ſceleribus dicam? quæ nequaquam locis illis tantum incendium importaſſent, niſi pro vetitis & prorſus illicitis habita fuiſſent. (*Gen: 19.*) Nec dubium eſt, quin alienam uxorem etiam habere, grave tunc ſcelus habitum fuerit. Nam & Pharaonem & Abimelechum, qui hoc facerent, gravi ſeſe flagitio obſtringere, probè intellexiſſe, tum inde perſpicuum eſt, quòd cum Abrahami uxorem tangere cogitarent, Deoque illorum conſiliis occurrente, conjugem illius eſſe intelligerent, quam is ſororem dixerat, acriter cum eo expoſtularent, ut qui diſſimulatione iſta, peccati illis cauſam attuliſſet. (*Gen: 12. 15, & ſeqq. Gen: 20. 3, 4, 9.*) Quamvis autem hæc jam Abrahami ætate geſta fuerint: tamen ex religione antea hominibus illis tradita ea manaſſe, & ſatis per ſe clarum eſſe videtur, & inde apertiùs etiam conſtat, quòd divinus cultus, qui unà cum Abrahamo incepit, nequaquam communiter, ut prior ille, ad omnes alios, ſed ad ſolam Abrahami familiam revera ſpectabat. Et hæc quidem de iis pietatis officiis, ad religionem primorum ſeculorum pertinentibus, quæ ad mores ſpectant, dixiſſe ſatis ſit. 15.

Nihilominus tamen] Dubium non eſt quin de illis officijs ad pietatem ſpectantibus, ſufficienter conſtiterit omnibus illorum temporum hominibus, partim ex lumine naturali reſiduo, quod haud abs re credideris tunc purius adhuc & defæcatius fuiſſe ſub ipſis rudimentis mundi, quam ſequioribus ſæculis, quæ illud tum negligentiâ & ſitu, tum malè agendi conſuetudine multum imminuerunt; partim ex revelatione Divina, & ipſorum Patriarcharum crebra inſtitutione, qua optimi quique exundanti vitiorum diluvio ſe opponere, manu & linguâ, adhortationibus & exemplis, ſtudebant. Hinc ante tempora Noæ itum in partes & cœptum invocare nomen Domini, Gen: IV, 26. & qui pietatis ac virtutis reverentiâ ducebantur præ alijs, ſe filios Dei nuncupabant Gen: VI, 2. etſi poſtea ceſſerint corruptioni publicæ, & eam penitùs imbiberint.

Nam ut taceam, jam] At vero patere non potuit Deum eſſe colendum, quin ſimul ad voluntatis ſuæ præſcriptum coleretur ab ijs qui ritè eum coluerunt. Et cum hîc tam multa moralia quæ jam tum viguerint congerat adverſarius, eo ipſo deſerit quod ante dixerat, nulla præcepta generalia ad mores ſpectantia primos illos homines accepiſſe.

Quod divinus cultus] Agnoſco in Abrahami familia reſtrictum fuiſſe fœdus gratiæ & Redemptionis futuræ per Chriſtum, illiuſque promiſſiones novis ſigillis fuiſſe munitas; ſed in genere morum nihil novi Deus illi impoſuit ad quod cœteri non tenerentur, licet jam pleriſque paſſim ab officio deficientibus tam erga Deum quam erga proximos.

Ceremonialia quod attinet, duo potiſſimùm ſunt: quorum alterum ſacrificiorum religione continetur, in qua non poſtremam divini cultus partem tum conſtitutam fuiſſe, eaque ſi quis ritè perfunctus fuit, gratiſſimùm Deo feciſſe, inde perſpicitur, quòd Deus Caini muneribus contemtis, A-

Digitized by Google

belis ſacra gratiſſima voluntate proſecutus eſt. (*Gen*: *4. 4, 5.*) Alterum ſanguine veſci homines illos vetabat, omniumque primò Noacho ejuſque poſteris generali præcepto traditum fuit. (*Gen*: *9. 4, 5.*) Cujus quidem hanc cauſſam fuiſſe docemur, quòd omnis carnis anima in ſanguine ſit; cui rationi illa quoque ſub lege Moſaica, in qua idem mandatum fuit repetitum, acceſſit, quòd eum Deus hominibus religione iſtâ devinctis in aram dederit, ad illorum animas expiandas. (*Levit*: *17. 11.*) Et hæc quidem de religionis illius præceptionibus dicta ſunto.

‡ *Quorum alterum*] Sed de illis Sacrificijs tria notanda ſunt: Primò ea fuiſſe inſtitutionis Divinæ; cùm homini abſque Dei voluntate in cultu Dei quicquam tentare planè nefas ſit: Habet in eo authoritatem imperij, nobis vero ſolam obſequij gloriam reliquit. Secundò ea fuiſſe ſignificationis myſticæ, ad præſignificandum ſacrificium Chriſti & remiſſionem peccatorum in ipſius ſanguine: Nulla enim ratio ſuadet cur de illis aliter judicemus quam de ſacrificijs Leviticis, quæ umbram habuiſſe futurorum bonorum & Chriſtum præfiguraſſe clamat tota Scriptura. Tertiò ea non aliter grata fuiſſe Deo, quam prout ex fide illi offerebantur; ut de ſacrificio Abelis prælato Caini muneribus, diſertè monet Apoſtolus Heb: XI, 4. Nec enim ideo prætulit Deus victimam Abelis oblatis Caini, quod per ſe magis delectaretur pecudum mactatione, quam frugum oblatione; ſed quod Cain illotis manibus ad aram ſuam accederet, & arbitraretur ſatis ſuperque fore ſi ſaltem dicis gratiâ non videretur religionis actus externos negligere; Abel verò in pecudis ſuæ immolatione & ſe peccati reum ac morte dignum agnoſceret, & in ſanguinis illius effuſione fidem ſuam attolleret ad promiſſum ſemen benedictum, cujus beneficio ſignificatam illo ritu remiſſionem peccatorum, eſſet apud Deum conſequuturus.

Alterum ſanguine] Sicut præceptum de homicidio cavendo, jam viguerat ante tempora Noæ, etſi Deus illud poſt diluvium repetere dignatus ſit, ita etiam poteſt probabiliſſimè ſtatui ceremoniale hoc inſtitutum de non veſcendo ſanguine, jam viguiſſe ab initio Sacrificiorum inſtitutorum, licet per Noam illud Deus renovari voluerit. Patet quod dico ex ratione Moſis Levit: XVII, 11. ideo ſanguine abſtinendum quod Deus eum dederit ad hominum animas expiandas. Quare tum demum factus eſt nobis licitus ſanguinis uſus & eſus, cum effuſo ſanguine Chriſti, quem omnis præcedentium victimarum ſanguis ſignificabat, ad hauriendum, ſed myſticè, ſanguinem N. T. effuſum pro multis in remiſſionem peccatorum, ipſe nos, contra quam antea obtinuerat, invitare dignatus eſt.

Reſtat ut de promiſſis idem ferè, quod & de mandatis primæ illius religionis, brevi dicamus: nempe vix aut ne vix quidem generale aliquod illius ſeculi hominibus promiſſum factum: ſed minas potiùs tunc illis metuſque propoſitos fuiſſe. Neque enim videmus, Deum Adamo, ſi ab arboris illius fructu ſibi temperet, aliquod obedientiæ præmium polliceri; ſed niſi dicto audientem ſeſe præbeat, interitum denunciare. (*Gen*: *2. 17.*) Niſi fortè illud unum, quod Caino Deus fecerat, (*cap*: *4. 7.*) generatim ad omnes

reſpicere

reſpicere volumus. Videtur enim eam rem continere, quæ nequaquam unius ſit propria, nimirum ſi rectè ageret, futurum fuiſſe, ut in gratiam reciperetur, & non minùs quàm Abel, divinam benignitatem experiretur. 16.

‡ *Reſtat ut de promiſſis*] Agnoſco aliquatenus ſimilem eſſe utrorumque rationem: Adeoque ut generalia extabant præcepta Legalia, quæ ad mores informandos ſpectabant, ita generales extabant promiſſiones Euangelicæ, licet minùs diſtinctè propoſitæ, quæ ad fidem excitandam & alendam faciebant. Laudatur fides Abelis, Enochi, Noæ, Heb: XI, 4. 5. 6. Illâ autem fide amplectebantur & eminùs ſalutabant promiſſiones Divinas: Eaque eſt relatio neceſſaria inter fidem & promiſſionem Dei, ut hac ſublatâ illam tolli quoque neceſſe ſit. Illa ipſa ſacrificia quæ tunc offerebantur, ſi modò offerebantur ex fide, promiſſionem remiſſionis peccatorũ, non ſolùm importabant, ſed etiã obſignabant: Et illicò poſt peccatum acceperant protoplaſti promiſſionẽ Euangelicam de ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis, quæ tam altas in piorum mentibus egerat radices, ut jam tum eam compleri ſuſpicaretur Eva in Caini nativitate Gen: IV, 1. & Lamech in Noa Gen: V, 29. ut obſervarunt nonnulli docti interpretes.

Sed minus potius] Fateor quod uſque ad tempora Chriſti exhibiti, vigente adhuc ſpiritu ſervitutis, omnis illa œconomia plus terroris & minarum, quam ſolaminis habuerit; Sic enim agitur cum hærede quamdiu infans eſt & cùm nihil differt à ſervo Gal: IV, 1. 2. Ita etiam infantes noſtros, antequam adoleverint, potius minis, terrore & virgâ continemus in officio, quam oſtentatione amplæ hæreditatis. Sed quamvis olim in œconomia V. T. plus fuerit terroris & minarum quam conſolationis & promiſſionum, perperam tamen inde colliges nullas ibi fuiſſe promiſſiones ſalutis & vitæ; A dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter non procedit argumentum.

Neque enim videmus] Id valde à ſaniori Theologia alienum quod Volkelius confundit ea quæ pertinuerunt ad ſtatum integritatis & innocentiæ, cum iis quæ ſequuta ſunt ſtatum corruptionis: Sed præterea ſicut Deus minatus erat mortem Adamo, ſi ab arboris prohibitæ fructu ſibi non temperaret, ita etiam certam illi promiſſionem fecerat immortalitatis & vitæ, ſi perſeveraret in obſequio; quandoquidem in illius rei pignus & ſacramentum arborem vitæ acceperat. Et cùm omnia Divina mandata, manibus ferreis & aureis, ideſt minis & promiſſionibus, munita ſint, aut nulla oportet extitiſſe mandata Divina ad homines ante Abrahamum, aut concedendum non minus generale aliquod promiſſum, quam generale aliquod præceptum hominibus illius ſæculi factum fuiſſe.

Niſi fortè] Atqui vel hoc ſolum ſufficit confundendis hæreticis: Nemo enim poteſt recipi *in gratiam* apud Deum, qui eo ipſo gloriæ & ſalutis promiſſionem non habeat. Plura tamen habemus; Id præſertim quod Abelis fides laudata Apoſtolo, promiſſioni alicui Divinæ de ſalute æterna inniti debuerit.

Quòd ſi fortè quiſpiam Enochi in cœlum elationem ejuſmodi promiſſionis loco ducendam exiſtimet, quâ omnibus cum pietate viventibus eadem felicitas pacta fuerit; is nimirum vehementer errat: cum ſimplex hoc factum, nulla adjecta ejuſdem beneficii oblatione, promiſſum appellari nequaquam poſſit. Adde, quòd res ipſa nequaquam hominibus illis ex eo quod Enocho

ſingulari de cauſa contigerat, promiſſum generale elicere permittebat: cum multi, quos Deus propter ſingularem pietatem admodum charos habuit, in cœlum rapti nequaquam fuerint. Adde etiam, quòd immortalitatis promiſſio non illius ætatis erat propria; ſed, ut ſuo loco demonſtrabitur, (*Lib:3.c.11.*) ad ultima, nempe Meſſiæ tempora ſpectabat.

‡ *Quod ſi forte*] Saltem negari non poteſt hanc promiſſionem Enochum adeptum fuiſse, ut pote qui illâ fide fretus cum Domino ambularit, ut refertur Heb: XI, 5. Et cùm alij omnes ad ſimile officium & tenerentur & invitarentur à Deo, utique debuerunt ſub eadem conditione ſimilem fœlicitatis & remunerationis æternæ promiſſionem obtinuiſse.

Cum ſimplex hoc factum] Etſi non fuerit facta Enocho ejus beneficij oblatio quoad modum quo illud obtinuit, per tranſſumptionem in cœlum non deguſtatâ morte, fuerat tamen hæc oblatio facta quoad rem ipſam: nempe eum in anima & corpore donandum eſse fœlicitate æternâ, quod omnibus pijs & fidelibus certiſſimè promiſsum eſt: aliàs non poſſet dici Enoch aſsumptus fuiſse fide, ut factum ab Apoſtolo.

Adde quod res ipſa] Imò Enochi tranſlatio fuit hominibus illius ævi teſtimonium certum fœlicitatis promiſsæ fidei & pietati: Et quamvis nemo ſpeciatim deberet inde ſibi polliceri ſe in corpore & anima, non viſâ morte, tranſlatum iri in cœlum, tamen illuſtri hoc exemplo Deus abundè docebat & in corpore poſt reſurrectionem finalem & in anima illicò poſt tabernaculum hoc everſum, eos omnes fœlicitate æternâ donandos, qui eandem cum Enocho viam inſiſterent.

Adde etiam, quod] Id eſt falſiſſimum: nam ipſa Dei lex involuit promiſſionem vitæ immortalis; *Si vis ingredi in vitam ſerva mandata*: Et cùm Chriſtus ſit agnus Dei mactatus ab exordio mundi Apoc: XIII, 8. nempe in victimis & ſacrificijs quibus ejus mors præſignificabatur, illa ipſa ſacrificia quæ illius ætatis propria erant, hanc promiſſionem immortalitatis, ut & remiſſionis peccatorum, ſecum complectebantur. Nam cum peccati ſtipendium ſit mors, ablato & remoto peccato, mortem quoque tolli & obtineri immortalitatem neceſse eſt. Fateor ad Meſſiam pertinere vitæ & immortalitatis promiſſionem & collationem; ſed cùm Chriſtus ſit idem heri & hodie & in ſæcula Heb: XIII, 8. ejuſque que beneficium ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω cum Iano bifronte reſpiciat, quam non poteſt prior ille mundus penitùs excludi à beneficio Meſſiæ jam tum ſolemniter promiſſi Gen: III, 15. tam ei non poteſt immortalitatis promiſſio, per Meſſiam ſuo tempore exhibendum, denegari.

Jam ſi illud promiſſi loco habendum quiſquam arbitretur, quòd Deus Noacho ipſiuſque poſteritati nunquam ſeſe diluvium terris immiſſurum eſſe pollicitus fuerat: (*Gen: 9. 11, 5.*) reſpondeo, non de eo promiſſorum genere à nobis ſermonem haberi, quo certo ſupplicio homines ampliùs punitum non iri confirmatur, (cum hoc vix aut ne vix quidem promiſſi nomine dignum videantur) ſed illud nos oratione complecti, quo non ſolùm in homines minimè vindicandum ſed inſuper bono aliquo inſigni eos ornandos eſſe pronuncietur. Cauſa porrò, cur Deus illa ſeculorum ætate ſibi obediri voluerit, nullo ferè generali præmio propoſito, hæc eſſe videtur, quòd in ipſo ſtatim mundi primor-

di primordio, nihil ſeſe cuiquam debere, ſed omnium rerum abſolutiſſimum Dominum eſſe, omnibus oſtendere voluit.

‡ *Iam ſi illud promiſſi*] Fateor huc non facere in ſenſu literali promiſſum de diluvio Vniverſali non amplius futuro: quod ineptè & blaſphemè Volkelius ſtudet elevare, ac ſi *vix aut ne vix quidem promiſſi nomine dignum* fuerit: Certè tantivis illud fecit ipſe Deus Opt. Max. ut illi obſignando & conteſtando publicè Iridem deſtinare voluerit: Sed pertendo quod præter hoc promiſſum univerſale, habuerint pij certas & ſpeciales promiſſiones quas fide apprehendebant, non impunitatis modò, ſed etiam hujus vitæ viâ emenſâ fœlicitatis & gloriæ. Aliàs fruſtrà Paulus eorum fidem nominatim extuliſſet & celebraſſet.

Cauſa porrò] Supponit Volkelius quod falſum eſt, ſcilicet nullum generale præmium fuiſſe illa ætate hominibus propoſitũ, cùm ſemper homines viatores his duobus, nempe præmio & pœnâ, regendi ſint. Deinde relinquit cogitandum ſuo Lectori, Deum nunc per ſua promiſſa ſe debitorem conſtituere creaturis ex juſtitia commutativa ſive particulari, adeoque minus nunc oſtendi, ipſum eſſe *omnium rerum abſolutiſſimum Dominum* quam *in ipſo ſtatim mundi primordio*: Quæ ſanè doctrina non uno modo erronea eſt. Nam etiam poſt tam liberalia promiſſa quæ Deus nobis facere dignatur, certiſſimum eſt illum *nihil cuiquam debere*, & manere Dominum abſolutum univerſi; patet ex Luc: XVII, 10. & Rom: XI, 35. Eo ipſo quod promiſſa ipſius ſunt merè gratuita, ſatis liquet ea compleri non ex debito ſed ex gratia. Et tantum abeſt ut aliquid per illa deteratur de abſoluto Dei dominio, ut è contrario abſolutiſſimum ſe demonſtret Dominum univerſi in illis faciendis & præſtandis: Vt nullo modo hæc poſſit fingi cauſa cur Deus nullum generale præmium hominibus priorum ſæculorum propoſuerit: Aliàs eadem de cauſa nihil porrò debuiſſet promittere; cùm ſemper noſtra interſit ſcire quod nihil cuiquam debeat & omnium rerum abſolutiſſimus Dominus ſit.

CAP: IX.

De Religione Abrahamo tradita.

‡ *Reſpondente ad hoc caput & duo ſequentia* DAVID D. BLAIR, *Orthecienſi-Benearnenſi-Gallo.*

HIs ita conſtitutis, gradus faciendus ad Abrahami eumque ſubſecuta tempora, ut quali tunc religione homines obſtricti fuerint, inqulramus. Quam quidem cum Moſes, quem ſolum in rei iſtius diſquiſitione ſequi debemus, maximo compendio complexus ſit, nos, quibus plus divino ſpiritu ſapere conceſſum nequaquam eſt, ſimiliter breves eſſe oportet. Principio igitur intelligendum eſt, religionem, quam nunc Deus tradidit, ad Abrahamum tantùm ejuſdemque familiam, ut ſuprà diximus, aſtrictam fuiſſe. Hunc enim Deus ex omnibus hominibus delegerat, cum quo arctiſſimam jungeret amicitiam, cuique præ aliis omnibus ſeipſum patefaceret. Religio igitur illi tunc divinitùs præſcripta, priori illa & clarior fuit & perfectior, ſive præcepta ſpectes, ſive promiſſa.

‡ *Ut quali tunc Religione*] Subſtantia Religionis ſemper manſit eadem; ſed acceſſêre poſtea ut clariores revelationes ad Gratiæ fœdus ſpectantes, ita illis ſignificandis & obſignandis ſpeciales ritus, per quos in rei promiſſæ fidem & expectationem animi piorum excitarentur.

Principio igitur] Fateor; quia fœdus gratiæ ad illius ſemen & familiam coarctavit: adeoque hæc Abrahami & poſterorum aſſumptio, aliorum omnium fuit excluſio & rejectio.

Priori illa & clarior] Agnoſco plus lucis acceſſiſſe fœderi Divino evocatione Abrahami ad ipſum quam antea; Eadem tamen fuit religio, quoad eſſentialia, quæ antea inter pios obtinuerat, & ejuſdem Mediatoris beneficio & futura redemptione ſuſtulta.

17. Ad præcepta enim quod attinet, animadvertendum eſt, non ſolùm omnia illa, quæ ſuprà ex certis circumſtantiis collegimus, hîc retinenda: ſed alias inſuper leges conſtitutas fuiſſe, eaſque tum morales, tum ceremoniales, ut ex illis ipſius Dei verbis colligi poteſt, quibus aſſerit, Abrahamum obediviſſe voci ſuæ, & cuſtodiviſſe præcepta & mandata, & ceremonias legeſque ſervaſſe. (*Gen*: *26.5.*) Fecerat enim Deus cum Abrahamo fœdus, cujus ſumma in hoc conſiſtebat; ut Abrahamus coram Deo ambularet perfectusque eſſet, id eſt, tum ipſe ex Dei præceptis vitam componeret, tum ad eandem pietatem liberos ſuos inſtitueret: Deus verò illius poſteritati faveret, omnibuſque, pro eo ac promiſerat, bonis illam cumularet. (*Gen*: *15. 18.*: *17. 1*, & *ſeqq. Gen*: *18. 17, 18, 19.*) Pollicitus quippe fuerat Abrahamo poſteritatem innumerabilem, ipſumque patrem multarum gentium futurum eſſe. (*Gen*: *15. 5; 6, 7.*) Qua de cauſa cum *Abram*, id eſt, pater excelſus, antea nominatus fuiſſet, poſtea *Abrahami* nomine, quod patrem multarum gentium ſignificat, appellatus fuit. (*ibid*: *17. 4, 7, 8.* & *ſeqq.*) Promiſerat præterea ſe fore illius Deum, omniſque ejus ſeminis poſt ipſum: item ſeſe ſemini illius daturum terram Chanaan. (*Gen*: *13. 15*: *15. 18*: & *al.*) Quorum promiſſorum ratione habita, dicit ſe Abrahamo, Iſaaco & Jacobo apparuiſſe in nomine Schaddai, (*Exod*: *6. 3.*) hoc eſt, ſe illis omnem ſufficientiam bonorumque affluentiam promiſiſſe. Quod quidem fœdus ſuum Deus, tum confirmavit, tum perpetuum quoddam illius monumentum in Abrahamo ejuſque univerſa poſteritate extare voluit. Confirmatio tum crebris apparitionibus, tum rerum quarundam promiſſarum completione, tum juramenti religione continetur. Etenim inſigne admodum divinæ in Abrahamum benignitatis indicium fuit, quòd is, quem mundi conditorem eſſe jam perſuaſum habebat, ſua ipſum conſuetudine colloquiiſque dignum exiſtimaret. Inſigne etiam illud Dei in promiſſis præſtandis fidei documentum, quòd cum ſobolem ipſi jam ſeni uxorique vietæ præter naturæ curſum promiſiſſet, certiſſimo eventu fidem ſuam comprobavit. Jurejurando autem, quo Deus Abrahamo fidem ſuam adſtrinxerat, quid validius eſſe potuit? cum etiam illis, qui mentiri

Digitized by Google

mentiri ſuâ naturâ poſſunt, ſi alioqui fidei perſpectæ fuerint, nullo interveniente juramento credi ſoleat. (*Gen: 22.16. Luc: 1.73. Heb: 6.13, 17, 18.*) Quantum igitur in Dei, cujus natura omne mendacium prorſus reſpuit, non affirmantis ſolùm, ſed jurantis etiam fide, Abrahamo ponendum fuiſſe exiſtimabimus?

‡ *Eaſque tum morales*] De Cæremonialibus concedo, de Moralibus nego: Et quamvis nolim inficiari etiam per Abrahamum doctrinam morum, jam ubique collapſam, reſtitui cœpiſſe, imò & Abrahamum de illis nova monita à Deo accepiſſe, nego tamen moralia ulla officia Abrahamo fuiſſe de novo impoſita ad quæ homines antea non tenerentur. Ariolari volunt Sociniani, quia ſic lubet; Sed aſſerti ſui argumenta ſi ab ipſis petieris, fruſtrà eris.

Fecerat enim Deus] Agnoſcimus fœdus Dei cum Abrahamo, ſed non poſſumus ignoſcere hæretico, quod illius fœderis primariam partem omittat, videlicet ex Abrahamo proditurum ſemen benedictum, in quo benedicendæ eſſent omnes nationes terræ, & Abrahamum ejus reſpectu futurum patrem omnium credentium: Id enim luculenter explicatum à Paulo Rom: IV, 13.16.17. Gal: III, 7.8.9.14.16.17. homo Chriſtianum nomen profeſſus nequivit prætermittere, abſque evidenti prævaricatione in cauſa Euangelij: Sed ab hominibus ſemi-Iudæis ſemi-Turcis, nihil aliud debuit expectari.

Monumentum porrò fœderis illius perpetuum fuit circumciſio. Deus enim, (*Gen: 17.10, & d.*) ut Abrahamum ejuſque progeniem à cæteris gentibus, à fœdere hoc alienis, ſigno impreſſo ſecerneret, præcepit Abrahamo, ut ſe & omnes domeſticos circumcideret, idemque fieret in omni in- 18.
fante maſculo, ex ipſius ſtirpe deinceps orituro, octavo poſtquam natus eſſet die, propterea quòd hoc eſſet pactum inter ipſum, & Abrahamum poſteroſque ipſius: id eſt, ſignum ſive ſymbolum pacti inter ipſos initi. Unde divinus ſpiritus Abrahamum ſignum circumciſionis, ſigillum juſtitiæ fidei accepiſſe aſſerit: (*Rom: 4.11.*) non quòd Abrahamus ex circumciſione fidei ſuæ firmamentum petierit, utpote jam aliunde ſatis, ut diximus, corroboratæ: ſed quòd Deus hoc monumento juſtitiam illius ſeu juſtificationem, quam per fidem adeptus eſſet, ad poſteritatis memoriam conſecrare voluerit, hocque ipſo oſtendere, quantum fidei ſtudium Abrahamo felicitatem attulerit. Cum quo enim fœdus percutit Deus, quemque adeo pro amico ſuo, ut de Abrahamo ſcriptura loquitur, (*2 Paral: 20.7. Eſa: 41.8. Iac: 2.23.*) habet, eum à Deo juſtificatum eſſe oportet, & eo apud ipſum eſſe loco, quo ii eſſe debeant, qui planè ſint innocentes.

‡ *Non quod Abrahamus*] Atqui id negari non poteſt, circumciſionem ipſimet Abrahamo obſignaſſe juſtitiam fidei, adeoque fidem ipſius, addito novo pedamento, magis magiſque corroboraſſe. Quamvis enim jam fides Abrahami ante circumciſionem ſua haberet firmamenta, illi tamen magis confirmandæ

inſervijt

inſervijt hoc Sacramentum; Nec tam nobis & poſteris Abrahami, ut nugatur Volkelius, circumciſio accepta ab Abrahamo fuit ſignum & ſigillum juſtitiæ fidei, quam ipſimet Patriarchæ, qui eam in carne ſua ſuſcipiebat. Vt baptiſmus alterius mihi non eſt ſignum & ſigillum juſtificationis ſuæ, ſed propriè ipſi ſoli, quia juſtus ex fide ſua vivet, ſic Abrahami circumciſio perſonalis, ipſi potiſſimum, non alijs ſignificavit & obſignavit ſuam juſtificationem ex fide in Meſſiam futurum, ſecundum carnem ex ipſo naſciturum, & cujus geſtierat diem videre, eumque viderat & gaviſus fuerat Ioh: VIII, 56.

Hocque ipſo oſtendere] Abſurdè; Nam narratio hiſtorica de Abrahami circumciſione, in ſuo formali, non certiorem me reddit de illius fœlicitate, quam de foelicitate Iſmaelis & Eſaui quod legimus utrumque etiam circumciſum fuiſſe: Veri enim Iudæi & veræ circumciſionis, quæ cordis eſt non carnis, *laus non eſt ex hominibus ſed ex Deo*, inquit Paulus Rom: II, 29. Sed novum illud pignus quod Abraham in ſua carne, ex fide tamen, ſuſcipiebat, ipſi demum erat egregium τεκμήριον fœlicitatis quam ex ſua juſtificatione conſequebatur. Nec debemus ita firmam & perfectam ſuſpicari primam Abrahami fidem, ut præter primas promiſſiones à Deo ipſi factas, nullo alio fulcro indiguerit. Nulla lampas tam ſplendidè lucet, quin ſubinde debeat novo affuſo oleo foveri ne extinguatur.

Cum quo enim] Hic duo errores grandes committuntur. Prior eſt, quod ex fœderis Divini percuſſione vellet Volkelius antecedentem fœderatorum juſtificationem demonſtrare. Nam præterea quod fœdus Dei ut externè pangitur, offertur & proponitur, non importat juſtificationem vel factam vel futuram ſingulorum illorum qui utcunque ad illud pertinere videntur; quod patet vel ex ſolo gentis Iſraeliticæ exemplo quæ ſic erat Deo fœderata, ut tamen per id ſinguli ex illo populo juſtificati non eſſent; etiam ipſa juſtificatio non debet præponi foederi Dei tanquam conditio ex qua hoc ſtatuatur, ſed ei debet apponi tanquam ejus effectum & conſequens. Non ideo Deus percuſſit foedus cum Abrahamo, quod eſſet juſtificatus & planè innocens: nam cùm illum ad foedus ſuum miſericorditer evocavit ex Vre Chaldæorum, Idololatra erat, ut liquet ex Ieſ: XXIV, 2. Offertur per Dei foedus gratuitum juſtificatio homini peccatori, non ipſa præſupponitur. Alter eſt quod juſtificationis ex fide, qualis fuit Abrahami, naturam non ſatis explicatè proponit: Ille enim per fidem juſtificatus eſt ex foedere Dei, non qui in ſe & perſonaliter planè innocens ſit, cum nemo ſit qui non peccet & ſine crimine vivat, ſed cui cum nocens ſit in ſe & reus mortis, Deus propter Chriſtum & habito reſpectu ad illius *ſatisfactionem vel præſtitam vel præſtandam, peccata non imputat* ad condemnationem; unde juſtificatio fidei etiam juſtificatio impij à Paulo appellatur. Sed Volkelius hæc omnia involuit, quia cum omnibus juſtitiarijs ingratis, non ex Chriſti gratia & merito nobis imputato ad coronam, *ut illi noſtra delicta fuerunt imputata ad poenam*, ſed ex propria & perſonali juſtitia ſuam juſtificationem præſtolatur, immemor illorum locorum Scripturæ quæ extant Eſa: LXIV, 6. Pſal: CXLIII, 2.

Et hæc eſt religio, quâ Deus Abrahamum ejuſque familiam devinxit; priorum ſeculorum religione haud paulò perfectior. Veruntamen, ſi hæc religio cum illa, cujus explicationem mox ingreſſuri ſumus, conferatur, multum ei ad perfectionem deeſſe unuſquiſque facilè animadvertet. Nam nec tot,

quot

Digitized by Google

quot illa, præceptiones, nec certo volumine comprehenſas habuit. Eodem modo, & de promiſſionibus judicandum eſt, ut ex illis, quæ de utriſque Moſes luculentiſſime ſcripſit, perſpicuum eſt.

‡ *Et hæc eſt religio*] Non tam religio alia cenſeri debet ab ea quæ viguerat prioribus ſæculis, quam ejuſdem magis accurata diſpenſatio, & clarior determinatio promiſſæ jam ab orbis initio Redemptionis per Chriſtum: Quæ ſecuta eſt per Moſem, jam populo fœderato in Remp. abeunte, plenior itidem & accuratior fuit, quod pluribus umbris & figuris idem Meſſias venturus præſignificaretur. Nihil vero ad perfectionem ſubjectivam hujus œconomiæ Moſaicæ facit, quod ejus præceptiones *certo volumine* fuerunt comprehenſæ: Nam paucitas tum rituum obſervandorum, tum etiam ipſorummet fœderatorum, longævitas item Patriarcharum, revelationum quoque & apparitionum Divinarum frequentia, efficiebant ut Dei verbo ἐγγραφῷ non opus foret ante tempora Moſis: Sed tum demum debuerunt leges Divinæ ſcripto comprehendi, cum & ipſæ numeroſiores quoad ritualia præſertim evaſerunt, & fœderati excreverunt in amplam Rempublicam, quæ ſecuriùs, certiùs & commodiùs jure ſcripto poterat regi, quam traditionibus non ſcriptis. Itaque quod leges diſpenſationis Moſaicæ certo volumine ſunt comprehenſæ, contra quam antea obtinuerat, comprobat quidem eam eſſe multo fuſiorem & latiùs patere præcedenti; ſed tamen hæc circumſtantia in ſuo formali nihil ſonat majoris perfectionis.

CAP: X.

De Religione Moſaica.

AD hanc igitur ut veniamus, intelligendum eſt, eam fœdere illo contineri, quod Deus per Moſem cum populo Iſraëlitico tunc fecit, cum illum manu prehenſum ex Ægypto educeret. Cujus fœderis ſumma in hoc conſtituta erat, quòd Moſes, qui internuncii fungebatur officio, mediuſque inter Deum & populum ſtabat, (*Gal: 3. 19. Deut. 5. 5.*) quid Deus à populo illo fieri vellet, quidque idem populus, ſi illius imperium ſequeretur, præmii reportaturus eſſet, illius nomine ei expoſuit. De quorum utroque nunc explicare aggrediemur. Mandata igitur, quæ Deus per Moſen Iſraëlitis dederat, in tria genera diſtribui ſolent. Nam & Moralia, & Ceremonialia, & denique Judicialia erant. Ac moralium quidem præceptorum explicatio hîc intermittenda, inque eum locum rejicienda eſt, in quo Chriſti religionis tractationem ſuſcipiemus: (*inf: lib: 4. cap: 5. & deinc.*) propterea quòd non ſolùm æquè ad illam atque ad hanc Moſaicam ſpectant, ſed multò etiam commodior ea diſcutienda occaſio ſeſe tunc oblatura eſt, propter Chriſti quaſdam additiones, quas ad ea amplificanda aut validiùs adſtringenda adhibuit. Conſequens igitur eſt, ut ad ceremoniarum diſciplinam nos conferamus. 19.

Digitized by Google

‡ *Quod Moſes qui internuncij*] Atqui illa Moſis œconomia, non ſolum ſita fuit in proponendis Dei mandatis & præmijs quæ conſequuturi erant qui illa ſervarent, ſed etiam in Chriſto prænunciando, ſignificando & varijs typis adumbrando, quorum ſubſidio fides piorum ad illum erigeretur, & in eo præſtolando expectandaque redemptione & remiſſione peccatorum per ipſum, exerceretur & confirmaretur: Hinc dicitur lex fuiſſe *pædagogus ad Chriſtum* Gal: III, 24. & Chriſtus ipſe *finis legis ad juſtitiam omni credenti* Rom: x, 4. Videantur inſuper loca Col: II, 17. Heb: VIII, 5. IX, 9. X, 1. Quare fœdus in Moſis manu ſancitum, licet ſuam habuerit χρέιαν legalem, non poteſt plenè explicari nullâ Chriſti factâ mentione, quam hæreticus ſacrilegè premit, ne ipſum fœderis Angelum, & Servatorem utriuſque Teſtamenti cogatur admittere. Imò quamvis Moſes ſteterit medius inter Deum & populum Deut: v, 5. in nomine Domini populo voluntatem ipſius renunciaturus, attamen non tam Moſes quam ipſe Chriſtus, quem ceu primarium ſuum Legiſlatorem dicuntur Iſraelitæ tentaſſe in deſerto 1. Cor: x, 9. intelligitur à Paulo Gal: III, 19. cum monet legem ordinatam fuiſſe *per angelos in manu mediatoris.* Vni enim Chriſto hoc elogium Mediatoris debetur & tribuitur 1. Tim: II, 5. Et Mediatorem interveniſſe oportuit in legiſlatione propter tranſgreſſiones, cum inquit Apoſtolus mediator non ſit unius, ſed diſſidium inter partes præſupponat: Moſes vero, ut pote ipſe etiam homo peccator & fœderandus Deo cum reliquo populo, cuique non ſecùs ac alijs lex ipſa ferebatur, non potuit mediatoris officio defungi inter partes diſſidentes, quod etiam illis diſſidentibus per peccatum veniret annumerandus. Itaque veterum multi, ut Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Ambroſius, nec pauciores è Neotericis, Beza, Paræus, Eſpenſæus & alij, Mediatorem hunc non Moſem ſed Chriſtum ſummo jure interpretantur: Lex enim per Chriſtum Mediatorem lata fuit, quo ſignificaretur eam non dari ad juſtificationem, ſed ad convictionem, & homines peccati per illam convictos debere ad Mediatorem confugere, ſuarum tranſgreſſionum remiſſionem ejus beneficio, ſanguine & interceſſione conſequuturi; prout eadem de cauſa in arca fœderis tabulæ legis propitiatorio contegebantur, ad denotandum omnes legis tranſgreſſiones eſſe contegendas coram Deo propitiatione illâ quæ eſt in Chriſto Rom: III, 25. 1. Ioh: II, 2. Quod ſi qui apud Paulum de Moſe intellexerint Mediatoris elogium, illi tamen cenſuerunt Moſem in eo typum geſſiſſe ipſius Chriſti, & quaſi perſonam illius ſuſtinuiſse.

Propter quaſdam Chriſti] Methodus eſt arbitraria, & ad rei ſummam parum facit quo loco legem Moralem velit explicare Volkelius; Sed nullo nituntur fundamento *Chriſti additiones* ad illam quas ſomniant hæretici; Perfectò enim nihil addi poteſt; jam autem legem Dei perfectam eſse, non ſolum liquet ex Pſal: XIX, 8. ſed etiam ex eo quod omnis ratio peccati in legis violatione conſtituitur, prout ex illa ſola peccati habetur cognitio Rom: III, 20. V, 13. VII, 7. 1. Ioh: III, 4. Quod utique verum non foret ſi præter legem, alia extarent mandata moralia, quæ illâ nec eminenter nec formaliter continerentur. Quin Chriſtus tam procul fuit ab ejuſmodi additionibus, ut in genere morum nihil aliud ſemper urſerit quam Legem, propoſito illius ſummario Matth: XXII, 37. 38. 39. 40. & ad ejus obſervationem revocato illo juvene qui ſciſcitabatur, ecquid faciendo conſequuturus eſset vitam æternam, Matth: XIX, 17. 18. 21. & genuino legis ſenſu explicato ac vindicato à deuteroſibus & gloſsematis Phariſaicis Matth: V, 21. 22. 27. 28. 31. 32. 33. 38. 39.

Sed &

Digitized by Google

Sed & id monſtri genus eſt in doctrina Sociniana, quod ab una parte hic docent Chriſtum multa adjecisse præceptis moralibus legis *ad ea amplificanda aut validiùs adſtringenda*; alibi vero ab altera ſtatuunt minus rigidè & exactè nos adſtringi ad Legis obſervationem per Chriſtum quam ſub V. T. Hæc enim peſſimè cohærent, nec in una ſede morantur. Verùm de his aliàs.

CAP: XI.

De Lege Ceremoniali, & primùm de ſacerdotum electione.

IN cujus quidem explicatione nequaquam ita verſabimur, ut ſingularum rationes rimemur; cùm Deus eas ſuo potiſſimùm decreto niti voluerit. Qua de cauſa & leges in placitis poſitæ à divinis viris nominantur; (*Epheſ: 2. 15. Col: 2. 14.*) & eam ipſam ob cauſam nequaquam ſempiternæ futuræ erant, ut illæ, quæ in rationis innituntur principiis fixis atque immutabilibus, quales morales illas eſſe conſtat. Sunt autem ceremoniæ iſtæ nihil aliud, quàm certi quidam ritus, quibus Deus ab Iſraëlitico populo coli voluit.

‡ *Cùm Deus eas ſuo*] Inepta ratio: Nec enim hoc decretum fuit ἄλογον, & cum plærarumque ſaltem rationes ſint in propatulo, nihil debuit deterrere Volkelium, quominus etiam in motiva aliarum inquireret. Ita fuerunt illæ *leges in placitis poſitæ*, ut earum proculdubio myſtica & ſpiritualis fuerit ſignificatio; quæ ſpectarit, vel Legis ἀκρίβειαν urgendum, vel futuram in Chriſto redemptionem adumbrandam & obſignandam, vel morum tropologicam informationem inſinuandam. His elementis egebat infantia Eccleſiæ; Per has umbras Iſraelitæ deducebantur ad Chriſtum; & qui illis cæremonijs ſenſum myſticum abrogare ſtuduerit, is toti Scripturæ contradicere deprehendetur: Gal: III, 24. Col: II, 17. Heb: VIII, 5. IX, 23. 24. X, 1. Neque immeritò dixerunt priſci Eccleſiæ doctores, Novum Teſtamentum in Veteri velatum & Vetus in Novo revelatum fuiſſe, ut inſinuat inter alios Auguſtinus *lib. 16. de Civit. Dei, cap. 26.*

Et eam ipſam ab] Primùm leges cæremoniales non ſunt abrogatæ quoad ſignificationem, cujus reſpectu etiamnum hodie debent noſtræ inſtitutioni inſervire, ſed tantum quoad obſervationem: ut meritò Antiquitas Catholica ſit deteſtata Manichæos qui ob abrogatas cæremonias legales, libros Veteris Teſtamenti nolebant recipere; quaſi ideo forent abjiciendi quod *ea quæ ibi ſcripta ſunt non jam obſervare corporaliter, ſed intelligere & facere ſpiritualiter, nos Dominus jubet*, inquit Auguſtinus *lib. 6. contra Fauſtum cap. 9.* Nam ut Idem *ibid.* loquitur, *Scriptura ipſa tunc erat præceptum, nunc teſtimonium*; Item, *Ipſa Scriptura quæ tunc fuit exactrix operum ſignificantium, nunc teſtis eſt rerum ſignificatarum, & quæ tunc obſervabatur ad prænunciationem, nunc recitatur ad confirmationem.* Deinde dum agnoſcit Volkelius leges *morales* eſſe ſempiternas, utpote *quæ in rationis innituntur principijs fixis atque immutabilibus*, tacitè confitetur perperam ſuprà docuiſſe, præcepta Moralia quæ per Moſem ſunt promulgata non ſemper viguiſſe inter homines: Mendacem oportet eſſe memorem. Tertiò vera cauſa propter quam non ſemper viguerint cæremoniæ legales non ea eſt quam profert Volkelius,

Digitized by Google

quod nempe fuerint juris poſitivi: Quamvis enim in ijs quæ ad jus poſitivum ſpectant Deus ſuam Libertatem velit commendare, ut ſuam Sanctitatem in ijs quæ ſunt juris naturalis, nihil tamen obſtat quominus poſſit homines in æternum ad legem aliquam poſitivam adſtringere: Sed ideo cæremoniæ fuerunt abrogatæ, I. Quia ætas Eccleſiæ jam adultior requirebat ut ex hoc prædagogio liberaretur, huic tutulæ & curatelæ ſubduceretur, ab his egenis elementis ad ſublimiorem diſciplinam traduceretur. II. Quia beneficio Chriſti coaleſcentibus in unum Gentilibus & Iudæis, paries iſte intergerinus, utrique populo quamdiu ſtabat diſcriminando deſtinatus, corruere & tolli debuit. III. Quia exhibito Chriſto, quem venturum ſignificabant, illi rei amplius inſervire non poterant; Advenienti corpori, umbræ cedere debuerunt: Et ſcitè Auguſtinus *lib. I. contra Adverſar. Leg. & Proph. cap. 18. Iam ſacrificia talia non offert Dei populus Deo, poſtea quam venit unicum ſacrificium, cujus umbræ fuerunt illa omnia, non hoc improbantia, ſed hoc ſignificantia; Sicut enim res una multis loquutionibus & multis linguis ſignificari poteſt, ſic unum verum & ſingulare ſacrificium multis eſt antea ſacrificiorum ſignificatum figuris.* Plures hujus abrogationis cauſæ his analogæ poſſent ex Scripturis obſervari; Sufficit ideo quidem abrogabiles fuiſſe, quod juris eſſent poſitivi; ſed de facto fuiſſe abrogatas alijs de cauſis; cùm nec in perpetuum, ſed demum uſque in tempus διορθώσεως Heb: IX, 10. fuerint conſtitutæ, & in ipſiſmet Scripturis V.T. earum futura abrogatio ſub adventum Meſſiæ & per ipſum prædicta fuerit, ut Chriſtiani Theologi contra Iudæos evidenter comprobant.

Sunt autem cæremoniæ] Sic illis voluit Deus coli, ut potiſſimum vellet in illis attendi non tam quid eſſent quam quid ſignificarent: quod probare eſſet facillimum ex utriuſque Teſtamenti Scripturis, ſi vocaretur in dubium. Et ſanè ſi rerum harum præſtatio per ſe &, ut vulgo loquuntur, *ex opere operato*, Dei cultum ipſi gratum & legitimum continuiſſet, non tam ſæpè proteſtatus fuiſſet in Scripturis ſe hos omnes ritus in ſe duntaxat conſideratos, averſari & deteſtari; quò faciunt loca Pſal: L, 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. LI, 18. 19. Eſ: I, 10. 11. 12. 13. 14. LXVI, 3. Mich: VI, 6. 7 8 Abſit ut Deus credatur fuiſſe delectatus thuris odore, aut nidore victimarum, quod ab illius natura & perfectione remotum eſſe, vel ipſimet Ethnici plurimi agnoverunt. Vnde Triſmegiſtus, quicunque ille ſit, in *Aſclepio*; *Hoc ſacrilegio ſimile eſt, cum Deum roges, thus & ſimilia incendere; Nihil enim deeſt ei qui ipſe eſt omnia aut in eo ſunt omnia; ſed nos agentes gratias adoremus.* Et Perſius, *Sat. 2.*

Quin damus id ſuperis de magna quod dare lance
Non poſſit magni Meſſallæ lippa propago?
Compoſitum jus, faſque animi, ſanctoſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto.

Eæ partim ſingulares certarumque perſonarum propriæ erant; partim communiter ad omnes ſpectabant. Quæ quidem diſtributio, quò magis intelligatur, animadvertendum eſt, univerſum Iſraëlitarum genus in ſacerdotes, quibus cæteri quoque Levitæ, qui in rebus ſacris miniſterio illorum addicti erant, aliquo modo ſunt annumerandi, & reliquam plebem ſeu multitudinem diviſum fuiſſe. Intelligendum igitur eſt, quibuſdam ceremonijs ſolos ſacerdotes, aut unà etiam cæteros Levitas obſtrictos; quibuſdam verò univerſum populum devinctum fuiſſe. Ac illæ rurſus vel ad ſacerdotum pertinebant conſtitutionem:

Digitized by Google

tionem: vel ad eorundem vitæ rationem. Eæ, quæ ad ſacerdotem conſtituendum ſpectabant, vel in certis conſiſtebant qualitatibus, quas illos, quibus hæc perſona imponenda erat, poſſidere oportebat; vel ipſum eorum officium complectebantur. Qualitates porrò iſtæ tres potiſſimùm erant: primò enim requirebatur, ut futurus ſacerdos ex tribu quidem Levitica, familia verò Aaronica ortum haberet, utpote quæ ſola huic muneri deſtinata eſſet. Et de tribu quidem extant illa Dei verba ad Moſen: (*Num*: 1. 49. *& d.*) *Tribum Lèvi non numerabis, neque ſummam eorum capies in medio filiorum Iſraël: ſed tu præfice Levitas tabernaculo teſtimonii, & omnibus vaſis ejus, & omnibus quæ ad illud pertinent: ipſi portabunt tabernaculum, & omnia vaſa ejus, & ipſi miniſtrabunt illi*, & quæ ſequuntur. quin etiam iſta: (*Num*: 3. 12.) *Ecce ego elegi Levitas è medio filiorum Iſraël, pro omni primogenito, quod primùm naſcitur in filiis Iſraël, & Levitæ erunt mei.* De familia verò Aaronica, cui ſoli ſacerdotium à Deo fuit commiſſum, & cæteri Levitæ in rebus ſacris miniſtrare juſſi, ita inter alia
legimus: (*ibid: verſu* 5, 6.) *Locutus eſt Dominus ad Moſem, dicens: appropinquare* 20.
fac tribum Levi, & ſtare fac eam in conſpectu Aaronis ſacerdotis, ut miniſtrent ei. & poſt pauca: (*verſu* 10.) *Aaron autem & filios ejus præficies, cuſtodientque ſacerdotium ſuum: & externus qui acceſſerit, morietur.* Unde alibi monetur, (*Num*: 18. 3.) ne cæteri Levitæ ad vaſa ſanctitatis, aut ad altare accedant, ne & ipſi moriantur, & ſacerdotes, filii Aaron, qui id permiſerint. Alterum, quod ad ſacerdotis electionem requirebatur, erat, ut is ab omni corporis vitio purus integerque eſſet. *Nam vitioſus*, inquit Deus, (*Levit*: 21. 18, *& d.*) *nemo accedere debet ad offerendum: ut cæcus, ut claudus, ut mutilus, ut redundans, pedemque aut manum fractam habens, aut gibboſus, aut luſcioſus, aut argemam habens, aut ſcabioſus, aut impetiginoſus, aut hernioſus, denique quisquis erit ex Aaronis Pontificis ſemine vitioſus, is ad offerendum oblationes ignitas Domino, aut panes Dei ſui ne accedito.* Tertium quod tum in ſacerdote, tum in alio quovis Levita, ad ſacra miniſteria eligendo ſpectabatur, erat, ut ætatis annum ageret vigeſimum quintum, aut etiam ampliùs: ab anno autem quinquageſimo Levitis labores quidam remittebantur. (*Num*: 8. 24, 25.)

‡ *Qualitates porro iſtæ*] Et his qualitatibus, ſua myſtica ratio inerat, ad ſignificandum I. Neminem potiri iſto honore niſi ex ſingulari vocatione Dei Heb: v, 4. II. Puritati mentis & animi ſtudendum ei, qui ad ſacerdotium ſpirituale, commune omnibus pijs, aut ſpeciale Miniſterium verbi Divini, evocetur. III. Non vitæ & ſenectæ fæces demum, aut improvidam juventam, Deo debere conſecrari, ſed quicquid eſt in nobis ætatis purioris, ſolidioris ac melioris: Eſt enim vita humana non oleo ſimilis, cujus ſuperior pars melior eſt, aut melli, in cujus fundo reſidet quod eſt optimum, ſed vino cujus medium eſt generoſiſſimum: Initium enim vitæ noſtræ ut nimis fervidum ac ebulliens multifariàm, parum aptum eſt Miniſterio Eccleſiæ; ipſa vero ſenectus, quæ amurcam vitæ continet, ſatis

Digitized by Google

ſuo premitur onere, nec aliud debet adſciſcere: Ergo flos vitæ, ut Sacerdotum & Levitarum olim, Deo potiſſimum conſecrari debet: Medio tutiſſimus ibis. IV. Chriſtum, verum noſtrum Sacerdotem, ex determinata divinitùs tribu ſecundum carnem oriturum, futurum revera irreprehenſibilem & ἄσπιλον, & in ætatis ſuæ flore & vigore ea conſummaturum quæ ad noſtram Redemptionem & Sanctificationem requirebantur.

Jam ut ea diſcutiamus, quæ ad ipſum ſacerdotis officium ſpectabant; duo hoc in loco occurrunt, quorum alterum ſacerdotum conſecratione; alterum ipſa muneris iſtius functione continetur. Quæ pertinent ad conſecrationem, ea multiplicia ſunt. Nam & ablutionibus & unctionibus, quæ caput oleo perfundendo perficiebantur, & veſtiendi ratione varia, & aliis id genus ritibus ſacerdotes initiabantur: quorum nonnulla cæteris etiam Levitis erant communia: de quibus apud Moſem copioſè diſſeritur. (*Exod: 28. & 29. Num: 8. 6, & d.*) Eam porrò ob cauſam ſine dubio tanto cum apparatu ſacerdotum inſtituebatur conſecratio, ut primò ipſi non profanam, non levem, ſed ſanctam, ſed gravem perſonam ſibi imponi animadvertentes, non vulgarem, ſed ſingularem, tantoque muneri convenientem vitæ rationem inirent. Deinde, ut nec ipſi, nec eorum officium in rebus profanis aut vulgaribus poneretur, ſed magnam apud univerſum populum authoritatem haberet.

‡ *Eam porro ob cauſam*] Sed etiam, quod hic omitti non debuit, in eo Sacerdotes Levitici typum Servatoris noſtri ſuſtinebant, quem legimus oleo lætitiæ inunctum præ ſuis conſortibus Pſal: XLV, 8. atque ita in Regem, Prophetam & Sacerdotem noſtrum, conſecratum fuiſſe. Cœtera ad conſecrationem Sacerdotum Leviticorum ſpectantia facilè poſſent eadem ratione Chriſto accommodari.

Sed jam ad ipſam ſacerdotii adminiſtrationem veniendum eſt, quæ quidem in quinque potiſſimùm muneribus conſtituta fuit. Primum enim erat populo benè precari. (*Num: 6. 23, & d.*) alterum erat eundem populum ad divinæ legis conſervationem inſtituere. (*Levit: 10. 11.*) tertium erat de cauſis, de mundicie, deque huic contraria impuritate judicium facere. (*Deut: 17. 8, & d. Levit: 10. 10. & cap: 13. Ezech: 44. 23.*) quartum erat tabernaculi ac vaſorum ſacrorum procurationem habere, ac tubis clangere. (*Num: 3. & 4.*) quintum & maximè proprium ſacerdotum munus erat, rem ſacram facere.
21. Quo in loco tum ea ponderanda ſunt, ſine quibus hoc officium ritè adminiſtrari non poterat: tum ipſa ſacrorum confectio perpendenda. Ac illa quidem in conveniente quadam ad tantam rem ſuſcipiendam præparatione conſiſtebat. Quæ præparatio in quodam corporis cultu poſita erat. nam & manus pedeſque abluere, & certo veſtium genere huicque rei deſtinato indutum eſſe,

Digitized by Google

tum eſſe, & à vino temetoque abſtinere ſacerdotem oportebat. (*Exod: 40. 31, 32. & verſu 13. Levit: 10. 9. Ezech: 44. 21.*)

‡ *Quæ quidem in quinque*] At iſta quinque evidenter docebant & quid à Chriſto foret expectandum, & quid revera præſtet nobis. Primò enim ille nobis benedicit, non tantum in optativo, ſed etiam in imperativo; præcipiendo ſuæ benedictioni ut quieſcat ſuper nobis: Ejus induti juſtitiâ & odoratâ veſte, paternam Dei benedictionem conſequimur, & præſtolamur ipſum in hoc atrio rediturum & egreſſurum ex ſacrario cœleſti, ut finalem ſuam benedictionem nobis impertiat. Secundò accuratè nos docet quicquid eſt noſtri officij, imò Spiritu ſuo nos format ad præſtationem illius. Tertiò accepit à Patre omne judicium, adeo ut omnes debeant comparere coram tribunali ipſius, reportaturi in proprio corpore juxta id quod fecerint benè vel malè. Quartò Eccleſiæ ſuæ, quæ tabernaculum eſt Dei cum hominibus, & vaſorum electionis, ideſt revera omnium ſuorum, procurationem habet ſingularem, & Euangelij ſui tubâ, non ſolum cœleſte feſtum nobis curat denunciari, ſed etiam claſſicum cani contra hoſtes ſalutis noſtræ. Quintò & maximè rem ſacram fecit pro nobis, ac ſeipſum offerendo *oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ* Eph: v, 2. propitiationem fecit peccatorum noſtrorum, nos Deo reconciliavit pleniſſimè, nobiſque redemptionem æternam obtinuit. Se autem ad id præparavit non lotionibus externis & certò veſtium genere, ſed admirandâ prorſus & omninò irreprehenſibili vitæ ſanctimoniâ, quæ tam accurata fuit, ut nequidem ejus adverſarij quicquam in ea reprehendere potuerint.

CAP: XII.

De ſacrificiorum ritu.

‡ *Reſpondente ad hoc & ſequens caput* PHILIPPO JENOTEAU, *Sedanenſi.*

SEd jam tandem ad ipſam ſacrificiorum immolationem accedendum nobis eſt, ut quo pacto à ſacerdotibus confecta fuerit intelligamus. Hoc autem minimè percipi poterit, niſi ſimul cum ipſa muneris functione & ſacrarium ea ex parte contemplemur, quatenus illud ad ſacra facienda ſpectat, & quatenus ejus conſideratio ad ſacram iſtam actionem mente comprehendendam aliquid ponderis afferre videtur.

‡ *Sed jam tandem*] Immolatio hæc, maximè ſacrificiorum ἱλαςικῶν, typus eſt mortis Chriſti, in qua ſeipſum obtulit inculpatum Deo, ad emundandas conſcientias noſtras ab operibus mortuis, ut nos docet Apoſtolus Heb: ix, 14.

Intelligendum igitur eſt, tabernaculum illud in tres partes diviſum fuiſſe, (*Exod: 25. & 26.*) quarum prima eademque intima, ſanctum ſanctorum; altera ſanctum; tertia atque extrema, atrium nominabatur. Ac ſanctum quidem ſanctorum, veli interventu dirimebatur à ſancto: hocque rurſus ab atrio

alio

Digitized by Google

alio velo dividebatur. In ſanƈto ſanƈtorum arca fœderis poſita erat, in cujus operculi utroque extremo duo Cherubini collocati expanſis alis illud obtegebant. ‡ Quod operculum Propitiatorium ea de cauſa nominabatur, quòd ex illo Deus reſponſa dabat, ſeq́ue propitium populo præbebat. (*Exod: 25 22. & 30. 6.*) In ſanƈto tabernaculi menſa aurea ex una parte collocata erat, eiq́ue panis appoſititius impoſitus, ea de cauſa ſic appellatus, quod perpetuò ante Deum apponebatur, ita ut eo propter vetuſtatem ſingulis ſabbatis ſublato, continuò alius ſupponeretur: (*Exod: 25. 23. & d. Levit: 24. 5. & d.*) ex altera verò parte candelabrum aureum, & in medio altare auratum, ante arcam ſtatuebatur, in quo incenſa adoleri ſolebant. (*Exod: 25. 31. & 40. 26.*) In atrio denique tabernaculi tum ara, tum labrum erat, in quod aqua infundebatur, unde ſacerdotes muneris ſui officium aggreſſuri manus pedeſq́ue lavarent. (*Exod: 27. & 38.*) Uberiorem tabernaculi iſtius explicationem omitto ſciens volenſq́ue, utpote cum illius ſtruƈtura à Moſe, & copioſè & luculenter deſcripta ſit: (*Exod: 36. 37. 38. 39. 40.*) hæc tamen pauca ea de cauſa commemorare volui, quòd abſque eorum conſideratione ſacrificiorum ratio haud ſatis intelligi poſſe videatur.

‡ *Quod operculum*] Non ſolum ea de cauſa quod Deus ex illo *ſe propitium populo præbebat*, ſed etiam quod ſanguinis, quem Sacerdos ſummus in ſacrarium inferebat, aſperſione propitiaretur erga peccatores circa tranſgreſſiones ſuæ legis, cujus ideo tabulæ illo ipſo operculo contegebantur; ad ſignificandum propitium nobis reddi Patrem merito & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti; quo Deus nobis fuit ita placatus, ut inde ipſe & ἱλαςήριον & ἱλασμὸς pro nobis, ideſt *propitiatorium* & *propitiatio*, dicatur in Scripturis Rom: III, 25. I. Ioh: II, 2. Et niſi illius quam nobis obtinuit propitiationis beneficio, ceu arcæ operculo, noſtræ in legem Dei tranſgreſſiones contegerentur, nihil nobis præter condemnationem & malediƈtionem æternam exſpeƈtandum ſupereſſet.

Ad quam tandem ut accedamus, animadvertendum eſt, duo potiſſimùm eſ-
22. ſe ſacrificiorum genera: quorum altero Expiatoria, altero Pacifica in ſac. lit. diƈta continentur, ſub quibus comprehenduntur Euchariſtica. Expiatoria ſacrificia ſunt, quæ ad labes impuritateſq́ue expiandas ſuſcipiebantur. Ut autem aliæ ſunt animorum, aliæ corporis maculæ: ita & ſacrificiorum alia ad illas, alia ad has abſtergendas inſtituta fuerunt. Ac animorum quidem impuritates peccata erant: verùm non omnia prorſus peccata ſacrificiis tunc expiabantur, ſed ea tantum modo, quæ nec enormiter, nec per ſuperbiam, ſeu, ut divinus ſpiritus loquitur, (*Num: 15. 30, 31.*) excelſo brachio ſuſcipiebantur. Peccatis enim enormibus, aut excelſo brachio admiſſis, nulla concedebatur expiatio: ſed quicunque ſeſe eis obſtringebant, citra ullam miſericordiam morte mulƈtabantur. Quòd ſi tamen aliquis tunc repertus fuit,

fuit, cui ejuſmodi facinus condonaretur, nequaquam ſacrificiorum vi, ſed ſingulari Dei miſericordia id factum fuiſſe exiſtimandum eſt: quemadmodum quidem de Davide accepimus, (*Pſal: 51. 18.*) cui Deum non victimis, ſed ſingulari benignitate ſua impulſum, duplex illud ſcelus, quo ſeſe obligaverat homicidium nempe & adulterium, remiſiſſe ipſe teſtificatur. Intelligendum igitur eſt, non niſi ea peccata ſacris illis expiata fuiſſe, quæ vel ex errore quodam ſeu ignorantia, vel ex imbecillitate quadam profluebant. (*Num: 15. 25, 26. Heb: 9. 7.*)

‡ *Animadvertendum eſt*] Nolimus ipſi vel cuiquam alij controverſiam movere ſuper hac diſtinctione; Satis nobis eſt quod etiam duplici hoc Sacrificiorum genere, pars utraque Sacerdotij Chriſti adumbrabatur, nempe ejus Satisfactio per ſacrificia expiatoria, Interceſſio verò per pacifica.

Vt autem aliæ ſunt] Atqui illæ *corporis*, ſive potiùs carnis *maculæ*, per ſe non egebant ſacrificijs quibus detergerentur, ſed quatenus typi & imagines erant macularum peccati, eatenus quoque typicis quibuſdam & ſignificativis ſacrificijs elui debebant; quod ſatis colligitur ex Paulo Heb: IX, 13. 14.

Verum non omnia] Agnoſco primùm peccatis quæ committebantur *elatâ manu*, nullam deſtinatam fuiſſe expiationem legalem, quò ſignificaretur nullam ſpem remiſſionis per Chriſtum ijs ſupereſſe qui ex deſtinata malitia & contumacia poſt agnitam Dei veritatem impœnitentes in ſceleribus ſuis perſeverarint, ut docet nos Apoſtolus Heb: VI, 6. X, 26. Agnoſco ſecundò nec expiandis *peccatis enormibus*, qualia ſunt homicidium, adulterium, & ſimilia, quæ capitaliter plectebantur ſub lege, ulla ſpecialia ſacrificia fuiſſe deſtinata; tùm quo majori metu deterrerentur homines ab ejuſmodi criminibus, tùm ne videretur Deus eadem lege & expiari velle & puniri graviora hæc delicta. Interea tamen licet ſpecialia pro talibus ſacrificia inſtituta non eſſent, nihilominus in ſacrificijs communibus & univerſalibus pro toto populo, etiam graviorum illorum criminum remiſſio per Chriſtum obtinenda, reſipiſcentibus ſignificabatur & obſignabatur: Nam Sacerdotes conſtituti erant ad offerendum victimas & munera ὑπὲρ ἁμαρτιῶν in communi Heb: V, 1. VIII, 3. IX, 7. & ut taceam de ſacrificio quotidiano quod veſperi & mane eum in finem pro omnibus offerebatur, in feſto propitiationis *omnes iniquitates* populi hircus emiſſarius auferebat in deſertum Lev: XVI, 21. 22. 30. ne amplius comparerent coram Domino. Quapropter Deus populo graviſſimorum ſuorum peccatorum remiſſionem promiſſurus Eſa: 1, 18. utitur juxta Rabbinos metaphorâ deſumptâ ab eo quod in feſto propitiationis obtingebat, cùm videlicet filum coccineum quo deducebatur hircus emiſſarius in deſertum, miraculoſè inter eundum album colorem indueret, quoties Deus ratum ſe habuiſſe illud ſacrificium & propitium factum fuiſſe peccatis totius populi teſtari volebat.

Quod ſi tamen aliquis] At I. minora peccata *vi ſacrificiorum* illorum in ſe conſideratorũ non condonabantur in foro poli, ſed vi ſacrificij olim peragendi in cruce quod ſignificabant & adumbrabant & ex quo vim omnem ſuam expiatoriam nanciſcebantur. II. Vitioſa eſt oppoſitio inter condonationem quæ fiebat *ſacrificiorum vi typicâ*, & eam quæ procedebat ex *ſingulari Dei miſericordia*; cùm etiam in ſingularem Dei miſericordiam refundenda ſit ea remiſſio peccatorum, quæ per ſacrificium aliquod expiatorium, ſive typicum, ſive

verum & reale obtinetur; cùm ſemper miſericordiæ ſit ſingularis & tale ſacrificium peccatoribus concedere, & illud vice ipſorum liberaliter admittere; ſiquidem alioquin ex rigore Legis noxa caput ſequeretur: unde ab illo dictum non omninò incommodè, *Cùm ſis ipſe nocens, moritur cur victima pro te?* III. Ex hac Volkelij doctrina grande ſequitur abſurdum, nempe longè difficilius fuiſſe hominibus ſe expedire ex minoribus peccatis, quam ex criminibus gravioribus: Siquidem ad illorum condonationem obtinendam, multi ritus, multæ victimæ, requirebantur, priuſquam inflecteretur miſericordia Divina: ad horum vero remiſſionem conſequendam ſola reſipiſcentia abſque ullis ſacrificijs ſufficiebat. Sic enim debuerunt eſſe leges Divinæ ſimiles telis araneарum, quæ culices ſiſtunt & remorantur, ſed per grandiores muſcas perrumpuntur facillimè. Abſit verò ut tale quid in Deũ cadat quod in foro humano nonniſi per corruptelam evenit, ut quandoq; *det veniam corvis, vexet cenſura columbas.* IV. Cùm agnoſcat Volkelius etiam enormia quędam peccata remiſſa interdum fuiſſe ſub Lege Cæremoniali, non deberet inficiari illam ipſam remiſſionem fuiſſe reis ſignificatam per quædam ſacrificia, ſi non ſpecialia & particularia, ſaltem communia & univerſalia, quod patet exemplo ipſius Davidis ad quod provocat. Is etenim Pſal: LI, 4. 9. remiſſionem peccatorum ſuorum petit terminis ex ipſis cæremonijs & ſacrificijs legalibus deſumptis, maximè ubi rogat *hyſſopo* expiari, ideſt aſpergi ſanguine fœderis, ad inſtar ejus quod obtinebat ſub Lege Lev: XIV, 4. 5. 6. 7. Num: XIX, 6. 11. Quibus ſanè loquutionibus ſatis oſtendit, ſe reſpicere ad ſacrificia legalia quibus ipſi ſignificabatur & obſignabatur illa ipſa peccatorum ſuorum remiſſio quam tam enixè petebat à Domino: Noverat enim hanc eſſe æternam legem, quod abſque ſanguinis effuſione peccati remiſſio non fieret, quam inculcat Paulus Heb: IX, 22. Nec verſu 18. Pſal: LI. quem citat Volkelius ſimpliciter & abſolutè proteſtatur David nullo modo Deum expetiviſſe à ſe ſacrificium & holocauſtum pro peccatis ſuis; cùm è contrario propitium ſibi reddere Deum ſtuduerit ejuſmodi ſacrificijs quando ob ſuum aliud peccatum peſtis depopulabatur Iſraelem 2. Sam: XXIV, 25. imò & eodem Pſal: LI. com. 21. profiteatur ſe ſacrificia, holocauſta & juvencos Deo oblaturum; Sed loquitur comparatè & ſecundum quid; tùm quia Deus nulla ſacrificia ſpecialia pro homicidio & adulterio conſtituerat quæ poſſet offerre; tùm quia ſacrificia externa communia ad quæ poterat reſpicere, nihil ſolaminis poterant ipſi conferre abſquę Spiritu contrito, qui multo pluris fit apud Deum & primariò ab ipſo requirebatur; tùm quia rex cùm eſſet optimo jure nulli pœnæ & coercitioni forenſi ſuberat, quam ſubſtitutione pecudis in ſuum locũ reluere deberet; tùm maximè quia talia ſacrificia, quicquid vulgus ſibi perſuaderet, in ſe nihil habebant efficaciæ ad tollenda coram Deo peccata & ſordes conſcientiæ eluendas, ſed omnis eorum vis pendebat à re ſignificata & ſanguine Meſſiæ quo potiſſimum mundari cupiebat.

Intelligendum igitur] Hoc falſum eſt ſi univerſaliter ſumatur; Fateor equidem Sacrificia particularia certis caſibus deſtinata, fuiſſe tantum duûm generum, quorum alia dicerentur *pro peccato*, quibus expiabantur peccata ex errore aut ignorantia commiſſa Lev: IV, 2. 3. alia dicerentur *pro reatu*, ad expianda peccata, ſcienter quidem, ſed tamen ex infirmitate perpetrata Lev: V, 6. Hoc poſterius ſacrificij genus metonymicè אשם *Aſcham* dicitur, ideſt peccatum, quia erat ſacrificium pro peccato; quo ſenſu Chriſtus dicitur poſiturus animam ſuam אשם *Aſcham*, ideſt *piaculum* ſive *hoſtiam pro peccato* Eſa: LIII, 10. & factus pro nobis peccatum 2. Cor: V, 21. Prius dicitur חטאת *Chattbaath*, pari metony-

Digitized by Google

metonymiâ; quo ſenſu dicitur Pſal: XL,7. *Holocauſtum* וחטאה *Vachataah, & ſacrificium pro peccato non poſtulaſti*: Sed I. etiam ad gravia quædam peccata, perjurij, depoſiti non redditi, rei alienæ interverſæ &c. illa particularia ſacrificia extendebantur. II. Præter ea dabantur quoque holocauſta pro privatis, quorum uſus & vis ſignificativa ad omnia omninò peccata, citra ſpecialem hujus aut illius delicti vel reatus expreſſionem, extendi videbatur. III. Sacrificia inſuper erant univerſalia & communia, ordinaria & extraordinaria, quotidiana, hebdomadalia, menſtrua, anniverſaria, quæ pro totius populi peccatis & iniquitatibus expiandis offerebantur; licet facilè conceſſero nihil inde ſolaminis potuiſſe habere impœnitentes, qui peccarent elatâ manu & totos ſe peccati dominio ſubjicerent, prout nec talibus prodeſt aut prodeſſe poteſt Redemptio Domini noſtri Ieſu Chriſti. Nec loca producta hîc ab Adverſario poſſunt ejus firmare ſententiam: Quamvis enim haud gravatè largiar fuiſſe etiam ſpeciale ſacrificium extra ordinem offerendum pro peccato aliquo ſingulari totius communitatis, ei analogum quod offerebatur pro quolibet homine particulari, cujus fit mentio Num: XV, 25. 26. inde tamen non ſequitur ſtata & univerſalia ſacrificia ſe non extendiſſe ad omnia omninò peccata populi, cujuſcunque ordinis & generis fuiſſent, ſi modo illi qui eorum ſibi conſcij clam erant, ſeriâ & ſalutari pœnitudine ducerentur. Nam quod Heb: IX, 7. ἀγνοήματα appellantur peccata tum Sacerdotis, tum populi totius, pro quibus ſacrificia univerſalia offerebantur, anniverſaria maximè in feſto propitiationis, non fit per modum reſtrictionis, quaſi ſola peccata ex errore & ignorantia commiſſa, quæ vix pro peccatis habentur in foro humano, fuiſſent expianda; ſed potiùs per modum extenſionis, ita ut iſta expiatio omnia peccata complecteretur, etiam minutiſſima & leviſſima quæ ex ignorantia admittuntur. Deinde non abhorret ab uſu ſacrarum literarum ut ἀγνοημάτων nomine omnia omninò peccata cujuſcunque ſint ordinis & naturæ intelligantur; Nam ita Salomon in Proverbijs ſæpè *ſtultos* & *inſipientes* vocat maximos peccatores, & Heb: V, 2. peccatores in communi, quorum Chriſtus, ceu ſummus Sacerdos, miſerari poteſt, *ignorantium* & *aberrantium* nomine exprimuntur; Nulla enim unquam tanta malitiæ ſolertia cui non admixta ſit ignorantiæ caligo; & tenebras offundit intellectui prava cupiditas, ut ducem ſuum tranſverſum abripiat ad ea quæ expetit peragenda. Nec dubium quin peccata Davidis, etiam gravia illa duo homicidij & adulterij, pro quibus nullum dabatur ſpeciale ſacrificium, ſuo ſenſu ἀγνοήματα fuerint, prout petit illa ſibi condonari Pſal: XIX, 13. ſub nomine שגיאות *Schegioth*, quam vocem ibi Aquila ἀγνοίας reddidit, idque oppoſitè ad מזדים *Mizzedim*, *ſuperbias*, id eſt peccata ſuperbè & elatâ manu commiſſa; quæ non tam ſibi condonari petit, quam ab illis immunem præſtari. Ergo etiam univerſalia ſacrificia ad ea extendebantur ἀγνοήματα pro quibus cæteroquin nullum in particulari ſpeciale ſacrificium fuerat inſtitutum. Et ſanè res hæc plana fiet amplius ſi conferatur locus Heb: IX, 7. cum Heb: II, 17. & VII, 27. Nam quæ priori loco ἀγνοήματα appellantur, utroque alio ἁμαρτίαι generatim dicuntur: Et peccata quorum remiſſionem per Chriſtum conſequimur, ſunt illa ipſa pro quibus offerebatur ſub lege, quandoquidem ab ijs omnibus per ipſum juſtificamur, à quibus per legem juſtificari non potuimus Act: XIII, 39. & quam ſacrificia legalia duntaxat ſignificabant peccatorum remiſſionem, eam revera confert ſanguine ſuo omnibus in illum credentibus. Adde quod hirci pia-

ei piacuralis oblatio peragebatur non modo pro ignorantijs reſtrictè & ſpeciatim ſic dictis, ſed pro omnibus omninò peccatis, delictis, prævaricationibus & immunditijs Sacerdotum & populi Levit: xvi, 16.

Sacrificia porrò, quibus peccata expiabantur, vel univerſalia erant, vel particularia. Univerſalia, quæ pro univerſo populo offerebantur: particularia, quæ pro uno aut pluribus ex populo. Et illa rurſus vel ſtatis temporibus peragebantur, vel pro re nata, hoc eſt, tum cum totus populus ſimul certum aliquod delictum admiſiſſet. Inter ea, quæ ſtatis temporibus fiebant, eminet anniverſarium, in quo ſolo Summus Pontifex cum pecudum ſanguine in ſancta ſanctorum ingrediebatur, eumque pro omnibus totius populi peccatis, toto eo anno commiſſis, quæ quidem vi antiqui fœderis expiari poterant, Deo offerebat. quod copioſiſſimè eſt à Moſe deſcriptum. (*Levit: 16.*) Hoc igitur ſemel tantùm in anno peragebatur. Cætera ſacrificia ſtata ſæpiùs in anno repetebantur; idque vel ſingulis Calendis ſeu Noviluniis, vel in feſtis anni ſolennioribus. (*Num: 28. & 29.*) Et in ſtatis quidem ſacris hircus offerebatur pro totius populi peccatis: in iis verò quæ ſtata non erant, tauro bovillo peccatum ejus expiabatur. (*Levit: 4. 13.*) Particularia autem ſacra erant, quæ quocunque anni tempore pro ſingulis ſingularum perſonarum peccatis peragebantur. Perſonæ porrò vel publicæ, vel privatæ erant. Publicæ vel ſacerdotes, vel ii qui magiſtratum gerebant. Ac ſacerdotis quidem peccatum tauro bovillo; (*Levit: 4. 3.*) magiſtratum verò gerentis hirco ſeu capro eluebatur. (*Levit: 4. 22.*) Privatorum autem hominum lapſus caprâ, vel ove expiabatur, (*Levit: 4. 24.*) cujus lo-
23. co, in certo delicti genere, pauperioribus licebat ſubſtituere vel duos turtures, vel duos pullos columbarum, aut pro his ſacrificium cibarium. (*Levit: 5. 7, & d.*) Quædam etiam peccata quorumvis, ariete erant expianda. quibus de rebus uberrimè apud Moſen explicatur. (*Ib: 15. & d. & cap: 6. 6.*)

‡ *Cum totus populus ſimul*] Tale deſcribitur Num: xv, 25. 26. uti modò annotavimus.

Eminet anniverſarium] Sed nec prætereundum erat quotidianum, mane & veſperi celebrari ſolitum, cùm & per illud ſynecdochicè totus ille cultus exprimatur Dan: viii, 11. 12. & eo Chriſtus apprimè ſignificaretur; unde Iohannes Baptiſta eum indigitat agnum Dei qui tollit peccata mundi Ioh: 1, 29.

In quo ſolo ſummus] In hoc ſacrificio deſcribendo bifariàm errat Volkelius. Primò enim fingit oblationem ſanguinis effuſi ad expiationem peccatorum *illius* anni factam fuiſſe in Sacrario: quò ſubſerviat ſuæ hypotheſi falſiſſimę, quâ cum ſuis gregalibus vult alibi adſtruere, Chriſtum non obtuliſſe ſeipſum in cruce pro nobis, ſed demum in cœlo poſt ſuam aſcenſionem ſuum Sacerdotium auſpicatum fuiſſe. Sed facilè eſt animadvertere ab hæretico confundi datâ operâ illationem ſanguinis ejus victimæ quæ jam mactata, immolata & oblata fuerat in atrio, ad vim & efficaciam ejus Deo repræſentandam,

Digitized by Google

tandam, cum illius oblatione: Cùm enim ille ſanguis inferebatur in ſanctum ſanctorum, non tam offerebatur Deo in ſacrificium expiatorium, quam ejus jam ante ad id effuſi & oblati, ſolemni ritu, vis & efficacia Deo commendabatur: Neque enim ad immolationem, ſed ad intercesſionem pro populo, vi ſanguinis illius, Pontifex ſubibat ſacrarium vice totius populi, cujus nomina geſtabat in humeris & in pectore, comparitu-rus coram Domino: Pariliter Chriſtus peracto in cruce ſacrificio expiationis noſtræ per ſui immolationem, ingreſſus eſt in ſacrarium cœleſte interceſſurus pro nobis & efficaciam ac dignitatem ſanguinis & ſacrificij ſui jugiter Patri ſuo repræſentaturus, ejuſque applicationem ſalutarem ſingulis ſuorum certiſſimè impetraturus. Præterea perperam reſtringit Volkelius expiationem illam anniverſariam ad certam quandam ſpeciem peccatorum, cùm ſuprà oſtenderimus eam fuiſſe univerſalem, etiam eorum pro quibus ſpecialia ſacrificia inſtituta non fuerant. Quamvis enim ſacrificia illa typica in ſe conſiderata, nulla de facto peccata potuerint in foro poli & conſcientiæ expiare, tamen conſiderata ſignificativè & cum σχέσει ad Chriſtum, eam expiationem plenam quam in ipſius ſanguine conſequimur, & ſignificabant, & credentibus ac reſipiſcentibus etiam obſignabant. Quare fallitur & fallit hæreticus, dum putat olim remiſſionem duntaxat quorundam peccatorum viguiſſe, nunc vero omnium: Nam ut vi illorum rituum in ſeſe conſideratorum nulla fiebat remiſſio in foro poli ac conſcientiæ, ita etiam jam tum vi ſanguinis Chriſti in illis ſignificati & ſuo ſenſu exhibiti & applicati, plena remiſſio peccatorum credentibus obtingebat Act: xv, 11. Quo reſpectu, ut alias monui, dicitur agnus mactatus ab initio mundi Apoc: XIII, 8. Nec dubium quin illa omnis remiſſio ſignificaretur & obſignaretur in ſacrificijs legalibus, quam illius ævi fideles poterant & precibus ſui petere à Deo & illius miſericordiâ obtinere; atqui tum etiam poterant plenam omnium ſuorum peccatorum remiſſionem & petere in ſuis precibus & conſequi Dei miſericordiâ, juxta illius promiſſiones 1. Reg: VIII, 46. Dan: IX, 18. Pſal: CIII, 11, 12. Eſa: 1, 18. Prov: XXVIII, 13. Ezech: XVIII, 21. 22. &c.

Sæpiùs in anno] Illa autem repetitio eorundem Sacrificiorum, inſerviebat denotandæ eorum imperfectioni, & præparandis fidelium animis ad nobilius, plenius & perfectius illud ſacrificium, quo ſemel oblato Chriſtus conſummavit in perpetuum eos qui ſanctificantur Heb: x, 14.

Et in ſtatis quidem] Hircus ille erat victima piacularis omnium peccatorum; ſed juvencus pro ſingulari aliquo delicto totius populi offerebatur.

Aut pro his ſacrificium] Illa ſanè ſimila pauperioris non tam ſacrificium erat propitiatorium, (cum regula ſit generalis ex Heb: IX, 22. & Levit: XVII, 11. quod abſque ſanguinis effuſione non fiat remiſſio peccatorum,) quam proteſtatio ſuæ impotentiæ & inopiæ; quæ dum admittebatur à Deo per quandam Synechdochen politicam (nam in omnibus ſacrificijs expiatorijs, aliquid ſimilæ ſemper addi debebat) loco debiti ſacrificij, ſignificabatur peccatorum remiſſionem ex illis ſacrificijs typicis & externis neutiquam eſſe ſuſpendendam: Vt planè fallantur qui ex hoc loco ſacrificium propiatorium incruentum volunt comminiſci, quod alibi fuſiùs à me demonſtratum. Hic ſanè *neceſſitas*, quæ legem non habet, ut ſubindicat Carthuſianus ad *Heb. 9. impediebat oblationem; tunc enim* (inquit) *ſufficiebat bonum propoſitum.*

Quædam etiam peccata] Ita ſcilicet in varijs illis ſacrificijs inadæquatè ſignificabatur Chriſti ſacrificium, eò quod nullum

Digitized by Google

lum poſſet dari iſtius ordinis & merè externum, quo ejus natura, vis, plenitudo, dignitas, ſufficienter & adæquatè adumbraretur.

Cùm porrò, ut ſuprà monuimus, ea tantùm peccata ſacrificiis iſtis expiata fuerint, quæ ex ignorantia aut imbecillitate ortum habuerunt, intelligendum eſt, iſtam tum infirmitatem, tum imprudentiam, vel puram, vel mixtam fuiſſe. Ac pura quidem erat, cui nihil ultroneum admiſcebatur. mixta verò, quæ aliquid ſibi ſpontaneum admiſtum habebat. Quæ quidem ea de cauſa in iis peccatis, quibus expiatio concedebatur, numerata fuerunt, quòd non ex Dei præceptorum contemptione, aut contumacis animi protervitate; ſed ex uſu quodam inveterato proficiſcebantur: quale v.g. illud crimen fuit, quo, non reſtituendo depoſitum, aut per fraudem aliquid cuipiam eripiendo, aut rem alterius repertam negando, idque juramento adhibito, ſeſe homines obſtringebant; quod quidem, tum ereptum, fraudatum, aut repertum, addita inſuper quinta ſortis parte reddendo, tum arietem immolando eluebatur. (*Levit: 6. 1, & d.*) Et hæc quidem de animi maculis expiandis dixiſſe ſatis ſit.

‡ *Ea tantum peccata*] Suo loco evicimus ſacrificia univerſalia, quotidiana, hebdomadalia, menſtrua, anniverſaria, latiùs patuiſſe his peccatis: Imò nec ad ignorantiam aut imbecillitatem ſimpliciter referri poſſunt illa peccata particularia quæ ariete expiabantur Levit: v, 15. & d. vi, 6. Quod ſi ad infirmitatem mixtam recurrat Volkelius, etiam illi poterit ac debebit adſcribi homicidium & adulterium Davidis; adeoque referri utrumque ejus crimen ad ea peccata pro quibus ſacrificia expiatoria ſub Lege offerebantur. Præterea non video cur peccatis ex errore aut infirmitate commiſſis, annumerentur ea quorum fit mentio locis Levitici modò citatis, quæ pertinent ad ſacrilegium, furtum, perjurium, depoſiti retentionem &c. cum ab utriſque tanquam graviora, quod patet etjam ex diſparitate victimæ, ſatis manifeſtè diſtinguantur. Adhæc neque ex his Volkelij hypotheſibus latiùs poterit patere, quod tamen ante inſinuabat, remiſſio peccatorum ſub N. F. quam ſub Veteri: Neque enim per Chriſtum remittuntur ea peccata quæ aliquis commiſerit *ex Dei præceptorum contemptione aut contumacis animi protervitate*, quamdiu in illo ſtatu perſeverarit & manſerit impœnitens; & aliàs ſub V. T. non erant irremiſſibilia ſimpliciter ejuſmodi peccata, ſi quis ex animo ad ſe reverſus ſeriam ac ſedulam egiſſet pœnitentiam; quod Manaſſis exemplo poteſt comprobari.

Jam quod ad corporis maculas attinet, intelligendum eſt, eas vel ex ſeminis fluxione, vel ex menſtruis, vel ex puerperio, vel ex lepra, vel ex immundorum contrectatione olim contractas fuiſſe. Quæ quibus ſacris, quaque ratione abſterſæ fuerint, percenſere & longum & ſupervacaneum foret, præſertim cum à Moſe ſatis luculenter ea de re explicatum ſit. (*Lev: 12. 13. 14. 15.*)

‡ *Iam*

Digitized by Google

‡ *Iam quod ad corporis*] Hæc vero carnis mundities erat typica, & ſignificabat nos eſſe mundandos ſanguine Chriſti ab omni animi labe quæ vel per ipſum ſemen genitale & nativam ac originalem corruptionem propagatur, vel facilè contrahitur contagio mundi hujus immundi & malorum exemplorum quæ nos circumdant.

His ita conſtitutis illud reſtare videtur, ut quo pacto ſacrificiis illis hominum peccata ſive delicta expiata fuerint, brevi doceamus. Conſtat igitur, ita id confectum fuiſſe, ut Deus, ſi ſacrificii cujuſcunque ab illo præſcripti religio ritè adminiſtraretur, omnes vel peccato obſtrictos, vel aliqua impuritate pollutos, impunitate donare, proque mundis habere decreverit. Qua de cauſa ſingulis ferè ſacrificiis, quæ pro peccato offerebantur, hanc clauſulam appoſuit, *Et remittentur eis peccata ipſorum.* Unde patet, vehementer eos errare, qui putant, ſacrificia illa Deo pro peccatis ſatisfeciſſe. Nam nec remiſſio peccatorum cum vera ſatisfactione conſiſtere, nec Deo quippiam revera dari ac ſolvi pro peccatis poteſt: cùm omnia ſint ipſius jure dominii abſoluti. vide Pſal. 50. 8. & ſeqq. ſed hac de re alibi agetur à nobis fuſiùs. (*lib: 5. c. 22.*)

‡ *Conſtat igitur, ita id*] Haud difficilè foret id explicare, nî vellent hæretici ſervire ſuæ hypotheſi; Nos paucis, & quoad fieri poterit perſpicuis verbis rem expediemus. Primò itaque hæc ſacrificia poterant conſiderari ſub mera χρήσει legali, quatenus Legis ſanctioni declarandæ & agnoſcendæ inſerviebant; Hoc enim reſpectu non tam expiabant peccata, quam offerentes convincebant reatus ſui, eoſque filios mortis declarabant. Fiebat in illis à peccatoribus Confeſſio realis ſuorum demeritorum, quâ ſe agnoſcebant dignos illâ deſtructione & morte cui ſubjacebant ob ſua peccata, victimæ illæ ſuo nomine oblatæ & immolatæ. Ideo ritus in illis obſervari ſoliti vocantur *Chirographum* quod erat adverſus nos Col: II, 14. ſive, ut reddidit Syrus interpres, *contractus debitorum noſtrorum*, quatenus peccatores cenſebantur ſub ſuo Chirographo, ſanguine victimarum illarum conſcripto, ſe reos debendi & morte dignos quod ſolvendo non eſſent, apud Deum profiteri. Præterea cùm victimæ venirent in iſtis ſacrificijs loco ipſorum-met peccatorum, non ſecùs ac in ſacrificio Abrahami aries Iſaaco fuit ſubſtitutus, & apud Poëtas cerva beneficio Dianæ immolata fuit in locum Iphigeniæ quæ jam ad aram & mortem trahebatur, immunitatem ipſis præſtabant duplicem, pro ratione fori duplicis in quo poſſent aliàs conveniri. Quoad forum externum & ſoli ex ſeſe, citra alium reſpectum, ſive ſeria pœnitentia facti ſubeſſet ſive non, ſolaque vi inſtitutionis Divinæ, homines reſtituebant ſuo ordini, & immunes præſtabant ab omni pœna forenſi & externa; quod Apoſtolus dixit Heb: IX, 13. ſanctificare *ad carnis puritatem.* Cùm enim Deus jus habuiſſet pœnas forenſes exigendi per Magiſtratum ob illa ipſa delicta & peccata particularia pro quibus victimæ offerebantur, tamen ne videretur ab una parte concedere impunitatem peccatis & licentiam facere hominibus malè agendi, ab altera vero, leges ſuas, etiam Politicas, ſcripſiſſe ſanguine humano, quod Draconi Athenienſium Legiſlatori poſtea fuit exprobratum, voluit per quandam ἐπιείκειαν & ſummi juris relaxationem, aliquam moderationem hìc ſervare, quâ

præluceret

prælucere omnium Rerumpublicarum Moderatoribus, ipſiſque illud inculcaret, *Summum jus, ſumma injuria*, item, *Ne quid nimis*: Multa enim ſunt condonanda communi infirmitati in ſocietate humana, & abiret facilè in publicam carnificinam ſi omnia ad vivum reſecarentur. Itaque Deus ne abſolutè eſſet impune illis peccatis, cum licentiâ omnes fiant deteriores, aut juſto ſeveriùs in Rep. ageretur cum omni genere peccantium, voluit victimas ſubſtitui in locum quorundam peccatorum, & eorum delicta in illis quadantenus puniri; prout in dicaſterijs Perſarum quandoque toga ſontis ejus loco vapulabat. Atque ſic fiebat quædam commutatio pœnæ aliàs in foro externo luendæ, & ei ſubducebatur peccator ſubſtitutâ victimâ in locum ipſius. Huc potiſſimum facit quod ex Rabbinorum monumentis viri quidam eruditi obſervarunt, in ipſo ſacrificandi ritu repræſentari illa quatuor mortis genera deſcripta in tractatu *Sanhedrim cap. 7. §. 1.* quibus in foro Iudaico peccatores publicè afficiebantur; nempe Lapidationem, Strangulationem, Decollationem & Vſtionem: Nam ſicut lapidandus præcipitabatur in terram, ita victima humi proſternebatur; & ſicut ſtrangulatio fiebat cum ligatione & conſtrictione gutturis, ita victima ligabatur & conſtringebatur: nec minus victima decollabatur, quam reus qui gladio plectebatur; & tandem ad pœnam uſtionis ſignificandam, ipſa vel tota vel ex parte comburebatur. Neque diffitear eâ ratione ſacrificia hæc ex ſe ſolam immunitatem præſtitiſſe à morte illa temporali, quæ aliàs in foro externo infligi ſolebat, & niſi Deus hoc moderamen adhibuiſſet in illo regimine Theocratico, ulterius infligenda fuiſſet. At quoad forum conſcientiæ & poli, ut conficiendæ & commerendæ apud Deum remiſſioni abſolutæ peccatorum, ſacrificia legalia per ſe neutiquam ſufficiebant, quod diſertis verbis exprimit Paulus Heb: x, 4. ei tamen ſignificandæ & reſipiſcentibus atque veniam ſeriò deprecantibus & emendationem in poſterum pollicentibus obſignandæ diviniitùs deſtinabantur, donec præſtaretur plenum illud & perfectiſſimum ſacrificium crucis, in illis adumbratum & ſignificatum, quo omnes plenam redemptionem & remiſſionem peccatorum conſequuntur Eph: 1, 7. Heb: ix, 14. Vt ergo non negaverim Volkelio ſuffeciſſe ad expiationem carnis in foro externo & ſoli ut *ſacrificij cujuſcunque ab illo præſcripti religio ritè adminiſtraretur*, idque ex inſtitutione Divina per quam nolebat *in illa ſua* Rep. ulteriorem pœnam vel exigere, vel imponere horum delictorum reſpectu, ita ſanè falſum eſt expiationem abſolutam in foro poli & conſcientiæ iſta ſacrificia ſontibus præſtitiſſe ex ſeſe, & ut ſic loquar ex opere operato; cùm ad impunitatem abſolutam & remiſſionem peccati in illis conſequendâ apud Deum, requireretur ex parte offerentium tùm ſeria reſipiſcentia & deprecatio culpæ, tùm firmum propoſitum ſanctæ emendationis in poſterum, tùm fides viva in Deum & Ieſum Chriſtum, uti promiſſus erat, olim venturum & quod ſignificabant illa omnia ſacrificia typica ſui oblatione in cruce pro nobis reipſâ impleturum. Nec ſola hic præſentia victimæ conſiderabatur à Deo; pari enim ratione aliàs potuiſſet expiari peccatum ad quamlibet actionem externam; ſed illius ſubrogatio in locum peccatoris & pœnæ ac mortis quam peccator cæteroquin meritus erat in illam derivatio; Ideo tales victimæ *piaculares* dicebantur, & in Scripturis *peccati* nomine veniebant, quod reatum ſontium & pœnam illis ex legis ſanctione debitam ſuſtinerent, ſaltem typicè & ſignificativè, donec appareret Chriſtus in locum noſtrum ſubſtituendus, & faciendus *peccatum* pro nobis, ut viceverſâ fieremus juſtitia Dei

in ipſo

in ipſo 2. Cor: v, 21. Quin ea ratio eſt ſacrificij expiatorij, ut victima ſuccidanea pœnas luat primarij debitoris, & pro ipſo moriatur: Vnde Plautus, *Mene piaculum oportet fieri propter ſtultitiam tuam, ut meum tergum ſtultitiæ tuæ ſubdam ſuccedaneum.*

Qua de cauſa] Et meritò: Cùm enim pœnam peccatori debitam victima ejus loco ſuſtinuiſſet, æquùm erat illum per hanc ſubſtitutionem conſequi impunitatem, ne Deus videretur ejuſdem delicti duplicem vindictam exigere. Nititur ergo illa remiſſio expiatione ſive propitiatione factâ ſanguine victimæ, juxta regulam Apoſtoli Heb: 1x, 22. *Abſque ſanguinis effuſione non fit remiſſio.*

Vnde patet vehementer] Imò vehementer errat Volkelius qui id negat quo ſenſu jam ante explicavimus. Nam quoad forū externum & ſoli, ſatisfiebat illis ſacrificijs pro pœna aliàs infligenda ipſi peccatori; quoad forum conſcientiæ & poli, ſacrificia illa Deo pro peccatis ſatisfaciebant typicè & ſignificativè, ſui ſubſtitutione cæremoniali in locum peccatoris adumbrando & repræſentando ſacrificium Chriſti, in quo ſe erat ſubſtituturus in locum noſtrum, pœnas nobis debitas in ſe derivaturus, & ſatisfaciendo pro nobis juſtitiæ Divinæ, eoipſo plenam peccatorum noſtrorum remiſſionem à Deo impetraturus.

Nam nec remiſſio] Quin potius, remiſſio peccatorum obtineri non poteſt, niſi prævià ſatisfactione præſtitâ juſtitiæ Divinæ. Id ipſum ſignificabant illa ſacrificia legalia de quibus agimus: ἱλασμὸς enim & expiatio per victimam, mortem pro peccatore oppetentem & ejus loco, prærequirebatur ad remiſſionem delicti; unde hæc formula non ſemel legitur apud Moſem, *Ita expiabit eos ſacerdos & remittetur eis* Levit: IV, 20. 26. 31. 35. V, 10. 13. VI, 7. Expiatio autem peccati per victimam, nihil aliud eſt quam hujus in peccatoris locum ad pœnam ejus ſuſtinendam ſubſtitutio; cum ipſummet *piare* Latinis ſcriptoribus idem ſit quod plecti & luere: Hinc illud Virgilij, *Culpam miſerorum morte piabunt*; & iſtud Ciceronis, *Tua ſcelera Dij immortales in noſtros milites expiaverunt*; nec non & hoc Plinij, *Luxum populi expiare ſolent bella.*

Nec Deo quippiam] Licet Deo nihil accedat per ſacrificia quo locupletior fiat, eique nihil *dari & ſolvi* poſſit ab hominibus per actum juſtitiæ commutativæ, cui inter eos & ipſum nullus locus eſt, tamen ſufficit ad ſatisfactionem pro peccatis, ut aliquid utile vel jucundum decedat offerenti, eique aliquod malum triſte, damnoſum & pœnale accedat, quo gloria juſtitiæ Divinæ illuſtretur. Et quamvis *omnia ſint ipſius jure dominij abſoluti*, eatenus tamen ei offert de ſuo peccator, quatenus habet dominium in ſuas pecudes & earum jacturam patitur ob ſua peccata. Multo magis vero dedit & ſolvit Chriſtus de ſuo pro nobis, cum animam ſuam poſuit victimam pro peccato, quod eſſet abſolutus Dominus membrorum ſuorum, uti liquet ex Ioh: x, 18. Quando peccatores Deo dant pœnas ſuorum criminum in ſuis corporibus, bonis, liberis, ut fiat ſatis juſtitiæ ipſius, luunt & plectuntur in eo quod illorum eſt, non obſtante abſoluto Dei dominio in omnia: Et nemo ſanus ob illud dixerit, Deum ſeipſum mulctare non ipſos in illis puniendis: Etiam tralatitium eſt in Scripturis ut dicantur homines reddere & ſolvere Deo ſua vota, quamvis res votivæ ſint in ejus abſoluto dominio: Nec deſunt exempla Principum liberalitati & juſtitiæ ex æquo ſtudentium, qui hominibus damnatis legum vi ad mulctam aliquam inferendam fiſco cui pares non erant, maluerint de ſuo liberaliter erogare quod ſoluerent, quam mulctæ gratiam faciendo, legum ſuarum authoritatem infringere. Locus Pſal: L, 8. ſolum oſtendit primò ſacrificia legalia, ex ſe & propter ſe Deo non eſſe grata, ut ſtolide credebant illi qui omnem pietatem

& Dei cultum in ejuſmodi ritibus externis collocabant; Secundò Deum non illa exigere ex indigentia & neceſſitate, ſed duntaxat ex Creaturarum officio, tùm in Confeſſionem peccatorum quæ commiſerint, tùm in agnitionem ſui Dominij: At fruſtrà fueris ſi inde colligas Deum non potuiſſe ex illis pecudibus, quatenus earum dominium conceſſit homini, ſacrificia expiatoria præcipere, quæ eo ipſo ſuo ſenſu ſatisfactoria eſſent: cùm per ſatisfactionem propriè dictam ad juſtitiæ ſuæ exercitium, non debeat fieri locupletior, ſed tantum ejus juſta ſeveritas exerceri ac demonſtrari in peccato puniendo. Verum hac de re fuſiùs, agemus cum Volkelius de eadem expreſſiùs differet.

24. ## CAP: XIII.

De Sacrificio Pacifico.

PAcifica ſacrificia erant, quæ non ad expiationem certæ alicujus labis, ſed vel ad aliud aliquod beneficium à Deo accipiendum, vel ob beneficium jam acceptum, in ipſius honorem offerebantur. Et ea quidem, quæ ob acceptum jam beneficium offerebantur, Euchariſtica dicuntur: quæ quia in hoc genere crebriora videntur fuiſſe, ideo hæc vox à quibuſdam ad totum ſacrificiorum pacificorum genus transfertur. Erant autem ea vel ſpontanea, vel votiva. Spontanea, quæ nulla præcedente obligatione offerebantur. Votiva, quæ ex pacto ſeu promiſſo, quo ſe quiſpiam obſtrinxiſſet, præſtabantur. Tale pactum illud erat, quo quiſpiam, ſi voti ſui compos fieret, Deo ſeſe obſtrinxerat, ad certum aliquod munus offerendum. De votis porrò, & de Nazaræis, qui pactione ſeſe obſtringebant, nec non de ipſo votivorum ſacrificiorum modo ac ratione, plura à Moſe dicuntur, quæ unusquiſque per ſe & legere & ponderare poteſt. (*Levit: 27. Num: 30. Levit: 1. & 3.*) Eſt & alia ſacrificiorum Pacificorum diſtinctio. Alia enim ſimplicia erant, alia mixta. Simplicia vel ex ſolis conſtabant animatis, ut victimæ; vel ex ſolis inanimatis, quod ſacrificiorum genus Minhah dicitur, alioque nomine ſacrificium cibarium appellatur. Conſtabat enim ferè ex rebus ad cibum potumque comparatis, veluti fuit farina, oleum, ſal, mel, grana, panis denique & vinum, quibus adde thus; quæ eo, quo Moſes docet pacto, (*Levit: 2. 1. & d. & 6. 14. & d. & 7. 9. & d.*) inter ſe commiſta, iſtam oblationem conſtituebant. Cujus una pars à Sacerdote in ara adolebatur, ut Deus fragrantiæ illius odore quodammodo delectaretur, (quamquam nec fermenti, nec mellis quicquam adolebatur) (*Levit: 2. 11.*) altera verò Aaroni ipſiuſque filiis cedebat. In hoc genere & decimæ, & frugum primitiæ haberi poſſunt. Mixtum verò ſacrum ex animantibus & terræ frugibus erat compoſitum, ad Deique laudem comparatum. Et victima quidem ipſa vel tota igni abſumebatur, quod ſacrificii genus holocauſtum appellabatur: vel

in tres

Digitized by Google

in tres partes diſtribuebatur: quarum prima Deo, ſuavis odoris cauſſâ in ara adolebatur; altera ad Aaronem ejuſque filios pertinebat; tertia cedebat victimam præbenti. Quia verò pleraque pacificorum mixtorum, hujus generis eſſe ſolebant: ideo holocauſtum interdum à Pacificis diſtinguitur, licet ſub iis revera contineatur. Neque enim proprio ſine ab iis diſcernitur, ſed oblationis tantùm modo ac forma ab eorum pleriſque diſpeſcitur.

‡ *Pacifica ſacrificia*] Vt in expiatorijs Satisfactio Chriſti, ſic in pacificis ejus interceſſio, quæ altera pars eſt Sacerdotij ipſius, graphicè ſignificabatur: Niſi malimus dicere, his ad præcedentia additis denotari ſpeciatim mortem Chriſti non ſolum expiatoriam eſſe peccati, ſed ſimul *εἰρηνοποιὸν* & reconciliativam hominum cum Deo, & omnium beneficiorum ad ſalutem neceſſariorum impetratoriam.

Vt Deus fragrantia]Quin potius ut ſignificaretur Deum delectari fragrantiâ pietatis, fidei, ſanctimoniæ, precum, ac præſertim Sacrificij Chriſti, in quo *tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem ac victimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ*, Eph: v, 2.

Quod ſacrificij genus] Plerique tamen putant haud immeritò *holocauſta* ſpeciatim ſic dicta, potius expiatorijs, quam pacificis eſſe annumeranda; ſiquidem ut etiam agnoſcit Volkelius, ab illis quandoque diſtinguuntur.

Tertia cedebat] Vt ſic veniret in communionem rei oblatæ & per eam ipſius Dei, quaſi illius conviva cum ſacerdotibus futurus: Eodem modo Chriſtus nos vocat in communionem corporis & ſanguinis ſui, poſtquam ea obtulit in ſacrificium pro nobis: Vnde dicuntur fideles in ſacra Cœna, in qua proponitur ipſis caro & ſanguis Chriſti, fieri participes menſæ Dominicæ, quo modo fiebant participes menſæ dæmoniorum & eorummet conſortes, qui ex idolothytis veſcebantur in convivijs ſacrificalibus Ethnicorum; videatur 1. Cor: x, 18. 20. 31. Verum hæc obiter annotaſſe ſufficiat, dum veſtigijs Volkelij preſſiùs inhæremus.

XIV. 25.

De Sacerdotum vitæ ratione.

‡ *Reſpondente ad hoc & ſequens caput* JOHANNE SCHLICHTINGIO, Friſio-Orientali.

ADhuc de illis diximus, in quibus ſacerdotum munus conſtitutum erat. Reliquum eſt, ut de illorum vitæ ratione ſermonem inſtituamus. Hæc autem vitæ tum cultum, tum ſtatum continet. Ac ad cultum quidem tum victus, tum veſtitus pertinet. Victus illorum erat, omnia libamina, omnes primitiæ ciborum. His adde partem decimam optimamque decimarum, & omnia primogenita. Quibus quo pacto unà cum familiis ſuis veſcendum illis fuerit, Moſes ſuis locis pleniſſimè docet. (*Exod: 29. 26. Lev: 2. 3, 10. & 5. 13. & 6. 16, 18. & 7. 6, 32. & 10. 13, 14, & 24. 9. Num: 5. 9, 10. & 18. 8, 11, 20, 21, 28. Deut: 18. 1. & d.*) Veſtimenta porrò ſacerdotum qualia fuerint, jam ſuprà commemoratum eſt. niſi hoc fortè addendum eſt, eos, quando à ſacro

Digitized by Google

miniſterio vacabant, habitu communi uſos fuiſſe, ut ex illis Ezechielis Moſiſque verbis colligitur, Ezech: 44. 17, 19. Exod: 28. 43, & 39. 1. utpote cum veſtes ſacræ ſacrarum rerum adminiſtrationi deſtinatæ eſſent. Huc etiam ſpectare videtur, quòd ſacerdoti caput radere, barbam tondere, veſtimenta conſcindere non licebat. (*Levit: 10. 6. & 21. 5.*)

‡ *Ac ad cultum quidem*] His omnibus ſua myſtica inerat ſignificatio, quæ partim perſonam Chriſti, partim omnes fideles reſpiciebat: Debent enim omnes pij amiciri juſtitiâ & ſanctitate, ei ſimili quâ conſpicuus fuit noſter ſummus Pontifex cum ſe accinxit ad opus Redemptionis noſtræ; cibis quoque ſacratis veſci nos docet & verbo vitæ, relicto ſerpenti quem lingat puluere terræ. Sed his fuſiùs & ſigillatim immorari noſtri non eſt inſtituti.

Jam quod ad vitæ illorum ſtatum attinet, duo potiſſimum occurrunt, quorum alterum rem matrimonialem, alterum eorum poſſeſſiones complectitur. Matrimonium igitur illorum ſic erat comparatum, ut non niſi virginem è populo ſuo, eamque intactam, & nequaquam vel profanam, vel ſcortum, vel viduam, niſi à ſacerdote relictam, vel repudiatam, ſacerdoti in uxorem ducere liceret, Ezech: 44. 22. (*Levit: 21. 13, 14.*) Poſſeſſiones verò ſeu fundos nullos tenebant. Ipſe enim Deus fundus poſſeſſioque illorum erat, utpote qui, ut de rebus ipſi conſecratis viverent, conſtituerat. Veruntamen quadraginta octo oppida Levitarum familiis ad habitandum dedit, unà cum ſuis undique pomœriis, ut & oppida ipſorum habitationi, & pomœria eorum jumentis & pecoribus ſervirent. (*Num: 18. 20: 35. 2. & d. Ioſ: 21. 5.*) Et hæc quidem de ceremoniis, quæ ſolos ſacerdotes obſtringebant, dixiſſe ſatis ſit.

‡ *Vt nonniſi virginem*] Hoc vero inter alia ſignificabatur Chriſtum ſibi conjuncturum hypoſtaticè naturam humanam, non corruptam & vitiatam, cujuſmodi eſt in unoquoque noſtrûm, ſed innocentem, puram & expertem labis originalis: Quapropter conceptus fuit ex Spiritu Sancto & natus ex matre Virgine. Mirum eſt has omnes circumſtantias tam ſicco pede præteriri à Volkelio, nullamque myſticam ſignificationem horum rituum, quam tamen habuerunt ex *inſtituto* DIVINO, hoc loco commemorare.

CAP: XV.

De ritibus communibus.

SEquitur deinceps, ut eos excutiamus ritus, quibus communiter omnes obligabantur. Fuerunt autem ii vel perpetui, & nunquam non obſervandi, vel non perpetui. Perpetui erant ii, qui cernebantur in abſtinentia
26. ab iis rebus, quæ tunc impuræ cenſebantur; vel contrà ſanctiores, quàm ut ad vul-

ad vulgares uſus transferrentur: (*Levit: 11. & 15. c. 12. 13: 14. 15.*) de quibus ſigillatim agere nil eſt neceſſe. Poſterioris generis ritus iterum vel ſtatorum erant temporum, vel incerti temporis. De ſtatis mox agemus paulò fuſiùs. Incerti temporis ceremoniæ, & pro re nata obſervandæ erant, ablutiones à certis quibuſdam impuritatibus, & expiationes delictorum, quatenus eæ ad unumquemque è populo pertinebant. Poſſes huc præter alia etiam circumciſionis ritum referre, de quo jam diximus ſuprà, cum de religione Abrahamo tradita diſſereremus; quamvis dies à nativitatis tempore octavus ei deſtinatus eſſet.

‡ *De quibus ſigillatim*] Inerat ſuus ſenſus moralis illis prohibitionibus, & præſertim erat abſtinendùm à ſanguine, quod is eſſet *qui pro anima ſaceret expiationem* Levit: XVII, 11. donec verus ſanguis propitiatorius effunderetur in cruce pro nobis.

Ablutiones à certis] Erant autem & iſtæ ablutiones ac aſperſiones ſacramentales, ideſt ſignificativæ & obſignativæ remiſſionis peccatorum per Chriſtum; videturque eò alludere Apoſtolus 1. Pet: 1, 2.

Ii autem ritus, qui ſtatorum erant temporum, in conſervatione dierum ac temporum feſtorum conſiſtebant. Erant enim ſolennia quædam tempora à Deo conſecrata, quæ vel abſtinentiâ à laboribus ſervilibus colenda, vel aliis quibuſdam ceremoniis ad cultum divinum ſpectantibus, vel utraque re ſimul celebranda erant. Fuerunt autem vel ſingularum ſeptimanarum, vel menſium, vel annorum. Ac ſeptimanarum quidem Sabbatum erat, de quo Deus apud Moſem (*Exod: 20. 8.*) hunc in modum præcipit: *Memento ut diem ſabbati ſanctifices. Sex diebus operaberis, ac facies omnia opera tua, ſeptimo autem die, ſabbatum Domini Dei tui eſt: Non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, ſervus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui eſt intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram & mare & omnia quæ in iis ſunt, & requievit in die ſeptimo. Idcirco benedixit Dominus diei ſabbati, & ſanctificavit eum.* Et alio in loco (*Deut: 5. 15.*) hæc verba apponit: *Memento quòd & ipſe ſervieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento. Idcirco præcepit tibi ut obſervares diem ſabbati.* Quibus locis, & quid Sabbati vox ſignificet, & qua de cauſa ſabbatum ſancitum, docemur. Primò igitur Sabbati vocabulum Hebraicum eſt, & ab omni ſervili opere conquieſcendi ſignificationem habet. Erat ergo dies Sabbati dies ſeptimus, quo univerſa Judæorum natio, unà cum ſervis, jumentis, & peregrinis, omni labore, victûs & cultûs gratiâ ordinariè propriaque voluntate ſuſcepto, ſuperſedere jubebatur. Intelligendum enim eſt, nequaquam genti illi iis operibus interdictum fuiſſe, quæ vel ad religionis cultum pertinebant, veluti erant ſacrificia in Sabbatis etiam confecta; vel quæ neceſſitate quadam impulſi efficiebant: cum & Machabæi (lib: 1. Mach: 2. 41. ſi modò ex

dò ex illorum hiſtoria veritatis divinæ firmamentum peti jure poteſt) eodem die bellum geſſerint, & aſinus aut bos in puteum cadens die ſabbati impunè
27. extrahi potuerit. (*Luc: 14. 5, 6.*) Deinde duas ſabbati agendi cauſas afferri videmus. Prima erat, quòd Deus ab omnibus operibus die ſeptimo conquieviſſet: altera, quòd Deus populo ſuo, poſt diuturnam ac gravem ſervitutem, quietem præſtitiſſet. Qua de cauſa etiam Deus ſabbati obſervationem ſignum eſſe voluit fœderis, inter ſe & populum tunc conſtituti, (*Exod: 31. 13, 17. Ezech: 20. 20.*) eamque decalogo, præcipuæ legis parti, quæ cæteroqui ex moralibus præceptis tota conſtat, inſeruit; & ejus violationem gravi pœna vindicari juſſit.

‡ *Ac ſeptimanarum*] Non eadem omninò ratio Sabbathi quæ aliorum Feſtorum: Nam in obſervatione illius apud Iudæos debemus tria diſtinguere; 1. id quod erat ceremoniale & typicum; 2. id quod erat ſuperſtitioſum & adventitium; 3. id quod erat morale & perpetuum: Ad primum pertinebat 1. determinatio ſeptimæ diei; 2. commemoratio in illa quietis quam Deus populo ſuo præſtitiſſet; 3. ceſſatio ideo ab omni opere ſervili ſub graviſſima pœna. Hoc reſpectu *Deus Sabbati obſervationem ſignum voluit eſſe fœderis inter ſe & populum tunc conſtituti*, ut monet Volkelius. Ad ſecundum ſpectarunt variæ deuteroſes Iudæorum quibus onus ſatis grave per ſe ſcrupuloſitatibus ſuis inanibus, quaſi datâ operâ, aggravare ſtuduerunt. Has ſæpiùs carpit Chriſtus, ut Luc: XIV, 5. 6. Matth: XII, 1. 2. 3. & d. Et quamvis cenſuerint jure merito Maccabæorum tempore, poſſe ſe tueri & arma corripere contra inſultus hoſtium ſuorum etiam in Sabbatho, tamen haud ita diu poſtea ad ingenium redierunt, & paſſi ſunt ſe invadi & impune jugulari diebus feſtis & Sabbathi, à Mithridate, Pompejo, Cæſareenſibus & alijs, ut colligere eſt ex Ioſepho, varijs in locis. Quin nec quod Chriſti tempore obtinebat, ut liceret bovem vel aſinum in puteum delapſum inde extrahere, hodie fas eſſet recutitis. Parentheſim Volkelij, ſubdubitantis de authoritate Canonica librorum qui vulgo Maccabæorum appellantur, non eſt quod moremur. Vetus Eccleſia conſtanter hos libros Apocryphis annumeravit, ſive, ut illos appellat Sixtus Senenſis *Bibl. Sanctæ lib.* 1. Deuterocanonicis, qui *apud ſolos Catechumenos nondum lectionis Canonicæ capaces, ut in Synopſi teſtatur Athanaſius, primum legi* permittebantur, *deinde procedente tempore, ut Ruffinus in Symbolum ſcribit, apud omnes fideles recitari* potuerunt, *non ad dogmatum inſtructionem, ſed ad ſolam populi inſtructionem; & quia publicè in Eccleſia legerentur, Eccleſiaſtici* quoque nuncupati ſunt. Vt plures hîc congeramus ex Antiquitate iſtius veritatis teſtes, nihil attinet: Satis eſto quod cum Iudæis concredita ſint oracula Dei ad V. T. ſpectantia Rom: III, 2. hi tamen libri, Græcè ſcripti non Hebraicè, & qui in fronte gerunt certos characteres ſuæ reprobabilitatis, ut ab alijs oſtenſum, nec extent nec extiterint unquam in eorum Canone: Fidem hiſtoricam, *ſed humanam*, apud nos mereantur; At *veritatis Divinæ firmamentum* neutiquam ex illis petatur: Id vero obiter. Ad tertium denique in obſervatione Sabbathi ſpectandum, pertinuit quod *Decalogo præcipuæ legis parti, quæ cæteroqui ex moralibus præceptis tota conſtat*, inſerta ſit; ut moralis & perpetuæ obſervationis ſit unius è ſeptem diebus ſanctificatio ad cultum Dei publicum & exercitia pietatis, imò & creationis utriuſque primæ & ſecundæ commemorationem;

rationem; Nam ſana ratio id dictitat, & Deum eſſe colendum & tempus ſpeciale illi uſui eſſe deſtinandum, & nihil eſſe convenientius quam ut in eo ſervetur id quod viguit ab initio, etiam in ſtatu innocentiæ, per delectum unius diei è ſeptem, qui ſacris pietatis exercitijs conſecretur. Ideo plerique Theologi Chriſtiani id hactenus morale & perpetui juris agnoverunt in quarto Decalogi præcepto, ut intra circulum ſeptem dierum, unus ad Dei cultum ſanctificetur: qua de re videantur Rivetus *de Orig. Sabbathi*, Wallæus *de Sabbatho cap. 3. & 5.* Author anonymus libri qui inſcribitur *Dies Dominica lib. 1. cap. 9. & 10.* & alij plurimi. Per Chriſtum igitur ſumus liberati tum à præciſa obſervatione ſeptimæ diei Col: II, 16. Gal: IV, 10. tum à ſcrupuloſa & ſuperſtitioſa nimis ceſſatione ab omni opere ſervili Rom: XIV. 5. Gal: V, 1. Sed tamen manet obligatio ad unum è ſeptem conſecrandum publicis conventibus & ſacris exercitijs, imò & quieti politicæ ab ordinarijs laboribus; nam *quod caret alternâ requie durabile non eſt*: Is vero per Chriſtum & Apoſtolos delectus eſt primus ſeptimanæ, qui dies Solis vulgo dicitur, tam in memoriam reſurrectionis Chriſti, quam ad diſcernendos Chriſtianos à Iudæis; Ac ſicut hæc praxis fuit continua in Eccleſia Chriſtiana ab Apoſtolorum obitu, ita etiam ab ipſis viventibus fuit introducta, ut patet ex Act: XX, 7. I. Cor: XVI, I. 2. & iſte ipſe dies ideo *Dominicus* per illos appellatus Apoc: I, 10. Nec video quî auſint Sociniani omnem quarti præcepti moralitatem impugnare, cum fateantur illius obſervationem inſertam *Decalogo, præcipuæ legis parti, quæ cæteroqui ex moralibus præceptis tota conſtat*: Sanè non conſtabit Decalogus *totus* ex moralibus præceptis, ſi unum ex illis decem merè cæremoniale fuerit & nihil morale ac juris perpetui habuerit. Imò nulla poſſet fingi ratio cur ſtreperet anſer inter olores, & merè cæremonialis obſervatio, inſerta fuiſſet illi parti legis, quæ cæteroqui ex moralibus præceptis tota conſtat. Addo quod ad cæremonias Iudæorum obſervandas nullo modo tenebantur proſeliti domicilij, ſive peregrini habitantes in eorum portis, prout ad Sabbathi obſervationem expreſſo Dei mandato obligantur. Quin ipſimet Iudæi pertendunt ſolos quidem Iſraelitas obligatos fuiſſe ad cultum Sabbathi, ſed tamen reliquas gentes adſtrictas fuiſſe ad illius recordationem, ut videre eſt apud Menaſſeh Ben Iſrael *problem. 8. de Creat.* Nec defuerunt inter ipſos Ethnicos obſcura quædam veſtigia illius recordationis, quæ ex Lino, Callimacho, Heſiodo, jam olim collegerunt & obſervarunt Clemens Alexandrinus *Strom. 5.* & Euſebius *de præpar. Euang. lib. 13. cap. 17.* Quin ipſe Tertullianus de Ethnicis refert quod diem *Saturni otio & victui decernebant, Apol. cap. 16. & lib. 1. ad Gentes cap. 13. Qui Solem & diem ejus nobis exprobratis, agnoſcite vicinitatem: non longè à Saturno & Sabbathis veſtris ſumus*; & Theophilus Antiochenus *ad Antolycum lib. 2.* monet diem ſeptimum *inter omnes mortales* celebrem eſſe, etſi de illius celebritatis cauſa magna ſit ignorantia apud pleroſque. Sed de Sabbatho hactenus.

Iam quod ad menſium diem feſtum attinet, is agebatur in ſingulorum menſium principiis, quæ Neomeniæ, ſive Novilunia, aut Calendæ, ſunt nuncupata. Qui quidem dies, quo pacto celebrati fuerint, luculentiſſimè tum à Moſe, tum ab aliis Vatibus explicatur. (*Num: 10. 10. & 28. 11. 1 Sam: 20. 5. Pſal: 81. 4.*) Qua de cauſa ſtatim ad annorum feſta tempora veniendum putamus, quæ quidem, vel unius anni vertentis erant, ideoque anniverſaria appel-

appellantur; vel plurium annorum revolutione continebantur. Ac illa quidem tria numerantur, nimirum Paſcha, Pentecoſte, & Umbraculorum. de quibus omnibus Moſes ſic præcepit: (*Deut: 16. 16. Exod: 34. 23.*) *ter quotannis appareat omnis mas tuus apud Dominum Deum tuum, in loco ab eo electo, feſto Azymorum, & Septimanarum, & Umbraculorum: neque apud Dominum vacui apparento, pro ſua quiſque facultatis munere, pro ratione copiarum, quas cuique largitus Dominus Deus veſter fuerit.* His poteſt addi dies Expiationis, quo ſacrificium illud maximè ſolenne à ſummo Pontifice conficiebatur: qui alicubi nominatim, ubi de feriis anni celebrioribus agitur, à Deo commemoratur. (*Levit: 23. 27. & d.*) Quibus porrò ceremoniis ſingula iſta feſta acta fuerint, & copioſe & luculenter Moſaicis ſcriptis explicatum eſt. (*Exod: 23. 14. Levit: 23. 5. uſque ad finem cap.*)

‡ *Is agebatur*] Sic Deus volebat ſignificare primitias ſibi deberi in omnibus, & omnia ab ipſo & cultu illius eſſe auſpicanda; quod & Ethnicus Poeta dixit, *A Iove principium.*

Nimirum Paſcha, Pentecoſte] Vtriuſque hujus feſti nomen remanſit apud Chriſtianos, ſed alio fine: Nam ex vetuſtiſſima Traditione celebratur Paſcha in memoriam reſurrectionis Chriſti, unde ſub ipſius Eccleſiæ Chriſtianæ incunabulis acriter diſputatum fuit quo die deberet celebrari: Pentecoſte vero in commemorationem effuſi Spiritus Sancti in Apoſtolos & jactorum priorum fundamentorum Chriſtianæ Religionis ipſorum miniſterio. Sic tamen ut analogia quædam interſit inter utrumque feſtum Iudaicum & hæc duo feſta cognomina Religionis Chriſtianæ.

Jam ut videamus feſta, quæ pluribus annis vertentibus agitanda erant; animadvertendum eſt, ea duo fuiſſe, quorum alterum ſeptimo quoque anno, qui & annus ſabbati nominabatur, incidebat: alterum verò Jubilæum dicebatur, quod quinquageſimo quoque anno celebrabatur. (*Lev: 25. 1 & d. Deut: 15. verſu 1. & d.*) Ac illo quidem omnibus debitoribus nomina remittebantur, nec fas erat, debitum à creditoribus, qui ejuſdem gentis nationiſque erant, exigere. Hoc verò omnes ſervitute oppreſſi libertate donabantur, & poſſeſſiones venditæ ad priſtinos dominos eorumvé hæredes redibant. Edicebatur autem clangore tubæ omnibus terræ illius incolis. (*vid: d. l. Lev: 25. 8. & d.*) Et hactenus quidem de Ceremoniali lege; veniendum eſt ad Judiciariam ac forenſem.

‡ *Animadvertendum eſt, ea*] Vtrumque hoc feſtum habebat ſignificationem myſticam noſtræ Redemptionis per Chriſtum, cujus beneficio & noſtrorum debitorum relaxationem & vindicias ſecundum libertatem ſumus conſequuti: Hinc Meſſiæ adventus ſub imagine anni Iubilæi deſcribitur à Propheta Eſa: LXI, 1. 2. 3. Verum his allegorijs inſiſtere non eſt hujus noſtri inſtituti: Satis fuit digitum ad fontes intendiſse, & ea ratione oſtendiſse illis in ritibus cæremonialibus antiquæ legis, non tam quid eſſent, quam quid denotarent

attendendum

Digitized by Google

attendendum fuiſſe; quo magis conſtet non diverſam à Chriſtiana in ſubſtantialibus fuiſſe Religionem Moſaicam, ut falſo hæretici inſinuare vellent.

CAP: XVI 28.

De Lege Iudiciaria: & primùm de Iudicibus.

‡ *Reſpondente ad hoc caput & duo ſequentia* ALEXANDRO TILIKINGIO, Groningano.

LEx Judiciaria nihil aliud eſt, quàm certa norma ac regula, ſecundùm quam Judices cauſas judicabant. Quæ res quò magis intelligatur, tum Judices ipſos, tum hanc ipſam judiciorum normam perpendemus. Perſonæ judicum duplices fuêre. quidam enim generatim omnem adminiſtrabant Rempubl. & principum inſtar ſummæ rerum ſoli præerant: veluti fuit Moſes, Joſua, Judices illi, quorum hiſtoria peculiari libro deſcripta eſt, Samuel, filiique ejus, & Reges. Quidam verò his dignitate inferiores fuerunt, qui vel non univerſo populo, vel non ſuprema cum poteſtate, præſertim ſinguli præfuerunt: quales Seniores præfectique erant. Qui quidem rurſus in duos ordines diſtrahebantur. Alii quippe minora adminiſtrabant judicia, illi nimirum Tribuni, Centuriones, Semicenturiones, & Decuriones, quos Moſes Jethronis ſoceri ſui ſuaſu populo gubernando præfecerat. (*Exod: 18. 21. Deut: 1. 13.*) Alii verò majora reddebant jura, ut ſeptuaginta illi viri, quos Deus Moſi adjunxerat, quibuſque quod de Moſis ſpiritu detraxerat, pro ſua ſapientia diſtribuit. (*Num: 11. 24, 25.*)

‡ *Filiique ejus & Reges*] Iudicum tamen authoritatem, niſi fortè omninò extraordinem a Deo fuiſſent in ea conſtituti, arctiorem fuiſſe poteſtate Regum, ſatis liquere poteſt ex 1.Sam: VIII, 9. 10. 11. & ſeqq.

Alij vero majora] Sed quemadmodum priores illi *Tribuni*, *Centuriones* &c. quos ex Iethronis conſilio Moſes conſtituit in populo, potiùs videntur ſpectaſſe ad ſtatum caſtrenſem, quam ſimpliciter politicum, quamvis illis minorum quoque judiciorum cognitio eſſet delata, ita Chriſtus Matth: V, 22. duo genera tribunalium diſtinguit in Rep. Iſraelitica, quorum unum *judicium* dicebatur, alterum *ſynedrium* ſive *conſeſſus*. Illud in ſingulis urbibus erat XXIII. virorum, hoc Hieroſolymis LXXI. capitum, quibus qui præerat appellabatur נשיא *Naſi*, ideſt *Princeps ſenatus*; ſecundus ab ipſo qui ad dexteram ejus ſedebat vocabatur אב בית דין *Abh Beth Din, Pater Domus judicij*; qua de re videatur poſt alios Buxtorſius in *Abbreviaturis ad* אבר. In tractatu *Sanedr. cap.* 1. §. 1. fit inſuper mentio cauſarum quæ à triumviris expediebantur; ſed ut ſolæ cauſæ pecuniariæ & civiles ad eos deferebantur, ita etiam ipſi ijs demum in pagis conſtituebantur in quibus pauciores quam centum viginti patresfamiliàs erant.

De Moſis ſpiritu] Conſtantes ſunt Iudæi in hac origine magni Sanedrim connotanda, ut videre eſt in ipſo *tract. Saned. cap.* 1. §. 6. Sed aliquid Deum *detraxiſſe* de Moſis ſpiritu, quod ſeptuaginta illis viris di-

ris diſtribueret, gratis fingitur à Volkelio. Quod enim dicitur Deus ſepoſuiſſe de illo ſpiritu qui erat ſuper Moſem & poſuiſſe in eis, non eſt ita ſumendum quaſi debuerit Moſes ideo minus habere ex illo ſpiritu quam antea, ſed quod Deus apud ſeipſum ejuſdem ac ſimilis ſpiritus, quo Moſes inſtructus erat, portionem ſecreverit, quam effunderet in illos lxx. viros, ut pro ſua proportione partem oneris quod Moſes ſolus geſtaverat in ſe derivarent & ipſi aſſiderent in regimine populi: Adeoque illa ſecretio vel ſepoſitio non eſt facta per ablationem alicujus partis eorum donorum quibus antea fuerat Moſes ornatus, ut aliquid ipſi periret, ſed per ſapientem diſpenſationem Dei ex ſuis theſauris ſeponentis & educentis portionem aliquam ſimilis ſapientiæ & gratiæ, quam in illos Moſis aſſeſſores conferret, quo maneret proportio inter caput & membra tam auguſti Senatus, qui majeſtate & ſplendore multum ſuperavit Senatum Romanum, etſi hic Cyniæ videretur eſſe conventus Regum. Ac ſicut Pſal: LXVIII, 19. dicitur Deus accepiſſe dona in hominibus, non ſanè quæ ab illis auferret, ſed quæ accepta & deprompta ex ſua gaza ditiſſima in illos liberaliter effunderet, ita dicitur aliquid ſepoſuiſſe de ſpiritu Moſis effundendum in lxx. viros, non id Moſi eripiendo, ſed ex ſuis theſauris ſimilem gratiam ſeponendo eum in uſum; Ideo Chaldæus ita reddidit hanc pericopam, *Augebo de ſpiritu qui eſt ſuper te & ponam ſuper eos.* Poſſet addi ſimilitudo quâ Lyranus conatur rem totam expedire his verbis; *Et auferam de ſpiritu tuo, ideſt de cura tua, tradamque eis, ut partito in alijs onere levius tibi ſit: Aliter exponitur, De ſpiritu, ideſt de ſpiritu gratiæ tibi datæ; & tunc non eſt intelligendum quod aliquid ſit ablatum Moyſi & traditum alijs; ſed fuerunt illuminati abſque diminutione gratiæ Moyſi, ſicut à lumine unius candelæ illuminantur plures abſque ſui luminis diminutione: Sciendum tamen quod ſimilitudo iſta non tenet quoad cauſam effectivam, ita quod donum gratiæ in Moyſe exiſtens cauſaret gratiam in alijs effectivè, ſed tantum meritoriè* (dicerem potiùs, *impetratoriè*) *inquantum ad preces Moyſi ad ejus ſublevationem, alij fuerunt illuminati.* Hoc refero quo magis conſtet difficultates quas hîc nectunt Sociniani, ut argumento longiuſculè petito evertant Divinitatem & perſonalitatem Spiritus Sancti, non diſtinguentes inter perſonam & chariſmata illius, jam olim ab alijs obſervatas & ſimul enodatas fuiſſe.

Jam ut de judicum, ſeu illorum, qui magiſtratum geſturi erant, electione dicamus; intelligendum eſt, eam vel mediatè, ut dicitur, vel immediatè à Deo fuiſſe factam. Mediatè illam, quæ hominum fiebat operâ, ita ut penes ipſos perſonarum eſſet delectus; qualis fuit illorum, quos Iethro populo præficiendos cenſuit, & ſeniorum iſtorum, quos paulò antè commemoravimus. Quo in loco ſimul animadvertendum eſt, quales illos eſſe oportuerit, quibus iſta perſona dignè imponeretur. Hoc autem ex illis verbis Moſis (*d. l. Deut: 1. 13.*) apertiſſimum eſt: *Date*, inqnit, *nobis viros ſapientes, prudentes, & ſpectatæ probitatis, de tribubus veſtris, & conſtituam eos præſides.* Quod idem & illo Iethronis conſilio continetur, (*d. l. Exod: 18.*) qui ait: *Diſpicito ex omni populo viros fortes, religioſos, fideles, & avaritiæ inimicos &c.* Immediatè porrò gubernatorum electio à Deo tunc fiebat, cùm Deus per ſe ipſe certos homines eligebat ac deſignabat, quos populo gubernando præficeret: quales fuerunt

Digitized by Google

fuerunt Moſes, Joſua, Judiceſque illi, quos populi ſervatores fuiſſe ſcriptum legimus: (*Iudic: 3. 9. Nehem: 9. 27.*) quod idem & de Saule Davideque ſtatuendum eſt. Huc & conſecratio gubernatorum pertinet: quam quidem non uno modo confectam fuiſſe conſtat. Jam enim ipſe Deus admiranda quadam ratione eos initiabat; veluti cum ſeptuaginta illis ſenioribus in taberna- 29
culi oſtio conſtitutis, quaſi particulam de ſpiritu Moſis decerptam ſingulis dedit: (*Num: 11. 25.*) jam verò impoſitione manuum res ita perficiebatur, ut cum Moſes Joſuæ Dei juſſu manus imponeret, eumque coram Eleazaro Pontifice, coramque omni multitudine ſiſteret, & ei in eorum oculis præciperet, deque ſua authoritate impertiret, ut illis obediret omnis Iſtaëliticus populus: (*Num: 27. 18. & d.*) jam denique reges unguento olei ad regium munus conſecrabantur. (*1 Sam: 10. 1. & 16. 1, 13. 3 Reg: 1. 39. 4 Reg: 9. 3.*)

‡ *Iudiceſque illi*] Hoc paullò generaliùs dici patet ex eo quod etiam Volkelius Iudicibus illis qui à Moſe, Ioſua & Regibus diſtinguuntur, ſupra filios Samuelis annumeraverit, quos tamen non auſit dicere immediatè à Deo fuiſſe electos.

Quos populi ſervatores] Videmus quò collimet Volkelius; vult enim per indirectum oſtendere non ideo verum Deum, Patri coæternum & coeſſentialem, eſſe Ieſum Chriſtum, quod Servator noſter appelletur: ſed fruſtrà eſt; Nam illi fuerunt Servatores typici & miniſteriales, quatenus eorum miniſterio Deus populum ſuum eripiebat tyrannidi impiorum: Sed Chriſtus eſt Servator verus & principalis, qui & ipſa *Salus*, quam Ethnici Numinibus ſuis annumerarunt, & ipſum Dei *Salutare*, quandoque nominatur; atque ſuum proprium populum non alienum liberavit, non eum per vim eripiendo, ſed proprio ſuo ſanguine ſatisfaciendo juſtitiæ Divinæ pro illius peccatis. Et ſicut habuêre Romani ſuum Iovem Liberatorem, ita Chriſtus revera non modò Salus eſt Iehovæ, Gen: XLIX, 18. Luc: II, 30. III, 16. ſed etiam Iehova Soſpitator & Servator, ut liquet ex Eſ: XXXV, 4. Ier: XXIII, 6. Hoſ: I, 7.

Quaſi particulam] Iam ante hoc commentum refutavimus. Pars ejuſdem gratiæ ſpecificæ quæ collata fuerat Moſi, his LXX. viris fuit communicata; ſed nihil deceſſit illi gratiæ numericæ quam antea Moſes fuerat conſequutus. Aliàs non levamen illa diſtributione Moſes fuiſſet conſequutus, ſed damnum & detrimentum.

Vnguento olei] Illa Vnctio & Reges ſacros faciebat adeoque inviolabiles, ut revera debent illi ſemper eſſe ſuis ſubditis, & ſignificabat unctionem illam Myſticam, quâ Chriſtus in Regem, Sacerdotem & Prophetam, fuit à Deo conſecratus, de qua Pſal: II, 6. XLV, 8. Eſa: LXI, 1.

CAP: XVII.

De Judicum officio.

POſtremò illorum officium generatim hoc loco perſtringendum exiſtimamus, propterea quòd paulò poſt, cum de ipſis legibus ſermonem habebimus,

mus, ſpeciatim id excutiendum erit. Moſes igitur officii iſtius munus diverſis in locis ſic deſcribit: *Quod juſtum eſt judicate, ſive civis ſit ille, ſive peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum: ita parvum audietis, ut magnum: nec accipietis cujusquam perſonam, quia Dei judicium eſt.* (*Deut: 1. 16, 17.*) Item: *Iudicato populum juſto judicio, ne flectas judicium, neque agnoſcas perſonam, neque accipias munus: quoniam munus excæcat oculos ſapientum, & pervertit cauſas juſtas. Iuſtitiam juſtitiâ perſequaris; ut vivas & poſſideas terram, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi.* (*Deut: 16, 18. & d.*) Et iterum: *Ne feceris iniquum quid in judicio, ne ſuſcipias faciem pauperis, nec reverearis faciem potentis, ſed juſtè judicabis proximo tuo.* (*Levit: 19. 15.*) Rurſus: *Ne receperis rumorem falſum, ne ſequaris multos ad malè faciendum, neque reſpondeas in judicio declinando poſt multos, ut perverſum quid committas. pauperis quoque non miſereberis in judicio.* (*Exod: 23. 1, 2, 3.*) Sed & regibus leges præſcriptas eſſe videmus. Moſes enim ea de re hunc in modum loquitur: *Poſtquam ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis bujus in volumine, accipiens exemplar à ſacerdotibus Levitica tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vita ſua: ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & ceremonias ejus, qua in lege pracepta ſunt: nec elevetur cor ejus in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dextram vel ſiniſtram, ut longo tempore regnet ipſe & filii ejus ſuper Iſraël.* (*Deut: 17. 18, 19.*)

‡ *Poſtremo illorum officium*] Nihil eſt in hoc capite quod improbemus: Sufficiat amonuiſſe hoc generale Iudicum officium everti à Socinianis, & ſubrui per eos ſacra Magiſtratuum tribunalia, dum jus gladij illis eripiunt, nec capitalia judicia ab illis volunt exerceri: quamvis ipſe Apoſtolus gladium hunc firmet in manu Principum, etiam tempore Novi Fœderis Rom: XIII, 4.

CAP: XVIII.

De ipſis legibus judiciariis.

VEniendum tandem eſt ad ipſas leges judiciarias, quæ quidem duplices eſſe
30. videntur. quibuſdam enim judicabantur atque componebantur controverſiæ: quibuſdam verò certa conſtituebantur certis maleficiis ſupplicia. Controverſiæ porrò in magna varietate conſtitutæ erant, & ideo varia de illis judicia fieri oportebat. Vel enim lis fiebat de bonorum diſtinctione; vel de hæreditatum diſtributione, vel de alterius termini motione, vel de contractibus, pignore nimirum, depoſito, emptione, venditione; de ponderibus juſtis aut injuſtis; de operariorum mercede; de ſervorum tum mancipatione, tum manumiſſione; de divortiis; de bellicis denique expeditionibus, & aliis ſimilibus.

Digitized by Google

‡ *Quibuſdam enim*] Satiùs & breviùs feciſſet Volkelius, ſi ipſa judicia in Civilia & Criminalia diſtinxiſſet: prout ipſimet Iudæi alia faciunt דיני ממונות *Dine Mammonoth*, ideſt judicia pecuniaria, alia vero דיני נפשות *Dine Naphſchoth*, ideſt judicia criminalia & capitalia, in quibus de vita hominum agebatur; quo referri poſſunt omnes pœnæ corporales, illæ potiſſimum per quos reus talionis lege aliquo ſuo membro mulctabatur.

De bellicis denique] Hæc res ad politiam ſpectabat ejuſque tutelam contra hoſtes publicos, non ad forenſem ſtrepitum, quo privatorum cauſæ & controverſiæ judicabantur & componebantur.

Jam ut de pœnis delictorum agamus, intelligendum eſt eas vel caſtigationes quaſdam fuiſſe, vel capitalia ſupplicia. Caſtigationes rurſus vel mulctâ conſtabant, vel verberibus irrogabantur. Ac illa quidem tum in puella libera circumventa atque vitiata, tum in furto, tum in vinea, pratové depaſto; ſic in ciſterna non operta, in bove cornupeta, in ſpicis igni crematis, & aliis ejus generis locum habuit; quanquam ſi damnum abſque dolo malo datum eſſet, ſimplex ejus compenſatio ſufficiebat. (*Exod: 22.*) Hæc verò altera, quæ verberibus perficiebatur, à Moſe hoc pacto præcepta fuit: (*Deut: 25.2,3.*) *Si eum qui peccavit, dignum viderint plagis, proſternent, & coram ſe facient verberari. pro menſura peccati, erit & plagarum modus: ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant: ne fœdè laceratus ante oculos tuos obeat frater tuus.* Huc pertinet etiam viri illius pœna, qui ductam à ſe uxorem exoſus, ſeſe in illa virginalia non inveniſſe per calumniam diceret. Is enim & pecuniâ & verberibus mulctabatur; præterquàm quod uxorem illam dimittere jam nequaquam poſſet. (*Deut: 22.13. & d.*) Jam quod ad capitalia ſupplicia attinet, ea vel ita de nocentibus ſumebantur, ut igne cremarentur; quo pacto illum, qui & matrem & filiam in matrimonium duxiſſet; & filiam ſacerdotis ſcortantem puniendam fuiſſe legimus: (*Levit: 20.14 & 21.9.*) vel ita, ut homines ſcelerati lapidarentur: quod ſupplicii genus in falſos vates, in ſpiritu pythonico præditos, in filium immorigerum, paternorumque bonorum decoctorem, & alios quoſdam maleficos conſtitutum erat: (*Levit: 20.23. Deut: 21.18. 22.21,24.*) vel ita, ut qui capitali ſeſe ſcelere aſtrinxerat, in patibulum ageretur; quam quidem pœnam illi populi principes perſolvebant, poſtquam Iſraëlitæ cum Moabitarum puellis ſcortati fuiſſent, eorumque idolis honorem exhibuiſſent: (*Num: 25.4. Exod: 32.27.*) vel denique gladio in facinoroſos vindicabatur, ut quidem de vituli illius cultoribus, & de paulò antè memoratis, tum idololatris, tum ſcortatoribus factum fuiſſe, ſcriptum legimus. (*Num: 25.5,9.*) Huc & lex talionis pertinet, qua ſancitum erat,
(*Exod: 11.23, 24.*) *ut vita pro vita, oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro* 31.
manu, pes pro pede, ſugillatio pro ſugillatione, vulnus pro vulnere, vibex pro vibice penderetur. (*Levit: 24.20. Deut: 19.21.*) Huc denique omnia alia ſuppliciorum

rum genera, quibus olim ex legis præſcriptione in ſceleratos homines animadverſum fuit, nec non omnes illæ Levitarum maledictiones ſpectant. (*Deut: 27. 14, 15.*)

‡ *Caſtigationes rurſus*] Quamvis verbera & mulctæ quæ ex Lege infligebantur, hactenus poſſent *κολάσεις* & *νουθεσίαι* haberi, quatenus qui eas perferebat hac ratione deterrebatur in poſterum à ſimili delicto, quoniam, ut eſt in adagio, *Piſcator ictus ſapit*, & *Oderunt peccare mali formidine pœnæ*; attamen ſi attendatur primarius ſcopus Legum & intentio Legiſlatoris, erant propriè dictæ *τιμωρίαι*, ideſt pœnæ judiciariæ & ſatisfactoriæ, partim in damni illati reparationem, partim in exemplum aliorum, partim in tutelam & vindicias Legum & Legiſlatoriæ Majeſtatis, quoniam Reip. intereſt ne delicta impunita maneant. Ideo mulctæ vel emendæ dicuntur Iuriſconſultis ad fructus Iuriſdictionis pertinere, ut ex alijs monet Tholoſanus *Syntag. juris lib. 47. cap. 21. §. 17.* Longè meliùs igitur pœnas Lege judiciariâ ſancitas in genere dixeris eſſe *τῶν ἁμαρτημάτων ἐκδικήσεις*, eaſque diſtinxeris in pecuniarias & corporales: Pœnæ pecuniariæ mulctæ erant, quas creviſſe creſcentibus delictis, præſertim in furto & damno illato, ex Scriptura poſſet demonſtrari. Licet enim ſcrupuloſiùs Paulus Ictus diſtinguat inter pœnam & mulctam, nobis tamen placet illud Labeonis generaliùs loquentis, *Si quæ pœna eſt mulcta eſt, ſi quæ mulcta eſt pœna eſt, ff. de verb. ſignif. l.* 244. Pœnæ corporales iterum vel verberibus conſtabant, vel mutilatione alicujus membri ex talione, vel ſupremo & capitali ſupplicio. Exilium, nullâ Moſaicâ Lege ſancitum, extraordinem fuit quandoque adhibitum, ut liquet exemplis Abſalomi per Davidem, Abiatharis per Salomonem exilio mulctatorum. Hæc noſtra diſtributio pœnarum judicialium apud Iudæos, non ſequitur *ἀκρίβειαν* juris Romani, juxta quod omnis pœna capitalis eſt quæ vitam adimit, aut libertatem, aut civitatem; nec capitalis contra qua quis ſalvâ vitâ, libertate, civitate coercetur: ſed loquimur cum vulgo, cui vix alia capitis diminutio nota, quam illa quæ fit morte naturali.

In patibulum ageretur] In eo genere ſupplicij duo ſpeciatim notanda; Primum quod eſſet maledictum Deut: XXI, 23. Alterum quod expiatorium eſſet & Numinis iram placaret, uti liquet exemplo ſeptem filiorum Saulis in crucem actorum à Gabaonitis ad ſedandam iram Dei expiandamque Saulis perfidiam quam Deus dirâ fame ulciſcebatur 2. Sam: XXI, 3. 5. 6. 9. Vtroque reſpectu Chriſtus mortem crucis ſuſtinuit ut *κατάρα* & maledictio pro nobis factus, noſtra piaret ſcelera ac benedictionem & favorem Dei nobis conciliaret Gal: III, 18.

Huc denique omnia alia] At nulla alia, præter ea quæ ipſe Volkelius enumeravit *ex legis præſcriptione* fuerunt uſurpata, vel etiam cognita in Iudæorum monumentis: Ex *cap. 1. Sanhedrim* liquet Triumviros judicia pecuniaria, nec non de rapinis, læſione, damno, reſtitutione dupli, quadrupli, quintupli, exercuiſſe; item flagellationis pœnam impoſuiſſe: ſed capitalia ordinaria tribus & viginti fuiſſe commiſſa; graviora vero *conſeſſui* ſeptuaginta virali: Excommunicatio minor & major per נדוי *Niddui* & חרם *Cherem*, quibus an tertius ſit addendus gradus *Maranatha* diſputant eruditi, non tam pœnis judiciarijs & forenſibus, quam Eccleſiaſticis & ſpiritualibus debent annumerari.

Nec non omnes illæ] Hoc longè abſurdius; Nam illæ legales maledictiones non pertinebant ad pœnas judiciarias fori externi,

ti externi, ex authoritate Magiſtratus juxta leges ſpeciales decernendas & infligendas, ſed ad pœnas cœlitùs à Numine vindice in foro conſcientiæ & interno expectandas; eaſque tanto graviores, quanto durior eſt maledictio Divina qualibet coercitione humanâ; & quo quiſque ſe ore ſuo jam coram Deo præ damnatum ſciret, ſi in illa tetriora crimina incidiſſet, univerſus populus tenebatur ad ſingulas meledictiones Amen reſpondere.

XIX.

De promiſſis religionis Moſaica.

‡ *Reſpondente ad hoc & ſequens caput* JACOBO SUPERSAXO, Seduno-Valleſiano.

PRomiſſa porrò Moſaicæ religionis, omnia hujus vitæ commoda omnemque terrenam felicitatem continebant. Quæ quidem promiſſa Moſes diverſis in locis luculentiſſimè propoſuit. Primò enim ſic loquitur: *(Exod: 23. 25, 26.) Dominum Deum tuum colito; & ego tibi cibum potionemque exuberabo, & morbos à te depellam. Nulla quæ abortum faciat, nulla ſterilis erit in tuis finibus: ævi tui numerum complebo, &c.* Deinde alibi; *(Levit: 26. 3. & d.) Si ex inſtitutis meis vivetis, meaque præcepta conſervabitis & exequemini, eam ego vobis imbrium tempeſtatem dabo, ut & terra fruges, & terreſtres arbores fructus ſuos edant. Et vobis tritura vindemiam, & vindemia ſementem conſequatur, & cibum ad ſatietatem capietis, & veſtros fines quietè incoletis: tantamque pacem in regionem veſtram immittam, ut nihil ſit, quod vos cubantes exterreat: feras quoque ex finibus veſtris exterminabo, neque ibi ullum bellum verſabitur. Hoſtes veſtros fugabitis, & ferro dejicietis, & ita dejicietis, ut quini centenos, & centeni decies millenos in fugam vertatis, me vos reſpiciente & augente atque multiplicante, & quæ pactus ſum vobis præſtante. Veteribus frugibus veſcemini, & veteres præ novarum copia efferetis. Ego meum tabernaculum apud vos collocabo, neque à vobis animo abalienabor, interque vos verſans, vobis ero Deus, & vos mihi populus:* Item alibi: *(Deut: 7. 12, 13.) Quòd ſi hæc jura audiveritis, atque tenueritis, fiet ut vobis Dominus viciſſim pacta præſtet, & clementiam, quam majoribus veſtris juravit, voſque amet, fortunet, augeat, veſtrarum alvorum, & terræ fructus, frumentumque & vinum, & oleum, & armentorum, & gregum balantum fœtus fœcundet in terra, quam ſe vobis daturum eſſe majoribus veſtris juravit. Eritis omnium gentium fortunatiſſimi, neque ullus aut ulla vel in vobis, vel in veſtro pecore ſterilis erit. Auferet Dominus à te omnem languorem, & morbos Ægypti peſſimos, quos noviſti non inferet tibi, ſed cunctis hoſtibus tuis.* In hoc genere & illud
eſt: *(Deut: 28. 2. & d.) Accident & contingent vobis omnes hæ felicitates, modò Do-*
mino Deo veſtro dicto audientes ſitis: benedictus tu in civitate, & benedictus in agro,
benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusque jumentorum tuorum, gre- 32.
geſque armentorum tuorum, & caulæ ovium tuarum. Benedicta horrea tua, & be-
nedicta

maledicta reliquiæ tuæ. Benedictus eris ingrediens & egrediens. Dabit Dominus inimicos tuos, qui conſurgent adverſum te, corruentes in conſpectu tuo. per unam viam venient contra te, & per ſeptem fugient à facie tua. Emittet Dominus benedictionem ſuper cellaria tua, & ſuper omnia opera manuum tuarum, benedicetque tibi in terra quam acceperis. Suſcitabit te Dominus ſibi in populum ſanctum, ſicut juravit tibi, ſi cuſtodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaveris in viis ejus; videbuntque omnes terrarum populi, quòd nomen Domini invocatum ſit ſuper te, & timebunt te. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu uteri tui, & fructu jumentorum tuorum, fructu terræ tuæ, quam juravit Dominus patribus tuis, ut daret tibi. Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum, cœlum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore ſuo: benedicetque cunctis operibus manuum tuarum, & fœnerabis gentibus multis, & ipſe à nullo fœnori accipies. Conſtituet te Dominus in caput, & non in caudam, & eris ſemper ſuprà, & non ſubter: ſi tamen audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, & cuſtodieris & feceris, ac non declinaveris ab eis nec ad dextram, nec ad ſiniſtram, nec ſecutus fueris Deos alienos, neque colueris eos.

‡ *Promiſſa porrò Moſaicæ*] Abſit à nobis ut de pijs ſub V.T. nihil aliud cogitemus, quam eos fuiſſe porcos, ſaginatos benedictionibus terrenis, & quibus nullæ promiſſiones ſpirituales à Deo factæ fuerint: Nam contrarium ex Sacra Scritura facilè evincitur; Etenim omnia illa hujus vitæ commoda, quæ fusè refert hæreticus, proponebantur Iſraelitis, non ut in illis ſiſterent, ſed ut per illa attollerentur ad bona ſpiritualia & æterna, quorum typi & imagines erant, prout Lex habebat umbram bonorum futurorum Heb: x, 1. Ac ſicut Mathematici in ſphæra chartacea aut aſtrolabio ligneo, ſyderum altitudinem metiuntur & motum ac ſitum ſtellarum conſiderant, ita debebat iſte populus in beneficijs terrenis ſibi promiſſis cœleſtia metiri & expectare, atque ad Moſis ipſius imitationem, qui ex vertice montis Nebo proſpectabat eminus terram Canaan, in quam populus erat introducendus, pij illorum temporum ex cacumine commodorum terrenorum quæ Deus promiſerat eminùs conſpicabantur & ſalutabant promiſſa cœleſtia Heb: xi, 13. atque ſpectabant illam terram longinquiſſimam, uti dicitur Eſa: xxxiii, 17. cœleſtis patriæ, quæ & terra viventium appellatur Pſal: xxvii, 13. Ipſimet Iudæi ex Moſe & Prophetis varia colligunt documenta pro immortalitate animorum & reſurrectione carnis: Imò Chriſtus luculenter comprobat utramque authoritate Moſis Matt: xxii, 31. 32. Neceſſe eſt autem ubi iſta docentur, ſpem erigi ultra metas hujus vitæ, quod fieri non poteſt ſi promiſſiones & comminationes ad hanc demum vitam pertineant; quo reſpectu qui ſtudent pietati non fœliciores cœteris eſſent, ſed omnium miſerrimi, teſte Paulo 1. Cor: xv, 19. Ac ſicut maledictio Lege denunciata in tranſgreſſores ultra hanc vitam protendebatur, ita etiam benedictio promiſſa Lege intra cancellos hujus vitæ coarctari non potuit: Ideo Chriſtus nos morti æternæ eripiens, dicitur ex maledictione Legis nos liberaſſe, factus ipſe maledictio pro nobis: & juveni de vita æterna obtinenda ſciſcitanti, Legis mandata propoſuit ſub hac clauſula *Hoc fac & vives.* Sed quî negent hæretici populum Iſraeliticum promiſſiones etiam ſpirituales & cœleſtes accepiſſe, cui Deus & præceperat tam expreſſè

preſſe circumciſionem cordis Deut: x, 16. & promiſerat tam apertè Meſſiam Deut: xviii, 18. cujus omnia beneficia ſunt ſpiritualia, ac ſe habitaturum in illius medio foreque ipſi in Deum, illo ipſo loco quem citat Volkelius Levit: xxvi, 11. Quam promiſſionem ſenſu ſpirituali & nobiſcum communi intelligendam eſſe liquet evidenter ex 2. Cor: vi, 10. Et quandoquidem communionem habemus fidei & ſpei cum pijs V. T. Act: xv, 11. adeo ut qui venient ex Oriente & Occidente ſint accubituri menſæ in regno cœlorum cum Abrahamo, Iſaaco & Iacobo Matt: viii, 11. neceſſe eſt communes utriſque promiſſiones extare, licet clariùs & diſtinctiùs nobis nunc quam illis olim enuncientur. Imò quam certum eſt Chriſti beneficium non minus populum veterem quam novum ſpectaſſe Heb: xiii, 8. Apoc: xiii, 8. tam neceſſe eſt promiſſiones illius non minus ad veterem quam ad novum pertinuiſſe. Neque ſanus quiſpiam dubitet eos omnes qui in manna Chriſtum intellexerunt, Chriſtum quoque manducaſſe; Eum vero non modo ſignificatum ſed etiam propoſitum fuiſſe in manna, luculenter docet Apoſtolus 1. Cor: x, 3. 4. Ecquid vero ſe agnoviſſent & profeſſi fuiſſent fideles V. T. peregrinos & advenas in mundo, niſi Patriæ melioris & Civitatis habentis fundamentum, quam quærerent & anhelarent, promiſſiones accepiſsent, quas & fide ſunt amplexi? Heb: xi, 10. 13. Ipſe quoq; Moſes non duxiſſet majores divitias probrum Chriſti quam Ægyptiorum theſauros, intuendo in retributionem Heb: xi, 26. niſi illius remunerationis gratuitæ conſequendæ certas & indubitates promiſſiones accepiſset. Denique ne diutiùs juſto his immoremur, cum fides piorum ſub V. T. etiam circa bona ſpiritualia tantoperè celebretur ab Apoſtolo toto illo capite xi. epiſt. ad Heb. fidei verò norma, menſura & fundamentum ſit Dei verbum & revelatio ipſius Rom: x, 17. quam neceſse eſt illos certâ fide & firmiſſimâ fiduciâ ad bona ſpiritualia & æterna reſpexiſse, tam oportet eorum fidem, ne abeat in conjecturam planè dubiam arenæ mobili inædificantem, certis Dei promiſſis nixam fuiſſe: Aliquem enim amplius credere fide divinâ & ſalutari, quam ſibi divinitùs promiſsum fuerit, non minus rectæ rationi adverſatur, quam repugnat firmum poſse abſque fundamento ſtrui ædificium. Vt incredulitatis vitioſæ foret non admittere quæ promiſsa ſint, ſic præſumptuoſæ eſt credulitatis, non veræ fidei, amplius credere & ſperare quam promiſsum fuerit, & illud Virgilianum uſurpare, *Mopſo Niſa datur, quid non ſperemus amantes?* Quin etiam firmitate fidei veteres illi nos longè ſuperaſsent, ſi nullis fulti promiſſionibus certâ tamen fiduciâ apprehendiſsent vitam æternam, quam vix dū poſſumus propter infirmitatem carnis ſatis firmiter apprehendere & expectare, licet illius certa & evidentia promiſsa extent in Novo Teſtamento.

CAP: XX.

De confirmatione promiſſorum Moſaicorum.

NOn ſolùm autem Deus ita populo illi religionis iſtius rationem præſcripſerat, ut & leges illi ferret, & terrena præmia proponeret: ſed ut etiam hoc ſuum pactum firmiſſimis rationibus corroboraret. Nam & multa portenta Moſes in illorum oculis Dei virtute ediderat, & admiranda ratione eos per mare pervium atque diſſectum, divino armatus robore duxerat; & virgâ,

Digitized by Google

quam manibus tenebat, elatâ, maris fluctus in ſuum locum reduxerat, Ægyptioſque inſequentes aquis refluentibus obruerat; *(Exod: 14. 21, 22, 27, 28.)* & ipſe Deus ſuam præſentiam tum innumeris aliis modis, tum hoc maximè declarabat, quòd cum Iſraëlitæ iter facerent per incultam atque vaſtam regionem, die nubes, ipſo procurante, eis præibat, cujus ductum ſequerentur: nocte verò clariſſimum lumen illis præferebatur. (*Exod: 13. 21, 22.*) Quid, quòd cùm hac eos religione obſtringere inſtitueret, ipſe eos allocutus eſt de monte Sina, (*Exod: 19. 17. & d.*) in quo extiterunt fragores, & fulgura, & denſæ nubes, & tubæ ſonus vehementiſſimus, quo cunctus in
33. caſtris populus tremefactus eſt. Quibus rebus omnibus Deus & Moſen, qui pacti illius mediator erat, à ſe miſſum eſſe oſtendere, & populo numinis ſui metum injicere voluit; ut nunquam officii memoriam deponeret. *(Levit: 26. ult. Deut: 5. 5. Gal: 3. 19.)* Poſtremò, ut fœdus illud conveniente ceremonia ſanciretur, populuſque iu illud aſcriberetur, Moſes vitulorum hircorumque ſanguine eum aſperſit, dicens: *hic eſt ſanguis fœderis hujus, de quo mandatum dedit ad vos Dominus.* (*Exod: 24. 8. Heb: 9. 18. & d.*)

‡ *Et terrena*] Imò non modo *terrena*, ſed etiam ſpiritualia & cœleſtia, ut jam dictum eſt.

Nam & multa portenta] Quò illa majora fuerunt, eò etiam magis erexerunt pios & bonos in expectationem beneficiorum majorum & meliorum ijs quæ arctis ærumnoſæ hujus vitæ cancellis continentur.

Ipſe eos allocutus] Hinc duo contra hos Adverſarios evidenter colligimus: Primùm, non fuiſse Angelum creatum, ſed increatum, qui Legem promulgavit Act: VII,30.38. quandoquidem agnoſcit Volkelius, quod *ipſe* Deus Iſraelitas *allocutus eſt de monte Sina.* Secundò aut Chriſtum verum eſse & ſummum Deum, aut deteriori nos loco fore ſub N. T. quam Iſraelitas ſub Veteri; ſiquidem verum eſset quod ipſe Deus hos foret alloquutus de monte Sina, nos vero in ſuo Euangelio nonniſi ψιλὸς ἄνθρωπος: Cum tamen præ veteribus potior ſit noſtra conditio ut in multis ſic quod Deus ipſe in perſona ſui Filij, quem qui vidit vidit Patrem, viſibiliùs, clariùs, familiariùs, poſt indutam noſtram naturam, ſit nos alloquutus quam illos Heb: I, II.

Qui pacti illius mediator] At ſuo loco fuſiùs oſtendimus, hunc *Mediatoris* titulum ſoli Chriſto Immanueli noſtro convenire 1. Tim: II, 5. Nec Moſes, qui fuit duntaxat fidus in domo Dei famulus Heb: III, 5. Mediatoris nomine inſignitur à Paulo Gal: III, 19. ſed ipſe Chriſtus, Angelus fœderis, ſupremus Legiſlator qui poteſt ſervare & perdere, & quem Iſraelitæ tam expreſsè dicuntur tentaſse in deſerto 1.Cor: X,9. Sanè Auguſtino *lib. 2. contra epiſt. Parmen. cap.* 8. tam perſuaſum fuit Mediatoris nomen & elogium uni convenire Chriſto *pro quo nullus interpellat ſed ipſe pro omnibus*, ut ſi alius aliquis *eſſet Mediator*, ſive Paulus, ſive Moſes, *nec ipſius Paulo conſtaret ratio qua dixerat, Unus enim Deus, unus Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, in quo & nos unum ſumus, ſi ſervamus unitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Tribuit quidem Moſes ſibi ipſi Deut: V, 5. quod ſteterit inter Iehovam & Iſraelitas ad referendum ipſis ſermonem Iehovæ, ſed id non eſt ſe Mediatorem fœderis appellare. Is enim non ſolum debet referre populo ſermonem Dei; aliàs quilibet

Digitized by Google

libet Propheta, imò quilibet verbi Divini Miniſter, Sequeſter & Mediator Dei & hominum eſset ſtatuendus; ſed inſuper debet populum Deo reconciliare ceu verus εἰρηνοποιὸς & pacem facere inter diſſidentes ſanguine ſuo, quod Moſi nequit convenire. Præterea cum Mediator debeat conſtitui inter Deum & homines *propter transgreſſiones* & partium diſſidium, ut monet Apoſtolus Gal: III, 19. 20. is utique non poteſt eſse merus homo qualis Moſes, transgreſſionum etiam reus, & uni diſſidentium parti eo ipſo aggregandus.

Poſtremo ut fœdus illud] At ſanè ipſe locus Pauli Heb: IX, 18. & d. ſatis demonſtrat omnem illum Moſaicum ritum, fuiſſe typicum & ſignificativum ejus quod facit Chriſtus, nos proprio ſuo ſanguine aſpergendo & morte ſua firmando illud Teſtamentum gratiæ, quo hæredes inſtituimur Patris & cohæredes Filij: Non ſolus Paulus eo loco hoc nobis pandit myſterium, ſed etiam Petrus illud expreſsè & accuratè explicat 1. Pet: 1, 2. Imò ipſemet Chriſtus viſus eſt haud obſcurè ad illam Moſis formulam reſpexiſſe Matt: XXVI, 28. in inſtitutione Euchariſtiæ. Conferatur quoq; locus ſpeciatim huc apprimè faciens qui extat Zach: IX, 11. ubi ſumma liberatio promittitur Eccleſiæ propter ſanguinem fœderis ſui. Adeo nequimus vel Deo conſecrari, vel redemptionem conſequi, vel remiſſionem peccatorum obtinere, abſque ſanguine. Et quo magis conſtet in tota illa Moſis actione adumbratum fuiſse Redemptionis noſtræ myſterium per Chriſtum, id inſuper venit obſervandum quod ſicut ille ſanguine cum aqua aſperſit *populum* in fœderis illius figurativi ſanctione Heb: IX, 19. 20. ita Chriſtus expreſsè dicitur veniſse per aquam & per ſanguinem 1. Ioh: V, 6.

CAP: XXI.

De Legis difficultate.

‡ *Reſpondente* DANIELE MARESIO, *Moſætrajectenſi.*

HOc autem in loco dicet fortaſſe quiſpiam, quia ea conditione populo illi promiſſa facta ſunt, ſi legem Dei conſervaret; idcirco homines illos vana terrenæ felicitatis ſpe illectos fuiſſe; cùm fieri non potuerit, ut quis legem ſervaret, ejuſque ſanctiſſimis præceptis obediret. Nam ſpiritus divinus, inquiet, legi impoſſibilitatem aſſignat, ejuſque jugum Iſraëlitas illos perferre non potuiſſe aſſerit: & negat aliquem eſſe, qui aut bonum faciat, aut in conſpectu Dei juſtificari poſſit. (*Rom: 8. 3. Act: 15. 10. Pſal: 14. 3. & 53. 4. & 143. 8.*)

‡ *Hoc autem in loco dicet*] Tranſeo quod ſupponit adverſarius nullam aliam fœlicitatem præter terrenam promiſsam fuiſſe Legis obſequio, aut fidelibus V. T. Id enim ſuprà ſatis refutavi. Sed circa impoſſibilitatem Legis, primò non debet cum Lege operum & morali, confundi Lex cæremoniarum in ſolis ritibus externis ſitarum; Quanquam & hæc, licet quoad externa non eſset abſolutè & ſimpliciter impoſſibilis, tamen & in ſe *jugum* erat quod *neque patres noſtri neque nos potuimus portare* Act: XV, 10. & reſpectu tum modi quo debuiſset ſervari, tum uſus

Digitized by Google

uſus reſpectivi ad Legem Moralem, cujus poſtulatum urgebat, ac ſuæ imbecillitatis & impotentiæ peccatores convincebat, unde *chirographum quod erat contra nos* dicitur Apoſtolo Col: II, 14. revera perfectè in ſingulis à nemine impleri potuit. Præterea, quod Legem facimus impoſſibilem homini peccatori & per peccatum omnibus viribus ſpiritualibus ad bonum vel cogitandum vel agendum deſtituto, ut docet tota Sacra Scriptura Act: XIII, 38. 39. Rom: V, 6. VII, 4. VIII, 3. 7. 1. Cor: II, 14. 2. Cor: III, 5. non efficit homines V. T. *vanâ ſpe illectos fuiſſe*; cum habuerint promiſſiones Euangelicas Act: XIII, 32. Rom: I, 1. 2. Gal: III, 18. Heb: IV, 2. 1. Pet: IV, 6. quas & eminùs ſunt conſpicati & fide certâ amplexi Heb: XI, 13. & quarum reſpectu depoſitâ juſtitiæ legalis fiduciâ Pſal: CXLIII, 2. ſpem eam certam & vivam ſalutis æternæ in Chriſto & per Chriſtum obtinendæ conceperunt, cui conveniret quod dicit Paulus Rom: V, 5. *Spes non pudefacit.* Sed audiamus quibus ratiunculis Legis poſſibilitatem adſtruat adverſarius.

Nos autem primò generatim reſpondemus, nequaquam abſque inſigni divini numinis injuria tantam ipſius legibus maculam aſpergi poſſe, ut prorſus impoſſibiles eſſe dicantur: cùm ſic Deo juſtiſſimo atque ſapientiſſimo turpiſſima (horret animus dicere) iniquitatis ſtultitiæque nota neceſſariò inuratur, ut qui non ſolùm eam legem hominibus impoſuerit, quam ſervare nullo pacto poſſint; ſed etiam, quia eam non exequuntur, pœnam ab illis gravem expetat.

‡ *Nos autem primò generatim*] At huic cavillo verè Pelagiano, ut vidit & notavit in *Parallelo Errorum Maſſil. & Ieſuit.* Cornelius Ianſenius Yprenſis Epiſcopus *notâ* 23. *& aliquot inſeq.* haud difficulter occurrimus. Inde enim nulla macula Legi Divinæ adſpergitur, nullâque injuriâ Deus afficitur, ſi eo uſque oſtendatur procedere corruptionem hominis per peccatum, ut illi ſit impoſſibile Legi Divinæ obſequi, eamque præſtare Deo obedientiam quam exigit & eo modo quo deberet. Illa impoſſibilitas non ineſt Legi ſubjectivè, quæ in ſe bona, ſancta, perfecta eſt; ſed pendet ex impotentia hominis qui carnalis eſt & venditus ſub peccato Rom: VII, 10. 12. 14. Nullam ſanè adſpergo maculam ſoli, cum dico impoſſibile eſſe ſolem videri & ferri à cœcis, lippis, veſpertilionibus, bubonibus &c. Quia illa impoſſibilitas dicitur de ſole, non ob ullum ejus vitium, ſed ob impotentiam & defectum eorum qui ejus luce frui, ac illius radios ferre non poſſunt. Nec per id quicquam decedit juſtitiæ & ſapientiæ DIVINÆ, quod illam Legem etiamnum proponat hominibus, cui ipſi ſatisfacere non poſſunt; Nam cum *primum lata fuit generi humano* in protoplaſtis, inſtructi ſimul fuerant ijs viribus per quas potuiſſent facilè obedire; ſed voluntariâ ſuâ defectione & imaginis Divinæ ad quam conditi fuerant inductione, eam ſibi *& poſteris* contraxerunt legem *membrorum* legi mentis obſiſtentem, nec ſe illi ſubjicere volentem aut valentem Rom: VIII, 3. quam neque in ipſis regenitis & ſanctis, quamdiu gemunt in hoc carnis ergaſtulo, penitùs extinctam eſſe, *ipſe* Paulus deplorat & agnoſcit Rom: VII, 22. 23. Cum igitur illa impotentia benè agendi in homine, ſit vitium morale & malum ἐπίκτητον atque voluntarium, quod ſuo jumento ſibi adduxit, & cujus culpa ipſi ſoli eſt adſcribenda, nihil ſit

à Deo

Digitized by Google

à Deo præter ordinem ſuæ juſtitiæ & ſapientiæ dum exigit ab homine tali eam legi ſuæ obedientiam, quæ ipſi per peccatum impoſſibilis evaſit: Non excidit enim creditor ſuo jure, etſi debitor æs alienum in popinis & luſtris abliguriverit, & factus ſit non ſolvendo; nec quia homo ſeipſum ita corrupit & depravavit ut omnis boni in eo ſtatu ſit incapax, Deus excidit ſuo jure & dominio in illum, ut exlegem hominem eſſe patiatur eò quod malus ſit: Neque hic tam attendere oportet quid homo præſtare poſſit, quam quid debeat ex officio, cui dum non ſatisfacit uti tenetur, eo ipſo pœnas debet. Ita creditor decoctorem qui amplius non eſt ſolvendo vocat in jus, & oſtenſo ejus chirographo indicat quantum debeat, & juxta illud tralatitium, *Qui non poteſt in ære, luat in corpore*, Magiſtratus eum puniri curat, ob debita non ſoluta, eo juſtius quod ipſe ſibi ſuæ inſolvabilitatis, ſuâ ſtultitiâ & nequitiâ cauſa ſit. Ita olim Reſp. Romana meritò mulctavit eos equites qui ad caſtra proficiſci renuebant & cauſſabantur ſuam impotentiam ex pollicum defectu, quia ne militarent curaverant ſibi pollices amputari, & hanc impotentiam ſerviendi Reip. ultrò ſibi attraxerant. Adhæc Deus videretur in ſuam ſapientiam impingere, ſi Legem ſuam proponeret hominibus eam ſervare non valentibus, tentaturus duntaxat quid ſint facturi, & tanquam neſcius quam profunda ſit eorum corruptio, & quid valeant illorum humeri, quid ferre recuſent; ſed planè alij ſunt fines, Sapientiæ & Iuſtitiæ ſuæ apprimè convenientes, quos in tali promulgatione ſibi proponit & revera aſſequitur. Nam 1. Illâ Legis promulgatione injicitur frænum aliquod externæ diſciplinæ hominibus corruptis, ne ipſorum ſocietas in merum latrocinium abeat. 2. Deus per eam jus ſuum aſſerit, & hominibus inculcat ad quid erga ſe teneantur; etſi non debeat norma officij noſtri, in virium noſtrarum menſuram transformari. 3. Eâ ratione peccatores magis redarguuntur & convincuntur, ut fiant planè ἀναπολόγητοι coram Deo, ac juſtiſſimas ſuas eſſe pœnas ob neglectum ſuum officium agnoſcere teneantur. 4. Sic quoque homines territi Legis comminationibus & in hoc ſpeculo ſuas maculas contemplati, atque in ſuæ miſeriæ ſenſum & cognitionem deducti, paulatim præparantur ad Gratiam liberationis quæ in Chriſto eſt exoptandam & admittendam; quo reſpectu Lex *pædagogus* ad Chriſtum appellatur Gal: III, 24. & Chriſtus dicitur *finis legis* ad ſalutem omni credenti Rom: x, 4. Denique etiam pij & ſancti ex Lege Dei erudiuntur, tam de officijs quibus ſuam gratitudinem profiteri, quam de eo perfectionis ſcopo ad quem jugiter collineare debent, etſi eum aſſequi in hac vita non poſſint. Cum igitur tot uſibus Lex Dei inſerviat, utut homini per illius peccatum impoſſibilis facta, nimis audax eſt Volkelius aſſerens *Deo juſtiſſimo atque ſapientiſſimo turpiſſimam iniquitatis ſtultitiæque notam inuri*, ſi eam Legem imponat hominibus quam ſervare non poſſunt, & eos puniat ob officium non præſtitum.

Quam ſervare nullo pacto] Nihil præſidij pro Volkelio in illa vocula *nullo pacto*; Nam ille nullo pacto ſervat Legem, qui eam non ſervat omnimodò: Et benè dictum à Iacobo II, 10. quod quiſquis totam Legem ſervaverit, & in uno impegerit, *reus* ſit & damnas *omnium*: Hac enim clauſulâ Lex obſignatur Deut: XXVII, 26. Gal: III, 10. *Maledictus qui non permanſerit in omnibus ijs quæ ſcripta ſunt in libro Legis, ut faciat ea.*

Sed etiam quia eam] Iure optimo, cùm & eam exequi ex officio teneantur, imò & ex eodem officio debeant id poſſe præſtare: ſiquidem illa eorum impotentia malitioſa eſt & voluntaria, adeoque etiam meritò punienda.

Digitized by Google

Quòd ſi ea ratione legem præſtitu impoſſibilem dicere velis, quâ v.g. Chriſtus impoſſibile eſſe ait, divitem intrare in regnum cælorum, h. e. adeò difficile, ut ægrè id queat fieri, & hominum vires quodammodo ſuperet; (*Mat: 19. 26. conf: verſ. 24.*) facilè concedimus, impoſſibile eſſe legem opere implere, ſi perfectior ejus ſenſus ſpectetur. Animadvertendum eſt enim, duplicem eſſe legis moralis, de qua potiſſimùm diſputatur, ſenſum: alterum perfectiorem, quem non rarò ipſa legis verba per ſe ſumta poſtulare videntur, ut patet ex præceptis illis generalibus de Deo & proximo diligendo, itemque de concupiſcentia vitanda: (*Deut: 6. 5. Levit: 19. 18. Exod: 20. 17.*) alterum imperfectiorem, accommodatum ſtatui populi Judaici adhuc rudis & carnalis; qui quidem inſerviebat partim exercendo illi populo in cultus divini rudimentis, partim civili honeſtati & tranquillitati publicæ, atque adeò terrenæ felicitati, quam Deus populo promiſerat, conſervandæ.

‡ *Adeo difficile, ut ægrè*] Primùm loquitur Chriſtus eo loco de eo quod in ſe eſt ſimpliciter & ἁπλῶς impoſſibile; Loquitur enim de divite auaro ſuā fiduciam in ſuis opibus collocante, uti patet ex Marci x, 24; Quem talem manentem, & ut loquimur in ſcholis, in ſenſu compoſito, impoſſibile eſt ſervari, licet Deo poſſibile ſit illum immutare & hunc gibbum ſuperbiæ & fiduciæ inanis, ex opibus enatum, ei demere, quo parvus & humilis factus per anguſta ad auguſta tranſire poſſit. Deinde nobis ſatis eſt *eâ ratione Legem præſtitu impoſſibilem* ſtatuere ut *hominum vires ſuperet*; cum eam impoſſibilitatem non aliunde arceſſamus quam ex hominum impotentia & collapſis eorum viribus per peccatum. Legem etiam hîc ſpectamus in perfectiori ſuo ſenſu, & quoad illius totalitatem, cùm non alio ſenſu Lex ſumenda veniat quam quo lata fuit à ſummo Legiſlatore qui poteſt ſervare & perdere Iac: IV, 12. Aliàs non neſcimus quouſque progrederetur juſtitia Phariſæorum & Scribarum, Chriſto tamen improbata Matth: v, 20. & plurimos Ethnicos multa Legis officia, maximè ad ſecundam tabulam ſpectantia, præſtitiſſe quoad operis ſubſtantiam, & ijs coruſcaſſe virtutibus moralibus quæ Auguſtino judice vitreæ fuerunt & nihil aliud quam ſplendida vitia, ex regula Pauli Rom: XIV, 23.

Animadvertendum eſt enim] Nihil abſurdius & putidius hac animadverſione, quæ duplicem ſenſum Legi Dei affingit, ut Poetæ duplicem vultum Iano ſuo adſcripſerunt. Quis enim ſanæ mentis neget eo ſenſu Legem eſſe ſumendam, & ſumi ac intelligi debuiſſe ab ipſiſmet Iſraelitis, quem *ipſa Legis verba per ſe ſumpta poſtulare videntur*? An lex Dei perfecta Pſal: XIX, 8. nonniſi mancam & imperfectam ſui obedientiam exegiſſe cenſeri poteſt? Nonne maledictus conceptis verbis pronunciatur qui non permanſerit *in omnibus* ijs quæ ſcripta ſunt in libro legis, *ut faciat ea* Deut: XXVII, 26. Gal: III, 20. adeo ut qui vel in *minimo* impegerit, damnas ſit *omnium* Matth: v, 19. Iac: II, 10. Quod ſi nonniſi imperfectiori quodam ſenſu lex obſtrinxiſſet Iſraelitas, tum ſanè nec grave eſſet quod monet Paulus Gal: v, 3. eum qui circumciditur eſſe *debitorem totius Legis ſervandæ*; nec debuiſſet Chriſtus tam acriter carpere gloſſas Phariſæorum & Scribarum, quibus hunc ſenſum imperfectiorem Legi affingebant, & contra eos genuinum illius ſenſum in arce reponere Matth: v, 18. 19. 20. & ſeqq. nullamque

Digitized by Google

Iamque cauſam habuiſſet divitem illum juvenem convincendi mendacij per mandatum explorativum de omnibus ſuis vendendis & erogandis pauperibus, cum ille juvenis, qui imperfectiori Socinianorum ſenſu omnem Legem ſervaverat, revera defunctus fuiſſet eâ ratione ſuo omni officio, nec ad plura obligaretur. Chriſtum autem propriè voluiſſe hunc juvenem convincere quam procul hactenus fuerit ab ea mandatorum Dei obſervatione quam jactabat, adeoque eam ſemper urgeri in perfectiori ſenſu apud eos qui ex Lege juſtificari volunt, non ſolum agnovit Hieronymus *ad cap. 19. Matt.* ubi ad iſta verba, *Omnia hæc cuſtodivi*, ſic loquitur; *Mentitur adoleſcens: Si enim hoc quod poſitum eſt in mandatis, Diliges proximum tuum ſicut teipſum, opere compleſſet, quomodo poſtea audiens, Vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, triſtis receſſit quia habebat poſſeſſiones multas*; ſed etiam apertè declaravit is Matthæi Paraphraſtes, qui ex illo vetuſtiſſimum Euangelium ſecundum Hebræos dictum, Nazaræis & Ebionitis familiare, concinnavit: His enim verbis tota hæc hiſtoria in Euangelio ſecundum Hebræos referebatur: *Dixit ad eum alter divitum, Magiſter quid bonum faciens vivam? Dixit ei, Homo, Legem & Prophetas fac: Reſpondit ad eum, Feci: Dixit ei, Vade, vende omnia quæ poſſides & divide pauperibus, & veni & ſequere me. Cœpit autem dives ſcalpere caput ſuum, & non placuit ei. Et dixit ad eum Dominus, Quomodo dicis Legem feci & Prophetas? quùm ſcriptum ſit in Lege, Diliges proximum tuum ſicut teipſum; Et ecce multi fratres tui, filij Abrahæ, amicti ſunt ſtercore, morientes præ fame, & domus tua plena eſt bonis multis, & non egreditur omninò aliquid ex ea ad eos: Et converſus dixit Simoni diſcipulo ſuo ſedenti apud ſe, Simon fili Ioannæ, faciliùs eſt camelum intrare per foramen acus, quam divitem in regnum cœlorum.* Adhæc eo ſenſu proculdubio Lex proponebatur quo per illam obtinetur penitiſſima peccati notitia, & ab ijs ſervari oporteret qui ex operibus Legis juſtificari & vitam æternam conſequi geſtirent. At legem eo caſu nonniſi imperfectiori ſenſu eſſe æſtimandam, nemo jure dixerit. Sed præſertim ſi ſenſu demum imperfectiori Lex propoſita fuiſſet Iſraelitis, non potuiſſet illis eſſe pædagogus ad Chriſtum; & nobiſcum qui non ſumus amplius ſub Lege ſed ſub gratia Rom: VI, 14. duriùs ageretur quam cum illis, ut pote quibus lex proponitur in normam officij non in ſenſu illo diminuto & imperfectiori, ſed in ſenſu pleno & perfecto: licet ὑστερήματα noſtræ obedientiæ Deus contegat purpurâ meriti & obedientiæ Chriſti.

Qui quidem inſerviebat] Imò eo potiſſimum inſerviebat Legis exactiſſimum præconium, ut populus ille *rudis & carnalis*, magis ſuæ infirmitatis & ſuorum peccatorum conſcius redderetur, & ardentiùs anhelaret Dei gratiam & miſericordiam per venturum Meſſiam, qui in omnibus illius ſacrificijs præſignificabatur: Et quamvis nolim negare etiam eò inſervijſſe Legis doctrinam ut civilis honeſtas & tranquillitas publica conſervaretur, tamen falſum eſt I. *Cultus Divini rudimenta* in quibus ille populus exercebatur, in illa externa moralitate juxta ſenſum imperfectiorem Legis ſita fuiſſe. Aliò nos ducit Apoſtolus Heb: X, 1. Et cùm nemo Chriſtianorum in morum cultura obſequatur Legi juxta perfectiſſimum illius ſenſum, hinc utique ſequeretur, Chriſtianos æquè ac Iudæos olim adhuc hærere in rudimentis cultus Divini. II. Vel *fœlicitatis terrenæ* tutamen ſimpliciter ex operibus Legis ſenſu imperfectiori ſervatæ pependiſſe, cùm è contrario ab ea fœlicitate terrena remotiores ſemper fuerint & majori vexæ expoſiti, etiam in eo populo, qui mandatis Divinis preſſiùs inſiſtebant; vel promiſſiones Divinas populo Iudaico factas nihil aliud quam terrenam fœlicitatem

Digitized by Google

licitatem ſpectaſſe; Quod πρῶτον ψεῦδος ‡ Hæreticorum jam ante refutavimus.

34. Hoc poſteriori modo legem ſervare & poterat & debebat, quiſquis promiſſis illis terrenis, quæ antea recenſuimus, potiri cupiebat; præſertim cum certa eſſet propoſita ratio, leviora quædam delicta expiandi, ita ut ea nequaquam obſtarent, quominus quis promiſſa fœderis adipiſceretur, quemadmodum ſuprà vidimus.

‡ *Hoc poſteriori modo*] Atque hoc modo legem ſervare, non erat eam ſervare; niſi ad delirium Iudaicum tranſeamus, non propoſita fuiſſe Iſraelitis 613. Legis mandata ut quilibet ſingula ſervaret, ſed tantum ut ſaltem aliquod ex illis, & id ſufficere ad ſalutem; Quo pertinent verba Moſis Ægyptij *in Miſna* relata ex Ioſepho Albo à Menaſſeh Ben Iſrael *tract. de fragilit. hum. 9. 10. De fidei articulis eſt ut ſi homo fecerit unum ex 613. præceptis prout Iuſtitia ex Lege convenit, ita ut in eo non concurrat aliqua cogitatio mundana, ſed id fuerit ſolum quia Deus præceperit, is guſtabit vitam mundi futuri.* Debebat quidem & poterat pro modulo gratiæ Divinæ quilibet Iſraelita ſtudere pietati & bonis moribus coram Deo; non tamẽ ut ex putri illo paxillo ſuam fœlicitatem vel terrenam vel æternam ſuſpenderet, cum eo reſpectu pij fateantur omnes ſuas juſtitias eſſe inſtar panniculi abjectiſſimi Eſ: LXIV, 6. ſed partim ut fidem ſuam per ſua opera demonſtraret, gratumque ſe Deo exhibere ſtuderet ob beneficia accepta & promiſſa, partim ut jugi Legis Divinæ meditatione & ſuorum actuum frequenti ad illam comparatione, evidentiùs convinceretur peccati, & ſic edoceretur ut abjectâ propriæ juſtitiæ fiduciâ ad aram gratiæ & miſericordiæ Divinæ cum humili peccatorum ſuorum confeſſione, confugere, atque dicere cum Davide Pſ: CXLIII, 2. *Ne congrediaris judicio cum ſervo tuo, nam non eſſet juſtus coram te ullus vivens.*

Præſertim cum certa eſſet] Imò cum expiandorum peccatorum rationem typicam in ſacrificijs Leviticis Deus populo Iudaico ſubminiſtraſſet, unà cum Lege Morali, quæ ſub Maledictionis præſenti pœna exactiſſimam ſui obedientiam urgebat, eo ipſo ſatis innuebat Legem moralem potiſſimum debuiſſe inſervire convincendis peccatoribus, iiſque compellendis conſcientiâ ſuorum peccatorum & illius Maledictionis metu, ad quærendam propitiationem apud Deum; prout capræ Cretenſes ſagittâ transfixæ quærunt dictamnum quo eam educant & à vulnere ſanentur: juxta illud Poëtæ

— *Non illa feris incognita capris,*
Gramina cum tergo volucres hæſêre ſagittæ.

Hinc eſt quod ſancti dicunt apud Pſaltem, *Si iniquitates obſervaveris, Iah Domine, quis poſſit conſiſtere? ſed apud te eſt condonatio ut reverenter colaris*, Pſal: CXXX, 3. 4. Sed de illa expiandi ratione propoſita ſub V.T. iterum monemus I. Illam fuiſſe duntaxat umbratilem & ſignificativam pleniſſimæ & perfectiſſimæ illius expiationis quam obtinemus in Chriſto & illius ſanguine Act: XIII, 39. Rom: III, 25. Heb: X, 15. adeoque nihil ad expianda peccata coram Deo & in foro poli ac conſcientiæ illa ſacrificia legalia, vi aliquâ propriâ & innatâ contuliſſe, ſed tantum per ſuam σχέσιν & relationem ad rem ſignificatam. II. Non *leviora* duntaxat *delicta*, ſed quælibet, etiam graviſſima, partim ſacrificijs ſpecialibus partim communibus, maximè in ſolemni feſto Propitiationum, ritu Levitico expiata fuiſſe: Et ſanè parum fuiſſet à levioribus expurgari, ſi nulla ſup-

Digitized by Google

la ſuppetiſſet ratio peccatoribus, ſe ‡ expediendi à vinculis gràviorum.

Nec ſanè dubium eſſe debet, extitiſſe olim homines, qui hoc pacto legem divinam conſervaverint. Unde Pſaltes regius non pauca diſſerit de Dei benignitate, quâ utatur erga eos, qui fœdus ipſius conſervent. (*Pſal: 103.*) Et Lucas de Johannis Baptiſtæ parentibus teſtatur, (*Luc: 1. 6.*) quòd fuerint ***ambo juſti coram Deo, ambulantes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini irreprehenſibiles.*** Et Paulus ſcribit (*Phil: 3. 6.*) *ſe quoad juſtitiam quæ in lege, fuiſſe irreprehenſibilem.* De Davide etiam ipſo legimus, (*3 Reg: 15. 5.*) quòd *non declinaverit ab omnibus quæ præcepit ei Deus, cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone* (ſeu negotio) *Vriæ Hettæi*; in quo ipſo profectò non minùs, quàm in reliqua vita, integrum præſtare ſe poterat: cum & olim & hodie reperti fuerint homines, qui nunquam tam gravi ſe flagitio, quale David in ſe admiſit, obſtrinxerint. Idem David, ſive quiſquis eſt auctor Pſal: 119. & ſibi & aliis tribuit, quòd cuſtodiant Dei mandata. (*Pſal: 119. 1. & d. 55, 63, 87, 101, 102, 128, 167, 168.*) Quare cum hoc ſenſu legem Dei ſervare iis ſufficeret, qui terrenam illam felicitatem, quæ in fœdere promiſſa erat, adipiſci vellent; nequaquam cenſendus eſt Deus ſpe vana lactaſſe Iſraëlitas, cum hac illis conditione felicitatem iſtam eſt pollicitus.

‡ *Nec ſanè dubium*] Imò nullum unquam repertum fuiſſe vel iri qui ad *ἀναμαρτησίαν* ſive impeccantiam Pelagianam & Socinianam conſcenderit, extra dubium eſt; cùm nemo ſit qui non peccet 1. Reg: VIII, 46. & in multis impingamus omnes Iac: III, 2. adeo ut ſi dixerimus nos peccatum non habere, nos ipſos fallamus & veritas in nobis non ſit 1. Ioh: 1, 8. Huc pertinent *Canones 6. 7. 8.* Concilij Milevitani contra Pelagianos ante 1200. annos celebrati. Fingere vero quoſdam qui *Legem Divinam conſervaverint*, partim præſtando quod jubebat, partim in ijs quibus impegerint ad expiationes Lege conſtitutas recurrendo, eſt revera dicere neminem unquam extitiſſe qui Legem moralem, de qua agitur, uti oportebat factum præſtiterit. Ipſe ſenſus communis hoc axioma dictavit Iuriſconſultis Ethnicis *l. 114. ff. de verb. ſignif. Solvendo eſſe nemo intelligitur, niſi qui ſolidum poteſt ſolvere.*

Vnde Pſaltes regius] Cùm ea quæ hic congerit Volkelius primùm conveniant hominibus ſanctis, non agentibus ex proprijs viribus naturæ corruptæ, ſed per auxilium ſupernaturalis gratiæ; ſecundò, fatente adverſario, non abſolutam importent obſervationem Legis, ſed diminutam & valdè imperfectam; eo ipſo nihil faciunt ad controverſiam de Legis impoſſibilitate hómini peccatori, de qua agimus: Interea tamen haud abs re fecerimus ſi aliquid ad ſingula annotaverimus. Pij qui Pſalti *fœdus Dei* conſervare dicuntur, non debent conſiderari ſub fœdere naturæ & Legis, ſed ſub fœdere Euangelico & Gratiæ, in quo juſtitia omnis eorum potius in remiſſione peccatorum, quam in virtutum perfectione ſita eſt: Illi enim fœderi gratiæ per Ieſum Chriſtum, locum etiam fuiſſe ſub Moſaica œconomia certo certius eſt, ex varijs Scripturæ teſtimonijs, nominatim Act: xv, 11. Heb: XIII, 8. Apoc: XIII, 8. Vi hujus gratuiti fœderis, debiles ſuorum conatus in ſtudio Sanctificationis admittit

mittit Deus per ſummam *ἐπιείκειαν*, eo quod illâ juſtitiâ perſonali neutiquam nitantur, ut per eam juſtificentur coram ipſo. *Si deſint vires, attamen eſt laudanda voluntas.* Huc potiſſimum facit locus Pſal: xxv, 8. 9. 10. Sic Pſal: ciii. quem citat adverſarius, quale *fœdus* intelligatur com. 18. liquet ex com. 8. 9. 10. 11. & 12. ubi ita loquitur; *Miſericors & gratioſus Iehova, longanimis & multus benignitate; non in æternum litigat, neque in ſæculum aſſervat: Non ſecundum peccata noſtra facit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras refert nobis; ſed quam alti ſunt cæli ſupra terram, prævalet benignitas ejus ſupra timentes eum; quam longè abeſt oriens ab occidente longè amovit à nobis defectiones noſtras.* Dicendo enim poſtea benignitatem Iehovæ eſſe in ſæculum *erga obſervantes fœdus ipſius*, fœdus illud intelligit quod certam habet promiſſionem remiſſionis peccatorum, non vero fœdus Legale quod urget Legis *ἀκριβοδίκαιον*, & exactam officiorum illâ mandatorum perſolutionem exigit uſque ad ultimum quadrantem.

Et Lucas de Iohannis] Cùm hic locus olim objiceretur Auguſtino à perfectiſtis Pelagianis, inter alia monebat quod *hi juſti ambo, utique legerant inter ipſa mandata quomodo ſua peccata mundarent.* Hugo Grotius, cujus judicium non debent detrectare Sociniani, quibus & multum debet & plurimum favit, ita cenſet in parentibus Iohannis commendari cum *ſincero pietatis ſtudio*, cui *ex animo* eſſent dediti, *famam* quoque *integram*, ut tamen hanc addat cautelam: *Neque ideo putandum eſt de quibus id dicitur eos communi naturæ humanæ, aut etiam temporum illorum imbecillitati fuiſſe exemptos.* Hoc itaque de illis dicitur ſecundum quid & comparatè ad alios, & quoad ſinceritatem *ἀνυπόκριτον* in Dei cultu, non vero ſimpliciter & abſolutè, quaſi Iuſtitiæ illius ſuæ perſonalis vi & perfectione potuiſſent coram Deo ſubſiſtere.

Et Paulus ſcribit] Scilicet quoad juſtitiam externam, Phariſaicam & in foro fori ſive externo, Paulus *irreprehenſibilis* erat; ſed ubi ſe ad Legis *ἀκριβοδίκαιον* comparabat, longè aliter ſentiebat de ſeipſo: Nam omnium peccatorum ſe *primum* profitetur, quod *blaſphemus & perſequutor & contumelioſus* fuiſſet 1. Tim: 1, 13. 15. & quamvis regenitus, etiam ex Lege agnoſcit & deplorat ſuam corruptionem & miſeriam Rom: vii, 7. 14. 15. 16. 17. 18. 19. Quam vero nullius faceret omnem illam ſuam priorem juſtitiam legalem, ceu nullius conſiderationis ad ſalutem conficiendam & in foro Divino, liquet ex eo capite Phil: iii. quod hîc citavit Volkelius: nam com: 7. 8. & 9. illam juſtitiam omnem *damnum* ſibi eſſe reputat, & ducit *pro ſtercoribus* ut Chriſtum lucrifaciat, & comperiatur in ipſo, *non habens* ſuam *juſtitiam quæ eſt ex Lege, ſed eam quæ eſt per fidem Chriſti.*

De Davide etiam] Sed hoc ſecundum quid eſſe intelligendum, ipſe David ſatis teſtatur, cùm ait Pſal: xix, 13. *Errores ſuos qui intelligit? me ab occultis abſolve.* Eò reſpiciens dixit Baſilius, *Majorem offenſarum partem ne intelligimus quidem, cum tamen in multis omnes offendamus.* Ideo Grotius ipſe, utut virus latens Socinianiſmi abſcondat ad *Luc.* 1. ſic loquitur; *David dicitur feciſſe quod rectum erat in conſpectu Dei, neque à præceptis ejus receſſiſſe unquam extra id quod commiſit adverſus Vriam, cum tamen præter illud atrox facinus multa ejus πλημμελήματα ſit animadvertere in ſacra Hiſtoria: ſed quibus non interrumpebatur ſtudium illud pietatis quod Deus præcipuè reſpicit.*

In quo ipſo profecto] Sed Deus hunc grandiorem lapſum in ipſo permiſit, quo ſic doceremur neminem unquam in hac vita eo perfectionis devenire, ut quotidie non debeat dicere Deo, *Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.* Et quamvis homo pius fretus Dei gratiâ ab hoc & illo & illo ſigillatim peccato, poſſit abſtinere, ut tamen

ſimul

Digitized by Google

ſimul omnia præcaveat & abſque crimine vivat, nunquam conſequetur in hac vita, quæ eſt locus pugnæ & ſtatus imperfectionis: Quin etſi irregenitus hoc & illud & illud crimen gravius ſeorſim conſideratum poſſit declinare, nulli tamen tentationi ad ſimilia reſiſtet niſi per aliud peccatum; ut fusè ab Auguſtino, Proſpero & alijs fuit demonſtratum. Quod ſi qui reperiantur, *qui nunquam tam gravi ſe flagitio, quale David in ſe admiſit, obſtrinxerint*, primùm hoc debet adſcribi vel ſpeciali Providentiæ Divinæ, occulto fræno malitiam hominum cohibenti, ne eorum ſocietas in publicum latrocinium abeat, vel ſingulari ipſius gratiæ ſuos cuſtodienti ne tam graviter labantur: non vero proprijs viribus naturæ corruptæ, quæ & inepta eſt ad omne bonum & proclivis ad omne malum: nullumque eſt ſcelus tam atrox à quoquam mortalium deſignatum, cujus alter non ſit æquè capax ac ille. Secundò nnllus eſt tamen pius vel ſanctus, qui licet immunis præſervatus à tali lapſu in quem incidit David, auſit ſe cum illo conferre eo modo quo Phariſæus Luc: XVIII, 11. cum Publicano, dicendo, *Deus, gratias ago tibi quod non ſum ut reliqui homines, rapaces, injuſti, mœchi, vel etiam ut iſte Publicanus*: Imò quilibet de ſeipſo debet reputare quod in talia & majora facilè potuiſſet incidere, niſi Deus ſuppoſuiſſet manum; plurimis deeſt potius vel potentia vel occaſio malè agendi, *Caſta quam nemo rogavit*, quam propenſio ad quęlibet ſcelera, quam ipſi Judæorum Magiſtri יצר הרע *Iatſar harang* appellant.

Idem David ſive] Et nulla ſatis gravis cauſa eſt dubitandi Davidem eſſe authorem hujus Pſalmi, & illa quæ ibi ſæpiùs occurrit *cuſtodia* mandatorum Divinorum, non eſt Legalis, ſed Euangelica; cùm nemo hactenus dubitarit, toto eo Pſalmo nomine *Legis, Statutorum, Iudiciorum, Teſtimoniorum, Mandatorum, Præceptorum*, Dei, non ſpecialem doctrinam morum quę Decalogo exprimitur notari, ſed intelligi univerſam doctrinam ſalutis fœdere Dei & Verbo ipſius comprehenſam, ut conſcientijs afflictis, etiam ex ſenſu peccati, ſolidiſſimas conſolationes ſuppeditare poteſt.

Quare cum hoc ſenſu] Nec fœlicitatem terrenam promiſerat Deus ſub conditione hujus imperfectæ præſtationis mandatorum ſuorum; Nec ſubſtituro in fœdere Legali, talis imperfecta obſervatio poterat ſufficere, cùm è contrario Deus eo perfectiorem illam urgeret, quo acriori ſtimulo homines peccatorum ſuorū convicti ad Chriſtū ſunt compellendi; Nec citra Davidis & aliorum piorum grandem injuriam ſtatui poteſt, quod in ſervandis Dei mandatis, non aliò quam ad terrenam fœlicitatem reſpexerint. Etenim nunquam ferè David impenſiùs Pietatis ſtudio incubuit, quam eo tempore quo παθήματα erant illi μαθήματα, cum varijs difficultatibus & calamitatibus luctabatur, & vexatio ipſi dabat intellectum; quùm tamẽ ex hypotheſi Volkeliana tum demum debuiſſet eſſe ſummoperè fœlix in terra, cum diligentiùs mandata Dei cuſtodiebat.

Quod ad priorem legis ſenſum attinet, qui perfectior eſt, & perpetuam omnibuſque numeris abſolutam mandatorum divinorum obſervationem poſtulat; ad eum reſpicit Paulus, cum de operibus legis diſſerit, & ex iis homines juſtificari negat. (*Rom: 3. & 4. & alibi.*) Etſi enim eo quoque pacto legem Dei ſervare, non ſit prorſus naturâ que ſuâ impoſſibile, cum, ut rectè vulgò dicitur, ad impoſſibilia nemo obligetur: tamen adeò id eſt difficile, ut nec de quoquam in ſacris literis legatur, nec credibile ſit, quemquam præter Chriſtum extitiſſe, qui eo modo legem Dei impleverit.

‡ *Qui perfectior eſt*] Imò qui unicus eſt: Senſum enim Legis, non ex qualicunque obſequio quod illi defertur, ſed ex Legiſlatoris directa intentione, prout ipſa verba Legis ſonant, repeti omninò debet.

Ad eum reſpicit Paulus] Atqui idem Paulus ob carnis infirmitatem, defectum virium humanarum, ac penitiſſimè inſitam naturæ corruptionem, ſic impoſſibilem ſtatuit ulli mortalium Legis obſervationem & juſtificationem ex illa, ut unicam ſalutis viam proponat ei oppoſitam, fidem ſcilicet & gratiam Domini Jeſu Chriſti.

Etſi enim eo quoque pacto] Hîc multa abſurda congeruntur. Nam I. illa Legis impoſſibilitas, non ab ipſius *natura* arceſſitur, ſed ab hominum corruptione: Fuit enim Lex poſſibilis Chriſto; fuit etiam poſſibilis Adamo in ſtatu Innocentiæ: Quod impoſſibile ſit Soli cœco allucere, non pendet ex Solis natura, ſed ex impotentia cœci: Quod lex ſit impoſſibilis homini peccatori, non pendet ex natura Legis, quæ ſancta eſt & bona, ſed ex hominum vitio, & quod arbor mala non poſſit bonos fructus proferre Matth: VII, 18. II. Mirum eſt id non ſtatui *prorſus impoſſibile* hominibus, cujus tamen nullum exemplũ vel extitiſſe unquam vel porrò extiturum inter homines agnoſcitur; maximè cum ab ævo non defuerint pij & ſancti homines, qui omni ſtudio & conatu in id incubuerint, ut hîc illud Hieronymi de Pelagianis *ad Cteſiph.* libeat uſurpare; *Egregij doctores dicunt eſſe poſſe, quod nunquam fuiſſe demonſtrant.* III. Quamvis *nemo ad impoſſibilia obligetur*, novâ ſcilicet obligatione, ita ut antequam obligaretur res illi ſimpliciter foret impoſſibilis, ut ſi quis Tyrannico mandato obligaretur turrim in aere pendulam conſtruere, tamen poteſt quis obligatus remanere ad id quod poſt obligationem ipſi impoſſibile aliquo caſu evaſit. Æris alieni decoctor qui nõ eſt amplius ſolvendo, ſua inſolvabilitate nõ perimit creditoris ſui actionem, nec eo ipſo quod ipſi ſit impoſſibile ſolvere, deſinit ad ſolutionem obligari. In talibus non attenditur quid ſit facultatum noſtrarum, ſed quid ſit noſtri officij. Quod poſſibile & facile fuiſſet nobis ſi in primęva integritate perſtitiſſemus, factum eſt nobis impoſſibile noſtrâ culpâ: Quare non liberat nos à debiti obligatione illa inſolvabilitas quam poſtea ultrò nobis accerſivimus.

Quin ne illud quidem lex efficere vi ſua potuit, ut homines promiſſis ipſius fidem adhibentes, ſaltem plærumque mandata Dei univerſa, perfectiori ſenſu intellecta, obſervarent; id quod Deus per Jeſum Chriſtum filium ſuum in iis effecit, qui religionem ejus verè ſunt amplexi, dato illis ſpiritu vitæ, cujus lex, hoc eſt, vis atque imperium, eos liberavit à lege peccati. (*Rom: 8. 2.*) Et hoc eſt, quod Paulus ait, (*ibid: verſu 3.*) *legi fuiſſe impoſſile.* Ubi haud quaquam aſſerit, impoſſibile eſſe Legem ſervare; ſed legem ipſam efficere non potuiſſe, ut homines è ſervitute peccati ac mortis eximerentur; quia nimirum, ut ſtatim Paulus ſubjicit, *infirmabatur per carnem.*

‡ *Quin ne illud quidem*] Hîc majus ſe aperit myſterium iniquitatis, quod tamen detegere haud difficilè erit. Nam primò haud obſcurè ſibi contradicit hæreticus: Antea enim abſolutè negabat ullas promiſſiones præter terrenas & carnales Legem habuiſſe: Nunc etiam promiſſiones in illa ſpirituales & cœleſtes agnoſcit, quarum fides in nobis per Spiritum Chriſti excitetur. Secundò cùm antea negaſſet *quemquam præter Chriſtum extitiſſe* qui in ſenſu perfectiori Legem Dei impleverit, nunc videtur ſtatuere ab aliquibus ſaltem impleri ſolitam, dũ negat id Legem vi ſuâ effeciſſe *ut homines promiſſis ipſius fidem adhibentes, ſaltem plerumque, mandata Dei univerſa,*

Digitized by Google

verſa, perfectiori ſenſu intellecta obſervarent. Qui enim negat id fieri cum illa reſtrictione, *ſaltem plerumque*, is videtur ſatis inſinuare, quod aliquoties & aliquando evenerit id quod negat, licet ſit ex rarò contingentibus. Tertiò illa Legis ἀσθένεια, ut mox videbimus, non in eo ſita eſt quod non poſſet homines deducere in promiſſorum ſuorum ſpiritualium notitiam & fidem, ſed quod impoſſibile ei fuerit quemquam peccatorem juſtificare. Quartò nec quod Deus per Jeſum Chriſtum in pijs efficit, eos liberando *à lege peccati*, in eo ſitum eſt, ut Legis *promiſſis fidem adhibentes, mandata Dei univerſa perfectiori ſenſu intellecta obſervent*; ſed hæc duo in ſuis Deus per Chriſtum operatur, 1. Ut Chriſti merito & ſatisfactione, Legis δικαίωμα in illis impleatur, adeoque ut plenam & perfectam juſtificationem, quam ex Legis operibus, peccatores cum eſſent & valdè remoti ab ea perfectione quam Lex exigit, conſequi non poterant, per obedientiam Chriſti ſibi imputatam & verâ fide apprehenſam obtineant: 2. Ut per Spiritum ſanctificantem à dominio & lege peccati hactenus liberentur, ut ſi eos adhuc inhabitet quamdiu peregrinantur à Domino, ſaltem in ipſos tyrannidem ſuam non amplius exerceat; prout idem Apoſtolus diſtinguit expreſſè inter peccatum dominans & inhabitans Rom: VI, 12. & Rom: VII, 18. Sanè ut *lex ſpiritus vitæ* debet intelligi apud Paulum de vi & efficacia Spiritus Chriſti quo adoptamur & regeneramur in Dei filios, ita etiam Lex *peccati & mortis*, quæ illi opponitur, non poteſt intelligi de Lege Moſaica, ſed de Lege illa membrorum cujus paulò ante mentionem fecerat Rom: VII, 23. 24. & ſub cujus jugo gemens exclamabat, *ô me miſerum quis me liberabit ex corpore hujus mortis*; maximè cum illam liberationem com: 25. vindicet ſatis apertè beneficio Chriſti, & com: 26. legem Dei & legem peccati διαῤῥήδην opponat.

Et hoc eſt quod Paulus] Primùm hic opponit Volkelius quæ erant componenda: Si enim Lex efficere non potuit *ut homines è ſervitute peccati ac mortis eximerentur*, eo ipſo *impoſſibile* erat *Legem ſervare*; cum ad ſalutem conficiendam & conferendam requiratur exemptio *è ſervitute peccati ac mortis.* Deinde non bonâ fide exprimit Volkelius quid juxta Paulum Legi *impoſſibile* fuerit: Illa enim Legis ἀδυναμία in eo non ſita eſt, juxta Paulum, quod non potuerit efficere *ut homines promiſſis ipſius fidem adhibentes, ſaltem plerumque, mandata Dei univerſa, perfectiori ſenſu intellecta, obſervarent*; quamvis non diffitear etiam eo reſpectu legem ſtatui debere literam mortuam & occidentem, & ejus adminiſtrationem miniſterium mortis, oppoſitè ad Spiritum vivificantem, ſecundum Paulum 2. Cor: III, 6. 7. quatenus Spiritus Dei vim ſuam vivificam & regenerantem, non Legis, ſed Euangelij miniſterio & præconio exerit; Sed juxta Apoſtolum Rom: VIII, 3. id dicitur impoſſibile fuiſſe Legi, quod præſtitit Deus miſſo Filio ſuo in ſimilitudinem carnis peccati; At quod Deus fecit, teſte Apoſtolo, id fuit quod *propter peccatum* miſſo Chriſto in ſimilitudinis carnis peccati, *condemnaverit peccatum in carne* Chriſti, ideſt, ſatisfecerit juſtitiæ ſuæ, & pœnas peccato debitas à Chriſto repetierit, ceu vade & fidejuſſore noſtro, ac eo ipſo *jus* & poſtulatum Legis in nobis impleverit: Ergo id ipſum erat impoſſibile Legi, adeoque & nos ſervare: cum ea Lex ſervare non potuerit, quæ nec ſaſisfactionem pro peccato præſtare, nec obedientiam illam quam exigit ut vitam conſequamur efficere poterat. Addit porrò Apoſtolus rationem illius impoſſibilitatis, in eo ſitam quod ἠσθένει διὰ τῆς σαρκὸς, ideſt quod per & propter carnem infirma & imbecillis eſſet, ſive nullarum virium ad nos juſtificandos & ſervandos, propter legem membrorum & corruptionem carnis per quam nobis impoſſibile erat, ea præſtare quæ Lex exigit, & ita juſtificari & ſervari

Digitized by Google

vari ex operibus Legis. Cùm mens Pauli ſit tam perſpicua, & ſenſus verborum quæ adhibet tam obvius, cur lubet adverſarijs ad talia diverticula in quibus nihil eſt ſenſus vel ſalis deflectere? Nempe id agunt indirectè, ſed infauſtis avibus, ut obfuſcent Chriſti ſatisfactionem vel illis Pauli verbis luculenter demonſtratam, quod Pater miſſo Filio ſuo in ſimilitudinem carnis peccati, ideſt carnis peccatricis, licet peccato caruerit, ut ſerpens æneus à Moſe erectus dipſadum figuram habebat non virus, idque περὶ ἁμαρτίας, ideſt propter peccatum, illius nempe cauſâ & ad illud expiandum, (ut etiam Syrus interpres reddidit, & notum illud περὶ non raro pro ὑπὲρ ſumi in Scripturis, ut patet ex Matth: IX, 36. XXVI, 26. I. Pet: III, 18. Heb: X, 6.) κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκὶ, condemnavit & punivit peccatum in carne *ipſius*, ut habet Syrus, vel in ea carne quæ erat rea debendi: qua ratione ipſum jus & poſtulatum Legis in nobis impletur, quia per maledictionem crucis cenſemur defuncti maledictione eâ quam Lex ſuis tranſgreſſoribus intonabat, & in Chriſti merito ac beneficio eam adipiſcimur juſtitiam qualem Lex exigit ab ijs qui vitam æternam ſunt conſequuturi.

35. Hanc enim Lex comprimere eam potiſſimùm ob cauſam non poterat, quòd non modò vitam immortalem bonaque cæleſtia apertè nequaquam promitteret; ſed etiam nullius delicti veniam ejuſmodi proponeret, quæ ab æterna morte libertationem in ſe complecteretur; ut taceam, eam gravioribus peccatis nullam expiationem conceſſiſſe, ſed veniæ potiùs ſpem præcidiſſe. Quare cum immortalis vitæ bonorumque cæleſtium ſpem atque amorem, hominum animis non insereret: contrà autem bona terrena & carni grata toties, tamque apertis verbis inculcaret: carnem non modò non repreſſit, ſed etiam illius vim ac deſideria quodammodo auxit & incendit. (*Rom: 7. 14. & d.*) Quamdiu autem rerum terrenarum ac carnalium amore tenentur homines, tam diu legi Dei, perfecto illo ac ſpirituali ſenſu acceptæ, parere ne ut plurimùm quidem poſſunt. (*Rom: 8. 5. & d.*) Quanquam interea Deus extraordinariè in hominibus ſibi confidentibus efficere poterat id, quod lex vi ſua non poterat, & benigniùs cum iis agere, quàm in fœdere promiſiſſet.

‡ *Hanc enim Lex*] Verùm nec in eo Lex infirmabatur per carnem, quod illam non poſſet *comprimere*, ſed quod ob carnis inſitam corruptionem, (id enim *carnis* nomine Paulum intelligere patet ex illius antitheſi inter eos qui ambulant *ſecundum carnem* & eos qui incedunt *ſecundum Spiritum*, ibid. com. 1.) non poſſet ſuum jus, poſtulatum & δικαίωμα, in nobis conſequi, ideſt nos per plenam & perfectam obedientiam, ad veram & ſalutarem juſtitiam, & exinde ad vitam æternam deducere.

Non modo vitam immortalem] Id falſum eſſe liquet ex illo Chriſti dicto, *Si vis ingredi ad vitam*, nempe æternam, nam de illa interrogabatur, *ſerva mandata* Matth: XIX, 17. Et quamvis, quod tamen falſum, nonniſi ſub involucro & imagine bonorum terrenorum cœleſtia Lex promitteret, ſaltem negari non poſſet illam vitam immortalem & bona cœleſtia promittere: Adhæc, ſuprà diſtinguebat Volkelius inter ſenſum Legis imperfectiorem & perfectiorem: Quod ſi illo fœlicitatem terrenam *apertè* promittebat, qui poteſt negari eam *bona cæleſtia* apertè promiſiſſe perfectiori ſuo ſenſu, adeoque talem promiſſionem

Digitized by Google

miſſionem Lege factam apertè intellexiſſe omnes eos qui ad perfectiorem illius ſenſum aſſequendum, utut non opere præſtandum, aſſurrexerunt. Dum ergo hanc cauſam fingit Volkelius τῆς ἀδυναμίας in ſenſu perfectiori, quod *vitam immortalem bonaque cœleſtia apertè nequaquam promitteret*, apertè ſecum pugnat, & ipſi veritati adverſatur. Sanè ea bona Lex promittebat quæ amiſimus in Adamo, & quæ Adam fuiſſet conſequuturus ſi in officio perſtitiſſet: Ipſum autem immortalitate & vitâ fuiſſe donandum ſi non peccaſſet, & in illius rei pignus & Sacramentum arborem vitæ fuiſſe conſequutum, dubitari non poteſt. Tum debuit Lex promittere vitam æternam & bona cœleſtia ſui obſervatoribus, quandoquidem mortem æternam & abſolutam maledictionem tranſgreſſoribus denunciabat: nulla enim ſubeſt ratio cur Legis comminationes longiùs quam illius promiſſiones extenderentur, cum è contrario beneficia ſint amplianda, odia reſtringenda.

Sed etiam, nullius] Ideo igitur Lex nullum peccatorem ſervare poterat, quod *nullius delicti veniam proponeret*, ſed exactiſſimam in ſingulis obedientiam exigeret: Peccatorem autem ſervari abſque delictorum ſuorum venia & remiſſione, ſimpliciter impoſſibile eſt. Nec eſt quod hic per reſtrictionem quandam loquatur Uolkelius; ac ſi Lex aliquam quidem delicti veniam promiſiſſet, ſed *non eam quæ ab æterna morte liberationem in ſe complecteretur*: Nam 1. debet meminiſſe ejus quod antea ipſe monebat, hîc de Lege morali *potiſſimùm* diſputari: Illa autem abſolutè & in ſe conſiderata, omninò nullam proponit delicti veniam, ſed accuratiſſimam & omnibus numeris perfectiſſimam obedientiam exigit, ſub maledictionis pœna, pro eo qui vel in minimo apice à ſuis mandatis horſum vel illorſum deflexerit. 2. Etiam falſum eſt œconomiam legalem ſive Moſaicam, nullius delicti veniam ejuſmodi propoſuiſſe quæ ab æterna morte liberationem in ſe complecteretur: Quamvis enim ſacrificia typica in ſe & inſitâ ſuâ virtute nihil operarentur præter indemnitatem peccatoris in foro externo & ſoli, illa tamen conſiderata χιτικῶς ad rem ſignificatam, nempe Chriſtum, quem adumbrabant, importabant ejuſmodi delictorũ veniam plenam & integram in foro poli & conſcientiæ, quæ liberationem à maledictione per Legem denunciata, & per conſequens ab æterna morte, complecteretur.

Ut taceam, eam] Lex moralis in perfectiori illo ſenſu quem Volkelius ab imperfectiori perperam diſtinguit, exactam obedientiam ſub comminatione maledictionis æternæ poſtulans, eo ipſo veniæ ſpem omnem præcidebat non gravioribus tantum, ſed etiam levioribus culpis: Lex vero Cæremonialis, etiam complectebatur graviorum peccatorum expiationem, eo modo & ſenſu quo ſuo loco à nobis fuit diſputatum: Quod ſi pro civium criminibus gravioribus, cujuſmodi ſunt adulterium & homicidium, ſi innotuiſſent, noluit Deus ſpecialia extare ſacrificia, quia jure forenſi capitaliter erant plectenda, tamen dubitari nequit quin expiandis in foro conſcientiæ etiam his criminibus, quamdiu vel occulta manebant, vel ab hominibus non poterant vindicari, (qualia erant crimina Regum,) inſervirent ſacrificia communia tam quotidiana quam anniverſaria. Adhæc id omninò myſticum erat & rudi illi populo in metu & ſollicitudine continendo deſtinatum, ac ſimul de ſuorum ſacrificiorum natura pleniùs erudiendum, quod non expreſſa & peculiaria eſſent ſacrificia expiatoria pro ſingulis criminibus etiam gravioribus; quò videlicet & à gravioribus ejuſmodi ſceleribus magis deterreretur, nam *oderunt peccare mali formidine pœnæ*, & præmoneretur hæc omnia ſua ſacrificia typica eſſe & adumbrare duntaxat longè auguſtius, plenius & perfectius ſacrificium Chriſti, cujus vi & intrinſecâ dignitate peccatores tandem juſtificarentur ab ijs à

quibus

Digitized by Google

quibus per legem Moſis juſtificari non potuerant Act: XIII, 39.

Quare cum immortalis] Quod Lex bonorum cœleſtium *ſpem atque amorem* hominum animis *non inſereret*, id non fiebat ex defectu & imperfectione Legis, aut quod nullas bonorum cœleſtium promiſſiones proponeret: agnoſcere enim debet Volkelius, ſi ſibi conſtet, Legem in ſenſu eo quem perfectiorem ſtatuit ejuſmodi promiſſionibus, licet ipſius judicio minus *apertè* propoſitis, non penitùs caruiſſe; Quin paullò ante ſubindicabat fortè non defuiſſe homines qui *promiſſis ipſius fidem adhibentes, mandata Dei univerſa, perfectiori ſenſu intellecta, obſervarint.* Sed ideo Lex non inſerit hominum animis bonorum cœleſtium ſpem atque amorem, quod eos deducendo in cognitionem accuratiorem ſuorum peccatorum, eos potius ad deſperationem adigat, donec Euangelicâ voce, quâ illorum peccatorum remiſſio offertur ac promittitur, in meliorem ſpem erigantur.

Contra autem bona] Prodigioſa hæc eſt depravatio ſacri textus; Nam quod Lex *vim & deſideria* carnis quodammodo augeat & incendat, non eſt tribuendum Legi per ſe, & quod *bona terrena & carni grata toties tamque apertis verbis inculcet*; ſiquidem etiam hunc effectum ſortitur merum Legis præconium, in omnibus peccatoribus nondum ad Chriſtum converſis, qui nihil habent commune cum Republica Iſraelis, aut terrenis illis promiſſionibus, ſub quibus Deus per Moſem cœleſtes obnubilare & adumbrare voluit: Et ſi id conveniret Legi per ſe & ratione promiſſionum ſuarum quas ſæpiùs inculcat, tum ſanè illa deſideriorum carnis vehementior & vitioſa ebullitio, in Legis authorem, per evidentem Manichæiſmum eſſet rejicienda: Nec poſſet non inuri Deo nota evidens iniquitatis & invidiæ, abſit dicto blaſphemia, quod eam hominibus Legem tuliſſet quæ per ſe & naturâ ſuâ eos abduceret à rebus ſpiritualibus & vitioſa carnis deſideria augeret & incenderet: Verùm illud augmentum & incendium vitioſum cum Apoſtolo debet Legi tribui occaſionaliter & per accidens Rom: VII, 8. 11. non quod carnalis eſſet in ſuis promiſſis, Apoſtolo dicente tam expreſſè com. 14. eam eſſe *ſpiritualem*, bonam item, juſtam & ſanctam com. 12. ſed quod in homine carnali & vendito ſub peccato, corruptio ejus nativa intendatur, irritetur & exacerbetur præconio Legis, juxta illud notiſſimum, *Nitimur in vetitum ſemper cupimuſque negata:* Quod cadaverum tetrum odorem excitent & intendant radij ſolares, non eſt ipſi ſoli per ſe tribuendum, ſed cadaverum latenti putredini, quæ ea ratione in actum educitur: Quod calx affuſâ aquâ incendatur, non eſt aquæ ipſi per ſe tribuendum, cum illius proprium ſit ignem reſtinguere, ſed igneæ vi in calce latenti, quæ occaſione illius affuſionis proritatur & in actum educitur: Ideo Paulus illud augmentum & incendium pravarum cupiditatum, tribuit tantum occaſionaliter Legi, principaliter vero & efficienter inhabitanti corruptioni. Uerba ejus ſunt ad hanc rem deſcripta radio ſolis Rom: VII, 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. *Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit. Imò peccatum non cognovi niſi per Legem: Nam ipſam quoque cupiditatem non noſſem,* (ſcilicet eſſe peccatum) *niſi Lex dixiſſet, Non concupiſces: Sed peccatum occaſione per illud præceptum ſumptâ, effecit in me omnem cupiditatē: Nam abſque Lege peccatum eſt mortuum,* (ideſt mortuo haud diſſimile, ut ſerpens frigore conſtrictus, qui demum igni admotus virus ſuum effundit) *ego vero vivus eram quondam abſque Lege* (mea ſcilicet opinione, & cum non ſatis exploratam haberem meam corruptionem ex Lege) *præcepti autem illius adventu, peccatum revixit, ego autem mortuus ſum: & inventum eſt illud præceptum quod erat ad vitam,* (ex rei ipſius natura) *mihi cedere* (per accidens) *ad mortem. Nam peccatum occaſione per illud præceptum ſumptâ ſeduxit me & per illud occidit. Itaque Lex quidem*

Digitized by Google

ſancta, & præceptum illud ſanctum ac juſtum & bonum. Ergo quod bonum eſt mihi eſt mors? (per ſe & directè) *Abſit; imò peccatum,* (mihi factum eſt mors efficienter) *ut manifeſtum fiat quod peccatum mihi per id* (occaſionaliter) *quod bonum eſt efficiat mortem, ut peccatum fieret admodum peccans per illud præceptum. Scimus enim Legem eſſe ſpiritualem, at ego carnalis ſum, & venditus ſub peccato.* Hæc paullò fuſiùs debui referre, quo conſtaret ex mente Pauli incendi peccatum & cupiditatem carnis ad Legis præconium, non quod Lex inculcet promiſſiones carnales & vi illarum, ſed quod per quandam antiperiſtaſim, nobis inſita & latens corruptio evigilet & excitetur Legis doctrinâ, ut cum ob circumſtans frigus noctis in aere vicino, quicquid ineſt caloris aquæ fluviatili æſtatis tempore excitatur & illius ſuperficiem eouſque occupat ut tepeſcere ſentiatur.

Quamdiu autem rerum] Id equidem verum quod duobus Dominis ſervire non poſſumus, vel ſecundum ſpiritum incedere quamdiu carni obſequimur; Sed hic iterum dupliciter peccat Volkelius; Primùm quod ſtatuat Legem Dei ſuâ naturâ & per ſuas promiſſiones efficere ut *rerum carnalium amore* homines teneantur: cum longè aliter prava concupiſcentia incendatur per Legem in ſuis præceptis conſideratam, quàm illius promiſſionibus, qualeſcunque fuerint, uti modò viſum. Secundò quod illud Paulinum, *Secundum ſpiritum ambulare,* interpretetur, *Legi Dei perfecto ac ſpirituali ſenſu acceptæ parere*: Nam cùm antea dixerit ſibi non eſſe *credibile quemquam præter Chriſtum extitiſſe, qui eo modo Legem impleverit,* & omnibus pijs & ſanctificatis in Chriſto Ieſu, utut adhuc luctentur cum varijs peccati reliquijs & plurimis cæſpitationibus ſint obnoxij, conveniat ſuo modo ſecundum Spiritum ambulare non ſecundum carnem, eò quod placeant Deo cui tamen placere non poſſunt qui ſunt in carne, & Chriſti ſint cujus tamen nemo eſt qui Spiritum Chriſti non habet Rom: VIII, 8. 9. nequit illud ambulare ſecundum Spiritum inferre executionem Legis Dei perfectiori ſenſu acceptam. Adhæc ſi ad ſpirituales promiſſiones Legis attendere & perfectiori ſenſu eam ſervare, ſit ſecundum Spiritum vivere, utique viceverſâ vixiſſe ſecundum carnem cenſendi erunt omnes illi pij ſub V. T. qui Legem ſervarunt in ſenſu Volkelij imperfecto, & quantum ſufficiebat ad fœlicitatem terrenam: quos inter ipſe ſuprà enumerabat non ſolum parentes Iohannis Baptiſtæ, ſed etiam ipſum Davidem, virum aliàs ſecundum cor Dei, uti dicitur. An hos cenſebimus caruiſſe Spiritu Dei, quem Pſaltes Regius à ſe non auferri tam ardenter petit Pſ: LI, 12. 13. 14. adeoque *in carne* fuiſſe, nec Deo placere potuiſſe? Præterea ſecundum carnem ambulare eſt ſemper vitioſum: Quod ſi reſpicere ad promiſſiones terrenas, cujuſmodi ſolas apertè habuiſſe Legem fingit adverſarius, ſit ambulare ſecundum carnem, prout ambulare ſecundũ Spiritum eſt attendere ad Legis promiſſiones ſpirituales, quas juxta adverſarium, vel nullas habuit vel valdè latentes, tum Deus mandans Iſraelitis ut ad illas promiſſiones terrenas reſpicerent, & earum ſpe certâ eos excitans ad Legis in ſenſu imperfecto obſequium, cenſendus erit ipſis mandaſſe quod naturâ ſuâ turpe eſt & vitioſum. Sed piget me harum abſurditatum Volkelianarum, cùm Lex perfecto ac ſpirituali ſenſu accepta ſe habeat extrinſecè ad eos qui ambulant ſecundum Spiritum; Spiritus vero ipſe Chriſti cujus ductui ſe permittunt & qui clamat in cordibus ipſorum *Abba Pater*, & quo obſignantur in diem Redemptionis, intra eos habitet.

Ne ut plurimùm quidem] Ergo in ſchola Sociniana homines carnales, *quamdiu rerum terrenarum ac carnalium amore tenentur,* ſi non *ut plurimum,* ſaltem aliquando, poſſunt *Legi Dei perfecto illo ac ſpirituali ſenſu accepta pa-*

te parere; ideſt poſſunt qui in carne ſunt, etiam quamdiu ſunt in carne, nihilominus quandoque ſecundum Spiritum ambulare; quod in ſchola Apoſtolica implicat evidentem contradictionem.

Quanquam interea Deus] Iſti homines malunt palpare in tenebris, & ſuas conjectationes proponere, quam veritatis lucem coruſcam in Dei verbo agnoſcere. Vident non poſſe denegari, Moſi, Davidi, Ezechiæ, Zachariæ ac Elizabethæ, ſimilibuſque heroibus qui vixerunt ſub œconomia V. T. quo tempore juxta ipſos nonniſi imperfectior executio Legis urgebatur ad fœlicitatem terrenam, quod ambularint ſecundū ſpiritum, eximiâ fide in Deum prædíti fuerint, quam fusè laudat & proſequitur Paulus epiſtolæ ad Heb. cap. XI. per totum, vitam æternam ſperaverint & conſequuti fuerint. Id ut concilient hæretici cum ſua hypotheſi quâ negant ullas promiſſiones ſpirituales & vitæ æternæ extitiſſe ſub V. T. ad illam redeunt conjecturam quam nunc nobis propinat Volkelius, Deum *extraordinariè* potuiſſe in quibuſdam agere & *benigniùs* quam in fœdere promiſiſſet. Sed hæc facilè difflantur. Nam 1. id *extraordinariè* factum cenſeri non debet, quod fuit ordinarium omnibus pijs & ſanctis V. T. 2. Homines illi Deo confidentes, in quibus Deus extraordinariè aliquid effecerit, eam fidem Deo adhibuerunt, vel abſque verbo ejus, vel ex illo: Si prius dixeris, fidem nobis facies imaginariam quæ nullo Dei verbo nitatur, contra expreſſum Pauli axioma Rom: X, 17. Imò tam abſurdum eſt fidem ſalutarem dari, quæ promiſſioni Divinæ non innitatur, quam relatorum unum dari abſque ſuo correlato. Si poſterius, nequiverunt iſti pij Deo confidere quoad ſpiritualia & æterna, quin ſpeciales eorum promiſſiones extarent in Dei verbo. 3. Vel hæc fiducia, cujus meminit Volkelius, hominum Deo confidentium, pertinuit ad illum imperfectum Legis ſenſum, qui ſolum urgebatur ſub V. T. vel ex altiori principio eſt repetenda ut ſpectavit bona ſpiritualia & æterna: Vtrumlibet dixerit adverſarius, non facilè ſe expediet; Si enim prius dicat, cum eundem effectum eadem cauſa producere debeat, ſiquidem omnes ſenſu duntaxat imperfecto Legi obſequentes Deo confidebant, debuit Deus eo ipſo in illis *efficere id extraordinariè quod Lex vi ſua non poterat, & benigniùs cum ijs agere, quam in fœdere ſuo promiſiſſet.* Si alterum, debuerit Deus non ſolum hanc ſpecialem fiduciam abſque ullo medio in illis operari, ſed etiam ſingulari iſtâ fiduciâ circa res ſpirituales & cœleſtes donare homines, priuſquam id in illis efficeret quod Lex vi ſuâ non poterat, ideſt priuſquam in illis rerum ſpiritualium & cœleſtium fidem excitaret. 4. Falſiſſimum eſt quicquam in illis heroibus V. T. fuiſſe extraordinarium & ultra quam Deus in fœdere promiſerat. Ad illos enim factas fuiſſe promiſſiones Chriſti venturi & ſalutis per ipſum obtinendæ, qui negaverit, utrique Teſtamento palàm adverſabitur: nec dubium quin illas omnes pij crediderint, amplexi fuerint & eminùs ſalutarint Heb: XI, 13. Se quoque *peregrinos & advenas in terra* non profeſſi fuiſſent, eo ipſo palàm oſtendentes, *ſe patriam requirere* eamque *cœleſtem* ibid. com. 13. 14. 15. 16. ſi Deus in ſuo fœdere nihil illis promiſiſſet de patria cœleſti. Abſit enim ut eos ſtatuamus non rupi ſed arenæ mobili & dubiæ omnem ſuam fiduciam *inædificaſſe.* Denique non eſt quod ſtatuamus *extraordinariè* & citra fœderis ſui promiſſiones Deum egiſſe in illis, quorum & fides fuit ejuſdem ordinis cum noſtra, & fidei præmium idem cum eo quod ſperamus, nempe ſalus & vita æterna. At utrumque verum eſt de omnibus pijs & ſanctis ſub V. T. unde dicimur venturi ab oriente & occidente & accubituri cum Abrahamo, Iſaaco & Iacobo in regno cœlorum Matth: VIII, 11.

Quòd

Digitized by Google

Quòd verò Petrus (*Act: 15.10.*) de ſe cæteriſque Iſraëlitis, eorumque patribus ait, quòd jugum legum ceremonialium (de hoc enim illi ſermo eſt) portare non potuerint: id nihil ſignificat aliud, quàm durum admodum ac valde moleſtum illis fuiſſe jugum iſtud, &, ut vulgo de hujusmodi rebus loqui ſolemus, intolerabile; non quòd id ferre, ſi vim ſibi facere vellent, nullo modo poſſent.

‡ *Quod vero Petrus*] Fateor ibi ſermonem eſſe de lege cæremoniali; ſed tamen ejus jugum, ut jam ante monui, erat ſimpliciter *intolerabile*, tum quod nemo unquam potuerit dari, qui in tanta tamque operoſa & ſcrupuloſa mandatorum cæremonialium multitudine nihil omiſerit quod præceptum, aut commiſerit quod prohibitum fuiſſet; tum quod per ſuam χέσιν ad δικαίωμα Legis, illud vehementer urgeret & multifariàm demonſtraret, homines convincendo ſuorum peccatorum eoſque reos peragendo mortis & maledictionis coram Deo; cujus veritatis ſyngrapham in ſua capita tenebantur exhibere, partim proprio ſanguine in circumciſione ſcriptam, partim exaratam in ſacrificijs multiplicibus cruore victimarum ſuarum: unde illa Lex rituum dicitur Paulo *Chirographum* quod adverſum nos erat, nobiſque valde contrarium, ideo à Chriſto cruci affixum & ſublatum è medio Col: 11, 14. Nec oppoſiturus fuiſſet Petrus illi jugo intolerabili *gratiam Domini Ieſu Chriſti*, cujus beneficio & nobis & Patribus ſalus obtigit, niſi illud omninò & abſolutè intolerabile ſtatuiſſet. Nec enim aliò collimat hæc gratia ſalutaris, quam ut omne jugum, cui cæteroquin planè impares eramus, à cervicibus noſtris amoveat. Et in populo rudi, debuit his quaſi fidiculis hocque intolerabili jugo, Gratiæ illius ſitis & deſiderium non tam excitari quam extorqueri.

Quòd porrò David negat, (*Pſal: 14.3. & 53. 4.143.2.*) quemquam eſſe qui bonum faciat, aut in conſpectu Dei juſtificandus ſit; id primùm ad inſtitutam quæſtionem non facit; cum hoc loco non quid ab hominibus fiat, aut non fiat, ſed quid fieri poſſit, aut non poſſit, quæratur. Deinde ſi literalem, quem vocant, priorum præſertim verborum ſenſum ſpectes, hyperbolicam in ijs dicendi figuram vulgò etiam uſitatam deprehendes, ita ut nemo dicatur facere bonum, ne unus quidem, quia pauci ſint admodum, & reſpectu tantæ impiorum multitudinis propè nulli, qui rectè pieque vivant. Nam ibidem (*Pſal: 14. 4, 5. 53.5.*) ſatis apertè plebs ſeu populus Dei, & generatio juſta, diſtinguitur ab iis, quorum improbitatem verbis illis, de quibus agimus, David expreſſerat. Idem de altero loco (*Pſal: 143.2.*) cenſeri poteſt, ſi de ejusmodi juſtificatione accipiatur, quæ omnibus contingebat, qui ex vi fœderis antiqui felicitate terrena potiebantur. At ſi de juſtificatione perfectiore accipias, quæ ex abſolutiſſima mandatorum divinorum obedientia manat, ſimpliciter id ſumi poteſt ac debet. Verùm id Dei juſtitiam nequaquam convellit: cum id non ex impoſſibilitate, ſed ex difficul-

Digitized by Google

36. tate tantùm ſervandæ legis, hominumque ipſorum vitio, proficiſcatur: nec quicquam prohibeat, quominus promiſſorum Moſaicorum homines fieri potuerint compotes.

‡ *Id primum ad inſtitutam*] Sed primò etiam Scriptura paſſim teſtatur eam eſſe hominis corruptionem, ut non poſſit deſtitutus gratiâ Chriſti quicquam boni facere, aut ex ſe aliud quam peccare; prout jam olim Concilij Milevitani *Canone 6* contra Pelagianos fuit pronunciatum *quod juxta ſententiam Iohannis Euangeliſtæ, nemo ſit qui poſſit eſſe ſine peccato.* Huc etiam facit illud Concilij Arauſicani II. *can.* 22. *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum*: Scripturæ teſtimonia quibus hæc impotentia conceptis verbis exprimitur extant Ier: XIII, 23. Matth: VII, 18. Ioh: VI, 44. XV, 5. Rom: VIII, 7. 1. Cor: II, 14. 2. Cor: III, 5. Deinde ſatis evidenter probatur id *fieri non poſſe* cujus contrarium ita univerſale aſſeritur, ut nullum omninò exemplum oppoſitum reperiatur aut unquam repertum ſit inter homines. Si poſſet fieri ut homines in naturæ corruptionis ſtatu jacentes, Pietati & Iuſtitiæ ex amuſſi Legis inſiſterent, aliquod utique proſtaret exemplum illius poſſibilitatis; nec potuiſſet tam univerſaliter loqui David, dicendo non eſse quemquam qui faciat bonum, *ne unum quidem* Pſal: XIV, 3. LIII, 4.

Deinde, ſi literalem] Nec plus ineſt ponderis in hoc altero effugio: Nam I. cum literalis ſenſus diſtinguatur ab allegorico & myſtico, non video quî in prioribus verbis Davidis, quæ nullam allegoriam patiuntur, *literalis* uſus nominatim commemoretur. II. Nullam hîc eſſe hyperbolem, ſed dictum Spiritus Sancti propriè, ſimpliciter & abſolutè eſſe ſumendum, multa evincunt: Ipſe enim David non contentus dixiſſe omnes receſſiſſe & neminem eſse qui bonum faciat, addit ſtatim ad omnem reſtrictionem & exceptionem excludendam, *Ne unus quidem.* Tum Paulus optimus hac in parte interpres Davidis Rom: III, 9. 10. & ſeq. illa ipſa Pſaltis verba refert & urget ut demonſtret *Iudæos & Græcos* (citra ullam exceptionem & ſepoſitâ omni hyperbole) *eſſe ſub peccato,* quò *omne os obſtruatur & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei*, & conſtet quod *ex operibus Legis nulla caro juſtificabitur in conſpectu ejus.* Et cum hoc modo Deus in Scriptura concludat omnes ſub peccato, ideſt reos peragat & pronunciet dignos morte Rom: XI, 32. Gal: III, 22. quo ſuæ miſericordiæ, gratiæ & Redemptionis in Chriſto, neceſſitas magis ſit in propatulo, ſi hyperbolica loquutio fuerit, & dentur nonnulli qui à generali illa regula excipiantur, utique oportebit dari quoque inter homines qui juſtificentur ex operibus Legis coram Deo, illiusque ſpeciali miſericordiâ, quæ ab univerſali hac corruptione arceſſitur, & Redemptione quæ eſt in Chriſto, non egeant.

Nam ibidem] Nec quicquam eſt præſidij in hac obſervatione: Nam I. ille Dei populus qui ſtudet juſtitiæ, non eſt immunis à peccato multiplici, nec ita facit bonum, ut juxta ἀνεξβοδίκαιον Legis ex ſuis operibus juſtificetur coram Deo: Et nemo eſt in generatione juſta ita juſtus, ſi in ſe conſideretur, qui omnium illorum ſcelerum Spiritui ſancto his locis commemoratorum non habeat per nativam ſuam corruptionem ſementem ampliſſimam, quæ facilè ſimiles proferret fructus, niſi per indebitam gratiam divinitùs reprimeretur. 2. Cum David dicit neminem eſſe qui non receſſerit à Deo aut faciat bonum, ne unum quidem, oſtendit quæ ſit nativa & inſita omnium corruptio, quam nemo unquam ita penitùs exuit, quin adhuc ſit obnoxius peccatis quotidianæ incurſionis; adeo hîc verè illud Horatianum obtinet, *Naturam*

expellas

expellas furcâ, tamen uſque recurret; At cum meminit Pſaltes generationis juſtæ, juſtam intelligit ex gratia non ex operibus, utpote quæ ſibi benè conſcia ſuæ corruptionis, juſtitiam ſuam collocet non in perfectione virtutum, ſed in remiſſione peccatorum ſuorum. Vno verbo, poſitâ hyperbole Volkelianâ in Davidis ſententia, corruit omnis argumentatio Pauli ex illa, nihilque faciet, contra quam pertendit Apoſtolus, ad omnes peccati convincendos coram Deo & miſericordiæ ac Redemptionis in Chriſto abſolutam neceſſitatem adſtruendam.

Idem de altero] An ergo etiam hic hyperbolica Socinianorum Theologia hyperbolem audebit comminiſci? Et quid abſurdius quam duplicem fingere juſtificationem, & duplicem eo reſpectu ſenſum affingere verbis Davidis, ut hyperbolem contineant, ſi de priori juſtificatione in illis agatur, propriè vero ſumantur, ſi de poſteriori intelligantur? An ſibi conſtat Volkelius, cui *cap.* 12. *lib.* 3. *apud divinos authores hominem juſtificare ſignificat eum juſtum pronunciare, & ut juſtitiâ perfectâ excultum tractare; quod ſanè hic nihil aliud eſt quam à reatu ac pœnis peccatorum liberatum beatâ immortalitate donare*; cui itidem *lib.* 4. *cap.* 3. *talem tantamque obedientiam* Lex *olim Moſaica à ſuis cultoribus exigebat, cui fides quam Chriſto adjungimus non uno loco opponitur, quippe quæ Divinam gratiam præſupponens eâ obedientiâ contenta ſit* quæ non illud *pietatis ſanctimoniæque* ſtudium importat, *quod perfectum, abſolutum, omniſque prolapſionis prorſus expers ſit!* Si enim juſtificatio ſit illius qui *ut juſtitiâ perfectâ excultus* tractatur, ſi Lex itidem juſtitiam ad id exigebat, oppoſitè ad fidē, *omnis prolapſionis prorſus expertem*, quâ conſcientia hic diſtinguit Volkelius inter juſtificationem perfectiorem, quę *ex abſolutiſſima mandatorum divinorum obedientia manat*, & minus perfectam *quæ omnibus contingebat, qui ex vi fœderis antiqui fœlicitate terrenâ potiebantur?* Igitur in genere unica tantum juſtificatio nobis proponitur in Dei verbo, quâ liberatio ab omni reatu coram Deo ſignificatur, idque vel ex operibus Legis, in ijs qui abſolutiſſimam mandatis Divinis obedientiam præſtiterint, ſi tales extarent in rerum natura, vel ex fide, gratia, ſatisfactione & merito Domini noſtri Ieſu Chriſti, pro ijs qui propter peccati conſcientiam, propriam & Legi convenientem juſtitiam coram Deo obtendere non poſſunt. Cur ergo Volkelius duplicem nobis fingit juſtificationem ex operibus, aliam poſſibilem, facilem, frequentem, ex Legis in ſenſu imperfectiori obſervatione, aliam impoſſibilem, ex operibus Legis ſenſu perfectiori ſumptæ? Cùm nec David, nec parentes Iohannis Baptiſtæ, nec Paulus, per illam Legis imperfectam obſervationem, quam illis ſupra deputabat adverſarius, juſtificati fuerint, id ipſum Apoſtolo de ſe nominatim profitente 1. Cor: IV, 4. quâ conſcientiâ audet hæreticus, neſcio quam juſtificationem exinde omnibus illis tribuere? Maneat ergo id extra dubium, vel Paulo omni exceptione majore teſte, Rom: III, 20. ideo Davidem profiteri neminem in conſpectu Dei juſtificandum eſſe, quod cum omnes peccatis plurimis ſint obnoxij, & nemo ſit qui faciat bonum quod Legis ἀκριβοδίκαιον exigit, revera ex operibus Legis nulla caro juſtificetur coram Deo. Quid opus tot diverticulis ubi mens Spiritus Sancti obvia & plana eſt?

Verum id Dei] Certum eſt nihil decedere juſtitiæ Divinæ per id quod nemo queat juſtificari ex operibus Legis: cùm id potiùs proficiſcatur ex ἀκριβείᾳ juſtitiæ Divinæ, quæ nunquam ſontem pro inſonte abſque prævia & ſufficienti ſatisfactione, quam unicus Chriſtus pro nobis præſtitit, eſt habitura. At non uno modo hic erratur à Volkelio; Primò enim valdè abſurdum eſt quod agnoſcens neminem juſtificandum ex operibus Legis in conſpectu Dei, id ſtatuat proficiſci,

non ex impoſſibilitate ſed ex difficultate tantum ſervandæ Legis. Siquidem non tantum dicit Scriptura difficile eſſe quemquam juſtificari in conſpectu Dei per opera Legis, ſed negat abſolutè quemquam eo modo juſtificatum iri: quæ abſoluta negatio, non rei duntaxat difficultatem denotat, ſed propriè dictam impoſſibilitatem. Secundò ſi non ſit grave Volkelio eam *difficultatem* ſervandæ Legis profiteri, quâ fiat ut nemo unquam ſit juſtificandus in Dei conſpectu, eo quod ex *hominum ipſorum vitio* proficiſcatur, cur nobis iraſcitur, ceu juſtitiæ Dei contumelioſis, quod quam ille *difficultatem* dicit, nos *impoſſibilitatem* ex uſu Scripturæ & rei veritate appellamus; quandoquidem illam impoſſibilitatem, non refundimus in ipſam Legem, quæ ſancta, bona, juſta eſt, ſed in vitium hominum, qui ſuo peccato Dei Legem ſibi non modò difficilem, ſed revera ita impoſſibilem fecerunt, ut non ſolum difficile ſit ſed omninò impoſſibile quemquam ex Legis operibus juſtificari? Nec venit Chriſtus ut rem nobis priùs difficilem faciliorem redderet, cùm adhuc æquè verum ſit nullam carnem juſtificari per juſtitiam Legalem, ſed ut quod impoſſibile nobis erat hac viâ, alterâ quam pandit ſuo beneficio, & poſſibile redderet & in effectum certum deduceret. Tertiò valde alienum eſt quod pertendit Davidis dictum non prohibere *quominus promiſſorum Moſaicorum homines fieri potuerint compotes.* Nam promiſſa Moſaica ſi merè legaliter conſiderentur nemo potuit adipiſci qui non ſtetiſſet conditioni ſub qua fiebant in ipſa Lege, adeoque Legem perfectè adimpleſſet; prout viceverſâ nemo potuit vitare comminationes Moſaicas legaliter conſideratas, & ſepoſitâ Dei miſericordiâ & Redemptione in Chriſto, qui non perſtitiſſet in omnibus quæ ſcripta erant in libro Legis. At quemadmodum denunciatæ maledictioni in Lege Moſaica ſe ſubduxerunt pij per Dei miſericordiam & gratiam cujus baſis eſt Chriſtus, agnus mactatus ab origine mundi, & multifariàm in veteribus ſacrificijs ſignificatus & adumbratus; ita quoque promiſſa Moſaica quæ etiam ſpiritualia fuiſſe ſuo loco oſtenſum, ſunt conſequuti fideles, non merito & dignitate operum ſuorum, multis paraſangis diſſitorum ab ea perfectione quam Lex in ſe exigebat, ſed favore, gratia & beneficio ſingulari Dei in Chriſto, qui illis jam tum in œconomia Levitica promittebatur & varijs typis præſignificabatur. Neque hìc diſputabatur an *promiſſorum Moſaicorum homines potuerint fieri compotes*, ſed an illa quæcunque fuerint, operum ſuorum merito & intuitu ob præſtitam Legi obedientiam eam quam exigebat, fuerint adepti: Sanè vel juſtificati coram Deo hæc promiſſa ſunt aſſequuti, vel illa obtinuerunt ſine juſtificatione & manentes in ſuo reatu ac obnoxij pœnæ. Si poſterius ſtatuat Volkelius incidet in multa abſurda; faciet enim homines Deo gratos, acceptos, placentes, ac ipſius promiſſa ex ſpeciali fœdere referentes, quos tamen odio habeat, averſetur, deteſtetur, & pœnæ ac reatui, quæ eſt non juſtificatorum conditio, obnoxios retineat. Si vero prius dixerit, cum non fuerint juſtificati ex operibus Legis, quod nemini poſſe unquam obtingere ipſe Propheta Regius diſertis verbis teſtatus eſt, ſupereſt eos ex fide juſtificatos hæc ipſa promiſſa retuliſſe, cùm remotâ in doctrina Apoſtoli, imò & ipſius Volkelij cujus verba paullò ante retuli, operum juſtificatione ex abſolutiſſima obſervatione Legis, non alia juſtificatio ſuperſit quam fidei.

Ex his autem facilè conſtare poteſt, quamvis religio Moſaica ſuperioribus longè perfectior fuerit; rem ipſam tamen quodammodo poſtulaſſe, ut ejuſmodi

modi colendi Dei modus ſubſequeretur, qui nobiliori ac diviniori propoſito præmio, majorem vim homines Dei ſtudio inflammandi haberet. Id quod multos Iſraëlitas, qui reliquos ingenio ſuperabant, animadvertiſſe veriſimile eſt; præſertim poſtquam illa Dei pollicitatione fuêre admoniti, (*Ierem: 31. 31.*) quâ ſeſe novum aliquando fœdus cum populo percuſſurum eſſe recepit.

1 *Ex his autem facilè*] Ex his quidem conſtare poteſt 1. Oeconomiam Religionis, quæ in rei eſſentia ſemper una eſt ſi vera ſit, prout juxta Metaphyſicos unum & verum convertuntur, perfectiorem & pleniorem fuiſſe Moſis Miniſterio quam antea, tot typis & figuris per illud additis præcedentibus ad promiſſionem Euangelicam, & tot adhibitis præceptorum moralium & cæremonialium ſtimulis, quibus homines in notitiam miſeriæ ſuæ deducerentur & ad Chriſtum ſenſim adducerentur; 2. Oeconomiæ Moſaicæ, ut pote partim duriori, ceu ubique Legis ſeveritatem intentanti & jugum prementi, partim typicæ & umbratili, aliam adhuc perfectiorem debuiſſe ſuccedere, quâ rigidiori illi tutelæ & curatelæ ſubducti, & quaſi ætatis privilegium conſequuti, omnique iſti Legis ſervituti erepti, ſub qua hæres quia infans, quamvis omnium dominus, nihil differebat à ſervo Gal: IV, 1. 2. rectà deduceremur ad thronum gratiæ, & Deum coleremus in ſpiritu & veritate Ioh: IV, 24. Interea tamen ut ſtatui non poteſt nobilius ac divinius præmium propoſitum fuiſſe per Moſem Iſraelitis, quam Noæ, Abrahamo, & alijs Patriarchis ante tempora Moſis, ſic exiſtimandum non eſt præmium ſimpliciter divinius aut nobilius nobis nunc proponi in N. T. quam olim in Veteri; licet ultrò concedam idem vitæ & beatitatis præmium, utrobique propoſitum, nobis tamen ſub N. F. offerri longè diviniori & nobiliori modo; tum quod nobis proponatur clariùs & diſtinctiùs ac quaſi exſolutum illis umbris, ſub quibus olim proponebatur abecedarijs Iſraelitis, quùm elementa debebant addiſcere prima; tum quod longè uberior & copioſior gratia unà ſuppeditetur ad illud tum proſequendum tum aſſequendum. Nec enim ipſum præmium in Euangelio propoſitum per ſe habet *majorem vim homines Dei ſtudio inflammandi*, cum ad tale incendium excitandum neutiquam ſufficiat præmium cœleſte ſolummodo *objectivè* propoſitum ſiquidem plurimi mortaliũ vivunt in diem & pluris faciunt duo jugera terræ in hac vita, quam integras opes cœli in altera; ſed inflammamur ſtudio pietatis & illius præmij, per Spiritus Sancti gratiam intus operantem, quæ longè eſt uberior & diffuſior ſub temporibus Euangelij, Rom: VIII, 15.

Id quod multos] Incertum quid ſibi velit Volkelius, an illud nobilius & divinius præmium palpaſſe eos ex Iſraelitis, *qui reliquos ingenio ſuperabant*; an illos conjectaſſe, ejuſmodi colendi Dei modum ſubſequuturum, *qui nobiliori ac diviniori propoſito præmio, majorem vim homines Dei ſtudio inflammandi haberet*. Sed 1. neutrum potuerunt Iſraelitæ percipere ſolo ingenij, quo alios ſuperarent acumine; Eò enim non pertingit acies mentis humanæ, teſte Paulo 1. Cor: 11, 9. ubi docet quod nec *oculus vidit*, nec *auris audivit*, nec *in mentem hominis venerunt, quæ paravit Deus ijs à quibus diligitur*. Non modo *veriſimile* nobis ſed certiſſimum eſt pios & ſanctos in V. T. non ingenij perſpicacitate, ſed ex revelationis lumine animadvertiſſe hæc duo; 1. Præmium fœdere Dei propoſitum nobilius & divinius eſſe terrâ Canaan, in qua revera ſe advenas & peregrinos profitebantur, patriam cœleſtem quærentes & anhe-

& anhelantes: Cùm enim ipſe Balaam optaret mori morte juſtorum Num: XXIII, 10. quis exiſtimabit ipſos juſtos & pios omnem ſuam fœlicitatem hujus vitæ cancellis coarctaſſe, nec præmium melius poſtea expectaſſe? omnium hominum miſerrimi revera futuri ſi in hac ſolum vita in Deum ſperaſſent, teſte Apoſtolo 1. Cor: XV, 19. 2. Revera affore tempus quo Deus Meſſiam promiſſum & tam multipliciter in cultu cæremoniali ſignificatum exhiberet, adeoque typis & umbris rem ſignificatam ſubſtitueret, abrogatis ſacrificijs legalibus, & vocatis omnibus populis in communionem fœderis & gratiæ, ac copioſiſſimè effuſo Spiritu Sancto in omnem carnem, cujus vi homines ad pietatis & juſtitiæ ſtudium vehementiùs inflammarentur: Quandoquidem enim hæc omnia ſatis palàm à Moſe & Prophetis dicta & prædicta fuerant, dubium non eſt quin fides piorum, quorum cordibus velum incredulitatis oppanſum non erat, revelationi Divinæ, pro ſuo modulo circa iſta commenſuraretur & attemperaretur.

Præſertim poſtquam illa] Fateor eum ordinem Deum ſervaſſe, ut quaſi per gradus & ſucceſſivè circa hæc ſpiritualia lumen Revelationis ſuæ intenderit, & Prophetas poſteriores aliquid ſemper adjeciſſe ad lumen priorum; Sed 1. Ante Novi fœderis expreſſam mentionem per Jeremiam, non obſcurè edocti fuerant Iſraelitæ in ipſis libris Moſaicis, de immortalitate animorum, reſurrectione mortuorum futura, vita meliori poſt hanc expectanda, Meſſia Redemptore appariturо, alijs gentibus ad communionem fœderis evocandis &c. unde Moſes *Oceanus Theologiæ* haud immeritò nonnemini dictus eſt; quæ pro ratione illorum temporum ſufficienter pios inſtituebant tum de natura præmij quod Deus proponebat ſub involucris bonorum terrenorum, tum de indole cultus illius typici & umbratilis, cui alter plenior & planior in manu Meſſiæ eſſet ſucceſſurus, prout per Salomonem Tabernaculo Moſis mobili & portatili, Templum auguſtum & fixum ſucceſſit Hieroſolymis. 2. Ante Jeremiam, videmus Davidem, Eſaiam & alios viros Sanctos prædicentes ea quæ ad Redemptionem noſtram per Chriſtum pertinebant, & illis promiſſionibus, revera Euangelicis, ſe ſuſtentantes & conſolantes. 3. Quod cognoverunt Iſraelitæ *ex Dei pollicitatione* ſingulari, non cenſendi ſunt animadvertiſſe ingenij ſui acumine quo alios ſuperarent. Concludimus itaque Chriſtum eundem eſſe heri, hodie & in ſæcula, eaſdemque ſalutis per ipſum promiſſiones, & in Veteri & in Novo Teſtamento obtinuiſſe, vereque dictum fuiſſe à priſcis Catholicæ Eccleſiæ Doctoribus, Novum Teſtamentum in Veteri fuiſſe velatum, & Vetus in Novo revelatum: Non proponebat Deus Iſraelitis τὰ αἰσθητὰ in benedictionibus terrenis, niſi ut illos ad τὰ νοητὰ hac ope faciliùs traduceret. Et cum negari non poſſit pios & ſanctos homines, ſub V. T. mortuos, ſalutem æternam fuiſſe conſequutos, unde Lazarus deſcribitur translatus in ſinum Abrahæ etiam ante mortem & reſurrectionem Chriſti, debuerunt utique eam conſequi per Chriſti meritum, cùm *non ſit Salus in* alio quoquam nec aliud nomen datum unquam ſub cælo per quod homines quirent ſervari Act: IV, 12. Nec potuit illis prodeſſe meritum Chriſti, niſi fide illud amplexarent; aut conferri gloria poſt hac vitam, *niſi* per fidem & gratiam in hac vita *fuiſſent* juſtificati, ſiquidem eos demum quos juſtificavit Deus, nec alios, glorificare ſolet, teſte Paulo Rom: VIII, 30. Ex fide vero juſtificari non potuiſſent, & ad Chriſti beneficium attendere, & eundem cibum ac potum ſpiritualem nobiſcum conſequi 1. Cor: X, 3.4. ſi nihil omninò revelatum illis fuiſſet in Dei verbo & fœdere de remiſſione gratuita peccatorum & vita æterna. Ac prout Chriſtus in conſummatione ſæculi pios qui vixerint ſub V. T. in

vitam

Digitized by Google

vitam revocabit & cum cœteris populi ſui membris fœlicitate æterna donabit, ſic etiam cenſendus eſt eos ſua morte redemiſſe, adeoque & cum viverent ſuâ donaſſe juſtitiâ & gratiâ quâ juſtificarentur in conſpectu Domini; Imò cum beneficia ſint amplianda & odia reſtringenda, non erat cur Sociniani à Chriſti beneficiorum communione arcerent fideles & ſanctos V. T. niſi id omninò haberent in animo crucem Chriſti evacuare, & ejus gratiam, quantum in ipſis eſt, ſupprimere. Quoad nos, meliùs edocti, ſtatuimus uni Chriſto omnium hominum, quotquot ſervati fuerint ſub Veteri & Novo Teſtamento, ſalutem in ſolidum eſſe adſcribendam, & ideo viginti quatuor Seniores, qui fidelium V. & N. T. ſimul perſonas ſuſtinent Apoc: IV, 10. deſcribi ceu procidentes coram throno gratiæ, in cujus meditullio agnus erat, & abjicientes coronas ſuas ante thronum, quod Gratiæ Dei & Beneficio Chriſti acceptam ferant omnem ſuam fœlicitatem & gloriam. Uni Deo & Trino, Patri, Filio & Spiritui Sancto, Creatori, Redemptori, Sanctificatori omnium ſuorum Electorum tam ſub Veteri Teſtamento quam ſub Novo, ſit laus honos & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Digitized by Google

ELENCHUS LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,

qui in hoc libro[*quoad duos priores libros Volkeliani ſyſtematis*]vel integri explicantur, vel in parte aliqua illuſtrantur[*ſive potius corrumpuntur & depravantur.*]

NB. In hoc & ſequenti elencho lit: [a] *numeris poſtpoſita, libri primi paginas denotat.* [Illæ vero ad textum Crellio-Volkelianum in margine annotantur.].

Geneſeos.

Cap:	verſic:	pag:
1	1,2	6.
2	17	336, a.
6	5,6	319, a.
	6,7	202, 209, a.
	6,8	322, 323, a.
	19	71, a.
14	22	71, 167, a.
15	9 & d.	256, 259, a.
	16	333, a.
17	1	17.
	8	121, 122, a.
18	13 & d.	80, a.
	14	148, a.
	19	113, a.
	21	209, a.
	23 & d.	186, 187, a.
20	3 & d.	264, a.
21	33	121, a.
22	1	178, 250, 251, a.
	12	209, a.
	14	84, a.
	18	250, a.
24	3,7	71, a.
	27	263, a.
	49	*ibid.*
25	23	173, a.
33	20	84, a.
48	4	121, 122, 169, a.
	26	121, 122, a.

Exod.

Cap:	verſic:	pag:
1	19	248, a.
2	7 & d.	250, 251, a.
3	2	80, a.
	13 & d.	76, 77, a.
	14	84, a.
	21,22	168, a.
6	2, & d.	78, 79, a.
	3	89, a. 17.
	6	168, a.
7	1	71, a.
11	2,3	168, a.
12	35,36	*ibid.*
15	11	70, a.
	13	168, a.
16	4	209, a.
17	15	84, a.
20	3, & d.	73, 115, 116, a.
	5	311, 312, a.
	5,6	287, 288, a.
	6	246, a.
21	6	71, a.
22	8,9	71, a
	27	280, a.
	28	71, a.
23	20, 21	80, a.
25	22	21.
28	3	158, a.
30	6	21.
31	6	193, a.
32	10, 14	265, a.
33	19	173, 308, a.
34	6	280, 281, a.
	6,7	288, a.
36	1, 2, 3.	193, a.

Levit.

Cap:	verſic:	pag:
6	20	121, 122, a.
10	1, & d.	291, a.
11	44,45	225, a.
19	2	225, a.
20	3,25	225, a.
21	8	*ibid.*

Digitized by Google

Cap:	verſic:	pag:
25	34,46	121, 122, a.

Numer.

Cap:	verſic:	pag:
10	35, 36	83, a.
14	22	274, a.
	30	333, a.
23	19, 20	263, a.
25	11	311, a.
28	3, 10, 15.	121, 122, a.
29	6, 2, &c.	*ibid.*

Deuteron.

Cap:	verſic:	pag:
1	13, 15	193, a.
4	24	289, 311, a.
5	7	73, 115, 116, a.
	9	311, 312, a.
	9, 10	287, 288, a.
	29	315, 316, a.
6	4, 5	117, 118, a.
	11	311, a.
7	8	168, a.
	10	290, a.
	21	272, a.
8	2	209, a.
9	26	168, a,
10	14	167, a.
	17	72, 166, 244, 245, 272, a.
13	1 & d.	259, a.
	5	168, a.
21	8	168, a.
28	63	317, a.
29	20	311, a.
30	9	317, a.
31	16, 20	213, 214, a.
	27	211, 212, a.
32	21	311, a.
	26, 21	324, a.
	29	316, a.
	30	168, a.
34	9	193, a.

Joſuæ.

Cap:	verſic:	pag:
7	12	274, a.
24	19	225, 311, a.

Judic.

Cap:	verſic:	pag:
2	14	168, a.
	21, 22	210, a.
3	4	*ibid.*
	5	168, a.
4	2	*ibid.*
6	24	84, a.

1. Samuel.

Cap:	verſic:	pag:
2	3	193, a.
	25	328, a.
12	7	228, a.
15	11	209, 323, a.
	29	264, 322, a.
16	1 & *ſeqq.*	257, a.
	7	245, a.
	13 & d.	153, a.
18	13	71, a.
19	14, 17.	248, a.
20	6, 28, 29	248, a.
21	8	*ibid.*
23	11	214, a.
26	15	274, a.

2. Samuel.

Cap:	verſic:	pag:
7	23	168, a.
11	27	320, a.
12	13 & d.	180, a.
	14 & d.	185, 291, a.
14	13 & d.	186, a.

3 Regum.

Cap:	verſic:	pag:
2	6, 2	193, a.
5	11	193, a.
8	17	275, 276, a.
	20	38, 257, a.
	61	327, a.

4 Regum.

Cap:	verſic:	pag:
5	16	276, a.

Cap:	verſic:	pag:
8	1	157, a.
20	1 & d.	264, a.

1. Paralip.

16	34	280, a.
21	7	320, a.

2. Paral.

6	41	83, a.
7	3	280, a.
25	5	274, a.

Eſdr.

3	11	280, a.

Nehem.

1	5	272, 273, a.
4	14	*ibid.*
9	8	241, a.
	17	280, a.
	32	273, a.
	33	227, 262, a.

Job.

5	12, 13	222, a.
11	7,8,9	273, a.
26	13	158, a.

Pſalm.

1	6	179, a.
2	4	222, 319, a.
4	1	71, a.
5	7	302, a.
	9	228, a.
8	5	293, a.
	6	71, a.
10	1	274, a.

Cap:	verſic:	pag:
11	5	302, a.
	8	228, a.
12	1 & d.	261, a.
13	2	197, a.
14	3	35.
18	20	299, a.
	26 & d.	258, a.
19	10	362, a.
22	1	274, a.
	9	299, a.
	12	274, a.
	32	228, a.
24	7, 8	83, a.
25	6	284, a.
	7 & d.	280, a.
	8	227, a.
	10	263, a.
30	6	312, 313, a.
31	2	228, a.
33	1	171, a.
	6	156, a.
	11	327, a.
	15	194, a.
34	9	280, a.
35	22	274, a.
36	6	263, 282, a.
	7 & d.	228, 282, 283, a.
	9	281, a.
	11	228, a.
38	22	274, a.
40	7	300, a.
	9	137, 328, a.
	10, 11	228, a.
	11, 12	263, a
	12	299, a.
42	13	197, a.
45	8	72, a.
47	3	272, 273, a.
	6	83, a.
48	11	228, a.
50	1	72, a.
	15	172, a.
	23	172, a.
51	16	128, a.
	18	300, a. 22.

Digitized by Google

Cap:	verſic:	pag:
53	4	35.
57	4, 11	263, a.
61	8	263, a.
68	2	83, a.
69	28	228, a.
71	2	*ibid.*
	15, 16	228, a.
	19	*ibid.*
	22	225, a.
	24	228, a.
77	16	168, a.
78	40	319, 320, a.
	41	168, a.
	56	320, a.
79	1, 5	311, a.
82	1, 6	168, a,
84	12	263, a.
85	11	*ibid.*
86	15	280, 281, a.
88	13	228, a.
89	7	70, a.
	8	272, 273, a.
	12	167, a.
	19	225, a.
	34	263, a.
90	4	124, 129, 131, a.
92	16	227, a.
93	1	176, a.
94	1	289, a.
95	11	351, a.
97	1	176, a.
	7	71, a.
99	1	176, a.
	3	225, a.
103	8	280, 281, a.
	17	284, a.
	21	137, 138, a.
	27	130, a.
104	4	2.
	31	171, 318, a.
105	8	197, a.
	16	157, a.
	42	197, a.
106	1	280, 284, a.
	10	168, a.

Cap:	verſic:	pag:
	33	320, a.
	45	197, 320, 322, a.
107	1	280, 284, a
	20	337, a.
109	14, 15	197, a.
110	4	322, a.
111	9	225, a.
112	9	228, a.
115	3	*ibid.* 332, a.
	30	147, 155, a.
118	1	280, 284, a.
	29	284, a.
119	26	262, a:
	142, 151	262, a.
127	1, 2	11.
132	8	83, a.
136	5	134, a.
139	1 & d.	195, 196, a.
	7 & d.	275, a.
143	2	35.
	10	137, 158, a.
	16	328, a.
145	3 & d.	273, a.
	7	228, a.
	8	281, a.
	9	280, 281, 313, a.
147	15, 18	337, a.
150	2	273, a.

Proverb.

1	20 *& d.*	218, a.
8	22 *& d.*	116, a.
11	20	300, a.
15	8	309, a.
	11	221, a.
16	4.	170, 172, a.
	7	300, a.
19	21	327, a.
21	27	309, a.
	30	222, a.
25	1	345, a.
28	29	309, a.

Eccleſiaſt.

Cap:	verſic:	pag:
11	3	77, a.

Sapient.

Cap:	verſic:	pag:
10	1	336, a.
11	18	6.
14	9	302, a.

Syracid.

Cap:	verſic:	pag:
15	11 & d.	232, a.
24	12, 14	
	32, 33	216, 217, a.
43	31	273, a.

Eſaiæ.

Cap:	verſic:	pag:
1	4	225, a.
	13	309, a.
	14	*ibid.* 319, a.
	24	317, a.
3	8	320, a.
5	2	316, 317, a.
	4, 7	209, 316, 317, a.
	19	225, a.
	24	225, a.
6	3	*ibid.*
7	14	87, a.
8	8	84, a.
9	6	70, a, 452.
10	20	225, a.
11	2	158, a.
12	6	225, a.
14	26, 27	327, a.
	27	332, a.
17	7	325, a.
19	17	327, a.
24	23	176, a.
27	21	287, a.
29	13	171, a.
	14	219, a.
	15, 16	195, a
	19, 23	225, a.
38	1 & d.	264, a.
40	28	121, a.
41	4	123, a.
	22 & d.	212, a.
42	1	303, a.
44	6 & d.	123, a.
	7 & d.	212, a.
	28	137, 138, a.
45	9, 10	173, 175, 176, a.
46	10	137, 147, 328, 332, a.
48	3 & d.	222, a.
	12	123, a.
	14	328, a.
52	7	176, a.
53	10	137, 174, 308, a.
55	11	156, 157, 328, a.
57	6	320, a.
59	15	*ibid.*
62	4	84, a.
	5	318, a.
65	19	318, a.
66	1	276, a.

Jerem.

Cap:	verſic:	pag:
1	5	334, 335, a.
2	4	28, 322, a.
10	10	132, a.
12	1	227, a.
18	6 & d.	175, 176, a.
	8, 10	322, a.
	16	*ibid.*
23	5, 6	85, *ſeqq.* a.
	20	327, a.
20	23, 24	275, a.
26	3, 13, 19	322, a.
31	20	306, a.
	34	197, a.
32	17	148, a.
	19	272, a.
	27	148, a.
	41	318, a.
33	15, 16	85 *ſeqq.* a.
34	18, 19	256, a.
51	56	289, a.

Ezechiel.

Cap:	verſic:	pag:
5	13	317, a.
	33	311, a.
8	3, 5	312, a.

Digitized by Google

Cap:	verſic:	pag:
18	22	197.a.
	23	316,a.
	24	197,a.
	32	316,a.
	39	225,a.
24	14	322,a.
33	11	254,316,a.
	13	197,a.
36	5	311,a.
	20,& d.	225,a.
38	19	311,a.
ult.	*ult.*	84,a.

Daniel.

4	32	173,a.
9	4	272,273,a.
	7,14	227,a.
11	36	70,a.
13	42	213,a.

Oſeæ.

1	6	197,a.
4	6	*ibid.*
6	6	300,a.

Ioel.

2	13	281,a.

Amos.

2	2,3	197,a.
3	7	345,a.

Ionæ.

3	4,10	264,a.
4	2	281,a.

Michææ.

4	7	176,a.
5	4	72,a.

Nahum.

1	1,2	311,a.
	2.& d.	288,a.
	7	197,a.

Habac.

1	12	225,a.

Cap:	verſic:	pag:

Sophon.

1	18	311,a.
3	5	227,a.
	8	311,a.

Zachar.

4	6	158,a.
	10	214,215,a.
8	6	148,a.
12	10	158,a.443.

Malach.

1	4	312,313,a.
	6	188,189,a.
3	1	81,82,a.
	6	264,a.

2. Maccab.

7	28	5,6.

Matthæi.

3	9	157,a.
	17	299,303,a.
6	4	276,a.
	6	276,a.
	10	137,a.
	13	190,a.
	18	276,a.
7	21	137,328,a.
10	26	220,a.
	28	160,a.
	29	196,a.
	30	196,a.
11	21 & d.	214,a.
	25	71,167,a.
12	18	299,303,a.
	28	158,a.
	50	328,a.
15	8	171,a.
17	5	299,303,a.
18	14	137,a.
	17	97,a.
19	17	134,a.
	26	33.

Digitized by Google

Cap:	*verſic:*	*pag:*
	23	158, a.
23	36	333, a.
	37	316, a.
24	25, 26	259, a.
25	12	198, a.
26	18	100, a.
	24	165, a.
	31 *& d.*	234, 235, a.
	39	148, a.
	42	328, a.
27	43	299, a.
	46	274, a.

Marci.

6	48	257, a.
14	36, 37	148, a.
16	16	180, a.

Lucæ.

1	17	158, a.
	35	158, a.
	37	147, a.
	49	68, 225, a.
	72	197, a.
	78	306, a.
2	14	299, a.
6	36	280, a.
7	30	327, 323, a.
12	4, 5	160, a.
	12	158, a.
13	34	333, a.
16	9	191, a.
	12	168, a.
24	27	257, a.
	49	158, a.

Johannis.

Cap:	*verſic:*	*pag:*
1	1	101, a.
3	36	180, 310, 331, a.
	37	331, a.
4	24	107, 108, a.
	34	328, a.
5	26	132, a.
	30	328, a.
6	29	132, a.
	38	328, a.
	39	*ibid.*
	40	328, a.
	57	133, a.
	69	475, a.
7	17	328, a.
8	29	304, a.
9	31	328, a.
10	28	332, a.
	30	175, a.
	33	94 *ſeqq.* a.
	34	71, 94. *ſeqq.* a.
	35	71, a.
11	28	100, a.
12	31	91, a.
13	18	232, a.
	31	100, a.
14	26	158, a.
	30	91, a.
16	11	91, a.
17	5	340, a.
	12	232, a.
	24	317, 340, a.
20	17	72, a.
	28	100, 101, a.

Actorum.

2	4	158, a.
	23	232, a.
4	28	327, 328, a.
7	10	158, a.
	35	80, a.
10	4	197, a.
	34, 35	245, a.
	38	158, a.
14	14	133, a.
16	3	257, a.
17	24	71, 167, a.
	27, 28	276, a.
	31	243, a.
20	27	327, a.
21	20 *& d.*	257, a.
22	14	328 a.

Digitized by Google

Locorum ſacræ ſcripturæ.

Roman.

Cap:	verſic:	pag:
1	5	306, a.
	18	310, a.
	20	121, a.
	24, 25, 26	233, a.
	32	229, a.
2	4	284, a.
	6, 7	243, a.
	8	310, a.
	9, 10	247, a.
	26, 27	301, a.
3	3 *& d.*	241, 262, a.
	5	310, a.
	28	119, a.
	30	301, a.
4	5	305, a.
	9	301, a.
	17	157, a.
	21	148, a.
5	9	310, a.
	13	182, a.
8	26	158, 221, a.
	27	158, a.
	28, 29	328, a.
	30	328, a.
9	3	144, a.
	10	173, a.
	11	237, 240, 328, a.
	12 *& d.*	237, 240, a.
	15	308, a.
	19	328, 332, a.
	20	173, 175, 176, 237, 240, a.
	21	173, 175, 176, 237, 240, a.
	22	308, 328, a.
11	2	197, 328, a.
	22	286, a.
	23	148, a.
	29	264, 322, a.
	36	170, a.
12	3	306, a.
13	5	310, a.
14	4	148, a.
	22	257, a.
15	8	262, 263, 301, a.
	15	306, a.
16	25	148, 344, a.
	26	121, 192, 193, 344, a.
	27	134, 192, 193, a.

1. Corinth.

Cap:	verſic:	pag:
1	1	328, a.
	8	241, a.
	18	219, 223, a.
	19, 20	219, 223, a.
	21	192, 222, a.
	22	222, a.
	23	222, a.
	24	193, a.
2	4, 5	158, a
	6	219, a.
	7	219, 328, 340, a.
	8	219, a.
	10	158, a.
3	18	219, a.
	23	168, a.
4	17	211, a.
6	19	171, 172, a.
	20	168, 169, 171, 172, a.
8	3	197, a.
	5	91, *ſeqq.* a.
	6	*ibid.* 104, 170, a. 419.
	7	91, *ſeqq.* a.
9	2 *& d.*	257, a.
10	13	241, a.
	25, 26	191, a.
11	3	72, a.
	31, 32,	291, a.
12	5, 6	104, a.
	11	158, a.
14	14	158, a.
15	28	174, a.
	51	344, a.
	58	132, a.

2. Corinth.

Cap:	verſic:	pag:
1	3	306, a.

Cap:	verſic:	pag:
4	4	91, 2.
	10	131, 2.
5	*ult.*	301, 2.
6	1	306, 2.
	8	306, 148, 2.

Galat.

1	15, 16	333, *ſeqq.* 2.
3	24, 25	266, 2.
4	1 *& d.*	266, 2.
5	10	212, 2.
	21	331, 332, 2.
	22	331, 332, 2.

Epheſ.

1	4	340, 2.
	5	328, 2.
	6	171, 303, 340, 2.
	9	328, 344, 2.
	11	327, 328, 2.
	12	171, 2.
	14	171, 2.
	17	72, 2.
2	15	177, 327, 2.
3	5	344, 2.
	7	158, 2.
	8, 9	343, 2.
	10	193, 218, 343, 2.
	11	328, 2.
	20	147, 148, 158, 2.
4	5	104, 119, 2.
	6	119, 2.
	7	306, 2.
5	6	310, 2.

Philip.

3	19	91, 2.
4	3	221, 2.

Coloſſ.

1	9	328, 2.
	13	303, 2.
	26	344, 2.
	27	344, 328, 2.
	28	344, 2.
2	5	276, 2.

Cap:	verſic:	pag:
	8	81, 2.
	9	81, 2.
	14	177, 327, 2.

1. Theſſal.

1	10	310, 2.
2	16	310, 2.
5	24	241, 2.

2. Theſſal.

1	5, 6	243, 2.
	10	132, 2.
2	8	156, 2.
	9	259, 2.

1. Timoth.

1	2	307, 2.
	11	269, 2.
	12, 13	334, 335, 2.
	17	175, 192, 2.
2	4	119, 316, 2.
	5	119, 2.
3	16	343, 2.
4	10	133, 2.
6	15	166, 173, 269, 2.
	16	223, 224, 134, 2. 3.
	17	133, 2.

2. Timoth.

1	7	158, 2.
	9	328, 340, 2.
	12	148, 2.
2	2	307, 2.
	19	197, 2.

Tit.

1	4	307, 2.
3	4	281, 282, 2.

Philemon.

	21	212, 2.

Hebr.

1	7	8.
	9	72, 2.
2	8	166, 2.

Digitized by Google

Cap:	verſic:	pag:
	11	170, a.
	18	148, a.
4	12, 13	337, 338, a.
6	9	242, a.
	10	242, a.
	13 & d.	254, a.
	17	158, 327, a.
	18	151, a.
	19	*ibid.* 331, a.
8	6	82, a.
10	31	160, a.
	36	328, a.
11	3	6.
	6	2, 300, a.
12	24	82, a.
	ult.	289, a.
13	2	80, a.
	21	328, a.

Iacob.

1	17	226, a.
4	12	177, a.

1. Petr.

1	2	318, a.
	15, 16	225, a.
2	9	227, a.
	10	308, a.
3	17	328, a.
	20	317, a.
5	10	306, a.

2. Petr.

3	8	124, 129, 131, a.
	9	316, a.

1. Iohann.

1	3	238, a.
	5, 6	225, 226, 238, 302, a.
	7	225, 226, 238, a.

Cap:	verſic:	pag:
	9	241, a.
2	17	318, a.
3	3	225, a.
	20	194, a.
4	8	226, a.

2. Iohann.

	3	307, a.

Iudæ.

	4	105, a.
	21	302, a.
	24	148, a.
	25	134, a.
	ult.	192, a.

Apocal.

1	4	128, 215, a.
	8	123, 128, a.
2	23	97, a.
3	1	215, a.
	5	221, a.
	12	72, a.
	14	302, a.
4	2	128, a.
	5	214, 215, a.
	8	225, a.
	11	156, 328, a.
5	3	344, a.
	6	214, 215, a.
	9	168, 169, a.
11	15	176, a.
	17	128, a.
12	10	176, a.
14	4	168, 169, a.
15	3	262, a.
16	5	128, a.
	7	262, a.
	19	197, a.
20	12	221, a.
21	6	123, a.
	27	221, a.
22	19	221, a.

Digitized by Google

ELENCHUS RERUM PRÆCIPUARUM,

quæ in hoc libro [*ſive potius in duobus prioribus libris ſyſtematis Sociniani*] tractantur.

A.

Abnegatio Petri *non prorſus abſolutè à Deo decreta*, 235, *a.* *ejuſdem cauſſæ* 334, 335, *a.*

Abrahamus *amicus Dei in ſacris literis appellatus*, 238, *a* 18. *à Deo ex hominibus ſingulariter delectus* 16. *mactatio Iſaaci quomodo eidem mandata* 250, *a.*

Abſtractum *pro concreto ponitur interdum ſine emphaſi* 301, *a.* *interdum cum ea* 302, *a.*

Abſurdiſſima *etiam à Philoſophis veteribus defenſa*, 50, *a.*

Accidens *quid*, 348, *a.* *nititur eo quod per ſe eſt*, 23. *a.* *an Deo tribui poſſit*, 340, *a.* *an compoſitionem inferat*, ib.

Actio *contemplationi quatenus præferenda*, 270, *a.* *ad actiones rectè inſtituendas quid neceſſarium*, 218, *a.* *quænam à Deo removendæ*, *a.* *divinarum rectitudo unde pendeat*, 227, *a.* *quotuplices illæ ſint*, 131, *a.*

Activa *verba paſſionem interdum revera ſignificant*, 44, *a.*

Adeſſe *rebus quomodo dicatur Deus* 274, *a.* *quibus item hominibus & quomodo*, ibid.

Adon *in plurali ſignificationem ſæpè ſingularem habet*, 72, 74, *a.* *quomodo ad Deum ſignificandum adhibeatur cùm in ſingulari, tùm in plurali*, 73, *a.*

Adonai *quomodo interpretes reddant*, 73, *a.* *quid propriè ſignificet*, ibid. *cur affixa non patiatur, nec alia nomina regat*, 73, 74, *a.* *quale nomen ſit*, 74, *a.* *quomodo Deo tribuatur*, ibid. *quando angelis*, ibid. *non uſurpatur, cum homo hominem alloquitur*, ibid. *aliter ſcribitur, de hominibus uſurpatum*, ibid.

Æquitas Dei *quid* 242, *a.* *quanta ſit* ibid. *ejus partes & effectus* ibid. *Æquitatem ſententiæ divinæ non ſatis capientibus quid faciendum* 268, *a.*

Ætheris *liquidi, quale cœlum eſſe nonnulli ſtatuunt, quis uſus*. 15, *a.*

ab Æterno *non ſunt, quæ à libera* Dei *voluntate pendent*, 126, *a.*

Æternitas *quid* 120, *a.* *definitio ejuſdem Boëthiana examinatur*, 127, *a.* *æternitatis fundamentum*, 164, *a.* *ratio noſtra eam emetiri nequit*, 128, *a.* *ejus diſtinctio*, 120, *a.*

Æterni *vox non ſemper infinitam durationem ſignificat*, 121, *a.* *æternitas quænam pertectiſſima*, 120, *a.* *attributis Dei quo cum diſcrimine tribuatur*, 129, *a.* *Æternitas Dei probatur*, 120, ſeqq. *a.* *ejuſdem ratio*, *ibid.* *tota in puncto non conſiſtet*, 127. & ſeqq. *a.* *ejus partes quomodo in ſac. literis exprimantur*: 122, & ſeqq. *a.* *quomodo ea, quæ à parte ante* 126, *a.* *quatenus potiſſimùm conſideranda, quæ à parte pòſt, cur ſæpiùs ac pleniùs in ſac. literis expreſſa*, 130, *a.* *Cur utramque credere ſit neceſſe* 125, 130, *a.* *Æternitas angelorum ac piorum hominum qualis*, 120, 121, *a.* *ab æterno homines atque animalia non extitiſſe, contra Peripateticos demonſtratur*, 26, *a.*

Affectus *quid* 197, *a.* *quotuplices* ibid. *unde oriantur*, ibid. *quomodo Deo tribuantur*, 107, *a.* *iis analogum quid in Deo ſtatuere cur neceſſe*, 321, *a.* *divinorum natura ex humanis aliquo modo æſtimari poteſt*, 297, *a.* *quid ſint* 295, 297, 298, *a.* *nonnulli prorſus neceſſarii*, ibid. 295. *eorum diſcrimen ab humanis*, 297, *a.* *quomodo inter ſe differant*, 298, *a.* *eorum diſtinctio reſpectu objectorum* 310, *a.* *nonnulli rariùs Deo apertè tribuuntur*, 319, *a.*

Affectuum & decretorum divinorum ſimilitudo, & differentia, 295, ſeqq. *a.* *illorum vis decretis tolli poteſt*, 295, *a.*

Afflictio *latiùs patet quam pœna, & jus illius, quàm hujus*, 240, *a.* *afflictionum uſus* 12. *innocentum afflictiones quem uſum habeant*, 187, *a.*

A 7 abdo

Digitized by Google

Αγαθὸν & τὸ ἀγαθὸν *ut differant*, 98, *a.*

Agentia *libera diutiùs in agendo moleſtiam ſentire, in univerſum verum non eſt*, 45, *a. agens voluntarium non eſt, quod non habeat jus aliquod agendi, vel non agendi*, 161, *a.*

Altiſſimus *pro* Deo 68, *a.*

Amare *quid*, 299, *a.*

Amor *alios quoſdam affectus complectitur*, 298, *a. quosnam affectus ex ſe pariat*, 299, *a. quivis amor gratia non eſt*, 305, *a. meritis etiam conciliari poteſt*, ibid. *vis ejus & natura*, 299, 300, *a. nominatim ejus, qui eſt erga perſonas*, 302, *a. amor pietatis, Dei amorem provocat aliique*, 314, *a. amor ſummus pluribus non ſubordinatis tribui nequit*, 118, *a.*

Amor Dei *cur tam crebrò in ſacris literis commemoretur*, 293, *a. qualem amorem creberrimè deſignet*, 299, 590, *a. primò ac præcipuè in ipſum fertur*, 299, *a. amoris Dei erga ſeipſum effecta*, ibid. *amor Dei quo diſcrimine in res ac perſonas feratur*, 300, *a. quibus nominibus amor Dei erga res extra ipſum poſitas in ſac. literis exprimatur*, 299, *a. Amoris Dei erga homines & angelos diverſitas*, 303, *a. Amor Dei erga impios qualis*, 302, *a. Amoris Dei varietas reſpectu graduum*, 302, 303, *a. varietatis iſtius cauſſa*, 303, *a. Quinam liberæ voluntatis ejus effectus*, 301, *a. ejus oppoſitum*, 302, *a. Amor recti Deo naturalis*, 314, *a. odio pravi in eo par eſt*, 313, *a. Amor Dei Zeli nomine deſignatus quis* 312, *a. Amor Dei de religione tractantibus quinam inprimis conſiderandus* 299, *a.*

Angelus *quid ſignificet*, 4. *ii à Deo creati*, 1, 2, 3. *quando* 126, *a.* 3. *quales creati*, 3, 4. *in quem finem*, 4. *ſpiritus ſunt*, 3, 4. *eorum creatio creatione lucis non continetur*, 3. *Lucis nomine nuſpiam intelliguntur*, ib. *tum mali, tum boni, exiſtentiæ Dei argumentum*, 56. ſeqq. *a. quomodo Dei perſonam aſſumſerint, & nomen uſurparint*, 79, *a. Elohim cur dicantur*, 71, *a. filii Dei in ſac. literis dicuntur*, 4. *gradus eorum*, 187, *a.* 5. *hominibus quatenus amore apud Deum antiſtent*, 303, *a. immortalitas eorum qualis*, 4. *unde*, 3. *libera voluntate ſunt præditi*, 4. *mali omnes non ſunt*, 58, *a. malorum peccatum*, 5. *pœna*, 4, 5. *Angeli ad quos & quo fine mittantur*, 4. *nomen eorum ſimpliciter poſitum de malis angelis vix uſurpatur*, 57, *a. operâ eorum Deus uſus eſt, in promulgandis, ſanciendis atque adminiſtrandis legibus*, 187, *a. Angelus is, qui legem olim promulgavit, Chriſtus non fuit*. 81, *a. impios affligunt, puniunt*, 4. *angeli à Deo, ſi vellet, perdi poſſent*, 4.

Animæ *vegetativæ vis quæ & cur brutis data* 171, *a.*

Animalia *ab æterno exiſtere non potuerunt* 25, ſeqq. *a. eorum utilitas reſpectu hominum* 18, 19, *a. quænam ex putredine fiant* 27, *a.*

Annus *Iubilæus quando à Iudæis celebratus*, 27, *quid in eo fieri Deus voluerit*, ibid. *quomodo indictus*. ibid. *annus Sabbathi quando celebratus*, 27. *quid in eo faciendum fuerit*, ibid.

Appetitus *quid, ac quotuplex*, 17, 18, *a. cur animalibus datus*, 17, 18, *a.*

Arbitrii *natura* 43, 62, *a. in libertate conſiſtit*, 139, *a. ſervum ſine contradictione non dicitur*, 139, *a.*

Arbitrium Dei *quàm latè extendendum*, 165, *a.*

Arcæ fœderis *Iehovæ nomen an tributum*, 83, *a. ſurgere, aſcendere, ingredi quomodo dicatur*, 83, *a.*

Argumenta *quibus religio nititur, qualia eſſe conveniat*, 67, *a.*

Ariſtotelis *ſententia de rerum à primo ente dependentia refellitur*, 28. & ſeqq. *a. Deo is adimit libertatem atque arbitrium* 112, 140, *a. quomodo idem probet unitatem Dei*, 112, *a. teſtimonium ejus de neceſſitate religionis in repub.* 53, *a.*

Ars *in quibus cernatur*, 193, *a. Artes infinities inventas & rurſus oblivioni traditas eſſe, Peripateticorum commentum*, 27, *a.*

Digitized by Google

Articuli *vis atque uſus diverſus*, 97, & d. *a.* *nominibus propriis cur non addatur*, 97, 103, *a.* *Voci naturâ ſuâ generali præpoſitus quam vim habeat*, 97, *a.* *qualem participiis*, ibid. *Vis articuli quando infringatur*, 99, *a.* *quot modis reſtringat*, 97, 98, *a.* *voci* θεὸς *præpoſitus quam vim habeat*, 98, *a.* *eidem voci cum adjectione poſitæ interdum præfigitur, ubi ſummum illum Deum ſignificat*, 99, *a.* *quando voci* κύριος *additus aut detractus Deum aut Chriſtum deſignet*, 103, 104, *a.* *interdum pro adverbio vocandi* ὦ *ponitur*, 100, *a.*

Aſcendere *in memoriam ante Deum quid.* 197, *a.*

Aſperſio ſanguinis *quale ſignum*, 266, *a.*

Aſtra *adorare quàm ſtultum*, 63, *a.* *à Deo prohibitum*, 90, *a.* *ab Ethnicis & Iſraelitis aliquando culta* ibid. *eorum finis & utilitas* 14, 35, *a.* *humana omnia eorum vi non gubernantur.* 64, *a.*

Athei *ipſi ſententiam de exiſtentia Dei utilem cenſent*, 49, *a.*

Atheiſmi *cauſæ* 51, *a.* *effecta*, 55, *a.*

Attributa Dei *quæ* 1, *a.* *eorum diſtinctio*, 109, 110, 131, 153, 192, *a.* *naturalia quomodo diſcernantur à ſe invicem*, 110, *a.* *his nihil in Deo contrarium*, 313, *a.*

B.

Baalim *plurale de una perſona*, 72, *a.*

Baptiſmus Johannis *quale ſignum fuerit*, 259, *a.*

Beatitudo *quid ſit*, 269, 270, *a.* *in ſolam naturam intelligentem cadit*, 269, *a.*

Beatitudo Dei *unde probetur*, 269, 270, *a.* *neceſſaria eſt*, 141, *a.* *unde pendeat*, 192, *a.* *qua in re conſiſtat*, 270, 271, *a.* *quænam eidem obſtare videantur, reipſa autem non obſtent*, 270, 171, 321, *a.* *doctrinæ de ea uſus*, 271, 272, *a.*

Beneficentia *vera quænam*, 281, *a.* *cur libenter exercenda*, 191, *a.* *juſtitia in Scripturis appellatur*, 245, *a.* *ad juſtitiæ normam ſe accommodat*, ibid. *in malis commeritis avertendis occupata ut appelletur*, 284, *a.*

Beneficentia Dei *vid.* *Benignitas.*

Beneficii *quæ ſint capacia*, 301, *a.* *beneficium ſemper eſt quod ex gratia provenit, non ſemper quod ex amore* 305, *a.* *beneficium alicui collaturus non ſemper neceſſe habet ad cauſam aliquam extra ſe reſpicere*, 245, *a.* *quænam illi maximè reſpicienda* 245, *a.*

Beneficiorum *divinorum multitudo*, 282, *a.* *magnitudo unde æſtimanda*, 190, *a.* *à minoribus ad majora quando Deus progrediatur*, 284, *a.* *majoribus affecti, ſi peccent, cur graviùs puniantur*, 292, *a.* *minoribus affecti interdum illis opponuntur, quibus miſericordia exhibetur*, 308, *a.*

Benignitas Dei *quale ejus attributum*, 279, *a.* *quibus nominibus appelletur in ſacris literis*, 280, *a.* *cur charitatis, gratiæ, miſericordiæ, nomina ſortiatur*, 296, *a.* *quàm latè extendatur*, 281, *a.* *Deo ſimpliciter naturalis non eſt* ibid. *major eſt ſub N. quàm ſub veteri fœdere*, 283, 282, *a.* *ejus effecta, pro diverſitate objectorum ac temporum, gradibus diſtincta*, 283, *a.* *in homines quæ ſit*, 281, *ſeqq. a.* *quo nomine ſpeciatim deſignetur*, 281, *a.* *etiam in malos exercetur*, 282, *a.* *reſpectu ejuſdem hominis diverſo tempore diverſa*, 284, *a.* *major erga pios quàm impios*, 283, *a.* *major item erga eos qui majori ſtudio pietatem colunt*, 283, *a.* 24. *ejus æternitas*, 284, *a.* *nominatim reſpectu piorum* ibid. *cur tam crebra ejus in ſacris literis mentio* 293, *a.* *cognitio ejus quas utilitates adferat.* ibid. & ſeqq. *ea nobis imitanda* 294, *a.* *ad licentiam peccandi non trahenda*, ib.

Bonorum *divinorum quanta copia* 179, *a.* *alia gratiæ, alia naturæ dicuntur*, 305, *a.* *eorum, quæ poſſidemus, tantùm diſpenſatores ſumus*, 168, *a.*

Bono publico *maximè conſentaneum, reſipiſcentibus patere ſpem veniæ*, 183, *a.*

Bonum *cognitum per ſe ſtatim amatur*, 138, 300, *a.* *minus præ majori cur interdum*

eligat

Digitized by Google

eligat voluntas, 141, *a.* quod ab altero nimium ſuperari intelligitur, voluntas non eligit, ibid. bonum totius univerſi ad gloriam Dei tendere debet, 183, *a.*
Bonis cur malè in hac vita eſſe videatur, 67, *a.* 12.
Bonitatis Dei *nomine quid ſacræ literæ denotent*, 279, *a.* *quotuplex ſit*, 227, *a.*
Bruta *cur non tam imbecilla, ut homo in lucem prodeant*, 21, *a.*

C.

Cæde *abſtinendum eſſe ante diluvium unde conſtiterit*, 14.
Cæſalpini *error de generatione hominis ex putredine*, 26, 27, *a.* de rerum à primo ente dependentia, 28. *a.*
Caloris *fons unus mundo ſufficit*, 12, *a.*
Calumniis *quæ ſolatia opponenda*, 220, *a.*
Caſtigationes *divinæ ab amore proficiſcuntur*, 291, *a.* *ſæpè plus clementiæ, quam ſeveritatis habent*, ibid.
Caſus *quid*, 23, *a.* *ſemper cœcus eſt*, ibid. *in quibus locum habeat*, 36, *a.* *caſu nihil niſi à cauſſa aliqua efficiente fit*, 23, *a.*
Cauſſa *eadem eodem modo ſe habens idem per ſe efficit*, 33, *a.* *impulſivæ ſæpè ſunt tantùm cauſſæ per accidens*, 41, *a.* *cauſſa per accidens ſemper nititur aliquâ per ſe*, 23, *a.* *per ſe agentium non datur progreſſus in infinitum*, 3, 7, 26, *a.* 2. *neceſſariò agunt, quæ ſimul ac exiſtunt agunt*, 127, *a.*
Ceremoniæ *quatenus olim Deo placuerint*, 109, *a.* *legales quæ*, 19. *quotuplices*, ibid. *perpetuæ vel non perpetuæ quænam*, 25. *perpetuæ quotuplices*, 26. *ad Sacerdotes & Levitas ſpectantes*, 19. *ſeqq.* *toti populo obſervandæ*, 25, *ſeqq.*
Channun *Hebræis quid ſignificet*, 306, *a.*
χάρις *pro chariſmate* ibid.
Chaphetz *Hebr. quid ſignificet*, 299, 328. *a.*
Charitas *Dei erga nos in quo conſiſtat*, 302, *a.*
χρηστότης *pro manſuetudine*, 284, *a.*
Chriſtus *Adonai non appellatur*, 74, *a.* *ab Adonai diſtinguitur* 75, *a.* *Angelus ſimpliciter nuſpiam dicitur, nec Angelus Dei*, 81, 82, *a.* *Caput angelorum eſt*, 187, *a.* *itemque Eccleſiæ* ibid. *cordium renumque ſcrutator eſt*, 220, *a.* *decreta Chriſti à Patre nunquam impediuntur*, 175, *a.* δεσπότης *nuſpiam appellatur, ſed ab eo diſtinguitur*, 105, *a.* *Deus eſt ſuper omnia vel omnes*, 174, *a.* *Deo quam charus*, 303, *a.* *Dominium ejus abſolutum dici poteſt*, 168, *a.* *æternum eſt*. ibid. *dominio Patris nihil derogat*, 167, 168, *a.* *ſed eidem ſubordinatum eſt, unà cum ipſo Chriſto*, 174, *a.* *quàm latè extendatur*, 168, *a.* *Filius Dei crebriùs cur appelletur, quàm Deus*, 95. *a.* *filius Dei unigenitus*, 303, *a.* *Iehova non appellatur, ſed ab eodem diſtinguitur*, 82, *a.* *imperio herili Deo proximus eſt*, 104, *a.* *imperium ejus æternum eſt*, 187, 188, *a.* *judex vivorum & mortuorum à Deo conſtitutus eſt*, 187, *a.* *Matri eum aſſiduè ſervire Pontificii quidam aſſerunt*, 116, *a.* *mediator eſt novi fœderis*, 82, *a.* *mors quo jure, cùm innocentiſſimus eſſet, ipſi à Patre impoſita*, 187, *a.* *quo præmio ad eam fuerit invitatus*, ibid. *miſſus ante nativitatem ex virgine non eſt*, 82, *a.* *Noſſe perſonas aut res quaſdam quomodo nonnunquam dicatur*. 197, *a.* *item non noſſe, ſeu neſcire*, 198, *a.* *occulta hominum facta & cogitata novit*, 196, *a.* *omnia ſua Patri accepta tulit*, 167, *a.* *pœnæ juſtæ ob innocentiam capax non fuit*, 187, *a.* *impiorum pœnis triſtatus fuit*, 325, *a.* *ipſe præcepta Dei ſervando in amore ejus permanſit*, 304, *a.* *princeps ac rex regum terræ à Deo conſtitutus*, 187, *a.* *regnat cum Deo*, 175, *a.* *reſurrectio ejus quàm neceſſaria ſit creditu*, 159, *a.* *ſervus Dei cujus temporis reſpectu appelletur*, 104. *a.* *ſapientia ejus unde profluxerit*, 197, *a.* *neceſſariò ad regni illius adminiſtrationem requiritur*, ibid. *Spiritum ſanctum à Patre accepit*, 158, *a.*
Cibi *quinam Iſraelitis conceſſi vel prohibiti*, 25, 26.

Circum-

Digitized by Google

Circumciſio *Abrahamo quomodo & cur tradita*, 17.

Clementia *quid* 284, *a. Clementiæ* Dei *cur tam crebra in ſacris literis mentio*, 293, *a. quale ejus attributum*, 279, *quid*, 284, *a. cur charitatis, gratiæ, ac miſericordiæ nomina ſortiatur*, 296, *a. ejus partes quædam*, 285, *a. ejus effectus*, 284, 285, *a. iidem cum aliis beneficentiæ fructibus creberrimè conjuncti*, 286. *ejus conſideratio quàm utilis*, 292, 293, *a. imitanda eſt*, 294, *a.*

Cœlum *tertium, Dei habitaculum eſt*, 228, *a. etiam Barbarorum, Hebræorum veterum & Philoſophorum præſtantiſſimorum plærorumque conſenſu*, 278, *a.*

Cogitationes Dei *vel cordis ejus quid*, 327, *a.*

Cogitationes hominum *Deo notæ* 194. & ſeqq.

Cognitio Dei *ad religionem neceſſaria*, 1, *a. Cognitio* voluntatis divinæ *quarum rerum notitias contineatur*, 328, 329, *a. eadem uberiùs imbuti cur graviùs à Deo puniantur, ſi peccent*, 292, *a.*

Comminari *hominibus etiam non planè improbis quomodo poſſit Deus ea quæ ſine peccato ab iis fieri nequeunt*, 234, *a.*

Comminationes *generatim omnes ſuâ naturâ ſuns relaxabiles*, 184, *a.* divinæ, *licèt ſimpliciter prolatæ, non tamen omnes prorſus abſolutæ ſunt*, 235, 248, *a. quando abſolutæ cenſendæ ſint*, 183, *a. quando in abſolutas migrent*, 336, *a. cur conditio iis interdum expreſſe non apponatur*, 184, *a. à Deo relaxari poſſunt*, 180, 183, 184, *a. incredulis propoſitæ juramento confirmatæ ſunt*, 351, *a. non ſemper, nec eodem prorſus modo ad exitum perducuntur*, 336, *a. pœnæ comminatio ſignum eſt voluntatis Dei maximè ſeriæ*, 249, *a. proindeque pertimeſcenda*, 351, *a. ejus vis decreto nititur*, 350, 351, *a.*

Communionem *cum Deo quinam habeant*, 267, *a.*

Compoſitio *quâ in re conſiſtat*, 348, *a. Compoſitum ex ſubjecto & accidente an ſemper aliud componens requirat*, 349, *a.*

Concordia *in quo conſiſtat*, 348, *a.*

Conditionem *annexam habentia interdum abſolutè proferuntur*, 264, ſeqq. 335, *a. conditio ſimpliciter prolata perſeverantiam ſæpè includit*, 331, *a. quot modis præſtita dici poſſit*, 341, 343, *a. præſtita cauſſa ſit decreti abſoluti impulſiva*, 341, *a. eâ, quæ in comminatione fuerat poſita, impletâ, ſæpè jus potius, quàm actus pœnæ naſcitur*, 336, *a.*

Conjunctio *inter Deum & homines qualis*, 237, *a. ejus cauſſa*, ibid. *augmentum*, ibid. *conſequens*, ibid.

Conſcientiæ *vis in utramque partem*, 51, 52, *a. divinitatis argumentum eſt*, ibid. *unumquemque reum facere poteſt*, 182, *a. in uſu rerum licitarum cur hærere non debeat*, 181, *a.*

Conſenſus *Gentium perpetuus de exiſtentia Dei*, 47, *a. ejuſdem cauſſæ*, 48, *a. vi aut fraude effici nequit*, 50, *a.*

Conſervatio *creaturarum quid*, 10. *conſervatio hominis quotuplex*, ibid.

Conſilium *quid ſit*, 327, 329, *a. proæreſeos antecedens eſt*, 329, *a. in quibus rebus locum habeat*, 329, *a. quid requirat*, 18, *a. conſilium pro decretis divinis*, 327, *a.*

Conſilia divina *ſpernenda non ſunt, etiamſi rationem eorum non capiamus* 222, *a. ſæpè occulta ſunt*, 62, *a.*

Conſtans *quando in propoſito perſiſtere debeat*, 265, *a.*

Conſtantia *quid*, 264, *a. cui opponatur* ibid.

Conſtantia Dei *quid*, 264, *a. quibus in rebus cernatur*, 236, 265, 266, *a. in decretis, vel cum conditione, vel ſine ea factis, quid poſtulet*, 264, *a. non minuitur, ſi Deus pœnam, quam minatus eſt, condonet*, 183, ſeqq. *a.*

Contemplatio *actione per ſe videtur præſtantior*, 270, *a. in Deo quàm præſtans & perfecta*, ibid.

Contingentia *quo fundamento nitatur*, 143, *a. eâ ſublatâ Deus cauſſa peccati ſtatuitur*, 204, *a. Contingentia tantùm reſpe-*

ctu cauſ-

Tu cauſſarum ſecundarum dari falſa aſſeritur, 202, ſeqq. *a. abſolutè talia quænam,*202,*a.cum reipſa fiunt,contingentia eſſe deſinunt,* 264, *a. cum rerum omnium determinata ab æterno veritate conſiſtere nequeunt,* 203, 204, *a.*

Contradictionem *implicare quæ dicantur,* 149, 150, *a. ea ſimpliciter impoſſibilia,* ibid. *&* 223. *contradictoria ſimul vera eſſe Philoſophi quidam aſſerunt,* 50, *a.*

Contumaces *interdum Deus non ſtatim punit. ſed indurat,* 289, *a.*

Cor *noſtrum ejuſque fructus Deus à nobis jure ſuo exigit,* 172, *a.*

Corporum *diſcrimen,* 14, 139, 137, *a. eorum vis ad alia nonniſi interveniente corpore deferri poteſt,* 15, *a.*

Corruptibilia *cur fatigentur,* 45, *a.*

Creare *quid ſignificet,* 1.

Creatio Angelorum *vide* Angelorum creatio.

Creationis *genera,* 1. *modus,* 8. *ordo,* ibid. *cauſſa media præter efficacem Dei voluntatem ac juſſum nulla,* 8. *qua in re à ſcriptura collocetur,* 8, *a. an natura ejus exigat, ut quicquid creatur, ex nihilo creetur,* ibid. 22, *a. quomodo omnia ex nihilo creata,* 5, 6. *creatio mundi probatur,* 22. ſeqq. *a. cur tam ſæpè in ſcriptura commemoretur,* 144, *a. quàm neceſſaria ſit creditu,* 159, *a. potentiæ divinæ documentum eſt,* 144, *a.*

Creaturarum *cohærentia,* 8. *iis quot modis utatur Deus,* 172, *a. intellectu præditis quando delectetur Deus,* 171, *a. iis præter jus ab ipſo nihil imponitur,* 240, *a. an & quodnam illarum jus reſpectu Dei,* ibid. *ſponte improbas Deus deſerere ſuiſque libidinibus tradere poteſt,* 236, *a.*

Credendi *verbo ſæpè pietas includitur,* 180, *a. Credentibus vitam æternam denegare quatenus nequeat Deus,* 281, *a. credere in Chriſtum aliquando crucifixum, cur mundo ſit ſtultitia* 223, *a.*

Culpa *in quo ſita,* 232, *a. ſine libertate voluntatis nulla eſt,* 204, *&* ſeqq. *a. nulla foret in iis, qui ab omni æternitate ad peccandum determinati fuiſſent,* 203, *a.*

Cultus *divinus quinam,* 116, *a. is qui ſoli Deo præſtandus eſt, cum cultu Chriſti non pugnat,* 118, *a.*

D.

Dæmones *argumento ſunt Deum eſſe,* 56, *a. eoſdem cur toleret Deus, & pios ab iis affligi permittat,* 67, *a. olim ſub idolorum nominibus colendos ſe hominibus obtruſerunt,* 212, *a. futurorum prædictio cur illis negetur,* ibid. *de iis interdum conjectura aliquid aſſequuntur,* 213, *a. cur fingant ſibi quædam formidanda, quæ tamen nullam adverſus eos vim habeant* 61, *a. cur gratificari hominibus non ſemper poſſint,* 62, *a.*

David *Legem Dei quanto ſtudio ſervârit,* 34. *pœna mortis eidem remiſſa, lege divinâ non obſtante,* 180, *a.*

Decernendi *actus quis ſit,* 329, *a. decernere aliquid cur liceat aut non liceat,* 143, 232, *a.*

Decretum *quid,* 329, *a.*

Decreta Dei *quid ſint,* 295, *a. quibus nominibus appellentur in Scriptura,* 327, 328, *a. quàm latè pateant in univerſa religione,* 350, 351, *a. non omnia neque æquè clarè in ſac: literis ſunt deſcripta,* 345, *a. ſed tamen quantùm ad ſalutem ſufficit,* 347, *a. non omnium cognitio ad ſalutem neceſſaria eſt, imò ſæpè ne utilis quidem,* 345, *a. in quibus locum habeant,* 295, 329, *a. ea ab omni æternitate facta ſtatuere neceſſe non eſt,* 126, 127, *a. quæ ante conditum mundum facta ſunt præſtantiam aliquam rerum, de quibus ſunt facta, deſignant,* 339, *a. decreta Dei unde pendeant,* 127, 347, 349, *a. quorum af-*

ſectuum nomina ſortiantur, 296, *a.* *iis omnia definita non ſunt*, 153, *a.* *ipſa Dei eſſentia non ſunt*, 346. ſeqq. *a.* *omnia reipſa idem non ſunt*, 346, 347, *a.* *quatenus attributis Dei accenſeri poſſint*, 326, *a.* *omnes ipſius actiones aliqua ratione antecedunt* 351, *a.* *firmiora ſunt, quàm ſimplices quidam affectus*, 295, *a.* *eorum genera*, 329, ſeqq. *a.* *quænam neceſſariò ad exitum perducantur, & contrà*, 295, *a.* *eorum neceſſitas quâ re nitatur*, 127, *a* *eorum effectus non à Dei, ſed creaturarum parte ceſſat*, 335, *a.* *eorum perfectio quæ*, 336, *a.* *quomodo appelletur in ſac: literis*, 337, *a.* *eadem vel abſoluta ſunt, vel conditionata*, 331, 332, *a.* *decretum abſolutum de ſingulorum hominum ſalute aut exitio ante ipſorum pietatem aut impietatem factum non eſt*, 339, *a.* *decreti abſoluti vis nullo affectu tolli poteſt*, 295, *a.* *ea ſemper ad exitum perducuntur*, 335, *a.* *quando talia eſſe cenſenda ſint*, 183, 184, *a.* *ea, quæ promiſſis aut minis continentur, etiamſi conditio non exprimatur, non protinus ſunt abſoluta*, 331, *a.* *conditionatorum exempla*, ibidem. *diſtinctio eorum in antecedentia & conſequentia*, 340, *a.* *ubi locum habeat*, ibid. *quomodo ex eadem cauſſa pendeant*, 341, *a.* Antecedens *quid, & quotuplex*, ibid. *quodnam eorum abſolutum eſſe poſſit*. ibid. Conſequens *quid*, 341, *a.* *quomodo ex antecedente fluat*, ibid. *ſemper aliqua ratione abſolutum eſt*, ibid. Conditionata *cur non ſemper neceſſariò ad exitum perducantur*, 332, 335, *a.* *quando in abſoluta migrent*, 335, *a.* *eorundem circa promiſſiones & minas diſcrimen reſpectu effectûs*, 336. *a.* *diſtinctio decretorum divinorum ex diverſitate actuum voluntatis divinæ*, 330, *a.* *ex objectis*. ibid. *ex modo decernendi*, 331, 338, ſeqq. *a.* *eorundem diſcrimen*, ibid. *connexio*, ibid. *uſus in doctrina de Prædeſtinatione*. ibid. & ſeqq. *eorundem diſtinctio ex circumſtantiis temporis*, 339, ſeqq. *a.* *Diſtinctio in occulta & revelata*, 342, *a.* *in iiſdem etiam decretis cernitur*, ibid. *quædam ipſis angelis occulta ſunt, aut fuerunt*, 343, *a.* *cur quædam hominibus à Deo non revelentur*, 344, 345, *a.* *quorundam cognitio ipſius Dei conſiliis obſtaret*, 345, 346, *a.* *quænam hominibus pateſiant*, 345, *a.* *revelata cum occultis nunquam pugnant*, 346, *a.* *decreta de Chriſto per aliquem ex domeſticis prodendo, & à Iudæis occidendo, qualia fuerint*, 232, *a.* *de actionibus malis in futurum quomodo poſſit aliquid decerni*, 210, *a.* *decreta Dei, de malis hominibus ad executionem conſiliorum ſuorum adhibendis, qualia*, *a.* *de ſingulis credentibus quale ſit*, 338, 210, 342, *a.* *de rebus ad ſalutem ſpectantibus qualia fuerint*, 174, *a.* *quibus aliquid fieri Deus permittit quò referenda*, 330, *a.* *cur decreta ſua interdum mutet Deus*, 154, 176, *a.* *decreta de præmiis an aut quatenus abrogari à Deo poſſint*, 180, 181, *a.* *de iiſdem ſubiectis diverſo tempore facta ſibi invicem ſæpè adverſantur*, 340, 347, ſeqq. *a.* *Decretorum nomen pro Dei mandatis*, 327, *a.* *quibus præceptis propriè conveniat*, 329, *a.*

Definire *pro decernere*, 327, *a.*

Delicta *leviora ſub Lege non obſtabant conſequutioni promiſſorum ejus*, 34.

Deſiderium *etiam in præteritum reſpicit*, 315, *a.* *rei quoque incertæ eſt*, ibid. *à ſpe quomodo differat*, ibid.

Deſiderium Dei *qualis affectus*, 315, *a.* *ſimplicis teſtimonia*, ibid & ſeqq.

Δεσπότου *nomen cur & quomodo Deo tribuatur*, 184, *a.*

DEI *nomen quid ſignificet*, 114, 161, *a.* *ſuâ naturâ proprium non eſt, ſed appellativum*, 1, 101, *a.* *quomodo à Latinis uſurpetur*, 102, *a.* *ſubjecti loco poſitum quem denotet*, 96, *a.* *prædicati loco poſitum interdum articulum habet*, 97, *a.* *quem denotet*. ibid. *ſummum illum Deum quomodo denotet*, 93, 94, 164, 165, *a.* *quomodo angelis & magiſtratui competat*, 93, 94, *a.* *etiam ad illegitima & malefica imperia*

interdum

Digitized by Google

interdum extenditur, 91, a. Deus quale genus, 94, a. Deus abſconditorum cognitor eſt, qui omnia novit antequam fiant, 217, a. æquitate ſummâ utitur 242, a. æternus eſt, 125. & ſeqq. a. quale agens, 36, a. omnia ſimul non agit, 127, a. quomodo in res extra ſe poſitas agat, ibid. 158, a. quatenus neceſſariò, 142, a. cur appelletur altiſſimus, 163, a. alpha & omega, 123, a. quænam amet, 300, 301, a. primò ac præcipuè ſeipſum amat, 299, a. Angelicorum exercituum dominus cur toties dicatur, 146, a. quænam operâ eorum præſtet, 147, a. animum hominis, non faciem externam ſpectat, 220, a. pro arbitrio ſuo res omnes produxit, 166, a. αὐτάρκης eſt, 271, a. Beatiſſimus eſt vid. Beatitudo Dei. Beneficia ſua præcipua omnibus populis vult eſſe communia 119, a. ob benignitatem celebrandus, amandus, colendus, 326, a. Channun Hebraicè cur appelletur, 280, 306, a. cur charitas, 226, 301, a. cur Chriſti caput & Deus appelletur, 72, 174, a. eidem in terris viventi præſentiſſimus fuit, 274, a. quo jure eidem omnia ſubjecerit, 169, a. omnia ei ſubjiciendo nihil à ſe alienavit, 167, 168, a. in & per Chriſtum regnat, 175, a. cupit ut omnes homines conditiones fœderis amplectantur, atque ita ſerventur, 254, a. eum colendum eſſe, etiam ante diluvium unde conſtiterit, 14. cur tunc nullo præmio propoſito coli voluerit, 16. coli nunc vult ab omnibus, 119, a. compoſitus non eſt ex eſſentia & accidentibus, 348, a. conſpiciendum hominibus ſe cur non præbeat, 67, a. contrarium ejus, quod ſentit, nunquam teſtatur, 248, a. cur creaverit mundum 40, & ſeqq. 145, a. bonum creaturarum intelligentium quæſivit, atque etiamnum quærit, 170, a. neminem ad æternos cruciatus ſine conditione in ipſius arbitrio poſita creat, ibid. quomodo ex eadem maſſa aliud vas in honorem, aliud in ignominiam fingat, 175, 176, a. creaturis etiam non extantibus Deus appellari meretur, 164, 165, a. eaſdem conſervare & deſtruere, meliores ac deteriores reddere poteſt, 172, a. Dæmones cur cohibeat, ne impiis ſemper gratificentur, 62, a. nemini quicquam debet, 16. Deſcriptio ejus duplex 106, ſeqq. a. hujus uſus 108, 109, a. Deus horum aut illorum eſſe quomodo dicatur, 71, 101, 102, a. Deus deorum cur dicatur, 72, 174, a. quomodo ab iiſdem differat, 93, 94, a. cur nemo eidem dicere poſſit, quid facis? 173, a. Dominus rerum eſt abſolutiſſimus, 16, 23, 164, a. Vide Dominium Dei. Deus cœli & terræ cur dicatur, 166, a. cur Deus & Dominus Zebaoth, ſive exercituum, 78, 79, 146, 147, a. 174, a. Deum eſſe demonſtratur. Vide Exiſtentia Dei. Efficere res dicendo & jubendo ut dicatur, 156, a. efficere poteſt quicquid vult, etiam ſine mediis aptâque materia, 157, a. Elohim cur dicatur, 193, a. Vide Elohim. Eſſentia ejus numero una eſt, 113, 114, a. Vide Unitas Dei. Deus in factis ſuis nihil revera pœnitendum invenit, 323, a. quænam faciat, 229, 235, a. plura facere poteſt, quàm reipſa velit, 152, 153, a. nihil fruſtra facit, 206, a. cur faciat interdum, quæ videantur adverſari ipſius conſilio, 257, a. cur quod aliàs nollet, & contrà, 324, a. facultates novas non acquirit, nec quas naturaliter habuit unquam perdit, 348, 350, a. nec falli nec fallere poteſt, 219, 262, a. fideles maximè curat & ſervat, 11. fine caret, 120, 121, a. qualis ipſe ſit finis mundi & rerum omnium, 29, 30, 170, a. omnia in fines ſuos dirigit, 136, a. formare res quasvis pro arbitrio poteſt, 164, a. forma ejus ab homine concipi nequit, 107, a. gloriam quatenus ſuis creaturis deſideret, 171, a. vide etiam Gloria Dei. quomodo gubernationem rerum ipſi ſubjectarum aliis tradat, 175, a. idem Herus ſummus eſt atque unicus, 104, a. hominibus Deus pro arbitrio modum præſcribere poteſt ipſi ſerviendi, 175, a. ab iiſdem obedientiam jure citra ullam veram mercedem exigere poſſet, 179, a. eorum omnium Deus eſt ſub

Digitized by Google

novo fœdere, 111, 118, *a.* *quomodo omnes homines conſervet*, 10. *quomodo idolis diiſque fictitiis opponatur*, 132, *a.* Jehova *cur appelletur*; *Vide* Jehova. *cur immortalitatem ſolus habere dicatur*, 213, 124. 134, *a.* 3. *cur incorruptibilis*, 123, 124, *a.* *cum impiis interdum ita agit, ac ſi eos punire nollet*, 257, ſeqq. *a.* & *quidem in ipſorum ruinam, ſine injuſtitia tamen*, 258, *a.* *eorundem malitiâ ad gloriam ſuam uti poteſt*, 172, *a.* *initio carere probatur*, 120, *a.* *quomodo jubeat aliquid*, 157, *a.* *quomodo judicet*, 243, *a.* *judicabit occulta hominum per Ieſum Chriſtum*, 220, *a.* *Legatus alterius eſſe nequit*, 82, *a.* *leges ſancire & tollere poteſt*, 177, *a.* *quales leges figere poſſit*, ibid. & ſeqq. *nunc perfectiorem leges exequendi modum requirere, nunc imperfectiori contentus eſſe poteſt*, ibid. *quomodo* lux *ſit*, 226, *a* *majeſtas ejus admiranda ac veneranda ſuper omnia*, 109, *a.* *mediis à ſe paratis ordinariè uti cur ſoleat*, 146, ſeqq. *a.* *qualibus ad exequenda conſilia ſua mediis utatur*, 218, 219, *a.* *dicere, eundem mentiri, mori* &c. *poſſe, contradictionem involvit*, 149, 150, *a.* *in moralibus præcipiendis delectum habere poteſt*, 177, *a.* *mortem peccatoris non vult*, 254, *a.* *Naturæ opifex & rector ſummus eſt*, 136, *a.* *quâ neceſſitate exiſtat*, 121, *a.* *quomodo res aut perſonas* noſſe *aut* prænoſſe *in ſacris literis dicatur*, 197, *a.* *ſolus novit corda hominum*, 196, *a.* 11. *novit & univerſalia & ſingularia*, 198, *a.* *præſentia & præterita*, 197, *a.* item *futura*, 198, *a.* *cogitationes & actiones hominum occultas*, ibid. 221, *a.* *ſeipſum*, 194, *a.* *Obſequium quo jure exigat ab hominibus*, 133, 180, *a.* *ei obtemperandum in omnibus*, 183, *a.* *magis quàm hominibus*, 189, *a.* *in odio adverſus peccata imitandus*, 314, *a.* *operibus ſuis quando inprimis delectetur*, 171, *a.* *Pater luminum cur dicatur*, 226, *a.* *cur Pater miſericordiarum*, 306, *a.* *peccata remittere poteſt, etiam cùm lege latâ pœnam eſt comminatus*, 183, *a.* *peccatores non puniendo nemini facit injuriam*, 182, *a.* *à nullo pendet*, 271, *a.* *perfectiſſimus eſt*, 113, *a.* *perſonam non accipit.* vid. paulò poſt Proſopoleptes. *cum perverſis quomodo perverſè agere dicatur*, 258, *a.* *peſſima etiam ad gloriam ſuam convertere poteſt*, 271, *a.* *eum pingentes aut ſculpentes quàm graviter peccent*, 107, 101, *a.* *cum piis interdum ita agit, ac ſi eos non amaret, eoſque exaudire nollet*, 257, *a.* *ad pœnæ dilationem, mitigationem, averſionem quibus rebus interdum commotus fuerit*, 184, *a.* *ſolus potens cur dicatur*, 173, 174. *a.* *præcepta generalia tradendo an homines unquam tentes*, 251, *a.* *præcipere hominibus quid jure poſſit*, 188. *a.* *an præceperit aliquid hominibus, quod fieri noluerit*, 249, *a.* *præſentiam ſuam Iſraëlitis quomodo declararit*, 32. *an ei omnia tum præterita, tum futura ſint præſentia*, 127, 128, 207, 208, *a.* *præſtare plus ſolet, quàm promiſit*, 241, 248, *a.* *primus & noviſſimus cur dicatus*, 123, *a.* *pronior eſt ad benefaciendum & ignoſcendum, quàm ad puniendum*, 286, 318, *a.* *propter eum quomodo dicantur eſſe omnia*, 170, *a.* *Proſopoleptes non eſt, neque in judicando, neque in benefaciendo*, 244, ſeqq. *a.* *publici boni dominus eſt, non miniſter*, 183, *a.* *ejuſdem cauſſa punire non omninò tenetur.* ibid. *qualitates novas non acquirit, nec quas naturaliter habet perdit*, 348, 350, *a.* *cur appelletur* qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt, 127, *a.* *cur Rectus appelletur*, 227, *a.* *regnare aut regnaſſe certi temporis reſpectu quare dicatur*, 176. 177, *a.* *religionis veræ ultimus ſcopus eſt*, 1, 92, *a.* *eum remuneratorem eſſe quærentium ipſum facilè creditur, ſi credatur quòd ſit*, 2, *a.* *Salute magis, quàm interitu hominum delectatur*, 317, 318, *a.* *cur dicatur ſanctus*: *vide* Sanctitas Dei. *Scire omnia quo ſenſu dicatur*, 198, 199, *a.* *ſervator eſt omnium hominum* 10, 11. *ſpiritus eſt æternus atque ex ſeipſo exiſtens*, 106, 134, *a.* *ſuorum etiam poſt mortem non obliviſcitur*,

221, *a.*

Digitized by Google

221, *a. tarditate in promiſſis exſolvendis non utitur*, 131, *a. tardior eſt ad iram, quàm ad miſericordiam*, 313, *a. terribilis & tremendus cur dicatur*, 159, *a. quænam velit.* vide Voluntas Dei. *cur venerandus ſit*, 225, *a. cur vivens aut vivus in ſæcula ſæculorum appelletur*, 132, 133, *a. quomodo vocet tum ea quæ ſunt, tum quæ non ſunt*, 157, *a. Deus ultionum cur appelletur*, 289, *a. quomodo unus.* vide Unitas Dei. *Deus rebus omnibus pro arbitrio uti poteſt*, 164, *a. in quem finem*, 170, ſeqq. *a. quem uſum percipiat ex omnibus operibus ſuis.* ibid. *quem ex rebus intelligentibus.* ibid. *Zetotes cur appelletur*, 287, *a. vide etiam* Zelus Dei.

Deos alienos *habere coram Deo quid*, 115, *a. deos plures quinam ſtatuant*, 115, 116, *a. dii fictitii futura prædicere nequeunt*, 212, *a.*

Dii multi *quo ſenſu à Paulo dicantur*, 91, 92, *a.*

Dignitas *aliena an quempiam ad benefaciendum obſtringat*, 245, *a. quamnam Deus in benefaciendo attendat*, ibid.

ante Diluvium *quomodo homines ad pietatem fuerint inſtituti*, 14.

Diſpenſatori iniquo *quomodo ſimiles eſſe debeamus*, 191, *a.*

Divina *quomodo ſpectanda & æſtimanda*, 223, *a. ſine rationis uſu non poſſunt*, ibid.

Dolor *quomodo Deo alicubi in ſacris literis tribuatur*, 142, 307, 319, 320, *a. unde eidem oriatur*, 320, *a.*

Domini *vox diverſimodè uſurpatur*, 92, *a. quomodo de Deo & Chriſto*, 102, & ſeqq. *a. Dominus abſolutè poſitus à Deo ſimpliciter ſic dicto cur ſæpè, & quomodo diſtinguatur*, 104, *a. abſque articulo poſitum apud quoſdam novi Fœderis ſcriptores Deum plærumque deſignat, cum articulo Chriſtum*, 103, 104, *a. de Chriſto uſurpatum non reſpondet* Hebrææ *voci Iehova vel Adonai*, 104, *a. Dominus exercituum cur appelletur Deus*, 174, *a. item Dominus dominorum*, 166, *a. dominus cœli & terræ*, ibid. *Dominus ab iis revera non agnoſcitur, qui illi non obtemperant*, 188, 189, *a.*

Dominus *injurias ſervis illatas, ipſis etiam invitis, condonare poteſt*, 183, *a.*

Dominantium *multitudo quomodo bona non ſit*, 112, *a.*

Dominium *Deus à nemine accepit*, 166, *a. in res omnes abſolutum habet*, 164, *a. quomodo id cum libertate creaturarum intelligentium conſiſtere poſſit*, 269, *a. quomodo amplitudo ejus non ceſſavit; poſtquam Chriſto omnia ſubjecit Deus*, 167, *a. eidem nihil derogat, quòd populum ſuum vendidiſſe, redemiſſe, noſque ei emti eſſe dicimur*, 168, *a. abſolutè ſummum eſt*, 166, *a. quot modis independens*, ibid. *naturale eſt*, ibid. *plenitudo ejus in quo conſiſtat*, 169, *a.*

Dominia *humana omnia dominio Chriſti minora ſunt*, 168, *a. dominio Dei nihil derogant*, ibid. *Dominium quotuplex*, 169, *a. jus dominii abſoluti ad domini utilitatem ſpectat*, 170, *a.*

Domus *Dei & Chriſti quænam*, 104, 105, *a.*

Δυνάστου *vox quid ſignificet*, 173, *a, cur tribuatur regibus & principibus*, 146, *a.*

E.

Efficientem *habet quicquid fieri incipit*, 22, *a. externa tempore prior eſt ſuo effectu*, 2. *liberrimè rem producens dominium in eam abſolutum habet*, ibid. *qui conſilio agit, ſemper eſt aliqua ratione finis* cui *ſui effectus*, 29, *a.*

El *quid naturâ ſuâ ſignificet*, 69, 90, *a. quomodo à Lxx. interpretibus reddatur*, 69, 70, *a. quale nomen*, 70, 90, *a. quomodo & cur Deo tribuatur*, 70, *a. tribuitur etiam Chriſto*, 70, 90, *a. item viris fortibus & potentibus*, ibid. *interdum vim habet vocis* Elohim, 91, *a.*

Elim *quomodo à Lxx. interdum reddatur*, 71, *a.*

Electionis *decretum à prædeſtinatione quomodo differat*, 342, *a. quomodo incipiat ac perficiatur*, 342, *a. quando ceſſet*, 342, *a.*

Eloah *quid propriè ſignificet*, 70, 71, *a.*

Elohim *quale nomen*, 71, 72, 90, *a. quid naturâ ſuâ ſignificet*, 70, 71, 90, *a. interdum idem ſignificat, quod* El, 71, *a. ſignificatione ſingulare eſt, quando de una perſona vel re effertur*, 70, *a. quomodo cum verbis & adjectivis conſtruatur*, 72, *a. quo ſenſu de Deo uſurpetur*, 72, 90, *a.*

Emmanuelis *nomen quid ſignificet, & cur Chriſto tributum*, 86, 87, *a.*

Emti *Deo quomodo dicamur*, 169, *a.*

Enochi *tranſlatio promiſſionis loco primo mundo non fuit*, 16.

Entium *alia actu, alia potentiâ*, 199, *a. quomodo à Deo cognoſcantur*, ibid.

Eſaui *poſteritas quo iure à Deo ſervituti poſterorum Iacobi deſtinata*, 173, *a.*

ἐσόμενα *quæ propriè*, 200, *a. quomodo ea Deus cognoſcat*, 201, *a.*

Eſſentię divinę *inveſtigatio difficillima*, 106, *a. an diffuſa per res univerſas*, 278, 279, *a.*

Et *pro* ergo, 118, *a.*

Ethnicorũ *error duplex in multitudine Deorum conſtituenda*, 113, *a. ſacra eorum impia ac crudelia*, 55, *a.*

Exacerbatio *quo ſenſu Deo tribuatur*, 320, *a.*

Excandeſcentia Dei *quid deſignet*, 301, *a. quomodo eidem tribuenda*, 311, *a.*

Excelſus *pro* altiſſimo, 163, *a.*

Exiſtentia Dei *primum eſt religionis fundamentum*, 2, *a. primò omnium docenda*, ibid. *ex iis demonſtrari poteſt, quæ de auctoritate ſacrarum literarum dicuntur*, 2, *a. demonſtratur ex univerſa rerum natura*, 2, ſeqq. *a. ex mundi opificio*, 7, ſeqq. *a. ex rebus homini propriis*, 47, ſeqq. *a. ex iis, quæ præter naturam ſunt aut fiunt*, 56, *a.*

Extitiſſe *ante conditum mundum, & ab omni æternitate, differunt*, 126, *a.*

Expectare *hominum reſipiſcentiam quomodo dicatur Deus*, 209, *a.*

εὐδοκεῖν & εὐδοκία *de Deo uſurpata quid ſignificent*, 299, 300, *a.*

F.

Facere *quæ liceat*, 162, *a. qui per alium facit, per ſeipſum feciſſe videtur*, 229, *a. feciſſe quippiam is jure dicitur, qui omnia, quantum in ſe fuit, fecit, etiamſi poſtea impeditus fuerit*, 250, *a.*

Facta *quotuplicem ſignificandi vim habere poſſint*, 256, *a. quæ ex inſtituto ſignificant, certiorem ſignificationem habere ſolent quàm verba ſimplicia*, 260, *a. facta quædam impiorum, cæteroquin à ſe præcepta, cur oderit Deus*, 309, *a. facta quædam cur ſacrificia Deo accepta dicantur*, 318, *a. ea, quæ ſine peccato perfici nequeunt, qua ratione decernere poſſit Deus*, 232, *a. facta eiuſdem quatenus ei pœnitenda veniant*, 323, *a.*

Fatultates *divinæ quænam*, 131, *a.*

Fato *quæ tribuuntur, cui adſcribenda*, 66, *a. divinitatis argumenta ſunt*, 65, 66, *a.*

Fermentum *ſub Lege non adolebatur*, 24.

Feſta *Judæorum quæ fuerint*, 26, 27. *quomodo celebranda*, 26. *quotuplicia*, ibid.

Fidelitas *qua in re occupetur*, 242, *a. quid ſit*, 241, *a. divinæ quodnam munus*, ibid.

Fides *pro fidelitate & ad juſtitiam & ad veritatem ſpectat*, 241, 242, *a. hujus effectum neceſſarium eſt*, 261, *a. de Deo uſurpata, quàm latè extendatur in ſacris literis*, 241, *a.*

Fides *magis in futurum, quàm in præteritum reſpicit*, 130, *a. ob dilationem eorum, quæ à Deo ſunt decreta, langueſcere non debet*, 351, *a. nec rerum humanarum confuſione labefactari*, 224, *a. eadem ceſſante, Dei decretum de eorum, qui illam abiiciunt, ſalute ceſſat*, 342, *a. ejus meritum tolleretur, ſi omnes impii apertè hîc à Deo punirentur*, 12.

Fideles

Digitized by Google

Fideles *quinam*, 11. *Deo maximè curæ ſunt*, 11. *ab angelis cuſtodiuntur*, 11.

Fiducia *quomodo alatur conſideratione variorum Dei attributorum*, 130, 150, 190, 221, 267, 292, 293, *a.*

Filii Dei *appellatio per ſe minùs auguſta eſt, quàm appellatio Dei*, 95, *a.*

Filii Dei *appellatio, quid inprimis ſignificare ſoleat*, 4.

Finis *quot modis ſpectetur*, 8, *a. qua ratione cauſſa ſit*, ibid. *quotuplex*, 29, *a. finis* cujus *quid*, 29, *a. vel actio eſt, vel actionis conſequens*, ibid. *finis* cui *quid*, 29, 170, *a. quæ finis gratiâ exiſtunt, cauſſam efficientem habent*, 7, 3, *a. ejus gratiâ quæ agunt vel ſuo vel alieno conſilio ad eandem diriguntur*, 2, 4, *a. ejus gratiâ etiam ea agunt, quæ ſenſu & appetitu deſtituuntur*, 4, *a. finis efficientem quomodo moveat*, 29, *a.*

Ex finitis *licet maximis, ſi numero finita ſint, non niſi finitum fit*, 25, *a.*

Fœderum *verba quomodo intelligenda*, 253, *a. ſingularem ſinceritatem poſtulant*, ibid. *fœdus ſanctiſſimum pactorum genus eſt*, ibid. *cum quibus non percutiatur*, 239, *a.*

Fœderis Dei cum Abrahamo *initi ſumma*, 17. *confirmatio*, ibid. *monumentum*, 17, 18.

Fœderis veteris & novi *diſcrimen*, 178, *a.* veteris *ſumma*, 18. *ſanctio*, 33. *conditiones*, 254, *a.*

Formarum *materialium diverſitas non eſt ex diverſitate materiæ ſecundùm locum*, 31, 32, *a.*

Fortuna *vel cum caſu idem eſt, vel ſub eo continetur*, 23, *a. cur cœca dicatur*, ibid.

Fraus *quid ſit*, 247, *a. quomodo ab hypocriſi diſtinguatur*, ibid. *ſæpè cum ea jungitur*, ibid.

Frigoris *perpetui fontes*, 12, *a. cur duo*, ibid. *idem quam neceſſarium*, ibid.

Furor Dei *quid deſignet, & quomodo eidem tribuendus*, 311, *a.*

Futura *unde entitatis ſuæ rationem habeant*, 200, *a. quomodo à Græcis diſtinguantur*, ibid. & ſeqq. *futura ab omni æternitate in ſeipſis determinata eſſe non potuerunt*, 207, *a. quorum determinata ſit veritas*, 201, *a. quomodo prævideantur & prædicantur*, 210, 211, *a. futura quomodo ſub ſcientiam Dei cadant*, 198, 212, *a. eorum prænotione Deus ab idolis vult diſtingui*, 198, *a. futurorum* contingentium *quæ ſit ratio*, 199, *a. cur aliquo modo indifferentia*, ibid. *cur ferè in alterutram partem magis inclinent*, ibid. *quomodo à Deo cognoſcantur*, ib. *eadem determinatè ſumta ſub nullam ſcientiam cadunt*, 201, ſeqq. *abſurda contrariæ ſententiæ*, ibid.

G.

Gaudium Dei *quale ſit, & unde*, 317, 318, *a.*

Generandi *facultas homini cur data*, 26, *a.*

Generum *ἀφ' ἑνὸς quæ natura*, 94, *a.*

Genii *conſtanter à Platonicis aſſerti*, 59, *a.* *Genius Socratis figmentum non fuit*, ib.

Gloriâ *quali delectetur Deus*, 171, *a. ejus reſpectus interdum ad pœnas avertendas aut mitigandas Deum impellit*, 184, *a.*

Gratia *propriè quid*, 280, *a. quid vulgò apud Theologos*, 306, *a. alia gratitudinis eſt, alia beneficentiæ*, 306, *a.* pro *dono ex gratia manante*, ibid. *maiorem emphaſin habet, quàm vox amoris*, ibid. *meritum excludit*, ibid.

Gratia Dei *quid*, 305, *a. ejus beneficentiam deſignat*, 280, *a. quomodo à miſericordia differat*, 307, *a. quænam ei bona potiſſimùm in ſacris literis adſcribantur*, 305, *a. magnitudo ejus ſub novo fœdere*, 305, 306, *a. merita creaturarum excludit*, 305, *a. cur ejus tam crebra in ſacris literis mentio*, 293, *a. ejus conſideratio quem uſum habeat*, 314, *a. oppoſita ejuſdem* 309, *a.*

Græca *veteris Teſtamenti verſio quantæ autoritatis fuerit*, 2. *eadem plærumque in citandis locis Scripturæ à novi fœderis ſcriptoribus uſurpata*, 2, 7.

Gubernatio

Digitized by Google

Gubernatio creaturarum quid, 10. quænam eidem propriè ſubjecta, 173, a. gubernatio hominis quid, 13. quotuplex, 13. quid ordinaria, ibid. quid extraordinaria, ibid.

H.

Habitaculum Dei quodnam, 278, a.
Hebræi comparativis & ſuperlativis carent, 163, a.
Holocauſtum quale ſacrificium, 24. ſub pacificis revera continetur, ibid. cur nonnunquam ab iiſdem diſtinguatur, ibid.
Homines ab æterno non extiterunt, 25, ſeqq. a. quinam hominum maximè amandi, 314, a. quatenus angelis amore apud Deum antiſtent, 302, a. ad conſervationem ſui quid & unde poſſint, 10, 11. neglectis conſervationis ſuæ mediis Deum tentant, ibid. homine creato Deus quievit, 9. homo Deo omnia ſua debet, 179, a. qua ratione eidem conjunctus ſit, 237, 238, a. à Deo ad peccatum deſtinatus non eſt, 230, ſeqq. a. Deo vel non decernente, vel non permittente, eidem nihil boni aut mali accidere poteſt, 10. dominium illis in res cæteras quale ſit, 9. unde profluat, ibid. facultates & partes ejus quem uſum habeant, 19, 20, a. rerum terrenarum omnium quidam finis eſt, 17, a. ibi interdum eſſe dicitur, quò ſpiritu tantùm reſpicit, 276, a. ad imaginem Dei conditus eſt, 9. materia ejus ex qua conditus eſt, & ex qua conſtat, 9. mancipium Dei eſt, 169, 183, 188, a. mereri apud eum propriè nihil poteſt, 179, a. nihil in eo naturale eſt quod Deus oderit, 313, a. an cæteris animantibus miſerior, 20, a. cur ad peccandum pronus, 58, a. ſententiâ de exiſtentia Dei & religione nunquam homines carere potuerunt, 49, a. natura ad ſocietatem facti ſunt, 53, a.
Honeſtas in quo conſiſtat, 163, a.
Hoſtium ſuorum vindictâ gaudere Deus dicitur, 287, a.
Hoſtias conſecratas corpus Chriſti eſſe, contradictionem implicat, 160, a. id fieri poſſe negantes, omnipotentiam Dei non negant, ibid.
Humiliatio ſui coram Deo ad pœnæ averſionem aut mitigationem ſæpè profuit, 184, a.
Hypocriſis quid, 247, a. quomodo á fraude differat, ibid. Deo nequaquam tribuenda eſt, 232, a.

I.

Iah quid ſignificet, 82, a. ejus origo, ibid. cum tetragrammato idem, ibid.
Idololatræ quàm ſint Deo exoſi, 311, 312, a. eorum ſtultitia, 135, 137, a.
Jehovæ nomen quomodo rectè pronuncietur, 69 75, ſeqq. a. cur Hebræi ab ejus pronunciatione abſtinuerint, 75, a. quæ nomina in ejus locum legendo ſubſtituerint, ibid. cur appelletur tetragrammatum, 69, a. quam originem habeat, 76, 77, a. quam ſignificationem ibid. in propria ſignificatione uſurpari deſiit, 79, a. quomodo nominis ingenium æmuletur, 77, a. Deo proprium eſt, 79, a. quando vim habeat nominis Elohim aut Adonim, 78, a. quando aliis etiam tribuatur, 79, a. ubi & cum angelis, ibid. & ſeqq. Chriſto præſertim ſimpliciter nuſpiam tribuitur, 82, a. cum aliis vocibus junctum in unum nomen quodammodo coaleſcit, & creaturis tribuitur, 84, ſeqq. a.
Jeremias quali decreto ab utero ad propheticum munus deſtinatus fuerit, 334, ſeqq. a.
Ignis conſumens cur appelletur Deus, 289, a.
Ignorantia & infirmitas legalis quotuplex, 23.
Imago Dei in homine quid, 9.
Imbecillitatis infantum utilitas, 20, 21, a. quomodo eidem proſpectum, ibid.
Immenſitas Dei quotuplex, 272, 273, a. unde reſultet, 272, a.

Immor-

Digitized by Google

Immortalitas *quid*, 134, *a. quale ſit attributum Dei*, 110, *a. angelorum immortalitas unde pendeat*, 134, *a. ejus fundamenta*, 134, 135, *a. eandem mereri nullo modo poſſumus*, 191, *a. ejus promiſſio ad quæ tempora ſpectet*, 16. *divinæ prorſus par ea non eſt quam expectamus*, 134, *a.*

Imperia *omnia Dei ſubjacent arbitrio*, 188, *a. ab ipſo non facilè mutantur.* ibid. *eo pollentes cur dicantur* δυνάςαι 71, *a.*

Imperium Dei *quale ſit*, 173, 174, *a. ejus ſublimitas & amplitudo*, 174, *a. partes ac functiones*, 177, *a. plenitudo*, 175, 176, *a. æternitas*, 176, *a. omnem humanam poteſtatem ſuperat*, 177, *a. quodnam ei proximum*, 116, *a. ei nihil deceſſit, omni poteſtate in cœlo & in terra Chriſto traditâ*, 174, *a.*

Impietas *iram & odium Dei concitat*, 314, *a. cur non ſemper apertè puniatur à Deo*, 67, *a.*

Impiis *quomodo non adſit Deus*, 274, *a. quomodo illi ab eodem amentur, & quàm diu*, 302, *a. quinam eorum ab angelis cuſtodiantur*, 11. *ſæpè clandeſtinis conſcientiæ tormentis affliguntur*, 12. *eorum conſortium vitandum*, 314, *a. impunitate aliorum impiorum redduntur ſecuriores*, 12. *eorum perſonas quomodo oderit Deus*, 309, *a. à Deo ad ſupplicium ordinantur atque aſſervantur*, 170, *a.*

Impœnitentes *quomodo puniat Deus*, 289, *a.*

Impoſſibilia *quomodo cognoſcantur*, 199, *a. eadem voluntas non eligit*, 141, *a. interdum ea denotant, quæ valde ſunt difficilia*, 207, *a.* 33.

Impoſſibilitatis *ratio in quo ſita*, 199, *a.*

Improbitas *omnis ſpontanea eſt*, 232, *a.*

Impropriis *vocibus & locutionibus uti quando liceat*, 296, *a.*

Impunitatem *cur ſontibus concedat Deus*, 242, *a. quomodo eandem concedendo juſtitiam exerceat*, 243, *a. eadem extremè impiis ſperanda non eſt*, 185, *a. eam nobis promittere non debemus, ſi conditiones promiſſis Dei annexas non præſtemus*, 326, *a.*

Incidere in manus Dei viventis *cur horrendum*, 159, *a.*

Inconſtans *quid & cur facere ſoleat*, 165, *a.*

Inconſtantia *in Deum non cadit*, 265, 266, *a. inconſtantia non eſt, id, quod ſub conditione decreveris, ea non extante, non exequi*, 184, *a.*

Incorruptibilitas *quale Dei attributum*, 110, *a.*

Incredulitatis *hominum pœna*, 352, *a.*

In Deum *quomodo omnia*, 170, *a.*

Indurare *quos poſſit Deus*, 176, *a. quos ſoleat*, 233, 234, 251, 286, *a. quomodo*, 233, *a. ii jam puniuntur, etiamſi ad gravius ſupplicium reſerventur*, 291, *a.*

Induratio *qualis pœna*, 233, *a. homini malitiam non ingenerat*, 234, *a. nec ſemper ineluctabilis eſt*, 234, *a.*

Infantes *in parentum pœnam affligere ac necare Deo licet*, 185, *a. & quidem vel cum illis, vel ſine illis*, ibid. *cur id fiat*, 186, *a.*

Ingratarum *rerum ſenſum quænam in Deo obruant*, 297, *a. ingrata nobis eſſe debent, quæ Deo per ſe ingrata ſunt*, 325, *a.*

Inimici *diligendi ſunt*, 314, *a.*

Initio *quod caruit, etiam fine neceſſariò caret*, 126, *a.*

Injuriam *quomodo quis rei ſuæ inferre poſſit aut non poſſit*, 239, *a.*

Innocens *quotuplex*, 186, *a. eundem afflictioni ſubjicere quo jure Deus poſſit*, 185, 187, 240, *a. quinam ad eam rem à Deo impendantur*, 185, ſeqq. *a. innocens jure puniri nequit*, 240, *a. etiam paucorum innocentium cauſſâ Deus nocentibus multis parcere paratus eſt*, 186, *a. iiſdem peccata aliena imputare & propterea punire injuſtum eſt*, 197, *a. nec à Deo revera puniuntur*, 185, 172, *a. cur*, 240, 268, *a. innocentes præmium verè apud Deum non merentur*, 179, *a.*

Inſtinctus *naturalis finis alicujus gratiâ eſt*, 4, *a.*

Inſtrumenta quædam, quæ brutis natura dedit, cur hominibus negata, 20, a.

Intellectio ens primum non eſt, 31, a.

Intellectus pro ſcientia aut ſapientia à Latino interprete ſæpè ponitur, 135, a.

Intellectus Dei quibus argumentis probetur, 136, 137, a. eodem ſublato Deus & religio omnis tollitur, 137, a. qualis ſit. 136, a. ſemper voluntatem ad id, quod rectum eſt, inclinat, 227, a. ejus explicatio quem uſum habeat, 135, a

Invidia cur in Deum non cadat, 229, 281, a.

Ira quid, 310, a. quæ innocentes ad ſupplicium poſtulat, injuſta eſt, 311, a. vindictam ſemper ſpectat, etiamſi ad eam non ſemper progrediatur, 310, a. interdum ſupplicium denotat, ibid.

Ira Dei quid, 284, 310, a. ira Dei pro pœna ejus, 310, a. quomodo eidem & quorum reſpectu æternitas tribuatur, 312, 313, a. quæ eam cohibeant, 310, a. non eſt ipſa Dei eſſentia, nec naturalis in eo qualitas, 313, a. ejus gravitas, 312, a. in innocentem nunquam fertur, 310, 311, a, adverſus omnia ejus opera non concitatur, 313, a. quomodo placanda, 314, a. quomodo ejus vehementia deſignetur, 311, a. ejus vis quando tollatur, 295, a.

Irriſio hoſtium Deo tributa quid ſit, 319, a.

Iſaaci mactatio quo jure Abrahamo mandari potuerit, 178, a. legi adverſus homicidia latæ non repugnavit, ibid. naturæ jura non violavit, ibid. quid eam præcipiendo Deus quæſierit, ibid.

Iſraëlitarum diſtributio, 19. res Ægyptiorum Deo jubente auferentes furtum non commiſerunt, 168, a. cur interdum citiùs graviuſque puniti, 246, 247, a. iis multa patefacta, quæ gentibus promulgata non fuerunt, 344, a.

Jubiletus, vide Annus.

Judæorum ritus cur facilè à Philoſophis ſperni potuerint, 51, a.

Judaica religio, vide Religio Judaica.

Judices ſub aliena poteſtate ac lege certa conſtituti cum Deo in jure condonandi peccata conferri non debent, 133, a. eorundem ſub lege conſecratio qualis, 28, 29. electio eorum quotuplex, 28. perſonæ eorum quotuplices, ibid. quodnam officium, 29. eorum quidam ſervatores dicuntur, 28.

Judicia Dei cur neque in nobis neque in aliis reprehendenda, 268, a. cur non ſemper omnibus aperta, 12. judicium ultimum per quem patefactum, 291, a. cur juſtum futurum dicatur, 243, a cur tempus ejus Deus nobis occultum eſſe voluerit, 345, a.

Jurandi formula vivo ego, vel vivit Dominus, 132, a.

Juramentum ſanctiſſimus aliquid aſſeverandi modus, 253, a. apud Deum quàm ſanctum, 354, a. quantam ſinceritatem requirat, 253, a. verba juramentorum quomodo intelligenda, ibid. eorundem vis, 17.

Jus quas ſignificationes habeat, 162, 163, a. jus adoptionis per Chriſtum quatenus conditionem noſtram ſupra ſervilem efferat, 238, a. jus creaturæ reſpectu Creatoris an & quale detur, 236, ſeqq. a. quæ ejus origo, & incrementum, 237, a. jus inter Deum & homines inæquale, 238, a. juris dominici quæ natura, 182, a. jus inter dominum & ſervum quale, 237, a. ejus cauſſa, ibid. jus cum honeſtate æquè latè patens unde æſtimandum, & quàm latè extendendum, 228, 229, a. jus omne libertatem aliquam in eo qui illud habet, requirit, 238, a. pro diverſitate ſocietatis æquale vel inæquale, 237, a. cum ſocietate quàm arctè cohæreat, 237, a. jus ſuum etiam non perſequi licet, 182, a.

Jus Dei in creaturas non exit ſimpliciter in infinitum, 239, a. herile in homines duplicem ob cauſſam, 104, a. ejus vi innocentes in nocentium pœnam affligere poteſt, 173, a. quodnam in rebus intelligentibus utendis, 173, a. id, in quo poteſtas ejus conſiſtit, quàm latè pateat, 162, 163, a. in puniendis peccatis creaturarum, 182, 237, a. à ſapientia diſcedere nequit, 165, a. ſtricto non ſolet uti, 242, a. ſummo in puniendo an unquam utatur, 287, a.

Juſtitia pro beneficentia, 228, 241, a. pro beneficiis,

Digitized by Google

neficiis, 228, *a.* *pro fidelitate*, 228, 241, *a.* *pro virtute ſuum cuique tribuente quotuplex*, 228, *a.* univerſalis *ex ſenſu ſacrarum literarum accepta officium*, ibid. *ad homines relata quid complectatur*, ib. particularis *quid.*

Juſtitia Dei *pro benignitate ejus*, 280, 283, *a.* *propriè dicta quid ſit*, 227, *a.* *ejus abuſus*, *a.* *eadem nulla Dei actio vacare poteſt*, 268, *a.* *ad quasnam actiones ejus vi impellatur*, ibid. & ſeqq. *ejus conſideratio quem uſum habeat*, ibid. *ejus vi non impelletur Deus ad quodvis delictum, ſive in ipſo nocente, ſive in alio puniendum*, 268, *a.* *miſericordiæ ejus in ſcripturis non opponitur*, ibid. *ei quædam miſericordiæ effecta adſcribuntur*, ibid. *effectus ejuſdem in extremo judicio potiſſimùm eluceſcent*, 243, *a.* *univerſalis ad ipſum relata quid complectatur*, 228, ſeqq. *a.* *particularis quinam effectus*, 240, ſeqq. *a.* *in præceptis & pœnis*, 240, *a.* *in judicando* προσωποληψίαν *excludit*, 244, *a.*

Juſtus *pro beneficio*, 228, *a.* *pro fideli*, ibid.

Juſtum *quot modis accipiatur*, 162, *a.* *ſtrictè ſumtum quid*, ibid. & ſeqq.

K.

κόσμος *cur appellatus terrarum orbis*, 8.

κράτος pro *imperio*, 144, *a.*

κύριος *quid ſignificet*, 102, *a.* *quando articulum habeat*, 103, *a.* *quando cum articulo poſitum ſingularem dominum ſignificet*, 99, 100, *a.* *cur Deo tribuatur*, 102, *a.* *quibus vocibus Hebræis tunc reſpondeat*, 69, 102, *a.* *quorum nominum indolem imitetur*, 102, *a.* *articulo ſæpiſſimè caret*, 103, *a.* *de Chriſto uſurpatum libentius articulum habet*, 103, *a.*

L.

Lætitia *quomodo Deo tribuatur*, 142, *a.* *qualis ejus effectus*, 315, *a.*

Laudibus *ſuis quatenus delectetur Deus*, 171, *a.*

Legati *cur non aſſumant principum ſuorum perſonam*, 80, *a.*

Levitæ *Sacerdotum miniſterio addicti fuerunt*, 19. *quo ætatis anno ad ſacra admiſſi, & ab iiſdem dimiſſi*, 20. *illis non licuit ad vaſa ſancta, aut ad altare accedere*, ibid. *quænam iis in conſecratione Sacerdotibus fuerint communia*, ibid.

Leges *quasnam Deus abrogare aut relaxare poſſit*, 180, *a.* *quomodo lex mutetur*, 181, *a.*

Lex Moſaica *per angelos olim lata fuit*, 80, 81, *a.* *quomodo deſideria carnis lex incenderit & auxerit*, 35. *ejuſdem imbecillitas in hominibus ad obedientiam perducendis*, 34, 35. *cur minas ultra abnepotes non extenderit*, 291, *a.* *quibus peccatis expiationem conceſſerit & qualem*, 35. *quomodo eadem nondum lata homines puniri à Deo potuerint*, 183, *a.* *vitam æternam apertè non promiſit*, 35, 36.

Lex Moralis *à Chriſto abrogata non eſt, ſed aucta & perfecta*, 18, 19. *eadem rationibus firmis nixa eſt*, 19. *ejus ſenſus quotuplex*, 33. *quo ſenſu ſervatu poſſibilis*, 33, 34. *qualis ejus conſervatio ad obtinenda promiſſa ejus ſuffecerit*, 34. *exempla eorum qui eam ſervaverint*, 37.

Leges ceremoniales *quâ poteſtate à Deo ſublatæ fuerint*, 180, *a.* *cur* δόγματα *appellentur*, 177, 327, *a.* *nulla earum ratione caruit*, 177, *a.*

Leges forenſes *quid*, 28. *quotuplices*, 29, 30. *qua poteſtate à Deo ſublatæ*, 180, *a.*

Lex naturæ *unde pendeat*, 13. *quem uſum habeat*, ibid. *ad quam hominis gubernationem pertineat*, ibid. *in quibus ſceleribus obliget ad pœnam*, 182, *a.*

Leges pœnales *ICtis quæ dicantur*, 177, *a.* *quomodo earum vis tolli poſſit*, 180, *a.*

Lenitas *vide* Manſuetudo & Clementia.

Libri vitæ *mentio in ſcriptura quorſum ſpectet*, 221, *a.*

Digitized by Google

Liberos *quoſnam in pœnam parentum affligere ſoleat Deus*, 168. *a.*

Libertas *ubi locum habeat*, 205, *a. neceſſitati opponitur*, ibid. *&* 140, *a. an aliqua ſit creaturarum reſpectu creatoris*, 239, *a. qua in re conſiſtat*, ibid. *quantopere à Deo aucta*, ibid. *qua re nitatur*, 240, *a. quando ea privari poſſimus*, ibid.

Libertas Chriſti *in regnando imperio divino nihil derogat*, 175, *a. quanta ſit*, 174, *a.*

Libertas voluntatis, *vide* Liberum arbitrium.

Liberum arbitrium *quomodo Græcè appelletur*, 139, *a. quâ in re maximè cernatur*, ibid. *neceſſitate volendi & agendi tollitur*, 206, *a. eodem ſublato pœnæ locus non eſt*, 4.5. *Deo etiam neceſſariò tribuendum, eſt*, 38, 39, *a.*

Locus *etiam Deo tribuitur in ſacris literis*, 278, *a.*

Longanimitate *an ſemper utatur Deus*, 286, *a.*

Lunæ *utilitates*, 13, 14, *a.*

Lux *primò omnium creata*, 7. *per eam nuſpiam angeli intelliguntur*, 3. *pro ſanctitate interdum ſumitur*, 226, *a.*

M.

Machiavellus *de religione quid ſenſerit*, 53, *a. quid de Moſe, quid de neceſſitate religionis in repub.* ibid. *ejuſdem ſententia de prædictionibus prodigioſis turbarum*, 62, 63, *a.*

Magicarum artium *effecta quænam*, 60, *a. quid de eorum veritate aut falſitate ſentiendum*, ibid. *&* ſeqq. *cur eas nonnulli fruſtra tentarint*, 61, 62, *a. dæmones eſſe probant*, 60, ſeqq. *a.*

Magiſtratus *cur Elohim ſeu* Dii *in ſacris literis appellentur*, 71, *a. etiam pii magiſtratus ab angelis cuſtodiri ſolent*, 11. *poteſtate ſibi à Deo conceſſa abuti non debet*, 189, *a. coram eo ſeſe humiliare debet*, ibid.

Magnitudo Dei *quid denotet*, 272, *a. ubi illi in ſcriptura tribuatur*, ibid. *quanta ſit*, 273, *a. vide etiam* Immenſitas Dei.

Μακροθυμία à πρᾳότητι *quomodo differat*, 285, *a. de Deo uſurpata quid ſignificet*, ibid.

Mala *quæ Deo volente vel permittente nobis eveniunt, quomodo ferenda*, 90, 268, *a. mala facientibus plaudere, gravius interdum, quam facere*, 229, *a.*

Malorum *conſilia in bonum finem dirigit Deus*, 232, *a. eorundem proſperitas providentiam Dei non tollit*, 11. *cur eoſdem toleret Deus, maloſque affligere permittat*, 67, *a.*

Malitia *hominum Deus interdum ad affligendos alios utitur*, 190, *a. quàm juſtè*, 210, *a. id cùm ſit, quomodo nos gerere debeamus*, 190, *a.*

Mandata Dei, *vide* Præcepta Dei *&* Chriſti.

Manſuetudo *quid ſit*, 284, *a. divina hominibus imitanda eſt*, 294, *a.*

Mariæ *matris Chriſti cultus gloriæ divinæ derogat*, 116, 117, *a. quàm ſublimia ei à quibuſdam tribuantur*, ibid.

Martyria *primorum Chriſtianorum fidem de Deo & religione ſtabilierunt*, 49, *a.*

Materia *prima ab appetitu finis proficiſci nequit*, 30, *a.*

Media *conſervationis noſtræ non negligenda*, 11. *mediis interdum inbecillibus cur utatur Deus*, 218, 219, *a.*

Mel *ſub lege non adolebatur*, 24.

Μέλλοντα *quænam à Græcis appellentur*, 200, 201, *a. quomodo à Deo cognoſcantur*, 201, *a. quænam & cur ad ἐσόμενα accedant propiùs*, ibid.

Membra *hominum aliorumque animantium quomodo Deo tribuantur*, 107, *a.*

Meminiſſe *quomodo dicatur Deus*, 197, *a.*

Mendacem Deum facere *quantum ſcelus*, 262, *a.*

Mendacia *quomodo diſtingui ſoleant*, 272, *a.*

Mens *hominis conſcia recti calumnias cur ſpernere poſſit*, 220, *a. intellectus divini argumentum eſt*, 136, *a.*

Digitized by Google

Meritum *creaturæ reſpectu Dei nullum*, 179, 243, *a. propriè dicti vis & natura*, 179, *a. pœnæ nullum eſt, ubi malè agendi neceſſitas*, 204, *a.*

Metus *quomodo Deo in ſac. literis tribuatur*, 323, 324, *a. cur raro*, 324, *a. unde proficiſcatur*, 324, *a. cum perfectione ejus non pugnat*, 325, *a. nec cum beatitudine*, 271, *a.*

Michael *quid ſignificet*, 86, *a.*

Mirabile *pro* difficili, 148, *a.*

Miracula *qualia ſigna ſint*, 256, 259, *a.*

Miracula Chriſti *quot & quanta*, 144, *a. eorundem vis in confirmanda doctrina Evangelii*, 89, ſeqq. *potentiæ Dei argumenta fuerunt*, 144, *a.*

Miracula diſcipulorum Chriſti *cui adſcribenda*, 144, *a.*

Miracula Moſis *ad confirmationem Legis patrata*, 144, *a. potentiæ Dei argumenta*, ibid.

Miſericordia *pro benignitate*, 280, 309, *a. erga quos*, 307, *a. quomodo cum gratia conveniat, & ab eadem differat*, 306, 307, *a. quid ſignificet*, 280, *a. quatenus in promiſſis præſtandis cernatur*, 263, *a.*

Miſericordia Dei *ubi commemoretur in ſacris literis*, 306, *a. cur tam crebrò*, 263, *a. quomodo æterna*, 130, *a. ſæpiùs æternum duratura, quam ab æterno eſſe dicitur*, ibid. *amor quidam eſt*, 313, *a. ejus effectus*, 308, *a. iidem majores ſunt, quàm iræ*, 313, *a. ejus gradus*, 308, *a. cur gratiæ interdum apponatur in votis Apoſtolicis*, 307, *a. quænam ei opponantur*, 298, 309, *a. quotuplex*, 308, *a. ordinaria quænam*, ibid. *quæ ejus effecta*, ibid. *extraordinaria quid*, ibid. *quis doctrinæ de miſericordia divina uſus*, 314, *a.*

Moleſtia *quomodo Deo tribuatur*, 320, *a.*

Morti *honeſtatis cauſſâ ſeipſum objicere, aut filium ad eandem hortari ſalvo amore naturali licet*, 148, *a.*

Moſes *quomodo mediator fuerit veteris fœderis*, 18.

Motus *à quibuſdam Philoſophis negatus*, 60, *a. motus populorum, eorumque præſagia ab aſtris non ſunt*, 63, ſeqq. *a.*

Mundi *vox pro univerſitate rerum ſumta unde appellationem traxerit*, 8. *æternitas ejus refutatur*, 24, & ſeqq. *a. idem à ſeipſo non extitit*, 22, 23, *a. nec caſu aut neceſſitate*, 23, 24, *a. qualis ſit ejus efficiens*, 8, 38, 39, *a. eadem poſitâ ejus æternitas tollitur*, 39, 40, *a. perpetuò non efficitur*, 39, *a. cur inferiorem mundum cum corporibus cœleſtibus continuum eſſe oportuerit*, 15, *a. quæ ejus materia fuerit, & qualis*, 5, ſeqq. *quomodo ejus opificium Deum eſſe demonſtret*, 7, ſeqq. *a.*

Mundus *pro* impiis *dignus fuit, qui olim dæmonum fraudibus exponeretur*, 59, *a.*

Mutabilitas *quænam à Deo abſit*, 349, *a. vid.* Inconſtantia.

Mutabilis *Deus non eſt, etiamſi quædam decernit quæ antea non decreverat*, 349, *a. mutatio decretorum, rebus mutatis, ejus conſtantiæ non repugnat*, ibid.

Mutari *quiſpiam à ſeipſo poteſt*, 43, *a.*

Mutatio *rerum ſublunarium ſtata unde*, 14, *a.*

Myſterium *quid ſignificet in ſacris literis* 344, *a.*

N.

Naturam *quinam Deum ipſum faciant*, 6, 7, *a. nihil fruſtra facit*, 4, 206, *a. quotuplex ſit*, 6, *a. quid univerſalis*, ibid. *eadem de rebus in finem ſuum dirigendis non deliberat*, ibid. *nec particularis in rebus naturalibus*, ibid. *ea excutit, quæ præter aut contra eam rebus inſunt*, 49, *a.*

Naturæ divinæ *puritas in quo conſiſtat*, 227, *a.*

Naturæ ordo *tempore definitus eſt, & in orbem redit*, 25, *a. ejuſdem* opera *omnia bonum aliquod ſpectant*, 36, *a. ſingula divinitatis argumenta ſuppeditant*, 9, *a.*

Naturalia *omnia finis gratiâ agunt*, 4, 5, *a. cujus conſilio ad finem dirigantur*, 4, 5, *a. eadem alicujus rectoris conſilio gubernari*

 neceſſe

neceſſe eſt, 3, *a. naturale eſt ſimiliter ſe habere in omnibus*. 4 14. 26, 37 *a. ad rerum naturalium conſiderationem cur non ſemel nos divinæ literæ ducant*, 9, *a*.
Naturaliter *agentia neceſſariò agunt*, 39, *a*.
Neceſſariò *agentia utrumque contrariorum efficere nequeunt*, 39 *a. neceſſariò fieri omnia, quàm abſurdum ſit dicere*, 204 *a*.
Neceſſitas *æternitatis fundamentum*. 164, *a. quænam ei ſubjecta*, 143, *a. neceſſitatem agendi Deum hominibus in quibuſdam rebus imponere abſurdum non eſt*, 210, *a. neceſſitas decernendi & volendi in quibus locum habeat*, 140, *a*.
Negativè *de ſubjectis dici ſolita, in diſciplinis attendi non ſolent*, 110, *a*.
Neomeniæ *quando & quomodo à Iudæis celebrandæ fuerint*, 27.
Nihil *quotuplex in ſcholis*, 6:
Nocentem *ultra meritum plectere injuſtum eſt*, 230, *a. id Deus non facit*, 240, *a. neque tum, cùm liberos tum ob ſua, tum ob parentum peccata punit*. ibid. *quinam à Deo abſolvantur*, 288, 289, *a*.
Nomen Dei *quo ſenſu ſanctum dicatur*, 225, *a. nomina ejusdem quotuplicia ſint*, 68, 69, *a. quænam Hebræa* 68. *a. quænam Græca*, 69. *a. unde potiſſimùm ſumta*, 105. *a. eorundem explicatio & conſideratio quid proſit*, 1, 68, 105, *a*.
Non ens *quomodo cognoſcatur*, 199. *a*.

O.

Oblivio *Deo quomodo tribuatur*, 197, *a*.
Obliviſci *pro negligere*. ibid.
Occaſionis *ad peccandum quanta vis*, 233, *a*.
Odiſſe *Deum quinam cenſeantur*. 290. *a*.
Odium *quomodo ab ira differat*, 310 *a*.
Odium *Dei quid*, 309 *a*. 313, *a. odium pravi Deo naturale eſt*, 314, *a. odii divini objectum*, 309, *a. initium*, 310, *a. odium malorum hominum piorum amori in Deo par non eſt*, 313, *a. quid eidem obſtet in creaturis peccantibus*, ibid. *erga peccatores quosvis non eſt naturalis in Deo qualitas*, 314 *a. nec ejus eſſentia*, 313, *a*.
Offenſas *ſuas cuique condonare licet*, 183, *a*.
vox Omnes *vel* omnia *ſimpliciter poſita ad ſubjectam materiam reſtringenda eſt*, 151, 152, *a*.
Omnia *Deum poſſe quomodo intelligendum*, 149, 150, *a*.
Omnipotentia Dei *quibus loquendi modis ſcriptura exprimatur*, 146, ſeqq. *a. non reſtringitur, etiamſi dicatur, eam ad poſſibilia tantum extendi, ad contradictoria non extendi*, 151, 152, 160, *a. non tollitur, etiamſi Deus mori, peccare, factum infectum reddere &c. non poſſit*, 160, ſeqq. *eâ ad abſurda dogmata tuenda non abutendum*, 160, *a. eam non protinus negant, qui rem, quæ naturâ ſuâ poſſibilis eſt, naturâ impoſſibilem eſſe per errorem putant*,, 161, *a*.
Omnipræſentia *cur Deo tribuatur*, 274, *a. ea, quæ vulgò ſtatuitur, ex ſcriptura demonſtrari nequit*, 277, *a. multis abſurdis & contradictionibus involuta videtur*, ibid. & ſeqq. *omnipræſentia Dei ſpem noſtram ſuſtentat*, 277, *a. ipſius metum ingenerat*, ibid.
Omniſcientia Dei *cur penitus animo infigenda*, 219, 220, *a. quæ nobis præſtet ſolatia*, 220, *a. quantum ejus meditatio ad ſtudium pietatis faciat*, ibid. *eadem non negatur, ſi negetur, futura contingentia determinatè ſciri poſſe*, 201, *a*.
Opera Dei *quid*, 1, *a. ſine agnitione potentiæ ejus credi nequeunt*, 159, *a. quænam ſint opera ejus generalia*, 1.
Opera *quænam & cur à Iuſtificatione excludantur, fideique opponantur*, 34. *qualia ſub lege ad Iuſtificationem requiſita fuerint, qualia ſub novo fœdere requirantur*, 178, *a*.
Operculum *arca cur* ἱλαςήϱιον *ſeu propitiatorium dicatur*, 21.
Opifex *naturalis eſt operis ſui dominus*, 7, *a. opificem* univerſi *eſſe probatur*, 7, ſeqq. *a*.

Opus

Digitized by Google

Opus *quodvis quomodo ſui ſit opificis*, 164, *a*. *ejus ratio in forma conſiſtit*, 8, *a*. Opus Dei *pro opere ab ipſo præſcripto eidemque grato*, 132, *a*.
Oracula *dæmones eſſe demonſtrant*, 59, *a*.
Oralem manducationem *corporis Chriſti negantibus malè objicitur negatio omnipotentiæ Dei*, 160, *a*.
Oratio, *vide* Preces.

P.

Panis *appoſititius cur ſic dictus*, 21.
Παντοκράτορ *vix quomodo tum à Græcis V.T. interpretibus, tum à novi T. ſcriptoribus uſurpetur*, 146, *a*.
Parentum *pietas quomodo liberis impunitatem aliaque beneficia pariat*, 246, 247, *a*.
Partium *ſingularum in animalibus utilitas*, 18, *a*.
Paſſiva *interdum actionem ſignificant*, 43, 44, *a*.
PATER *ſolus eſt unus & ſummus ille Deus*, 114, *a*.
Paulus *quomodo anathema à Chriſto pro Iſraëlitis fieri voluerit*, 141, *a*. *quoad juſtitiam in lege fuit irreprehenſibilis*, 34. *res nonnullas ad libertatem Chriſtianam ſpectantes occultando ſinceritatem non violavit*, 257, *a*. *quali decreto ab utero matris ad Apoſtolatum ſegregatus fuerit*, 333, ſeqq. *a*.
Peccatori *ignoſcere juſtitiæ divinæ non repugnat*, 182, *a*.
Peccata *Deus fieri non vult*, 231, 232, *a*. *ſed odio habet*, 309, *a*. *quænam ſigillatim abominetur*, ibid. *peccatis* excelſo brachio commiſſis *nulla ſub lege conceſſa fuit expiatio*, 22. *quomodo tamen eorundem remiſſio nonnullis obtigerit*, ibid. *gravitas peccatorum unde æſtimetur*, 292, *a*. *peccatum per ignorantiam quibus peccatis ſub lege annumeratum fuerit*, 23. *faciliùs condonatur, quàm quod à ſcientibus*, 334, 335, *a*. *peccata in homines commiſſa cur in Deum redundent*, 183, *a*. *ipſis etiam invitis ab eo remitti poſſunt*, ibid. *peccata quorundam impunitate temporaria à Deo cur donentur*, 12. *nullum peccatum impunitum dimittere clementiæ divinæ repugnat*, 291, *a*. *peccata nullis ſupervenientibus meritis compenſari poſſunt*, 179, 180, *a*. *peccatum ibi nullum eſt, ubi neceſſitas*, 204, 205, *a*. *peccata peccatis punire quomodo poſſit Deus*, 234, *a*.
Per Deum *quomodo* omnia, 170, *a*.
Perfectiſſimum *unum tantùm eſt*, 113, *a*.
Peripateticorum *de Deo opinio*, 28, *a*. *iidem Deo voluntatem extra ſe agendi libertatemque abſtulerunt*, 34, *a*. *providentiam ejuſdem, quæ in rerum generatione & conſervatione cernitur, tollunt*, 35, ſeqq. *a*. *eorundem ſententia de modo dependentiæ rerum omnium à primo ente falſa & perniciosa*, 28, ſeqq. *a*. *quidam eorum mundi efficientem cauſſam non agnoſcere videntur*, 8, *a*. *mundi æternitatem ſtatuunt*, 24, *a*.
Permittere *quid ſit*, 330, *a*. *decretum de re aliqua permittenda, ad quod decretorum genus pertineat*, ibid.
Perſeverantia *in fide ſalutis noſtræ conditio eſt*, 331, *a*.
Perſona *quid*, 114, *a*. *perſonæ plures, plures ſubſtantiæ primæ ſunt etiam in divinis*, 114, *a*.
Perſonam accipere *quid ſit*, 244, *a*.
Pharao *quomodo à Deo populum dimittere juſſus*, 250, *a*. *quomodo à Deo induratus fuerit*, 250, 251, *a*. *quid ea ratione Deus quæſiverit*, 251, *a*.
Φιλανθρωπία *Deo cur tribuátur*, 303, *a*. *quid ſignificet*, 281, 282, *a*. *quanta ſit*, 282, *a*.
Philoſophi *quidam abſurdiſſima aſſeruerunt*, 50, *a*. *quoſdam eorum atheos fuiſſe cur mirandum non ſit*, 50, 51, *a*. *eorundem opinio univerſali gentium conſenſui non derogat*, ibid.
Pietas *à Deo amatur*, 301, *a*. *pietatem majorum in poſteris remunerari convenit*, 246, *a*.

Digitized by Google

245, a. & à Deo promiſſum, cum limitatione tamen, ibid. quomodo eadem poſteris impunitatem quorundam delictorum pariat, 12. pietati quæ modeſtia addenda, 189, a. quænam ejus officia, quæ ex hiſtoria primi mundi colligi poſſint, 14. præmiis manifeſtis à Deo non ſemper afficitur, 67, a. cur, 314, a.

Pios cur affligi patiatur Deus, 12. pii apparent multi, qui non ſunt, 11. felicitate impiorum, & afflictionibus piorum turbari non debent, 224, a.

Plantarum earumque partium, quæ utilitas, 15, 17, 36, 37, a.

Pœnas aliorum optare iiſdemque lætari non debemus, ſed eas potiùs deprecari, 225, a. eas dum aufert Deus, beneficia in illarum locum reponere ſolet, 286, a. pœna cui & à quo debeatur, 182, a. pœnæ capitales ſub lege quænam & quibus inflictæ. 30. pœnas crebrò quidem, ſed tamen non ſemper differt Deus, 286, a. eas nimium non differt, 290, 291, a. quid eaſdem differendo quærat, 216, a. pœnarum divinarum ſcopus, 181, a. pœna expreſſè non ſancita quomodo à Deo infligi poſſit, 182, a. pœnæ gravitas in quo conſiſtat, 292, a. eam delicto graviorem eſſe juſtitia non permittit, 179, a. pœnam impiorum quando deſideret eaque delectetur Deus, 317, 325, a. eam ab extremè impiis juſtitiæ vi exigit, 226, a. impiis ante legem etiam pœna inflicta fuit, 182, a. judiciariæ ſub Lege quotuplices, 30. pœnæ leviores interdum iis, quibus graviſſima remiſſa fuit, à Deo cur infligantur, 291, a. pœnas etiam remittendi poteſtatem Deus habet, 182, a. pœnas peccatorum Deo debemus, 182, 183, a. quales & quantæ à Deo conſtitui poſſint, 179, a. ratio earum propria quæ ſit, 187, a. relaxari poſſint, etiam comminatione antegreſſâ, 336, a. pœna eorum, qui veritatem recipere nolunt, ſalutemque ſuam negligunt, 289, a. vide etiam Supplicia.

Pœnitentia quomodo Deo tribuatur, 208, a. pro effectu ejusdem ſumta quid, 322, 323, a. non ſemper affectum ejus denotat, 398, 322, a. beatitudini ejus non obſtat, 271, a.

Pontifex, vide Sacerdos.

Poſſe, pro voluntatis propenſione indeque nata agendi conſuetudine, 148, a.

Poſſibilia quotuplicia, 199, a. contingentia plerumque ſimplici poſſibilium nomine intelliguntur, ibid. quomodo eadem cognoſcat Deus, ibid.

Poſteris Abrahami & Davidis cur & quomodo præ reliquis hominibus ſine proſopoleſia faverit Deus, 246, a.

Potens pro ipſo Deo, 68, a. potens eſſe aliquid facere, quo ſenſu dicatur Deus, 148, a.

Potentiæ in ſacris literis appellationes, 144, a. activa quotuplex, 155, a. voluntaria quibus propria, 155, 157, a. quibus in rebus cernatur, 157, a. à poteſtate quomodo differat, 143, a. quid ſit, 144, a.

Potentia Dei demonſtratur, 144, ſeqq. a. abſoluta an & quæ ſit, 154, a. actionum externarum principium, 143, a. actu voluntatis latiùs patet, 153, a. æterna eſt, 152, a. quomodo agat in alia, 158, a. ejuſdem amplitudo, 145, ſeqq. a. quinam eam coarctent, 152, a. ad ea, quæ contradictionem involvunt, non extenditur, 316, a. in creatione quomodo oſtenſa, 8. exeri nequit actu voluntatis non antecedente, 154, 156, a. facultates creaturarum omnes tum naturales, tum voluntarias longè ſuperat, 157, a. ejus genus, 155, ſeqq. a. ad utrumque oppoſitorum eſt indifferens, 156, a. quid eam ad alterutrum determinet, ibid. objectum ejus, 149, 156, a. cum objecto voluntatis prorſus idem non eſt, 153, a. ordinaria ab abſoluta quomodo differat, 154, a. ejuſdem perfectio, 145, ſeqq. potentia Dei veluti ſecundaria quæ, 146, a. ſimilitudo potentiæ divinæ cum naturalibus, 157, a. quomodo cum voluntate ejus conveniat, & ab eadem differat, 153, a. doctrinæ de ea uſus, 159, & ſeqq. a.

Potentia naturalis quælibet determinatum

Digitized by Google

tempus habet, intra quod deducatur in actum, 25, *a.*

Poteſtas *quomodo Græcè appelletur*, 143, 161, *a. cur & quantus cuilibet poteſtati honor debeatur*, 188, *a. poteſtati liberæ quid ſubjectum*, 163, *a. natura ejus unde æſtimanda*, 173, *a.*

Poteſtas *creaturarum omnium, vel à Deo, vel ipſo permittente obtinetur*, 72, *a.*

Poteſtas *ejuſdemque nomina ſpecialia* Deo *ſæpè in ſacris literis tribuuntur*, 161, *a. ea actionum tranſeuntium principium eſt*, ibid. *in adminiſtratione rerum ſancitarum qualis*, 181, *a. affectiones ejus*, 163, *a. qualis in angelos*, 2. *qualis in bonis diſtribuendis & adimendis*, 172, *a. ejus quæ in creaturas intelligentes eſt, proprietates*, 173, 174, *a. cognitio ejus quantum uſum habeat*, 188, ſeqq. *a. nimis coarctanda non eſt*, 191, *a. in condonatione peccatorum cernitur*, 182, ſeqq. *a. ad decreta quatenus pertineat*, 143, *a. in deſtruendis & deterioribus reddendis creaturis intelligentibus quos limites habeat*, 172, *a. eadem diſcrimen inter pares etiam facere poteſt*, 283, *a. atque adeo inter eandem pœnam commeritos*, 292, *a. ejus gradus*, 164, 165, *a. quomodo ii reſpectu neceſſitatis differant*, 164, *a. quomodo poteſtas Dei ſit independens*, 163, *a. quomodo infinita*, 163, 164, *a. ad injuſta non extendenda*, 191, *a. in quo jure conſiſtat*, 162, *a. libera eſt*, 161, *a. quomodo limites admittat*, 163, *a. ejuſdem natura*, 143, 161, ſeqq. *a. potentiæ ejus neceſſariò annexa eſt*, 161, *a. in perſolvendis præmiis & pœnis quanta*, 181, 182, *a.*

Præcepta *quomodo proponenda*, 255, *a.*

Præceptorum Dei *alia affirmantia, alia negantia*, 330, *a. qualia ante diluvium fuerint*, 14, 15. *qualia poſt diluvium*, ib. *quando Deus præceptorum ſuorum effectum impedire poſſit*, 249, *a. quomodo intelligenda ſint*, 249, *a. eorum obſervationem quomodo procuret Deus*, 181, *a. pœna omnibus annexa eſt, ſive expreſſè, ſive tacitè*, 249, *a. præcepta Dei generatim omnia omnem ſimulationem excludunt*, 255, *a.*

Præcepta Euangelii *perfectiora ſunt præceptis Legis*, 177, *a.*

Præcepta Legis *ceremonialia unde vim obligandi habuerint*, 150, *a. primum Decalogi præceptum quem obſtringat*, 115, *a. præcepta legis quotuplicia ſint*, 18. *quænam ad religionem Chriſtianam pertineant*, ib. *Præcepta legis* moralia, *unde ortum & vim ſuam habuerint*, 350, *a.*

Præceptum *de ſanguine humano non fundendo quando traditum*, 14.

Præcipi *hominibus à Deo generatim ea, quæ à maxima parte eorum obſervari nolit, abſurdum eſt*, 249, ſeqq. *a.*

Prædeſtinationis *Calvinianæ abſurditas*, 191, 230, ſeqq. *a.*

Prædeſtinatio *quomodo ab electione differat*, 342, *a.*

Prædictiones *divinæ quotuplices ſint*, 210, ſeqq. *a.*

Prædictiones futurorum *obſcuræ ſinceritati divinæ non repugnant*, 253, *a. prædictiones prodigioſæ motuum magnorum, exiſtentiæ divinæ argumenta ſunt*, 62, 63, *a. eorundem cauſſæ*, 62, *a.*

Præmia *quomodo commutari poſſint*, 181, *a. ea decernere in arbitrio Dei ſitum*, 179, 180, *a. divinorum præmiorum ſcopus*, 185, *a. cur Deus nullo præmio propoſito à primo mundo coli voluerit*, 16. *præmium etiam ſine promiſſo perſolvi poteſt*, 243, *a. eadem perſolvendo Deus juſtitiam exercet*, ibid. *præmium pietatis ad Iudæos primùm ſpectat*, 257, *a.*

Præſcientia Dei *propriè dicta, malè à quibuſdam Patribus negata*, 207, *a. præſcientia futurorum contingentium in Deo qualis*, 199, ſeqq. *a.*

Præſentiæ Dei *gradus diverſi*, 274, *a. quinam eorum præſtantiſſimus*, ibid.

Præſentiam *corporalem carnis Chriſti in Euchariſtia negantibus, malè objicitur negatio omnipotentiæ Dei*, 160, *a.*

Digitized by Google

Præteritum *pro* præſenti *per Hebraiſmum*, 147, *a*.
πραότης *à* μακροθυμίᾳ *quomodo differat*, 258, *a*.
Pravum *factum approbans quàm graviter peccet*, 229, *a*.
Precum *alienarum vis in pœnis divinis avertendis aut mitigandis*, 184, *a. precum vis omnis contingentiâ ſublatâ tollitur*, 204, *a*.
Primi mundi *hiſtoria quæ pietatis præcepta ſuppeditet*, 14. *an promiſſa tum aliqua extiterint*, 15.
Primus *ac* noviſſimus *cur Deus appellatus*, 123, *a*.
Principes *boni publici adminiſtri ſunt potius, quàm domini*, 183, *a. principes ſummi in jure condonandi delicta Deo omninò pares non ſunt*, 183, *a. & ſuas & privatorum totiuſque reipub. injurias jurè condonare ſæpè poſſunt*, ibid.
Privatorum lapſus *quibus ſacrificiis ſub Lege expiati fuerint*, 22, 23.
Προαίρεσις *quid ſit*, 329, *a. in quibus locum habeat*, ibid. *circa quid verſetur*, ibid.
Prodigiorum *certitudo*, 59, 60, *a. eorum vis in probanda Dei exiſtentia*, ibid. *an ſemper ſint certa divinæ ſententiæ indicia*, 259, *a. iis Deus homines interdum tentat*, ibid. *quando ea & cur permittere ſoleat*, ibid.
Profanas *fœminas uxores ducere quàm turpe ſit*, 14.
Προγινώσκειν *quid ſignificet in ſacris literis*, 328, *a. quid* πρόγνωσις, ibid.
Promiſſa *Abrahamo quænam à Deo facta*, 17. *promiſſa Dei per Chriſtum ſub conditione pietatis facta*, 351, *a. cur illis indubitata fides adhibenda*, ibid. *quando & cur ad effectum perducantur*, 335, 336, *a. quomodo intelligenda*, 248, *a. promiſſum ejuſdem de Iſraelitis in terram Canaan introducendis quale fuerit*, 333, *a. promiſſa Dei ſimulationem omnem excludunt*, 255, *a. promiſſo cui & quale jus acquiratur*, 181, 182, *a. an ullum primo mundo factum ſit*, 15, 16.
προορίζειν *quid*, 328, *a*.
Propagatio *in piorum poſteris quomodo à Deo reſpiciatur*, 246, *a*.
Prophetarum *quodnam proprium officium*, 198, *a*.
Prophetiæ *Deum futura ſcire probant*, 198, *a*.
Proprietatibus Dei *naturalibus nihil contrarium in Deum cadere, aut in operibus ejus cerni poteſt*, 281, *a. Vide* Attributa Dei.
πρόθεσις *vel* propoſitum Dei *quid ſignificet*, 328, *a*.
Proſopolepſia *quid*, 244, *a. in Deum non cadit*, ibid. *nec in nos cadere debet*, 267, 268, *a*.
Providentia Dei *quid*, 10. *ejuſdem argumenta in rebus humanis cur multi non deprehendant*, 66, *a. in quibus conſiſtat*, 10. *quàm neceſſaria ſit creditu*, 159, *a. ejuſdem opus in digeſtione terræ & aquæ*, 32, 33, *a. circa fideles quæ ſit*, 196, *a. quæ ejuſdem functiones*, 198, *a. etiam in minimis cernitur*, 192, *a. potentiæ Dei documentum eſt*, 144, *a. circa ſingularia maximè verſatur*, 198, *a. afflictionibus piorum, & ſecundis ſucceſſibus malorum non tollitur*, 11, 12.
Prudentia *quibus in rebus verſetur*, 193, *a*.
Punire *ac perdere*, *opus Dei alienum eſt*, 287, *a. puniendi jus unde oriatur*, 240, *a. id qui habet, ſonti non cavet, dum differt ſupplicium*, 258, *a. puniendo juſtitiam exercet Deus*, 243, *a. puniri graviùs à Deo qui ſoleant*, 292, *a*.
Purus *pro* ſancto, 225, *a*.

Q.

Quærere Deum *quid*, 2, *a*.
Qualitates *eorum, quibus benefacit, Deus non ſemper reſpicit*, 245, *a. quænam in judicio ſpectandæ, vel non*, 244, *a*.

Ratio

Digitized by Google

R.

Ratio *hominis ad imaginem Dei pertinet*, 9. *quotuplex ſit*, ib. *quænam & quomodo rectum ac honeſtum ſequi ſuadeat*, ibid. *quam plerumque homines ſequantur*, ib. *ejus uſus à rebus fidei removendus non eſt*, 223, *a*.

Recordari *alicujus rei quomodo dicatur*, *Deus*, 197, *a*.

Rectitudo *in quo conſiſtat*, 163, *a*.

Rectore *mundi ſummo demonſtrato, demonſtratur Deum eſſe*, 2, *a*. *quomodo idem demonſtretur*, 3, ſeqq. *a*. *idem etiam aliis rebus præter mundum præeſt*, 2, 3, *a*. *ei ſummus debetur cultus*, 3, *a*. *infiniti eſſe nequeunt*, 3, *a*. *ſed unus tantùm*, 112, 113, *a*.

Regis *nomen Deo tributum quid deſignet*, 161, *a*. *reges populi Iſraelitici quomodo ad munus ſuum conſecrati fuerint*, 29. *regum peccata quomodo in populo puniantur*, 186, *a*. *reges terreni, ſalvis legibus divinis, infinita de rebus particularibus ſtatuere pro arbitrio poſſunt*, 175, *a*.

Regionum *polis ſubjectarum uſus*, 12, *a*.

Regna *omnia divinis legibus adſtricta ſunt*, 188, *a*.

Regni Chriſti *ſcopus*, 174, *a*.

Regnum Dei *ſolum verè abſolutum*, 188, *a*. *quomodo æternum*, 130, *a*.

Relaxatio legum pœnalium *quid*, 180, *a*. *Deo competit*, ibid.

Religio *quid ſignificet*, 1, *a*. *ejuſdem in repub. neceſſitas*, 52, 53, *a*. *eadem neceſſitas divinitatis argumentum eſt*, 52, ſeqq. *a*. *religionis cujuſque partes*, 13. *eadem dem ſublatâ omnia ſceleribus complentur*, 55, *a*. *religiones veteres, præter Iudaicam, omnes cur deſierint*, ibid. *qui eam vi aut fraude propagant, quid ſpectent*, 50, *a*.

Religio vera *quid*, 1, *a*. *quali argumentorum genere nitatur*, 67, *a*. *cur certa ratione niti debeat*, ibid. *circa quem primò ac per ſe occupetur*, 1, *a*. *à decretis divinis vim accipit*, 350, *a*. *ea pro diverſitate temporis diverſa fuit*, 13. *quibus partibus conſtet*, 350, *a*.

Religio Abrahami *qualis*, 16, ſeqq. *a*. *ad quos ſpectarit*, 15, 16. *perfectior fuit religione primi mundi*, 16. *Moſaicâ verò imperfectior*, 18. *ejus promiſſa*, 17. *præcepta*, ibid. & ſeqq.

Religionis Chriſtianæ *duratio*, 55, 159, *a*. *ſola hominibus ſalutem affert*, 159, *a*.

Religio Judaica *antecedentibus perfectior eſt*, 35. *cur in hunc uſque diem duret*, 55, *a*. *ei perfectiorem ſuccedere neceſſitas poſtulavit*, 34. *ejus promiſſa*, 31, 32. *eorundem confirmationes*, 32, 33. *ubi contineatur*, 18.

Religio primi mundi *quàm obſcura & imperfecta*, 13, 14.

Remiſſio peccatorum *quid*, 285, *a*. *beneficium ejus quanti æſtimandum*, 190, *a*. *qualis clementiæ divinæ effectus*, 285, *a*. *quinam & qua conditione eam conſequantur*, 184, 285, *a*. *qualis ſub veteri fœdere & quibus promiſſa fuerit*, 185, *a*. *qualis in novo fœdere promiſſa, & quibus beneficiis conjuncta*, 285, 286, *a*. *ſæpè vitam æternam in ſe comprehendit, & cur*, 3.

Requies populi Dei *quænam*, 351, 352, *a*.

Rerum *Chriſto ſubjiciendarum genera*, 32. *res divinæ*, vide Divina. *Res omnes finis gratiâ & agunt, & exiſtunt*, 7, ſeqq. *a*. *res intellectu deſtitutæ impropriè gubernari dicuntur*, 173, *a*. *rerum licitarum uſu quando abſtinendum ſit*, 191, *a*. *rebus omnibus quomodo utatur Deus*, 172, 173, *a*. *omnes utilitatem quandam habent*, 9, ſeqq. 21, 22, *a*. *etiam viliſſimæ*, 21, *a*.

Reſpublica *ſine religione conſtare nequit*, 52, 53, *a*.

Reſurrectio Chriſti *divinæ potentiæ effectum atque argumentum evidens*, 145, 159, *a*.

Reſurrectio mortuorum *quàm neceſſaria creditu*, 159, *a*.

Revelationis *divinæ voluntatis gradus*, 345, *a*.

Digitized by Google

S.

Sabbathum *quid ſignificet*, 26. *cur à Deo præceptum fuerit*, ibid. & ſeqq. *quam ſeverè*, 27. *quæ opera in eodem facere licuerit*, 27.

Sacerdotum Leviticorum *conſecratio*, 20. *cur facta*, ibid. *eorundem leges*, 19, ſeqq. *eorundem officium*, 20. *peccata eorum quo ſacrificio expiata fuerint*, 22. *poſſeſſiones nullas tenuerunt*, 25. *qualitates in eorum conſtitutione ſpectatæ*, 19. *quid iis ex ſacrificiis ceſſerit*, 24. *eorundem vitæ ratio*, 25. *victus & veſtitus*, ibid. *qualis uxor illis ducenda fuerit*, ib.

Sacerdotis *nomen ſacerdotaleſque functiones à ſolo auctore ad Hebræos Chriſto apertè tribuuntur*, 19.

Sacra *quanta religione tractanda*, 292, *a. pœna eorum qui ſacra tractant, cur gravior, ſi peccent*, ibid.

Sacrificare *ſacerdotum munus maximè proprium*, 20.

Sacrificia *quædam quomodo æterna dicantur*, 121, *a. ſacrificium qua in re conſiſtat*, 250, *a. ſacrificia ante diluvium*, 15.

Sacrificium laudis *tantùm Deus à nobis poſtulat*, 172, *a. quid complectatur*, ibid. *quàm gratum ei ſit*, 318, *a*.

Sacrificia legalia *quotuplicia fuerint*, 21, 22. *eorundem ritus*, 21, ſeqq. *anniverſarium quibus ritibus perfectum fuerit*, 22. *cibarium quale fuerit, & quomodo Hebraicè appellatum*, 24. *euchariſtica quæ*, 22, 24. *quænam expiatoria*, 22. *quæ peccata expiarint*, ibid. *pacifica quæ fuerint, & quotuplicia*, 24.

Sacrificia ſpiritualia *externis Deo gratiora ſunt*, 318, *a*.

Sadducæi *cur reſurrectionem mortuorum negarint*, 159, *a*.

Salus *ſub qua conditione hominibus decreta*, 326, 331, *a*.

Sancti *vox cur ter apud Eſaiam & in Apocalypſi de Deo repetatur*, 225, *a*.

Sancti *homines ſimulatione aut diſſimulatione interdum ſalvo candore ſunt uſi*, 257, *a*.

Sancti mortui *perperam adorantur*, & *ut interceſſores quidam invocantur*, 116, *a*.

Sanctimonia *qualis ſub novo fœdere requiratur*, 18.

Sanctionibus *pœnalibus cui jus acquiratur*, 181, *a. ſub Euangelio quænam ſint*, 180, *a*.

Sanctitas *omnis unde*, 226, *a*.

Sanctitas Dei *quid ſit*, 224, 227, *a. quousque extendatur*, 224, 225, *a. cujus facultatis in eo ſit perfectio*, 224, *a. nobis imitanda eſt*, 225, 267, *a*.

Sanctus *pro auguſto, venerabili, inviolabili*, 225, *a. Sanctus Iſraelis cur dicatur Deus*, ib. *ſanctum cui opponatur*, ibid.

Sanguis *humanus fundi prohibitus*, 14. *ſanguine veſci quando & cur prohibitum*, 15.

Sapientes *quinam Hebraicâ linguâ appellentur*, 193, *a. ſapientes ſecundùm carnem cur interdum ſtulti fiant*, 219, *a*.

Sapientia *omnis à Deo eſt, ab eoque petenda*, 224, *a. quomodo ſoli Deo tribuatur*, 134, 192, *a*.

Sapientia Dei *quid ſignificet*, 192, 123, *a. quibus argumentis probetur*, 192, 193, *a. in creatione quomodo demonſtrata*, 8. *in myſterio Chriſtianæ religionis*, 192. 193, *a. in univerſa providentia*, 224, *a. quomodo deſcribi poſſit*, 292, *a. quotuplex*, ibid. *ejus, quæ in nuda rerum cognitione conſiſtit, explicatio*, ibid. & ſeqq. *quibus verbis ea in ſacris literis ſignificetur*, ibid. *quæ in agendo conſiſtit, quid ſit*, 216, *a. quibus in rebus cernatur*, ibid. & 218, *a. quanta ſit*, 62, 222, *a. omniſcientia nititur*, 218, *a. ad normam prudentiæ carnalis exigenda non eſt*, 222, 223, *a. cur interdum mediis imbecillibus utatur*, ibid. *cognitionis ſapientiæ divinæ uſus*, 219, ſeqq. *a*.

Satanas *Deo uſum aliquem præſtare cogitur*, 172, *a. ejus operâ indurari ſolent homines*, 134 *a*.

Satisfactio Chriſti *benignitatem Dei convellit*, 294, *a. juſtitiæ divinæ repugnat*, 268, *a. poteſtatem ejus coarctat*, 191, *a*.

Digitized by Google

Schaddai *quomodo in ſacris literis uſurpetur*, 69, *a. quæ ejus origo & genuina ſignificatio*, 88, *a. quomodo reddatur ab interpretibus Græcis & Latinis*, ib. *cur Deo tribuatur*, ibid. & ſeqq. *quale nomen ſit*, 87, *a. ubi adjectivi ingenium apud Moſen retineat*, ibid.

Scibilia *quæ ſint*, 109 *a. omnia ſub ſcientiam Dei cadunt*, 198, 199. *a.*

Scientia Dei *quænam & cur creberrimè in ſcriptura commemoretur*, 194, *a. quatenus ibidem potiſſimum inculcetur*, 214, *a. diſtinctio ejus in naturalem, liberam, & mediam*, 215, *a. ejus modus ad ſalutem ſcitu neceſſarius non eſt*, 214, *a. quodnam ejus objectum*, 193, *a. quomodo id in ſac. literis deſcribatur*, ibid. & ſeqq. *pars ejus quænam creditu difficillima*, 194, *a. quomodo circa res tum mutalibes tum immutabiles verſetur*, 196. *a. eam nihil effugere poteſt*, 195 196. *a. eam, qua ſe ipſum novit Deus, cur expreſſè non commemorent, ſacræ literæ*, 194, *a.*

Scientia *cogitationum humanarum etiam reliquarum rerum ſcientiam in Deo arguit*, 194, *a. cum eadem ſæpè conjungitur*, ibid. & ſeqq.

Scriptores Novi Teſtamenti *eos eſſe qui vulgò putantur*, 374, *a.*

Scriptura ſacra *quo ſermonis genere utatur*, 193, *a.*

Semper *quod eſt & fuit, neceſſarium eſt*, 203, *a.*

Senſus *humanus de intellectu Dei teſtatur*, 136, *a. ejus utilitas* 17, *a.*

Sententiæ *integræ interdum unum nomen conſtituunt in ſacris literis*, 84, 86, *a.*

Septuaginta *viri Moſi adjuncti quæ jura reddiderint*, 28. *quomodo conſecrati fuerint*, 29.

Sermo Dei *quale interdum Dei decretum ſignificet*, 337, *a.*

Sermo *proprius ſæpè à Chriſto ad improprium deflectitur*, 348, *a.*

Servi *herorum ſuorum reſpectu aliquatenus liberi ſunt*, 338 *a. iis nulla fieri injuria cenſetur, ſed domino per ipſos*, 183, *a.*

Severus *nuſpiam expreſſè dicitur Deus*, 276, *a. quis id nomen verè mereatur* ibid.

Severitas *de Deo uſurpata ubi & quo ſenſu legatur*, 286, *a. quale ejus attributum ſit*, 279 *a. effectus ejus diverſi*, 291, *a. quis inter eos primarius* 289, *a. quænam eam exigant interdum*, 287, *a. ejuſdem gradus*, 291, 292, *a. ſummus quis*, 291, *a. ad eum Deus non progreditur*, ibid. *cur ira & indignatio appelletur*, 296, *a. eadem metuenda eſt*, 326, *a. quibus inprimis*, 292, *a. quid ea nos moneat*, 294, *a.*

Sexus *diſtinctio in homine quem uſum habeat* 21, *a.*

Signorum *quibus aliis quippiam ſignificatur, diſcrimen*, 255, *a.*

Similitudo cum Deo *qua potiſſimùm in re conſiſtat*, 4.

Simplicitate *quali in rebus divinis utendum*, 223, *a.*

Sinceritas *quid ſit*, 247, 248, *a. diſcrimen rerum, circa quas verſatur*, 252, 253, *a. quibus in rebus apertè agi poſtulet*, 253, *a. eâ ſalvâ quædam occultari aut non plenè ſignificari poſſunt*, 252, 253, *a. ea non ſemper jubet facere id, quod ad animi ſententiam alteri ſignificandum eſt aptius*, 257, *a. quid eidem opponatur*, 247, *a. cur ſumma animi ſinceritate Deo ſerviendum ſit*, 219 220. *a.*

Sinceritas Dei *circa quæ verſetur*, 236, 248, ſeqq. *a. quæ ejuſdem munia*, 260, *a. quomodo ſe oſtendat in fœderibus & jurejurando*, 253, 254, *a. quomodo in factis certam ex natura rei ſignificationem habentibus*, 256, ſeqq. *a. quomodo in factis ex inſtituto aliquid ſignificantibus*, 259, 260, *a. quomodo in fœdere tum novo tum veteri*, 260, *a. qualia verba in revelanda ejus voluntate poſtulet*, 255, *a. eidem non repugnat, quædam conſilia occultare, aut non plenè patefacere*, 248, 253, *a. quantam ei Calviniana prædeſtinatio injuriam faciat*, 149, *a.*

Societas *inter multos ſine imperio conſtare nequit*, 57, *a. idem nomen de conjunctione inter Deum & homines uſurpari poteſt*, 238, *a.*

238, *a.*

Sol *qua ratione opificem univerſi demonſtret*, 13, *a. ejus, motuumque ipſius utilitas*, 9, 10, *a.*

Spes *quid*, 315, *a. quomodo à deſiderio differat*, ibid. *quomodo Deo tribuatur*, ibid. *ſpes noſtra veritate Dei nititur*, 267, *a.*

Spiritus *Dei qualem virtutem ejus in homines manantem denotet*, 158, *a. ſpiritus Dei bonus quis*, ibid. *quomodo aliàs appelletur*, ibid. *malus quis dicatur*, 158, *a. ſpiritus extant, quibus cum hominibus aliquid ſit commercii*, 58, ſeqq. *a. ſpiritus humanus rerum aliarum corruptibilium ſpiritu perfectior eſt*, 134, *a. propriè loquendo, nec vivit, nec moritur*, 134, *a. ſpiritûs nomen quibus tribuatur*, 134, *a. quomodo angelis, animæ, aeri &c. commune ſit*, 107, *a. quid in deſcriptione Dei ſignificet*, ibid.

Spiritui ſancto *cur & quomodo actiones perſonarum propriæ tribuantur*, 158, *a.*

Subjectum *eſſe alteri plus eſt, quàm eſſe ſubordinatum*, 174, 175, *a.*

Subſtantias *duas primas in univerſo ſtatuere quatenus abſurdum*, 30, *a.*

Subterraneorum *meatuum & venarum uſus*, 16, *a.*

Summum bonum *eſt* αὐταρκὲς, 140, *a. ſemper quidem appetitur neceſſariò, ſed non ſemper neceſſariò eligitur*, 140, 141, *a.*

Superſtitiones *quædam cur fuerint diuturnæ*, 56, *a. ſuperſtitio crudelis eſſe ſolet & multis modis impia*, 55, *a.*

Suppliciis *æternis neminem Deus citra ejus meritum deſtinat*, 230, *a. iis imminentibus quid faciendum*, 326, *a.*

T.

Tabernaculi *Levitici deſcriptio*, 21. *quem deſcriptio iſta uſum habeat*, ibid.

Talionis *lex ſub lege*, 30, 31.

Tempus *etiam ante mundum conditum fuit*, 46, *a. ſine mutatione eſſe poteſt*, ibid. *quid ſit*, ibid. *ejusdem diſtinctio reſpectu rerum ad religionem pertinentium*, 13, 14. *diſtinctio temporis ſtata omnibuſque communis unde pendeat*, 14, *a. tempus gratiæ & clementiæ*, 291, *a. tempus vet. Teſt. tempus fuit ſeveritatis*, 291, *a.*

Tenebræ pro *impuritate ac pravitate*, 326, *a.*

Tentare *Deum quid*, 11. *tentari ſupra vires neminem permittit Deus*, 241, *a.*

Terra *cur ſupra aquas emineat*, 32, 33, *a. eidem aquas ante creationem undique incubuiſſe rationi prorſus conſentaneum eſt*, 33, *a. ejus uſus*, 16.

Terribilis *cur dicatur Deus*, 272, *a.*

Θεὸς *unde derivetur*, 89, 90, *a. nomen ſuâ naturâ commune eſt*, 90, 91, *a. quo ſenſu Deo tribuatur*, 91, 92, *a. quo pacto de eo uſurpetur*, 96 *a. quomodo de Chriſto*, 101, *a. pro quibus Hebraicis nominibus in ſac. lit. ponatur*, 69, *a. quæ vis articuli ei vel additi, vel detracti*, 97, & ſeqq. *a.*

Tradere *impios in deſideriis eorum, & in ſenſum reprobum, quomodo Deus ſalva juſtitia poſſit*, 233, *a.*

Traditio Chriſti *in mortem quàm certum amoris divini erga homines ſignum*, 256, *a.*

Tranſitu *per partes victimarum diſſectarum fœdera olim ſanciebantur.* 256, 259, *a.*

Transſubſtantiationis *Pontificiæ dogma refutatur.* 160. *a.*

Tribuere *alteri quod ſuum eſt, quàm latè pateat*, 236, *a.*

Trinitatis *dogma cum unitate divinæ eſſentiæ pugnat, & contradictionem implicat*, 114, *a.*

Triſtitia *quomodo Deo tribuatur*, 142, *a.*

Turpitudo *qua in re conſiſtat*, 163, *a.*

V.

Vaſis *iræ Deus libertatem voluntatis non eripit*, 176, *a. vaſa impura ſeipſa repurgare poſſunt, & pura polluere*, 176, *a.*

Vates

Digitized by Google

Vates *falſorum deorum futura certò prædicere cur nequeant*, 212, *a. quomodo de iiſdem interdum aliquid aſſequatur*, 213, *a.*
Vaticinia, *de Chriſto prodendo, & à Iudæis occidendo qualia fuerint*, 232, *a.*
Ubiquitas *corporis Chriſti contradictionem implicat*, 160, *a. eam negantibus malè objicitur, quòd negent omnipotentiam Dei*, ibid.
Velle *pro deſiderare*, 316, *a. quænam Deus velit*, 229, 328, *a.*
Vendere *populum ſuum quomodo dicatur Deus*, 168, *a.*
Venenatorum *animalium & herbarum utilitas*, 19, *a.*
Venire *Deus quomodo dicatur*, 274, *a. venire in memoriam ante Deum quid*, 197, *a.*
Venter *quomodo dicatur quorundam Deus*, 91, *a.*
Verbum *pro re*, 147, *a. Verbum* Dei *pro ejus mandato*, 337, *a. verba ſua de re contingenti & futura elata, quomodo cordati velint intelligi*, 211, *a. verba* in Domino *de quonam Paulus intelligat*, 103, *a. verba prædictionis formam habentia interdum cohortationis aut dehortationis potiùs vim habent*, 211, *a. verba ſenſuum aut intellectus Hebræi frequenter pro verbis actionem voluntatis aut affectum ſignificantubus uſurpant*, 197, *a.*
Verberum *ſub lege infligendorum numerus, modus, & cauſſa*, 30.
Veri *aliquid in erroribus ſemper ſequutus eſt univerſus orbis*, 59, *a.*
Veritas *pro fide ſeu fidelitate*, 261, *a. pro veracitate*, ibid. *quid ſit*, ibid. *ejus officium*, 241, 242, 261, *a. veritas ſub ſinceritate continetur*, 247, *a. interdum hanc ambitu ſuo complectitur*, ibid. 263, *a. ejus ſtudium impellit ad promiſſa implenda*, 241, *a.*
Veritas Dei *quot modis accipiatur in ſacris literis*, 262, *a. benignitatem ejus interdum in ſe comprehendit*, 263, *a. quo ſenſu maximè celebretur in ſacris literis*, 262, 263, *a. humanâ quantò major*, 261, 262, *a. non convellitur, ſi Deus pœnam, quam minatus erat, condonet*, 183, 184, *a. cur ſæpè cum miſericordia in* Pſalmis *conjungatur*, 263, *a. ſanctitatis divinæ pars eſt*, 235, 236, *a.*
Victimæ *quænam in partes diſſectæ fuerint, & quæ partes cui ceſſerint*, 24.
Viri ſancti, *vid.* Sancti.
Virtutes *humanæ analogiam quandam habent cum ſanctitate Dei*, 227, *a. Virtutum nomen quo ſenſu Deo tribuatur*, 227, *a. virtus quantum ad ſalutem reipub. faciat*, 54, *a. religione nititur*, ibid.
Viſcera miſerationis *quomodo & cur Deo tribuantur*, 306, *a.*
Vita *quid ſit*, 133, 134, *a.*
Vita æterna *quomodo ſic dicatur*, 121, *a.*
Vita Dei *non ſemper vitam quam ipſe vivit deſignat*, 131, 132, *a. natura ejus quæ ſit, & quantum de ea intelligere ſufficiat*, 133, 134, *a. eadem ſublatâ Deus ipſe & religio omnis tolleretur*, 135, *a.*
Vivendi *neceſſitas in Deo qualis*, 134, *a.*
Unitas Dei *quibus argumentis probetur*, 112, 113, *a. eam credere quem uſum habeat*, 115, *a. quomodo ad concordiam fideles excitet*, 119, *a. quos deos excludat*, 111, *a. eâ negatâ infinita deorum multitudo eſt introducenda*, 113, *a. eâ omnia præcepta de cultu ſoli Deo debito nituntur*, 117, 118, *a. qualis ea ſit unitas*, 111, 119, 114, *a. cognitio unitatis perſonæ divinæ quem uſum habeat*, 119, 120, *a.*
Voluntaria *etiam contraria agere poſſunt*, 39, *a.*
Voluntatis *vox quot modis accipiatu*, 137, *a. quo ſenſu in ſac. lit. uſurpetur*, 328, *a. quid ſit*, 138, *a. actus ejus quilibet cauſſam impellentem habet*, 139, *a. plus tamen agit, quàm à cauſſa impellente movetur*, ibid. *pro beneplacito ſæpiùs ſumitur*, 328, *a. cur bonum ab intellectu monſtratum non ſemper ſequatur*, 139, *a. effectus ejus quinam potior*, 139, *a. ab eo denominationem habet*, 138, *a. ejus libertas in quo ſita*, 140, *a. quanta ea ſit, & quouſque extendatur*, 140, 141, *a. quibus illa inſit*, 138, *a. eâ deſtituti imperium ac pote-*
ſtatem

Digitized by Google

ſtatem revera non habent, 142, a. voluntas quomodo ex intellectu pendeat, 138, a. quibus lætetur aut triſtetur, 142, a. quæ ejus munia, 138, 330, a. propenſio ejus quælibet ſimilitudinem cum affectibus habet, 296, a.

Voluntas Dei quo ſenſu in ſacris literis ſumatur, 137, a. quibus argumentis probetur, 138, a. actus ejus immanentes quinam & quotuplices ſint, 295, a. bonitas ejus naturalis qua in re cernatur, 227, a. pro Dei decretis ſæpè ponitur, 328, a. quænam ejus decreta ſignificet, 328, a. eâ Deo detractâ quæ abſurda conſequantur, 142, a. ejus diſtinctio in antecedentem & conſequentem, 341, a. eadem diſtinctio & affectibus competit, 340, a. quorſum pertineat, ibid. antecedens quid, 341, a. quid conſequens, ibid. diſtinctio ejuſdem in revelatam & occultam quàm latè extendenda, 260, 261, 343, a. voluntatis Dei explicatio quem uſum habeat, 137, a. facultas ejus latiùs patet quàm actus, 153, a. ejuſdem libertas quibus in rebus cernatur, 141, 142, a. eâ Deo ademtâ quæ abſurda ſequantur, 140, a. cur opera divina virtute perfecta voluntati ejus tribuantur, 156, a. à quibus patiatur, 295, a. quomodo à potentia Dei differat, & cum eadem conveniat, 153, a. voluntas ejus in præceptis ſita, 249, a. quatenus ea pro ratione ſit, 173, a. voluntatem Dei facere quid ſignificet, 138, 328, a.

Voluntas humana à cauſſa impellente non cogitur, 139, a. voluntatis libertas circa ſummum bonum, 141, a. eâdem ſublatâ quæ abſurda ſequantur, 143, a.

Voluptas Dei perennis, 322, a. voluptas omnis ex hominum peccatis à Deo removenda, 229, a.

Vota legalia quæ fuerint, 24.

Uſus creaturarum homini à Deo conceſſus non ſemper æquè liber fuit, 10.

Vulgus ſæpè ſinceriùs quàm Philoſophi de rebus judicat, 10, a.

Uxorem alienam habere etiam ante diluvium gravè ſcelus fuit, 13.

Z.

Zelotæ nomen ubi & cur Deo uſurpetur, 32, a. ei ſæpè ejuſmodi verba adjiciuntur, quæ ſeveritatem Dei exprimant, 311, a.

Zelus cum ira, furore, indignatione in eodem contextu ſæpè commutatur, 311, a. eâ voce crebriùs ira atque indignatio, quàm amor Dei exprimitur, 304, 305, a. in quosnam is Dei affectus feratur, 304, 311, 312, a. qualem interdum ejus amorem deſignet, ibid. qualem iram denotet, 311, a.

Zonarum diverſitas rebus è terrâ naſcentibus quàm utilis, 11, a. Zona torrida inutilis non eſt, ib. ejuſdem temperamentum cui uſui ſerviat, ibid. & ſeqq. Zonarum frigidarum uſus, 12, a.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Quamvis ex duobus indicibus præcedentibus ad textum Crellio-Volkelianum, poſſit utcunque liquere Tibi, Benevole Lector, *& quæ loca Scripturæ venerint nobis explicanda ac vindicanda, & quæ res præcipuæ à nobis pertractari debuerint, tamen ne quid in eo genere deſiderari poſſit, hos duos alios inſuper adjecimus: primum quidem Locorum Scripturæ, alterum vero materiarum quæ in noſtris Cenſuris citantur & occurrunt, ne quid queraris omiſſum quod è re tua ullo modo foret. Utere ergo & hoc noſtro labore, & benè vale.*

INDEX LOCORUM SCRIPTURÆ quæ in Cenſuris Anti-Socinianis citantur, explicantur, aut vindicantur.

Geneſ.

Cap:	*verſic:*	*pag:*
1	1	81, 322, 690.
	2	22, 130, 708.
	26	81.
	28	265.
	29	711.
	31	41, 695.
2	1	95, 182, 223, 694.
	2	130.
	4	130.
	7	709.
	17	282, 289, 298, 403, 526.
	19	711.
3	15	454, 635, 698, 720.
	21	711.
	22	81, 601.
4	1	380, 723.
	26	721.
5	1	709.
	3	709.
	29	723.
6	2	694, 721.
	3	668.
	5	276, 365.
	6	598.
7	4	421.
	8	711.
8	21	276, 365.
9	3	711.
	5	363.
	6	130, 709.
	7	363.
14	22, 23	601.
15	7	115.
16	14	108.
18	3	87, 89.
	16	97.
	17	363.
	25	183, 263, 291, 297, 423.
	30	89.
	31	89.
	32	89.
19	1	98.
	2	85.
	18	87, 98.
	24	104.
20	3	466.
21	17	130.
	33	173.
22	1	281, 443, 444.
23	20	108.
26	13	115.

Digitized by Google

Cap:	verſic:	pag:
27	17, 29	472.
28	13	115.
29	20	104.
	30	557.
30	2	130.
31	9	254.
33	10	134.
34	19	581.
40	8	337.
45	8, 9	142.
	19, 22	381.
49	18	755.
50	19, 20	622.

Exod.

1	10	439.
3	2	698.
	7	443, 444.
	14	74, 107, 149.
4	10	153.
	16	78, 84.
6	13	115.
7	1	78, 84.
9	16	408.
13	17	601.
	21	97.
15	11	77.
17	15	108.
18	11	147.
20	2	81, 137.
	3	84.
	5	137.
	6	524.
	11	690, 693, 695.
21	5	306.
	6	78.
	13	306.
22	8, 9	78.
	14	97, 302.
	21	78.
23	21	104.
24	13	218.
25	40	604.
28	38	520.

Cap:	verſic:	pag:
32	4	84.
	11	302, 601.
	12, 13	601.
	14	302.
33	2	97, 103.
	8	601.
	14	103.
	17	302.
	19	565.
	20	84.

Levitici.

4	2, 3	738.
	20, 26, 31, 35	745.
5	1	520.
	6	738.
	10, 18	745.
	17	742.
6	6	742.
	7	745.
10	17	520.
12	2	520.
14	4, 5, 6, 7	738.
16	16	740.
	21, 22, 30	737.
17	11	722, 741, 749.
21	13, 14	748.
26	11	761.

Numer.

5	27	394.
13	19	360.
14	13	302, 601.
	19, 20	302.
	33	520.
15	25, 26	739.
16	46, 47	302.
19	6, 11	738.
21	23	758.
23	10	784.
	19	277, 467, 595, 682.

Cap:	verſic:	pag:
24	11	605.
25	11, 13	302.
28	1	520.
29	1	698.

Deuteron.

Cap:	verſic:	pag:
3	2	477.
4	35	155.
5	5	730, 762.
	7	84.
	10	84.
	29	580.
6	4	155.
7	6	256.
	10	523.
	21	477.
10	12, 13	603.
	17	761.
11	17	85, 249, 477.
	24	337.
13	2, 3	221.
18	18	761.
19	51	218.
21	23	758.
24	16	306.
27	26	298, 517, 765, 766.
	28	282.
	45, 46	517.
	52	526.
29	29	449, 664.
30	10	526.
31	26, 27, 29	368.
32	4	398.
	11	486.
	26, 27	302, 600.
	39	155.
33	2	101.
38	34	525.

Ioſua.

Cap:	verſic:	pag:
5	14	145, 698.
24	19	81.

Iudicum.

Cap:	verſic:	pag:
6	2	112.
	22, 23	88, 89
	24	84, 88, 108.
8	33	84.
9	29	580.
11	24	84.
13	22	83, 134.
16	23, 24	84.
19	30	605.
20	7	605.

Samuelis Primus.

Cap:	verſic:	pag:
1	6	557.
5	7	84.
8	9	27, 753.
	10, 11	753.
11	12, 13, 32	27, 716.
12	13, 14	527.
15	3, 4	716.
	29	360, 467, 595, 596.
17	25	237.
18	24	284.
19	14	493.
	17	493.
20	6, 28, 29	439.
21	2	449.
28	13, 14	78.

Samuelis ſecundus.

Cap:	verſic:	pag:
6	2	106.
7	13	81, 716.
	22	155.
12	3	384.
	11	374.
	14	306.
18	33	580.
21	3, 5, 6, 8	758.
24	17	308.
	25	738.

Cap:	verſic:	pag:
28	13	84.

Reg. 1.

Cap:	verſic:	pag:
	19	166.
2	27	525.
5	12	493.
8	27	486.
	39	279.
	46	263,741,769.
	56	367.
	60	155.
	61	605.
11	5	84.
	13	716.
	33	84.
13	2	336.
18	21,25	84.
21	4,7	271.
22	19	694.

Reg. 2.

Cap:	verſic:	pag:
1	2	84.
5	26	489.
8	6,16	84.
10	10	336.
14	6	306.
20	1	466.

Chronic. 1.

Cap:	verſic:	pag:
16	25	477.
27	5,6	716.
28	9	132.

Chronic. 2.

Cap:	verſic:	pag:
25	4	306.

Eſdr.

Cap:	verſic:	pag:
5	8	477.

Nehem.

Cap:	verſic:	pag:
1	4	477.
4	16	477.
9	32	478.
	33	398,399.

Iob.

Cap:	verſic:	pag:
1	6	554.
2	5	524.
5	8	145.
6	8	580.
10	4	294.
11	5	580.
14	7,8,9	478.
	6	269.
19	25	176.
22	14	486.
26	6	389.
36	26	477.
37	23	477.
38	7	694.
42	7,8,9	302.

Pſalm.

Cap:	verſic:	pag:
1	5,6	525,607.
2	6	755.
	27	360.
4	7	211.
5	4	581.
	6	403.
	7	438.
7	10	132.
	12,13	432.
8	1	142.
	3	260.
	6	696.
	9	142.
9	5,6	294,432.
11	7	398.

Digitized by Google

Cap:	verſic:	pag:
14	1	132, 308.
	3	61.
16	11	506.
17	15	506.
18	12	493.
19	8	766,
	13	739, 770.
24	3	494.
25	1	132.
	8, 9, 10	398, 770.
26	18	494.
27	13	760.
29	4	394.
30	6	576.
31	2	472.
	6	199.
32	1, 2	310.
33	6	234, 707.
	7	234.
	11	630.
	12	131.
34	1	86.
	8	88.
36	7	713.
	10	186, 197, 492.
38	3	477.
	24	276.
39	6, 7	177.
44	13	25.
45	7	83, 89, 137, 734.
	8	80, 127, 755.
47	3	477.
	8	745.
	10, 11	130.
50	23	525.
51	4	738.
	6	271.
	7	263, 380.
	8	581.
	9	738.
	12, 13, 14	262, 777.
	18, 19, 21	581, 732, 738.
53	3	61.
63	6	506.
65	5	506.
66	3, 5	478.

Cap:	verſic:	pag:
68	2	106.
	18	101.
	19	104, 754.
71	2, 19, 24	472.
77	14	477.
78	17	472.
81	13	374, 448.
	14	579.
82	1	78.
	6, 7	78, 117.
89	8	477.
	33, 34	576.
92	16	398.
94	7	358, 486.
97	7	79, 104.
99	5, 9	495.
101	8	296.
102	25, 26	143.
	27, 28	176, 682.
103	9	576.
	10, 11, 12, 13, 14	429, 508, 576, 741.
	21	609.
104	4	104.
	29, 30	490.
106	45	596.
107	26	104.
110	1	142, 146, 272.
	2	88.
	4	596.
113	9	398.
115	3	346, 351, 449, 582, 610, 616.
116	11	438.
119	18	71.
127	3	380.
130	3	429.
136	3	85, 142.
138	6, 7, 8	277, 485.
139	1, 2, 3	357.
	7	237, 482.
	10	484.
	23	364.
143	1	472.
	2	429, 728, 764, 768.
145	3	428.
146	7	294.

Cap:	verſic:	pag:
	9	562.
147	5	142.
	19,20	276,666.

Proverbia.

Cap:	verſic:	pag:
1	20	384.
	24,30	623.
	31	423.
3	18	383.
5	16,17	252.
6	16	438.
8	1,2,4	321.
	22,23	321,556,706.
12	10	421.
15	11	389.
16	4	41,209,612.
	35	218.
19	21	360.
20	1	630.
21	1	219.
25	27	239.
28	13	741.
29	26	142.

Eccleſiaſtes.

Cap:	verſic:	pag:
7	29	300.
	30	404.
9	1	456.
12	1	79.
	6	525.
	9	199.

Cantic.

Cap:	verſic:	pag:
1	4	276.
8	6	521,551.

Eſaiæ.

Cap:	verſic:	pag:
1	1	583.
	9,10,11,12,13,14	506.
	18	137.
	24	141.
3	1	141.
5	2,4,7	585.
6	1	104,486.
	10	601.
7	14	111,112.
8	3	107.
	8	112.
	13	127.
	17	105.
	18	252.
9	5	112,127,173.
	6	111.
10	33	142,146.
11	4	234.
14	27	605.
18	7	105.
20	22	155.
21	21,22	155,515.
24	2	86,87,728.
25	6	506.
26	21	494.
27	3	601.
28	5	105.
33	17	760.
35	4	755.
37	16	155.
38	1	466.
40	22	483.
41	4	175.
42	8	164.
43	10,11	155,175.
1	pag:	96.
44	6	155,175.
	28	336,610.
45	5,6	155.
	9,10	245,273.
46	9	155.
	10	44,277,351,360,449,556,595,614,630,638.
	20	217.
47	10	683.
48	7,8	601.
	12	175.

Digitized by Google

Cap:	verſic:	pag:
	14	610.
51	7	306.
52	5, 5	302.
53	4, 5	306, 472, 517.
	7	319.
	10	267, 312, 472, 738.
	12	520.
54	10	424.
55	10, 11	47, 277.
67	15	173.
58	2	581.
59	10	610.
61	1, 2, 3	752, 755.
63	9	97, 103.
64	6	728, 768.
65	13	506.
66	1	487.
	3	732.
	11	506.
	16, 24	525.

Ieremiæ.

[illegible]	28	596.
7	18	166.
11	20	132.
12	1	398, 399.
13	23	39, 211, 407, 780.
17	9	365.
18	3	466.
	6	273, 275, 277.
	7, 8	596.
24	6	105, 107, 127, 755.
	23	485.
	24	480, 483.
	36	81.
31	14	506.
32	19	477.
	18	484.

Lamentationes Ieremiæ.

[illegible]	3	516.
	37, 38	713.

Ezechiel.

3	6	376,
11	19, 20	449.
19	4, 5, 6, 7, 8, 9, 10	531.
18	5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13	298, 403, 716.
	20, 21, 22, 23,	277, 293, 306, 419, 472, 520, 581, 741.
	32	546, 582.
21	20, 21, 22	218, 330.
24	14	596.
33	11	454, 546, 581, 582.
	33	277.
34	21, 26	26, 302, 449.
38	1	299.
48	35	105.

Daniel.

2	37	251.
4	14	605.
	22	251.
6	10	495.
7	9, 10, 13	189, 525.
	14, 30	249.
8	11, 12	740.
9	4	477.
	7, 14	398, 399.
	18	741.
	26	623,
10	13, 21	111, 698.
12	1	698.
	2, 3	525.

Oſeas.

1	2	755.
5	15	494.
13	4	155.

Amos.

Digitized by Google

Index locorum Scripturæ quæ in Cenſuris

Cap:	*verſic:*	*pag:*
	Amos.	
3	6	403,713.
9	2	485.
	Ion.	
3	4	299,466.
	10	361,466.
4	2	308,598.
	Mich.	
5	2	179,272.
	4	80.
5	6,7,8	603,732.
	Nahum.	
1	3	477.
	Habbac.	
1	13	297,403,517.
14	14	216.
	Sophon.	
3	5	398.
	Zachar.	
3	2	111,698.
	3	472.
9	11	520,763.
12	10	239,347.
	Malach.	
3	6	42,200,231,347,360,465,467,570,595,682.

Cap:	*verſic:*	*pag:*
	N. T.	
	Matth.	
1	23	482.
2	15	142.
3	9	376.
	16	238.
	17	384.
4	4	130.
	10	120,164,169.
5	6	441.
	9	130.
	18	298,366,430,766.
	19, 21	430,532,766.
	21,22,27,28,31 32,33,37,38,39	142,303,438,730,753.
	45	548.
6	4,6,18	488.
	21	489.
	24	130. 169.
	30,33	130.
7	13	358.
	15	221.
	18	39,65,210,407,772,780.
	22	221.
	23	607.
8	11	506,761,778.
9	19	379.
	36	774.
10	25	145.
	28,29,30	200,219,231,269
	42	429.
11	25,26	71,435,461.
	28,29	384.
12	1,2,3	750.
	7,10,11,12	301.
	30,31,32	520,625.
13	27,37,41	145.
14	24	658.
15	9	720.
16	18,19	126,145.
17	5	97.
18	7	369,

18 20

Digitized by Google

Cap:	verſic:	pag:
18	28,29,30,31,32	294.
19	16	526.
	17	279,526,546,774.
	21	281.
	24	376.
20	15	258.
	28	472.
	30,31,33	142.
21	21	251.
	35	103,127.
22	31,32	760.
	37,38,39,40	730.
	45	142.
23	34	179,379.
	37	384,582.
24	23,24	221,389,659.
	35	366.
25	5	277.
	26	413.
	32,34	258,658.
	41	59,268.
	44	142.
26	24	574.
	26	774.
	28	311,519,763.
	33	341,491.
	39	226,346.
	40	411.
	42	609.
	53	229.
28	18	156,161,166,248.
	19	148,238.

Marc.

Cap:	verſic:	pag:
9	48	172.
10	24	766.
11	22	130.
12	28	132.
	29	155.
13	32	665.
14	38	226.
15	34	130.

Luc.

Cap:	verſic:	pag:
1	6,9	142.
	28	112,142.
	35	130.
	74,75	421.
	78	130.
2	11	142.
	13	694.
	14	130.
	25	640.
	29	145.
	30	755.
	40,52	130.
3	2	139.
	22	238.
	38	415,554.
4	4	139.
7	30	462,607.
	35	321,379.
	42	566.
	47	553.
10	20	602.
	25,38	389.
11	49	379.
12	12	238.
	32	547.
	47,48	610,628.
14	5,6	750.
16	9	507.
	13	139.
	25	658.
	28	275.
17	10	256,716,725.
18	10	284.
	11	771.
19	40	376.
20	36	475.
22	32	200,658.
23	31	522.
	40	413,647.
	43	199,522,659.
	45	475.
24	26	312,337.
	43,47	384.

Digitized by Google

Index locorum Scripturæ quæ in Cenſuris

Cap:	verſic:	pag:
		Iohann.
1	1	103, 104, 134, 138, 178, 384, 556, 707.
	2	128, 380, 707.
	3	234, 248, 254, 384, 707.
	12	130, 415, 554.
	14	112, 145.
	16	560.
	18	72, 380, 384, 556.
	23	322.
	23	472.
	29	520, 740.
	52	60.
2	19, 20	126.
3	2	130.
	6	306.
	16	265, 272.
	34	127.
	36	525, 634.
4	22	169.
	24	783.
	26	238.
5	10	130.
	17	201.
	18	126, 128, 136, 138, 161.
	19	252.
	20	384.
	26	197, 252, 482, 556.
	30	609.
6	44	642.
	45	136, 238.
	57	197.
7	37	384.
8	24	438.
	29	384, 558.
	34	40, 211.
	44	39, 65, 206.
	47	658.
	56	96, 728.
	58	178.
	59	103.
	2, 3	307.
	6	333.
	11	556.
	14	607.
	17	558.
	18	472, 745.
	23	125.
	28	103.
	30	129, 138, 144, 145, 161, 249, 253, 265, 272, 482.
	33	130, 138.
11	2	286.
	21	462.
	25	482.
12	41	143.
13	13, 31	130, 137.
14	1	1, 121, 714.
	2	582.
	6	196, 473, 718.
	9, 10	159, 272, 558, 711.
	16	238.
15	5	39, 407, 442, 583.
	8	276.
	9, 10	161.
	16	660.
	26	238.
16	14, 17	238.
	27	557.
17	2, 3	1, 146, 155, 267.
	5	171, 249, 254, 267, 380, 556.
	17	162, 394.
	20, 21	658.
	24	171, 583.
19	7	130.
	11	167.
	21	342.
	36	219, 342.
20	17	80, 130.
	28	130, 137.
25	25	376.
		Act. Apoſtolorum.
1	7	195, 665.

24

Cap:	verſic:	pag:
	24	132,279,334.
	26	218.
	4	238.
3	13	608.
	18	581.
	22,23,24	238,482,607.
	33	238.
	30	142.
4	12	58,456,464,636, 718,719,784.
	14	269.
	15	58.
	24	145.
	27	65.
	28	47,65,245,337, 443,607,614, 622,659,670.
7	10	239.
	30	762.
	35	99.
	38	762.
	47	484.
	51	239.
10	12,23,14,15	712.
	29,30	374.
	34	517.
	36	142.
	38	482.
11	43	636.
	18	440,459,582.
	23	608.
13	8	769.
	37,38	764.
	39	739,764,768.
	46	464.
	48	440,584,642.
14	9,10	711.
	15	575,666.
	16	51,173,276,448, 469.
	17	51,469,529.
15	2	280.
	11	59,334,461,608, 718,741,761,769.
	18	44,231,259,268, 300,469,595,

Cap:	verſic:	pag:
		613,683.
16	4	606.
	11	461.
	14	276,440.
17	7	606.
	24	487.
	27	237,480,486,489.
	28	40,95,219,237, 404,480,486,489.
20	7	751.
	20,21	130,607.
	27	607,623.
	28	136,227,369.
	29,30	369.
21	14	609.
23	8	60.
26	28	44.
27	13	608.
28	4	298.

Roman.

1	1,2	764.
	7	142.
	13	608.
	16	640.
	18	55,72,423,472.
	20	72,173.
	24	308,403,448.
	28	448.
	32	55,245,288,291, 398,423,572, 524,563.
2	4	585.
	5	408.
	8	634.
	9	424,437.
	12	634.
	14,15	289,718,719.
	16	634.
	29	728.
3	2	750.
	5,7	426.
	9	780.
	10,11,12	308,408,780.

Digitized by Google

Cap:	verſic:	pag:
	19	472,730.
	20	730.
	21	426.
	24	151,245.
	25	302,311,318,426 456,472,637, 730,736,768.
	26	302, 311, 426, 472.
	28	651.
	30	155.
4	3	285,458.
	5	301,311,318.
	6	285,301.
	13	727.
	15	290.
	16	727.
	17	700,702,727.
	23	634.
	25	73,472,517.
5	1	563.
	5	764.
	6	315,408,531,583.
	8	541.
	10	311.
	12	281,306,403,425, 634,709.
	13	730.
	20	542.
	21	290.
6	12	773.
	14	767.
	16	40,65,206.
	23	181,282,290,307, 403.
7	7	290,770,776.
	8,9	776.
	10,11,12,13, 14, 15, 16, 17,18,19	764, 770, 773, 776.
	22,23,24	424,564,773.
8	1	285.
	3,4	274, 301, 764, 773.
	6	276,769.

Cap:	verſic:	pag:
	7	39,71,270,764, 780.
	8,9	771.
	10	196,784.
	14,15,16,17,18	458,554,783.
	23,24	430,585.
	26,27	239.
	28	408.
	29	554,658.
	30	658,661.
	31	522.
	32	265,696.
	38,39	658.
9	2	659.
	3,4	274.
	5	80,104, 130,138, 143, 213, 265, 266.
	11	435,660.
	12	505,660.
	13	552.
	15	565.
	17	274,408.
	18	462.
	19	151, 441, 449, 601, 609, 616.
	20	273.
	21	263,273,435.
	22	409,472,552.
	23	472.
	25, 26	567.
	29	583.
	31, 32	274.
10	1	409.
	4	730,765.
	9	102.
	17	761,778.
11	1	659.
	2	609.
	5	409,660.
	6	716.
	7,14	409.
	15	55.
	22	502.

Digitized by Google

Cap:	*verſic:*	*pag:*
	23	409.
	29	372, 427, 465, 596,620.
	32	780.
	33	667.
	35	404,415,721.
	36	41,259.
12	3	61.
	19	291,294.
13	1,2	315.
	4	293, 533, 592, 756.
	5	592.
14	5	751.
	14	14·.
15	23	648,766.
	8	101,583.
16	25,26	451.

I. *Corinth.*

Cap:	*verſic:*	*pag:*
1	3	142.
	8	427.
	10	459.
	21	547.
	24	321.
	30	109,321,379.
	31	100,142,143.
2	8	227.
	9	239,783.
	10	238.
	12	481.
	14	39,71,583,764, 780.
	20	239.
3	6,7	276.
	16	238.
	21,22,23	252,709.
4	4	781.
	6	660.
	7	262,507,617.
	17	368.
4	3,4	489.
	21	472.
6	3	78.
	11	459.
	19	238.
	20	255,256,472.
7	4	421.
	25	566,660.
8	4	155.
	5	80, 118, 134, 144.
	6	89, 138, 142, 144, 146, 155, 259.
9	16	39, 211.
	17	211.
	26,27	658.
10	1,2	461.
	3	461,761.
	4	761.
	9	100,143,586,730, 762.
	11	624.
	13,18,20	427,747.
	25,26,27,31	712, 747.
11	3	80,265.
	19	369.
	32	156.
12	4,5	145.
	6	155,238,480.
	8,9,10	560.
	11	237,238.
	12	110.
	29,30,31	560.
	46	156.
13	1,2	560.
	13	580.
14	14	239.
	32	269.
15	3	311.
	19	760,784.
	22	635.
	24	161.

Cap:	*verſic:*	*pag:*
	28	269.
	58	196.
16	1,2	751.
	7	142.

2. Corinth.

Cap:	*verſic:*	*pag:*
1	2	142.
	21,22	658.
2	2	363.
	3	369.
3	5	316,407,442,531, 583,764,780.
	6,7	773.
	17	425.
4	5	142.
	10	142, 196.
5	1,2	389, 659.
	3	39, 659.
	4	659.
	19,20	306, 556.
	21	111,262,306,318, 423,432,472,556, 635,738.
6	10	761.
	16	482.
8	9	178,303,312.
	22	369.
9	9, 10	398.
	13	711.
10	17	142.
11	14	694.
12	2	690.
	9	531.
	14	295.

Galat.

Cap:	*verſic:*	*pag:*
1	3	142.
	4	311.
	15	347.
2	10	196.
	11	524.
	16	663.
	20	658.
3	10	526.
	13	213,286,298,526
	14	634.
	18	758,764.
	19	100, 102, 456, 762,763.
	20	763,766.
	22	780.
	24	730,765.
4	1, 2	416,783.
	8	130,573.
	10	751.
	12	142.
5	1	751.
	3	766.
	12	713.
6	14	142.

Epheſ.

Cap:	*verſic:*	*pag:*
1	4, 5	389,504,556,659, 660.
	7	472,519,636.
	11	596,606.
	17	80.
	21	314.
2	1	196.
	3	61, 308.
	8	440,584,642.
	10	196.
	12	451,666.
	15	605, 606.
	18	565.
3	6	451.
	17	196.
	18	479.
	20	429.
4	5	89,138,142,144
	6	144,146,155.
	8	104.
	11, 13	196.
	24	709.
	25	438.

Digitized by Google

Cap:	verſic:	pag:
	28	143.
5	2	471,735,747.
	10	306.
	17,19	142.
	30	266.

Philipp.

1	6	505,620.
	23	199,389,659
	24	389.
	29	565,642.
2	6	80,112,128,136, 178,272,312, 711.
	7,8	145,312.
	9,10	161,148,312,556.
	11	142.
	13	418,441,584.621.
	14	276.
3	3	142.
	9	111.
	11	659.
	19	123,135.
4	3	390.

Coloſſ.

1	15	182,381,711.
	16	60,218,314,660, 693,707.
2	3	322,385.
	5	489.
	9	482.
	10	80,265.
	14	605, 606, 743, 764,779.
	16	751.
	17	730,731.
	20	606.
	23	720.
3	8	196.
	9	438.
	10	709.

Cap:	verſic:	pag:
	16,20	142.
4	1	421.

1. *Theſſal.*

4	3	448,609.
5	24	427.

2. *Theſſal.*

1	6	423,424,472.
2	3	132,142.
	4	80,132.
	8	234.
	16	142.
3	2	556,584.

1. *Timoth.*

1	13,15,16	658,770.
	18	368.
2	4	475,582.
	5	100,130,131,155, 456,762.
	13	351.
3	16	130,132.
	26	103.
4	10	713.
5	8	295.
	14	146.
6	15	249,264.
	16	72,486.

2 *Timoth.*

1	9	660.
	12	658,659,661.
2	13	293,682.
	16	142.
	18	658.
	19	274, 372, 389, 556,658.

Digitized by Google

Index locorum Scripturæ quæ in Cenſuris

Cap:	*verſic:*	*pag:*
	21	145.
	24	276.
4	7,8	284,658.

Tit.

1	1	584,642,658,662.
2	3	266.
	13	130,135.

Philem.

1	6	277.
	14	39.

Heb.

	2	251,267,272,314, 380,707.
1	3	151,314,482,555, 711.
	6	104,143.
	7	60,107,143.
	8	137.
	9	80.
	10,11	143,167,762.
	14	314,698.
	16	148.
2	2	517.
	9	696.
	10,13	266,306,421,425, 698.
	14	161.
	15	421,425.
3	3	145.
	5	127,251,761.
	6	127,145,251,259.
	15	298.
4	2,3	298,764.
	13	329,366,585.
5	1	737.
	2	739.

Cap:	*verſic:*	*pag:*
	4	733.
	7,8,9	737.
6	6	737.
	11	551.
	12	583.
	17	299,607.
	18	299,682.
	19	690.
	27	739.
7	2	142.
8	5	730,731.
	6,7,8	683.
	11	142.
9	7	739.
	8	683.
	9	730.
	10	683,732.
	12	130.
	13	737,743.
	14	735,737,744.
	18,19,20	763.
	21	741.
	22	738.
	23	731.
	24	472,731.
	27	298,634,659.
10	1	718, 730, 732, 760.
	4	744.
	6	774.
	12	311.
	17	741.
	26	737.
	36,3738,39	602.
11	1	585.
	3	22, 236, 250,700, 702.
	4,5	722,723,724.
	6	541,723.
	7	107.
	10	761.
	15	432, 760, 761, 764,778.
	14	432.
	17	739.
	26	761.

Digitized by Google

Cap:	verſic:	pag:
12	2	312.
	6,7	311.
	16,17	557.
	23	507.
13	8	59, 102, 461, 718, 724, 761, 769.
	12	130.

Iacob.

Cap:	verſic:	pag:
1	1	567.
	5	379.
	7	231.
	13	579.
	17	185, 200, 277, 347, 366, 592, 595, 682.
2	10	286, 532, 765, 766.
	13	282, 472.
3	2	769.
	9	709.
4	12	278, 766.
	15	142, 619.
5	17	575.

1. *Pet.*

Cap:	verſic:	pag:
1	1	763.
	2	312, 607, 749.
	4	602, 658.
	5	276, 396, 503, 658.
	18	567.
2	18,19	255.
	24	311, 384, 472, 520.
3	18	311, 472, 774.
	20	585, 608, 668.
4	6	764.
	18	522.
5	2	39.

2. *Pet.*

Cap:	verſic:	pag:
1	2	472.
2	1	145.
	4	59.
	17	206.
	19	40.
3	2	705.
	9	582.

1. *Iohann.*

Cap:	verſic:	pag:
1	1	706.
	7	151.
	8	151, 308.
	9	245, 472.
2	1	456.
	2	151, 456, 472, 730, 736.
	19	277, 602.
3	4	290, 730.
	9	39, 276.
4	8	559.
	10	557.
	16	521.
	18	658.
	19	553, 557.
5	6	763.
	7	159, 238.
	18	276.
	20	130, 146, 156, 162, 197, 198, 266.

Iudæ.

Cap:	verſic:	pag:
1	4	89, 145, 403.
	6	59, 698.
	9	111.
	14	525.
	23	213.

Apoc.

Cap:	*verſic:*	*pag:*
1	4	74, 92, 145.
	8	74.
	10	175, 751.
	13	145.
	16	234, 640.
2	7	383.
	23	143, 325.
3	10	623.
	12	80.
4	6	683.
	8	149, 394.
	10	785.
5	9	582.
6	10	145, 146.
	11	582.
7	17	161, 424.
8	3	102.
11	5	234.
12	7	698.
	10	432.
13	8	58, 59, 102, 461, 635, 660, 718, 724, 761, 769.
14	4	161.
	13	389, 659.
19	16	146, 161.
21	4	424.
	6	175.
	22	142.
	23, 24	506.
22	2, 5	506.
	13	175.

Apocryph.

Sapient.

Cap:	*verſic:*	*pag:*
2	23, 24	404.
6	5	513.

Eccl.

Cap:	*verſic:*	*pag:*
43	31	478.

2. *Maccab.*

Cap:	*verſic:*	*pag:*
7	28	699.

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM,

quæ in Anti-Crellio-Volkelianis Cenſuris continentur.

A.

Ablutiones *V.T. erant ſacramentales*, 749.

Abrahamo *quomodo Deus mandarit mactare filium ſuum*, 442. *& ſeqq. qualis Religio tradita*, 726. *nulla præcepta moralia de novo fuerunt impoſita*, 727. *quid obſignaverit circumciſio*, ibid. *quomodo juſtificatus fuerit*, 728. *Ejus animus non fuit Deo ignotus priusquam filium ſuum immolaſſet*, 368. *Pietatemque illius Deus certò prænovit*, 372. & 373.

Accidens *poteſt adeſſe vel abeſſe ſine ſubjecti interitu*, 679. *non poteſt tamen exiſtere extra ſubjectum ſuum*, 677. *quomodo ei inſit*, ibid. *Accidentia nulla cadunt in Deum*, 675.

Actiones *non propriè ſubſiſtunt ſed fiunt*, 30.

Actus *nonnulli intellectus Divini dantur priores ejus decretis in ſigno rationis*, 605. *Actus ſpecificatio pendet à cauſa particulari & proxima*, 218. *in contingentibus unde*, 345. *Actus voluntatis Divinæ quo rem conficit eſt peremptorius & efficaciſſimus*, 640. *Actus decernendi, ut actio Dei immanens, quid ſit?* 674. *Is non eſt accidens in Deo*, 679. *Actus amoris vel odii Divini ſignificat ipſum Deum ſe liberè determinantem ad miſericordiam in hos, & juſtitiam in alios*, 680. *Actus volendi in Deo ab ejus volitiva facultate ſolâ ratione diſtinguitur*, 684.

Adam *lapſurus habuit tamen facultatem ſtandi*, 344. *quà lapſurus non potuit non labi*, ibid. *ultrò & ſponte peccavit*, 404. *Ei Deus gratiam ſtandi poſitivè non ſubtraxit*, ibid. *potuiſſet ſtare ſi voluiſſet*, 443. *Tranſgreſſionis ejus pœnam nos jure luimus*, 437. *in eo peccavimus omnes*, 425. & 443. *in ejus voluntate noſtræ cenſebantur*, 406. *Illius peccato Deus non excidit jure obligandi nos ad obſervationẽ legis*, 443, 446. *quomodo dicatur genuiſſe filiũ ad imaginem ſuam*, 709. *Remiſſionem conſequutus eſt morte Chriſti non quidem jam facta ſenſu phyſico, ſed ut ceu jam facta ſenſu morali*, 635. *Juſtificatus fuit verâ fide*, 636.

Adonai *vel* Adonim, 81. *quomodo uni homini in plurali tribuatur*, 81, 82. *abſolutè poſitum quid denotat*, 85, 86. *abſolutè de Chriſto ponitur illique propriè convenit*, 85, 88, 89. *eſt Dei nomen proprium*, 86. *ejuſdem indolis cum nomine* Jehava, ib. *dicitur cum affixo de homine*, ibid. *quare redditur per ſingulare*, ibid. *diſtinguitur à nomine* Elohim, ibid. *quomodo ſcribitur cum de Deo aut hominibus uſurpatur*, 87. *non eſt nomen commune*, 88. *neque de Deo ſingulariter uſurpatur*, ibid. Adonai *pro* Jehova *ſuperſtitioſè ſubſtituitur*, 90. *etſi ſint ſynonyma*, 104.

Adorationis *religioſæ objectum eſt ſolus Deus*, 120.

Æquivoca *nomina quæ dicantur*, 117.

Æternitas *non eſt differentia Dei ſpecifica*, 151. *abſoluta eſt ſolius Dei*, 195. *quid eſt*, 171. *nullis conſtat partibus*, 175. *ſub temporis ſimulachro vulgò concipitur*, 185. *eſt indiviſibilis*, 187. *tota coexiſtit omnibus temporis partibus diviſim ſumptis*, 188. & ſeqq.

Æternum *id eſt abſolutè quod ante mundum conditum extitit*, 181. *& quod eſt à libera Dei voluntate per actionem immanentem*, 182.

Affectus *ad quid ſint dati*, 578. *ſunt morbi & ægritudines quibus Deus non eſt obnoxius*, 539. *non cadunt in Deum*, 475, 476. nonnihi ἀνθρωποπαθῶς *& impropriè Deo tribuuntur*, 217, 578, 579, 591, & ſeqq. 603. *qui Deo quandoque tribuuntur ſunt in duplici differentia*, 578.

Afflictio *omnis ſemper habet aliquem reſpectũ ad culpã*, 311. *licet non ſit in piis pœna ſatisfactoria, tamen eſt medicinalis*, 424.

Alienum *quid notet apud* Eſaiam, 515.
Aliquando *malè dicitur de Æternitate*, 22.
Ambulare *ſecundum Spiritum non infert executionem Legis Dei perfectiori ſenſu acceptæ*, 777.
Amicorum *omnia quo ſenſu ſunt communia*, 252.
Amor *duplex in Deo, alter complacentiæ alter benevolentiæ*, 541. *alter item communis, Providentiæ, alter ſpecialis, Prædeſtinationis*, 551. *Amor omnis noſter quo Chriſtum diligimus debetur amori Dei quo dilexit nos*, 552. *In Dei amorem ex ſui parte non cadit plus & minus*, 554. *ab eo amore, omnia Dei beneficia manant*, 542. *Amoris complacentiæ objectum eſt bonum morale*, 548.
Angelus *creatus perſonam Dei non ſuſtinet aut repræſentat*, 88, 97. *Angeli dicuntur* Dij, 122, 123. *item* El & Elohim *quomodo*, 78, 79, 123, 125. *quare vocentur filii Dei*, 2, 696. *non* præextiterunt principio *Moſaico*, 178, 693, & ſeqq. *nec potuerunt exiſtere cum nondum* ubi *eſſet in quo exiſterent & operarentur*, 182. *in ipſo principio Moſaico, ſed ante opera viſibilia fuêre creati juxta Veteres*, ibid. *an poſſint deſtrui à Deo*, 696. *ſunt lux intelligibilis*, 694. *ſunt pars aliqua naturæ & univerſi*, 59. *eos qui credit dari non poteſt negare Deum*, 60. *quomodo diſtinguantur*, 698. *cultum Divinum non admittunt*, 96. *Chriſti in illos ſummum imperium*, ib. *etiam malis Angelis id nomen tribuitur*, 59. *quando ſint lapſi*, 695. *Angelus* Jehovæ *quis & quomodo ab eo diſtinguatur*, 96. *ipſe eſt etiam* Jehova, 99, 101, 104. *Angelus Iſraelitis in deſerto promiſſus quis?* 97. *Angelus fœderis quando Chriſtus dici cœpit*, 102. *quomodo ad id Patre deſignatus*, 103. *Angeli qui Abrahamo & Lotho apparuerunt quales*, 98. *Angeli creati quid contulerint ad promulgationem legis*, 100.
Anima *hominis eſt immortalis & independens à corpore, ac ſupereſt poſt animal*, 199, 389, 659, 710. *non poſſit annihilari*, 200.
Animalium *mundorum & immundorum diſcrimen viguit ante diluvium*, 711.
Annus *Sabbaticus & Iubilæus quid ſignificabant*, 752.
Antecedenter *ad Dei decretum res poteſt eſſe vel non eſſe, non conſequenter*, 342.
Appetitus *in Deo complacentiæ ſive fruentis, in nobis carentiæ ſive inhiantis*, 541.
Arbitrium *Latinorum, ut Græcorum* αὐτεξούσιον *perperam per libertatem voluntatis explicatur*, 206. *in juſtitia fixum, non poteſt non ſemper benè agere, ut peccato mancipatum malè*, 65. *Omnibus ad agendum prærequiſitis poſitis poteſt agere & non agere in ſenſu diviſo, non in ſenſu compoſito*, ibid. *Arbitrium & finis Dei non debent opponi*, 41. *Ejus libertas in quo conſiſtat*, 39. *alia eſt in creatore alia in* Creatura, 411. *omnis ſervitus & dependentia non pugnat cum libero arbitrio*, 264, 316. *Arbitrium hominis liberum quomodo amiſſum*, 276, 422. *poſt lapſum eſt ad ſpiritualia planè ſervum*, 409. *nec fœderis conditiones præſtare poteſt*, 418. *qualis ei ſupereſt libertas poſt lapſum*, 421.
Aſperſionum *ſanguinis ſub V. T. ſignificatio & uſus*, 763.
Aſtra *intellectu & ratione carentia nequeunt res ſublunares ad finem dirigere*, 68. *Dii non ſunt*, 69.
Attributa *Dei & Deus ſunt idem*, 74. *nec à Deo nec inter ſe realiter differunt*, 153. *Negativa quædam dantur in Deo*, ibid. *Eorum Deus ſubjectum eſt attributionis non inhæſionis*, 2.
Αὐτεξούσιον *Græcorum*, v. Arbitrium.
Authoritas *Divina intommunicabilis eſt Creaturæ*, 97.
Auxilii *Divini ſubtractio reſpectu hominis jam peccatoris duplex eſt*, 404, 406, 442.
Axiomata *Fœderalia ſive categoricè ſive hypotheticè enunciëntur perperam decretis Dei accenſentur*, 641.

Digitized by Google

B.

Baalim 81. quomodo de uno homine in plurali uſurpetur, 81, 82.
Bara ברא quid notet? 10.
Beatitudo excludit injucundum ſenſum, 594. piis ſtatim poſt mortem datur, 475. In Dei viſione ſita, ibid. Eadem promiſſa tam in V.T. quam in Novo, 783.
Benedictionum ſpiritualium David expers non fuit, 506.
Benignitas Dei multiplex, 55. in quo conſiſtat, 530. remiſſiva peccatorum quò pertineat, 510.
Bonitas phyſica quæ ſupereſt in impiis non eſt objectum complacentiæ Divinæ quæ verſatur demum circa bonitatem moralem, 569.
Bonis ſæpè malè, malis ſæpè benè eſt in hac vita. 456.
Bruta non ſunt propriè capacia juris vel injuriæ, 416. ſpecies tamen quædam injuriæ in illa cadit, 421.

C.

Cæremoniarum antiquatio per Chriſtum & Gentilium ad fœdus Divinum evocatio proceſſit ex æterno & immutabili Dei decreto, 682. in Cæremoniis non tam ſpectandum quid ſuit quam quid ſignificent, 151. in illis quomodo Deus coli voluit, 732.
Calamitates quæ piis immittuntur quò pertineant, 526.
Carnium eſui non obtinuit in ſtatu innocentiæ, ſed poſt peccatum, 711. Caro nulla juſtificata ex operibus, 781.
Cauſarum per accidens progreſſus in infinitum dari nequit, 43. Cauſa impulſiva poteſt eſſe cauſa per ſe, ibid. Cauſa per accidens non potuit impellere Deum ad mundum condendum, ibid. Cauſa remiſſionis peccatorum quæ ſit, 509. Cauſa cognoſcendi non infert cauſam eſſendi, 375. Cauſæ omnium rerum ad ſuos effectus poſitivos determinatæ ſunt, 340. omnium effectuum & defectuum unde pendeant, 355. ſecundæ nihil habent aptitudinis extra Deum, 370, 371. omnes à prima pendent, 34. Quæ faciliùs aut difficiliùs poſſint impediri Deus novit, 333.
Ceilenſium conſilia quomodo à Deo fruſtrata, 375.
Certitudo fœlicitatis noſtræ à Prædeſtinatione abſoluta arceſſenda eſt, 685.
Charitas dicitur de Deo in abſtracto quia illi eſt eſſentialis, 550.
Chriſtus eſt verus Deus, 1, 78, 80, 83, 84. 197, 198, 241, 265, 266, 696. imò Deus Deorum, 80. Angelus increatus, 83. ſupremus omnium Dominus, 88, 89, 145. 264. etiam Angelorum, 100. à quibus quomodo differat, 102. nomine Jehovæ inſignitur, 88, 89, 104, 105, 109, 110. ejus Divinitate negatâ noſtra ſalus evertitur, 171. Creator omnium rerum, 248. Dominus dominorum, 249. αὐτόθεος ib. & 129. κύριος, 254. Dominus abſolutus, 316, 318. Patri coeſſentialis coæqualis & coæternus, 78, 88, 121, 122, 127, & ſeqq. 145, 272, 711. Quomodo à Patre, 249. alius ab ipſo ſed non aliud, 101. eſt Dei filius quomodo, 126. 128, 129, 130. non per creationem ſed per generationem, 148, 555. λόγος, 104. ἐνδιάθετος & perſonalis, 234. eſſentialis imago, 711, quomodo voluerit ſibi credi propter opera, 221. fuit cum Patre ab initio, 178. repetit gloriam quam poſſidebat ante jacta fundamenta, 179. notus fuit à mundi primordio, 114. ſub utroque Teſtamento obtinuit, 718. 784. extitit ſub V.T. 267. ſupremus legiſlator antequam in carnem venit, 102. adeoque præextitit ſuæ incarnationi 103. amplius quam homo & filius Davidis, 105. καρδιογνώστης, 279. quomodo ſimilis Patri, 272. quomodo ſit Dei, 252, 253. quomodo Patrem Deum & caput habeat, 265. Communio ejus cum Patre, 252, 253. Diſcrimen inter-

ter Dominum Chriſti & noſtrum, 253, 254. *Patre poſterior eſt ordine perſonalitatis*, 145. *ab eo quomodo dependet*, 129. *& ei ſubordinatur*, 253. *diſcernitur à* Deo *bifariàm*, 130. *domum* Dei *regit*, 145. *quà homo fuit præventus* Dei *amore*, 557. *ejus ſanguine* Deus *propitiatus*, 151. *ejus merito vita æterna datur piis*, 717. *ejus preces ſemper exaudiuntur*, 583. *ei competit formaliter vita Divina*, 197. *verus* Deus *& verus homo*, 482. *ſolus mediatur*, 456. *miſſus & ſanctificatus à Patre quo ſenſu*, 127. *miſſus in ſimilitudinem carnis peccati*, 774. *innocentiſſimus perſonaliter at non ſubſtitutivè*, 424, 472. *ſatisfecit pro nobis*, 472. *pro electis tantum*, 448. *etiam Patribus V. T.* 461. *convicit juvenem qui jactabat ſe legem ſervaſſe*, 767. *quo ſenſu Patri tradet regnum*, 161. *& ſedet ad dextram* Dei, 161.

Ciborum *diſtinctio legalis per Chriſtum ſublata*, 712.

Circumineeſſio, 83.

Clementiæ *effectus in quo conſiſtat*, 512. *Clementia* Dei, 304. *officium ejus principale*, 282. *quomodo in* Deo *cum juſtitia?* ibid. *non inducit mutationem ſui propoſiti*, 458. *quomodo eam exerceat*, 508.

Cœlum *aſpectabile & ſydera ad naturas inferiores non pertinent*, 699.

Coexiſtentia *duplex eſt adæquata & inadæquata*, 188.

Cohanim, 79.

Cognitio Dei *naturalis*, 51, 53. *Cognitio voluntatis Divinæ etiam extenditur ſuo ſenſu ad cognitionem plurimorum* Dei *decretorum*, 610.

Cognoſcere *pro notum facere tranſitivè*, 363.

Comminationes *Divinæ habent adjunctas ſuas conditiones*, 440, 466. *quibus innituntur*, 688. *prædictiones non ſunt*, 668. *poſitis conditionibus ſub quibus proponebantur* Deum *conſtituunt debitorem pœnæ denunciatæ ex juſtitia vindicativa*, 633. *includunt denunciationem reatus & pœnæ*, 634. *Comminatio primo homini facta ſpectabat mortem temporalem, ſpiritualem & æternam*, ibid. *Comminationes in communi*, 299.

Communitati *quod dicitur pertinet ad ſingulos diſcretè ſumptos*, 369.

Compoſitio *ex actu & potentia non cadit in* Deum, 201. *neque ex ſubjecto & accidente*, 674.

Concupiſcentia *eſt peccatum*, 290.

Concurſus *generalis non pertinet ad Miſericordiam* Dei *niſi quatenus ordinatur ad vitam æternam*, 564.

Conditio *V. T. num præſtantior conditione N.* 762. *Conditionales propoſitiones non conſtituunt decreta conditionata*, 621.

Conditiones *antecedenter ſe habentes ad decretam ſalutem fluunt ex* Dei *decreto & vi illius ponuntur in Electis*, 621. *Ex conditione poteſtativa non ſuſpenditur* Dei *decretum*, 365, 646. *Conditio omnis cauſa non eſt*, 656.

Conſilium Dei *& eventus rei inter ſe non opponuntur*, 247. *præter illud nihil evenit*, ibid. *an rerum formationi ſufficiat?* 47. *quomodo* Deo *tribuitur?* 606. *aliquando ſumitur pro ipſius decreto*, ibid. *quotupliciter ſumitur?* 623. *Conſilia* Dei *per liberos noſtræ voluntatis actus non impediuntur*, 622. *& licet infallibilia non important neceſſitatem coactionis*, 645.

Conſilia *& decreta hominum ſunt ut plurimum conditionata & quare*, 619.

Conſtantia Dei *quid ſonat*, 684. *nihil demit de illius libertate*, 351.

Contactus *non tantum virtualis ſed etiam actualis* Deo *debet tribui ad agendum*, 237.

Contingens *abſolutè nullum eſt* Dei *reſpectu*, 338, 341, 346. *Contingentium inepta Crellij definitio rejicitur*, 338. *Contingenter futura* Deus *determinatè novit*, 333. *ad contingentiam rei quid requiratur*, 345. *ejus fundamentum*, 218.

Contrarietas *effectuum non ſemper ponit contrarias cauſas*, 5 6.

Converſio *noſtra unde pendet*, 435.

Cor *noſtrum num ſit quodammodo in noſtra poteſtate*,

Digitized by Google

poteſtate, 261.

Creatio *quid*, 10, 699, 700. *activa eſt ipſe Deus per modum actus vitalis & liberrimi ſe determinans ad productionem Creaturarum extra ſe*, 679. *Creare quid notet*, 690. *Creatio facta ex nihilo negativo*, 22, 699. *quod tale eſt abſolutè vel ſecundum quid*, 690. *ſolius Dei opus*, 707, *facta à Deo per Filium & Spiritum Sanctum quomodo*, 707. *ſuperat omnes Creaturarum vires*, ibid. *dicitur eſſe modo cœli & terræ, modo viſibilium & inviſibilium*, ibid. *alia item mediata alia immediata*, ibid. *Creatio ſimpliciter non incœpit à luce*, 704. *facta eſt ſex diebus*, ibid. *non extiterunt omnia ex aqua & terra*, 703. *Creationi mundi nihil præter Deum præextitit*, 181.

Creaturæ *ordinantur ad Deum*, 256. *non ſunt tamen illius finis in quo ſiſtat*, 258. *quouſque meliores aut deteriores fieri poſſint*, 261. *quomodo gubernentur*, 263. *propter eſſentialem Dei præſentiam, ſibi mutuo præſentes non ſunt*, 498, 499. *nec ſunt ſimul tempore in Deo*, 652. *Creaturas ſimpliciter innocentes Deus non affligit*, 715. *Vide etiam* Innocentes. *Creaturæ intelligentes ſic agunt liberè, ut tamen eventus ſit infallibiliter neceſſarius*, 70.

Credere *& non credere*, 286.

Crucifixionem *Chriſti Deus præſcivit*, 337.

Crura *Chriſti erant veroſimiliter frangenda etſi frangi nequiverint*, 331.

Cultus *religioſus cui debetur*, 168, 169. *non eſt univerſaliter verum Deum poſſe eligere alium modum ſui cultus quam qui in illius verbo præſcribitur*, 273.

D.

David *tantũ ſecundum quid non declinavit à Dei præceptis*, 770. *eſt author Pſalmi* CXIX. 771. *nunquam impenſiùs ſtuduit pietati quam in afflictione*, ibid.

Dæmones *quomodo futura contingentia cognoſcant & quouſque*, 371.

Decalogi *quartum præceptum eſt morale*, 750, 751.

Decreta *Dei qualia*, 405, 466, 468. *æterna & libera*, 44, 692. *immutabilia tamen*, 45, 274, 595. 596. *etiam ea quæ per malas actiones exequitur*, 366. *Illis ſunt omnia definita*, 231, 268. *etiam cum omnibus ſuis circumſtantiis*, 269. *Circa generalia decreta carpitur* Crellius *& cum Ariſtotele committitur*, ibid. *non confundenda cum promiſſionibus & minis*, 596, 604. *nec abſoluta cogunt homines*, 584. *nec permiſſiva imponunt ijs neceſſitatem intrinſecam ac phyſicam peccandi*, 320, 352. *nec tollunt reatum peccati*, 352. *nec peccati cauſæ ſunt*, 403, 406, 443. *Nulla decreta de rebus futuris ſunt tribuenda Chriſto ſeorſim à Patre*, 273. *nulla ſunt conditionata ſenſu Sociniano*, 277, 298. *Decretum Dei de permittendo malo non facit eum culpæ affinem*, 352. *quid illud requirat in homine?* 365. *Decreto Dei ſuppoſito nihil debet concipi ſimpliciter indifferens*, 370. *eo quod ex Dei decreto & illius effato, inevitabilis conſecutio detur*, 70. *Actus eſt non tantum voluntatis ſed etiam intellectus*, 534. *Decretum quid ſit?* 611. *Crellii definitio vitioſa*, ibid. *Decretorum Dei æternitas*, 622. *& immutabilitas adſtruitur*, 619. *ſunt abſoluta*, 615, 622. *neceſſariò ad exitum perducuntur*, 622, 640, 677. *perfecta*, 637. *infallibilis eventus*, 632, 645. *non ſunt oppoſita vel contraria*, 638, 651, 673. *nec duûm generum*, 637. *aut diſtinguenda in abſoluta & conditionata*, 616, 618, 661. *non dantur univerſalia præciſè à ſingularibus*, 641. *An & quomodo univerſale decretum rebus ad ſalutem ſpectantibus Deo veniat tribuendum*, 661. *Omnia Dei decreta ſimul ſunt*, 675. *nec decretum de omnibus & ſingulis ſimul ſervandis eſt prius decreto de ſervando Petro & Paulo ubi jam credunt*, 644. *Decretum de Chriſto ſalutis noſtræ duce conſtituendo fuit æternum & infallibilis eventus*, 651. *ut & illud de lapſu Adami permittendo*, ibid. *Decretum de his*

aut illis

Digitized by Google

aut illis nominatim ſervandis non pendet ex eorum fide prævìſa, 642. *Decretum Dei ſe habet ad voluntates creatas ut primum mobile ad ſphæras inferiores*, 622. *Abſolutum fuit decretum de vocandis Ieremia ad Prophetiæ munus & Paulo ad Apoſtolatum*, 625, 629. *Decretum Dei nullum eſt cui actus efficaciſſimus ſuo tempore non accedat*, 640. *Decreta Dei ad externa illius opera ſe habent ut cauſæ*, 604. *Attributa Dei ſunt complexa*, ibid. *non conveniunt Deo inhærenter ſed attributivè*, 605, 674. *non confundenda cum illius præceptis*, 610, 611, 614, 615. *ſubjectivè decretum Dei unum eſt, objectivè multiplex*, 612, 670. *Decretum Dei permiſſivum non eſt mediæ conditionis inter negativum & affirmativum*, 613. *Decreta Dei non evertunt hominum libertatem*, 645. *Decretum Reprobationis non imponit reprobis neceſſitatem peccandi*, 647. *Diſtinctio decreti in antecedens & conſequens, ſenſu Sociniano, nulla*, 654. *nec dantur decreta diverſa circa Pauli ſalutem*, 657. *malè diſtinguuntur in occulta & patefacta*, 664. *ſui executione non deſinunt eſſe*, 673. *Ejus præceptis & promiſſis formaliter non continentur*, 610. *omnia ſunt peremptoria*, 638. *Decretum malè dicitur effectus voluntatis ipſiuſque eſſentiæ Divinæ*, 670. *Hoc decreto imaginario*, Omnem credentem ſervatum iri, *nemo magis ad vitam quam ad interitum deſtinaretur*, 662.

Delectatio *non ſemper comitatur amorem*, 546. Dei, *quid?* 593. *quomodo ei tribuenda?* 260. *quo ſenſu non delectetur morte impii?* 581, 587.

Deliberatio, *antecedanea & operoſa à Dei conſiliis eſt removenda*, 611.

Delicta *graviſſima per ſacrificia Levitica expiata ſunt*, 768.

Dependentia *duplex eſt*, 161

Deſideria *num Deo tribuenda*, 230, 441, 579, 580, 586.

Deſcendere *quomodo Deus dicatur*, 393.

Determinata *præſcientia non evertit liberum arbitrium*, 337. *etiam determinatè erant futura quæ contingenter eveniunt*, 335. *Determinatio permiſſiva non ponit peccatorem extra culpam*, 340.

Δεσπότης *quomodo ſumatur*, 145, 146.

Deus, *eſt ſupremum Ens*, 45. *eum eſſe naturaliter notum eſt*, 2. *quomodo Deus Deorum dicatur & ipſe Chriſtus*, 80. *quomodo Elohim*, ibid. *quare Dominus exercituum*, 123. *quo ſenſu moritur*, 226. *ut plura poſſit quam vult*, 229, 232. *num poſſit facere contrarium ejus quod decrevit*, 231. *non eget præexiſtente materiâ*, 236. *Dei Nomen*, 1, 2. *unde & quem propriè notet*, 116, 117, 123, 130, 132, 134, 139, 140, 161. *quomodo tribuatur Chriſto*, 130. *Creaturis*, 103, 125, 130. *Angelis*, 122, 123. *Magiſtratui*, 117. *Molocho & Soli*, 116. *febri & pallori*, 140. *Deus dicitur in Scripturis* Leo, ignis, upes, 124. *ignis cur dicatur*, 521. *eſt bonus, benignus, juſtus, rectus*, 397, 398. *ſanctus*, 294. *definiri nequit*, 174. *etiam per negationes à nobis cognoſcitur*, 153. *potius exiſtit quam ſubſiſtit*, 158. *ejus perfectio ſumma*, 166. *Omnia diſponit pro ſuo arbitrio*, 258. *minus propriè dicitur quærere bonum Creaturarum*, ibid. *Eſt finis cui omnium rerum, non finis cujus*, 260. *omnia ex ipſo & per ipſum*, 259. *jure punit peccatores*, 273. *imò jure exigit quod nunc præſtare non poſſumus*, 315. *regnat per Chriſtum*, 267, 272. *præſcit malitiam hominum*, 317. *non poteſt Creaturam abſolutè innocentem affligere aut punire*, 263. 715. *peccata omnia punit*, ibid. *Ei Dominium utile Creaturarum minus accuratè tribuitur*, 258. *quomodo utatur & fruatur Creaturis*, 286. *neminem citra reſpectum peccati deſtinat pœnis æternis*, 404. *Eſt ubique*, 325. *totus*, 497, 498. *per ſuam eſſentiam*, 480. & ſeqq. *repletivè non extenſivè*, 485. *habitat in omnibus piis per Spiritum Sanctum*, 481. *in Chriſto per unionem hypoſtaticam*, 482. *quomodo in cœlo ſit & quæratur*, 493, 494.

minor,

495. *nulli creaturæ æqualis vel inæqualis dici poteſt*, 497. *nec ſeipſo major & minor*, ibid. *liberè & ſapienter agit*, 41. *phyſicè non patitur*, 38, 46. *nulla cauſa externa eum movit ad mundum creandum*, 41, 43. *Agit immediatè*, 488. *ad omnes creaturarum actiones concurrit*, 490. *Novit futura contingentia*, 218. *& univerſalia in ſuo eſſe præciſionis*, 641. *ac omnes res cum omnibus temporis differentiis quibus ſunt obnoxiæ*, 329. *rem concipit uti eſt*, 332. *determinatè novit futura contingentia*, 335. *in futurorum cognitione non eſt metiendus ex noſtro pede*, 332. *eſt omniſcius*, 579, 580, 585. *tripliciter omnia novit*, 345. *nos movet ad preces & quo fine*, 347. *malorum præſcius non eſt eorum author*, 353. *nec ea permittens*, 348. *ab æterno omnia in tempore futura novit*, 356, 602. *Res enim ſunt ei præſentes antequam fiant*, 358. *& novit quid inſit virium cauſis ſecundis ad ſuos effectus*, 371. *nec ariolatur ex præſentibus actionibus hominum*, 374. *Eſt ens ſimpliciter independens*, 216. *omnipotens*, 601. *fine ſuo nunquam excidit*, 591, 599. *in eum non cadit plus & minus*, 588. *primus eſt & ultimus*, 176. *ſuam æternitatem totam ſimul habet*, 177. *ei non quando ſed ſemper competit*, 181. *non tam eſt cauſa quam principium ſui decreti*, 182, 686. *neceſſariò debuit aliquid decernere* 183. *nihil creatum illi coexiſtit eodem momento*, 189. *ſunt in tempore quæ agit extra ſe*, 190. *In quarundam pœnarum & remunerationum dilatione ſeipſum potius manifeſtat quam occultat*, 72. *In Deo eſſentia & qualitas malè diſtinguuntur*, 575. *Ex affectibus qui illi tribuuntur plerique ipſi conveniunt per modum virtutum*, 533. θεοπρεπῶς *ſunt intelligenda quæ de illo* ἀνθρωποπαθῶς *dicuntur*, 533. *abſurdè illi tribuit Crellius commotiones vehementiores*, 534. *nihil datur quo propriè moveatur*, 535. *& nihil extra illum in quo ſua decreta locum non habeant*, 536. *nihil in illo concipiendum indifferens ad turpitudinem & honeſtatem*, 539. *ſeipſum non poteſt non ſummè amare*, 546. *eſt actus purus expers potentiæ paſſivæ*, 677. *immutabilis*, 592, 596, 674. *quoad locum, tempus &c.* 682, 683. *Liberam ſuam poteſtatem & voluntatem demonſtrat in operum ſuorum mutatione extra ſe*, 683. *non vult unam rem propter aliam, ſed tamen vult unam rem eſſe propter aliam*, 209. *non ultra movetur ad aliquid volendum quam prout intelligit ſuæ bonitati, ſapientiæ, libertati, gloriæ expedire*, 210. *non mutatur precibus piorum ut ex nolente fiat volens*, 204. *vult ſemper optimum, nec poteſt malum velle*, 216. *non eripit Creaturis liberum arbitrium cum limites ponit earum actionibus*, 627. *peccata neceſſariò punit*, 633. *nec ea remittit abſque ſatisfactione*, 635. *nec cenſeri debet pronior ad parcendum quam ad puniendum*, 555. *Circa ea quæ non vult exiſtere non ſe habet per meram ceſſationem voluntatis*, 613. *de novo nihil decernit*, 637. *nec ibi demum vim ſuam exſerit ubi decretorum ſuorum executio eſt* ἐν ἀκμῇ, 638. *Non ideo celat ſua conſilia ne irrita fiant*, 668. *quomodo dicatur aliquid* velle fieri, 449. *& aliquid* cupere, 441. *in Deo nihil eſt quod non ſit Deus*, 673.

Deus unus *eſt*, 119. *ſimulque trinus*, 148, 149. *iſque Pater, Filius & Spiritus Sanctus*, 120, & ſeqq. *Hæ perſonæ quomodo differant?* ib. *Pater cur frequentiùs Deus dicatur?* 131. *eſt principium Filij & cum Filio Spiritus Sancti*, ibid. *quo ſenſu Deus ſancit ne alius coram ſe colatur*, 164. *& non obſtante illius unitate multi dicantur Dii?* 155. *Filij divinitas demonſtratur*, 325, 326.

Δία *Iovem unde Græci dixerunt*, 259.

Dies *noſtri à Deo præfixi*, 269.

Differentiæ *ſpecificæ munus quodnam*, 599.

Dilatio *ſupplicij non tam eſt miſericordiæ quam ſapientiæ Divinæ*, 563.

Diſplicentia Dei *quid*, 590.

Digitized by Google

Dolor Deo non convenit, 579, 587, 590, & ſeqq. 598.
Domini nomen quomodo opponatur nomini Dei, 144.
Dominium Dei ad ſui adminiſtrationem requirit infinitam potentiam, 256. nec poteſt merè creaturæ conferri, ibid. æternum quomodo, 257. Dominio ſuo abſoluto Deus renunciare nequit, 245. unde illud arceſſitur, 248. Dominium Chriſti & Nebucadnetzaris quî differant, 251.
Duratio Divina non fluit per partes ſibi mutuo ſuccedentes ut noſtra, 177. nulla duratio eſt communis Deo & Creaturis, 172. Duratio ſempiterna eſt momentum ſtans, 186. in nulla duratione ſucceſſiva mille anni poſſunt commenſurari uni diei, vel unus dies mille annis, 191.

E.

Eccleſia num appelletur Jehova juſtitia noſtra? 109.
Effectus nullus poteſt produci quem Deus futurum non decrevit, 370.
Eheje cognatum eſt cum Jehova, 93.
El ſumptum ſubſtantivè notat ſupremum Numen, 74, 124.
Elohim quid notet? 78. quomodo tribuatur Iudicibus Principibus & Angelis? 78. num ſit nomen appellativum? 80. quomodo Deo competat, & aliis præter Deum? ib. 123, 125, 132. quomodo tribuatur Idolis? 84.
Electio quid? 263, 661. Ex Dei beneplacito pendet, 263. quomodo facta, 435. firmiſſima eſt & perfectiſſima, 659. malè diſtinguitur in perfectiorem ac firmiorem & infirmiorem ac minus perfectam, 659. coincidit cum Prædeſtinatione ad vitam, 661. facta eſt ex gratia, 647. non ex fide & operibus præviſis, ſed ad fidem & bona opera, 608, 617. eſt ad finem & media, 645. non ſequitur ex Prædeſtinatione poſitô hujus poſtulatô, 662. diſtinguitur à vocatione, juſtificatione & glorificatione, 658. nullum eſt diſcrimen inter τὸ eligere & optare, 215.
Ἐμπεριχώρησις, 83.
Enochus habuit promiſſionem ſalutis, 719.
Ens de Deo & Creaturis dicitur æquivocè, 125.
Eſau Reprobatio & Iacobi Electio, 263.
Eſſe poſſe, operari, in Deo ſolâ ratione diſtinguuntur, 674.
Ἐσόμενα & μέλλοντα num differant? 331.
Eſſentia Dei eſt abſoluta ſi in ſe tantum conſideretur, ſed multipliciter relativa oppoſitè ad creaturas, 672. Eſſentia in Divinis una & eadem, 129.
Eventus rei per libertatem Creaturæ non poteſt fruſtrari, 247. Eventura Deo ἐσόμενα, 334.
Euangelium quo reſpectu præſtantius Lege? 100. etiam manifeſtatum fuit in V. T. ſed clariùs in N. 451.
Ἐξ, διὰ, εἰς, Rom: XI, 36. quid importent ſecundum Auguſtinum, quid ſecundum alios? 259.
Excommunicatio duplex, 758.
Exilium nullâ lege Moſaicâ ſancitum, 758.
Exiſtentia actualis mali non præcurrit abſolutè Dei decreto, 365, 366.
Expectare quo ſenſu Deus dicatur? 361, 585, 586.
Expiatio legalis erat ſignificativa expiationis perfectiſſimæ quam obtinemus in Chriſto, 768.
Externa impedimenta voluntatis tendentiam & appetitum non poſſunt impedire, 207.
Extraordinarium nihil fuit in heroibus V. T. quod fœdere Dei promiſſum non eſſet, 778.

F.

Factitius Deus fingi non poteſt, 146.
Facultas appetens ſuâ vi non poteſt ſupplere quod deeſt appetibilitatis in objecto comparatè ad aliud, 215.

Ferre

Digitized by Google

Ferre iniquitatem varijs tribuitur, & quomodo Deo, 520.

Fideles finaliter deficere nequeunt, 396, 427, 465, 658. V.T. à nobis quomodo differant? 101. cujus fuerint participes? 512. promiſſa Moſaiça ſunt conſecuti beneficio ſingulari Dei in Chriſto, 782.

Fidei fundamentum, 221. illa quorum & unde? 584. eam nobis conferre Deus non tenetur nec omnibus offert, 454. illam jure à nobis poſtulat, 461. omni adulto eſt neceſſaria ad ſalutem, 645. Fides & opera quomodo ſe habent ad vitam æternam? 656. pertinet ad dona Dei ἀμεταμέλητα, 658, 661. Ea ut & incredulitas hominum habuit ſuum eſſe cognitum & exiſtentiam objectivam in mente Divina ante mundum conditum, 649. Conditio eſt prærequiſita ad ſalutem, non poteſtativa & incerta ad decretum Dei de ſalute huic aut illi conferenda, 617.

Fiducia quid? 585. Hominum fiducia nihil detrahit certitudini Prophetiarum, 369.

Filius Dei non eſt alterius naturæ quam Pater, 185. cur unus dicatur Dominus, 159. quale habeat cum Patre imperium, 156. quomodo à Patre dependeat? 161.

Finis cauſâ omnia agunt, 5. nec tamen ſemper agunt ex inſita neceſſitate, ibid.

Fœdus Dei cum homine qualis eſt contractus? 418. non eſt univerſale, 454, 461. ejus beneficia quomodo conſequamur? 418, 419. antiquum & novum ſubſtantiâ & re idem ſunt, 461.

Fœlicitas non poteſt appeti quin præ minori bono eligatur, 212.

Futura quotupliciter eveniant, 330. quomodo à Deo cognoſcantur, ibid. & prædicuntur eventura, 463, 469. Contingentia cognoſcuntur à Deo & quomodo, 328, 330. indeterminata ſunt quoad nos & cauſas ſecundas, non quoad Deum, 332. quæ eorum cauſas proximas etiam ab æterno prævidit. 355. nec ſunt abſolutè neſcibilia, 335. imò nec abſolutè contingentia, 342. aut minus præſentia Deo quam ſimpliciter futura, 358. Eadem quotupliciter dicantur, 378. Futura malè in contingentia & ventura diſtribuuntur, 370. indeterminationem habent ſolo reſpectu cauſarum ſecundarum. 335. ea Deus præſcit quomodocunque futura ſint, 334. nec ideo omnis eorum cauſa debuit actu extitiſſe ab æterno, 354. Futurorum contingentium & neceſſariorum diſtinctio quæ, 334.

Futuritionem neceſſariam habent quæcunque eveniunt, 332. Ea unde pendet ut & modus illius? 331. Futuritione certâ unius oppoſitorum non tollitur poſſibilitas alterius, 342.

G.

Generalis alicujus veritatis applicatio practica, num habeat neceſſario rationem decreti ſpecialis? 642.

Gentiles participes facti Meſſiæ, 464.

Gloria Dei, 260. Ea quam Chriſtus habuit apud Patrem ante conditum mundum non debet intelligi de gloria deſtinata humanitati ipſius, 178.

Gratia non offertur omnibus promiſcuè, 461, 475. cur id non fiat? 462. ut omnimodo ſit gratuita ex libero Dei decreto pendere debet, 536. coincidit cum Dei amore reſpectu hominis miſeri, 560. cæteroquin enim Gratia ſemper præſtatur inferiori, amor quandoque æquali, ibid. Hinc nunquam Gratia ſed ſemper Amor Patris in Filium commemoratur, ibid. Gratia gratis data à gratia gratum faciente diſtinguitur, 561. Ea qua nos Deus proſequitur eſt verè miſericordia, 562. hinc per hendiadym junguntur, 563. ut in Chriſto non eſt univerſalis, 582. ſic oſtenditur quomodo agat in hominibus, 584.

H.

Homicidium *ante diluvium vetitum fuit*, 720.

Homo *quo fine conditus?* 320. *ut pertinet ad ſublunaria?* 703. *conſtat corpore terreno & anima cœleſti*, 709. *quomodo à cæteris animantibus differt*, ibid. *ut conſtituitur in eſſe hominis*, 678. *poſt lapſum citra ſpecialem Dei gratiam nihil boni poteſt agere*, 407, 408. *nec proprijs viribus ex peccati pœnis eluctari*, 409. *Homines proni ad peccandum & veluti catenis injectis trahuntur ad vitia*, 61. *Politicè & comparatè ſunt boni, Theologicè & abſolutè non*, ib. *quod deflectant ab officio eſt rejiciendum in arbitrij non libertatem ſed ſervitutem*, 57. *nequeunt à Deo exleges relinqui, aut ſubjici in genere morumlegibus contrarijs ijs quas acceperunt*, 244, 279, 289. *non poſſunt detrectantes obedire Deo aliam ſequi rationem Deo ſerviendi quæ naturâ ſuâ honeſta ſit*, 273. *non ſemper illis præſtò ſunt media neceſſaria ad converſionem*, 276. *omnes ſunt peccatores*, 780. *ac deſtituti gratiâ Chriſti nihil verè boni facere poſſunt*, ib. *aut aliud quam peccare*, 211. *præditi in protoplaſto ijs viribus per quas poſſent obedire legi*, 764. *per legis comminationes præparantur ad exoptandam gratiam liberationis*, 765. *neceſſariò agunt neceſſitate conſequentis*, 210, 211. *comparatione inſtituta inter duo bona ſemper eligunt quod hic & nunc majus & melius indicant eſſe*, 214. *Ut eandem rem bis cognoſcant*, 356. *imperfectiùs cognoſcunt futura quam præſentia*, ibid. *toti quanti præſcientiæ Divinæ obverſantur*, 357. *indefinitè tantum præſciunt aliorum malitiam*, Deus *verò definitè*, 375.

Hoſpitalitas *cur erga Angelos potiùs quam Deum exercita dicatur?* 96.

Hyperbolicæ *loquutiones non ſunt nimis urgendæ*, 376.

I.

Javeh & Jaho, *à veteribus dictum pro* Jehova, 90.

Idola *nihil ſunt*, 119. *quomodo* Elohim *appellentur*, 84.

Jehova *quomodo legendum & pronunciandum?* 74, 90. *nullum affixum patitur*, 88. *legitimè olim pronunciatum fuit à ſacerdote*, 90. *Eſt incommunicabile creaturis*, ibid. *Ejus nominis notatio*, 92, 95, 115. *non habet meram rationem futuri*, 92, 94. *nec debet ſumi pro* Havah, 94. *Patriarchis hoc nomen non fuit ignotum ſed tantum ejus efficaciam non erant experti*, 95, 115. *non variat ſignificatione*, ibid. *quo ſenſu cœptum nominari ante diluvium?* 96. *nunquam recedit à propria ſua ſignificatione*, ibid. *potiori jure Chriſto quam Angelis convenit*, 100. *Græci & Latini quomodo illud reddiderint & cur*, 91. *cur Hieronymus illud per* Adonai *expreſſerit*, ibid. *aliquando tamen ingreditur compoſitionem aliorum nominum*, 106. *quod exemplis comprobatur*, 108. Jehova juſtitia noſtra *quis dicatur?* 109.

Jeruſalem *ad ſecuritatem & gloriam evocanda per Chriſtum*, 109.

Jeſuitarum *ſententia de Angelo* Jehova, 102.

Jeſus Chriſtus *eo eſt verus* Deus *quod* Servator *dicatur*, 755. *vide* Chriſtus.

Im *particula apud Eſaiam* LIII, 10. *quid ſignificet?* 267, 212.

Imago Dei *Chriſtus*, 711. *in homine quid ſit*, 709, 711. *per lapſum valdè mutata*, 709. *reparata vero per Chriſtum*, ibid.

Imitatio *noſtra qualis debeat eſſe?* 531.

Immanuelis *nomen Chriſto debetur & cur?* 112. *quomodo conveniat Chriſto & creaturis?* ibid. *Immanuel typicus nomine tenus nullus præextitit in V. T.* ibid.

Immenſitas Dei, 325. *num ex alijs attributis reſultet?* 477.

Imperatores *Chriſtiani malè olim* Divinitatis & Numinis *appellationem ſibi arrogarunt*, 78.

Impiorum *converſionem quomodo* Deus *velit & nolit mortem*, 453, 454. *Impij ſunt in æternum duraturi in inferno*, 172. *quod non habet*

Digitized by Google

non habet rationem beneficij ſed pœnæ, 574.

Imperium Dei, 314. *Imperium Chriſti naturale & œconomicum,* 161.

Impoſſibilitas *legis ex hominis impotentia pendet,* 764, 782.

Impotentia *bene agendi in homine eſt vitium morale & malum* ἐπιτακτικόν, 764.

Impunis *apud* Deum *quis ſit?* 519.

Impulſio *voluntatis non ſatis accuratè diſtinguitur ab illius impetu,* 209.

Incredulitatis *noſtræ quæ cauſa?* 462.

Induratio *peccatoris ex parte* Dei *quid?* 408. *ejus exemplum in Pharaone,* ibid. *Malitiam in homine ſupponit,* 409.

Infantes *ſunt naturâ filij iræ,* 308. *Ninivitarum infantes non fuerunt abſolutè innocentes,* 310.

Infideles *cur* Deus *beneficijs afficiat,* 512. *An reſipiſcentiam eorum propriè quærat?* ibid.

Infinitum *id non eſt ſemper cujus terminos & fines ratio non invenit, ſed ſæpè indefinitum,* 181.

Ingratæ *res ut ſunt* Deo? 562.

Innocentium *duo genera,* 308. *quinam innocentibus proximi,* 310. *abſolutè talibus nulla pœna juſtè à* Deo *poteſt infligi,* 416, 419, 423. & ſeqq. 571.

Intellectus *officium eſt decernere quid agendum quid omittendum,* 205. *quomodo dicitur nihil eſſe in intellectu quod prius non fuerit in ſenſu,* 202.

Interceſſio *imperfectionem poteſtatis & virium non arguit,* 166.

Internuncij *munus nihil derogat* Divinitati *Chriſti,* 103.

Ira *non ſemper eſt vitium,* 591. *quo ſenſu* Deo *tribuatur,* 591, 592. *Ira* Dei *non adverſatur ejus miſericordiæ,* 578. *non datur in hunc & illum abſque decreto puniendi,* 536.

Irtiſio *impropriè* Deo *tribuitur,* 588.

Iſraelita *quilibet debebat ſtudere pietati & bonis moribus coram* Deo, *ut fidem ſuam per opera ſua demonſtraret,* 768. *per Ieremiam non obſcurè edocti fuerunt Iſraelitæ de vita futura & animorum immortalitate,* 784.

Judas *ſibi ſuæ perditionis cauſa fuit,* 247. *ejus proditionem* Deus *certò præſcivit,* 406.

Judicum *authoritas arctior poteſtate Regum,* 753.

Judicium *practicum in agibilibus duplex, abſolutum & comparatum,* 207. Judicia *vel civilia vel criminalia ſunt,* 757.

Jus *gladij competit Magiſtratui,* 756.

Juris *vocabulum quid notet?* 399. *Iuris nec injuriæ propriè ſunt capaces beſtiæ ſed ſoli homines,* 416, 421. *Ius Prætor dicit etiam cum injuſtè judicat,* 247. *jus ſummum ſumma injuria,* ibid. *Ad jus naturæ acceſſit jus gratiæ,* 266.

Jus Dei *circa pœnitionem peccati,* 244. *item Principum ac Regum inſtitutionem ac remotionem,* 278. *quouſque jus & Dominium* Dei *in homines ſe extendat,* 415, 416, 424.

Juſtificari *in* Dei *judicio quid ſit?* 432. *Iuſtificatio noſtra ſoli* Deo *per* Chriſtum *tribuenda,* 432, 459. *ea unica eſt,* 781.

Juſtitiæ *nomen in* Deo *quid notet,* 398. *Duplex eſt in* Deo, *univerſalis & particularis,* 399, 472, 473. *Commutativæ juſtitiæ inter* Deum *& homines non eſt locus,* 426, 428. *Iuſtitia* Dei *erga homines unde arceſſenda & in quo fundetur?* 418. *Remunerativa alterius eſt ordinis quam vindicativa,* 284. *Hæc vero nempe vindicativa & peccati punitiva eſt* Deo *naturalis,* 282, 291, 292, 293, 294, 295, 297, 298, 299, 305, 319, 577. *unde æſtimetur,* 54. *quid exigat,* 532. *quid non patiatur,* 528. *Iuſtitiæ Divinæ nihil decedit eo quod homines legem implere & ex illa juſtificari nequeant,* 764, 781.

K.

Κύριος *cum de* Deo *uſurpatur proprium eſt,* 141. *aliquando cum, aliquando ſine articulo ponitur,* 141, 142, 143.

Digitized by Google

L.

Lapſus *Adami à Deo præſcitus*, 341, 342. *in ſe contingens*, ibid. *nequivit eſſe ſimul futurus*, 345. *ejus futuritio unde*, 344. *non ſuſtulit Adamo vires perſeverandi*, ibid. *ex illius ſuppoſitione omnes homines obverſabantur menti Divinæ ut ſponte ſuâ improbi*, 356.

Lætitia *propriè Deo non convenit*, 579, 588.

Legales *maledictiones quo pertinebant*: 758, 759. *Legalis & Euangelica ſanctio*, 286, 303, 304. *Legalis ſanctio non eſt comminatio conditionalis*, 298. *nec poteſt abrogari*, 299, 302. *vel aufert Deo jus* ἀπειλειας, 300.

Leges *quà leges ſunt, obligant*, 685. *Leges poſitivæ*, 287.

Legiſlator *in monte Sinai primarius Chriſtus*, 100. *diſtinguendus à ſuis miniſtris*, 101.

Lex *& pœna lege denunciata*, 286. *Moralis eſt immutabilis*, 273. *perfecta*, 279. *& ſemper eadem*. 719. *in ſe conſiderata ſtrictam & perfectam exigit obedientiam*, 279, 430. *idque etiam jure à nobis peccatoribus*, 443, 461. *nos damnat*, 429. *cur per Chriſtum Mediatorem lata*, 730. *Legem Moralem Chriſtus non correxit*, ibid. *ad ejus perfectionem quid non faciat*, 729. *Ejus clauſula de tertia & quarta generatione*, 524. *cur ultra non procedat*, 725. *Lex de nullo alio Deo colendo eſt juris æterni*, 164. *ut & lex de homicidio*, 281. *cui nihil derogat mandatum Abrahamo factum de filio immolando*, ibid. *Lex non novit reſipiſcentiam*, 301. *Lex homini peccatori impoſſibilis citra juſtitiæ & ſapientiæ Dei læſionem*, 764. *nec ſolum moralis ſed etiam cæremonialis*, 763, 779. *Ejus impoſſibilitas in hominis vitium refundenda*, 772, 773. *Eam non ſervat ullo modo qui eam non ſervat omnimodo*, 765. *Legis promulgatione Deus jus ſuum aſſerit*, ibid. *& hominibus corruptis inicit frænum externæ diſciplinæ*, ibid. 768. *ac peccatores convincit*, 765, 767. *Non alio ſenſu ſumenda quam quo lata eſt à Deo*, 766. *ſenſu perfectiori non imperfectiori propoſita fuit Iſraëlitis*, 767. *promiſit etiam bona cœleſtia*, 774. *& quæ in Adamo amiſimus*, 775. *ejus* δικαίωμα *per Chriſti meritum impletur in pijs*, 773. *Lex moralis abſolutè conſiderata nullam proponit delicti veniam ſed eam præcidit quibuſlibet culpis*, 775. *Lex cæremonialis cur & quomodo abrogata*, 731, 732.

Liber Legis *cur in arca repoſitus*, 368.

Libro vitæ *quinam inſcripti*, 389, 390. *in eum quando nomina hominum referuntur?* 514.

Liberè *agere & neceſſariò non ſemper contraria*, 350, 407.

Libertas *Dei*, 273. *decretorum Dei per eorum æternitatem non tollitur*, 350. *Libertas duplex*, 420. *Arbitrij humani qualis*, 421. *non tollit neceſſitatem moralem peccandi*, 406. *elucet in omni operatione ex judicio, non ſola mediorum electione*, 205.

Liberum arbitrium *non tollitur perſeverantiâ ſanctorum*, 200. *nec omni neceſſitate*, 583. *non facit ex ſe ut res ſit Deo grata*, ibid. *nihil poteſt ſine gratiâ præſente*, 584. *ſubeſt Providentiæ Dei*, 601. *commodè definitur facultas agendi quod lubet præeunte judicio & ratione*, 206. *habet libertatem à neceſſitate phyſica & coactione, non à ſervitute*, ibid.

Locus *Deo non competit*, 30.

Longanimis *quo ſenſu Deus dicatur?* 519.

Luna *regina cœli dicta*, 116. *ei ſacrificarunt gentiles*, ibid.

M.

Maccabæorum *libri Apocryphi*, 750.

Magiſtratus Dij *dicuntur*, 117, 123, 125, 132.

Magnitudo *Dei eſt eſſentialis*, 479. *intenſiva & extenſiva*. 48.

Majeſtas *cur ſacra dicatur*, 394. *Dei incommunicabilis Creaturæ*, 164,

Mala

Digitized by Google

Mala *ſubſunt Dei decreto permiſſivo non effectivo*, 365.

Maledictione *crucis à maledictione legis liberamur*, 774.

Malitia *hominum Deo definitè perſpecta ab æterno*, 374.

Mandata *Dei cum ejus decretis non confundenda*, 667.

Materia *nequit exiſtere ſine forma*, 30, 701. *prima*, 10,699.

Mediator *ſolus Chriſtus*, 456, 762. *Mediatoris officium, in quibus ſitum?* 762, 763.

Memoria *& oblivio quomodo Deo tribuantur*, 327. *Memoria perperam opponitur intellectui*, 203.

Mendacium *omne damnat Scriptura*, 438.

Mendax *omnis homo*, 463.

Merces *quomodo dicatur rependi noſtris operibus*, 429,458.

Merita *facilè admittent Sociniani*, 283. *Meriti propriè dicti conditiones*, 284. *Meritum pœnæ non tollitur etſi non reſtet in agente facultas in oppoſitum*, 39.

Meritum *Chriſti pro nobis*, 284.

Meſſiæ *beneficium etiam ad Gentiles extenditur*, 464. *Meſſias quandoque dicitur Adonai*, 104. *nec magis Iudæis quam Gentilibus debebatur*, ibid.

Michael *non Angelus creatus*, 698. *ſed ipſe Chriſtus*, 111, 112.

Miracula *ſunt motiva ad fidem non fundamenta fidei*, 221. *nec illis credendum abſque ſcrutinio doctrinæ*, ibid.

Miſeria *noſtra unde?* 711.

Miſericordiæ *affectus in ijs qui ſunt fortiori animo eſt cum voluptate junctus*, 562. *Miſericordia & ira eidem ſimul homini & eadem de cauſa generica ineſſe poſſunt*, 576.

Miſericordia Dei *affectivè conſiderata eſt ſimpliciter æterna, effectivè tantum ſecundum quid*, 193. *propriè tribuenda* Deo *ut virtus oppoſita crudelitati*, 562. *quo ſenſu doloris eſt expers*, ibid. *Miſericordia Dei præ omnibus illius operibus celebratur, quod ad opera miſericordiæ plura ejus attributa concurrant*, 574. *ad Miſericordiam Dei ordinariam ſpectat quod homines peccatis immerſos vocat ad reſipiſcentiam*, 565. *Miſericordiæ opera cur Deo gratiora quam Iuſtitiæ*, 514.

Miſſio *in Divinis quid & de quibus perſonis dicatur?* 127. *Miſſio Chriſti alterius generis quam Angelorum*, 103.

Momentum *æternitatis ſonat perfectiſſimam & indiviſibilem durationem, at momentum temporis breviſſimum tempus fluens*, 186.

Morale *quid ſit?* 279.

Mori *quomodo dicatur Deus?* 226.

Mors *quomodo eſt à Deo?* 403,404. *Mors patibuli quid ſignificet?* 758. *Mors Chriſti*, 312.

Mortuorum *nomina quomodo Deus habet in nnmerato?* 389.

Moſes *quomodo Pharaoni datus* Elohim *& Aaroni* Lelohim? 78. *non fuit Mediator*, 45. *nec eo munere defungi potuit*, 730. *Ejus œconomia in quibus ſita?* ibid. *Ex patefactione Divina loquutus eſt*, 368, 369. *quomodo prænoverit defectionem Iſraelitarum*, 374. *de illius Spiritu non fuit detractum quod diſtributum fuit ſeptuaginta viris*, 753.

Motus *non poteſt eſſe ab æterno*, 49. *propriè Deo ipſi non convenit*, 579, 600, 601, 602.

Mutabilitas *omnis ſonat imperfectionem*, 682.

Mundus *non eſt factus ex præjacente materia*, 707.

Myſteriorum *nomine utuntur ſcriptores ſacri circa doctrinas ad ſalutem noſtram ſpectantes*, 666.

N.

Narratio *de Adami cranio in Golgota reperta fabuloſa eſt*, 636.

Nativa *corruptio quamvis non eſt cauſa neceſſaria reprobationis, eſt tamen illius cauſa ſufficiens*, 647.

Natura

Digitized by Google

Natura *omnis ſingularis non eſt perſona*, 158.
Naturalis notitia Dei *non ſufficit ad ſalutem*, 718.
Neceſſitas *omnis cum libertate non pugnat*, 215. *multiplex poteſt conciliari cum libero arbitrio*, 65. *adventitia moralis neceſſitas benè vel malè agendi illud non evertit*, ibid. *phyſica quibus competit?* 206. *Neceſſitas futuritionis unius ejus oppoſitum non facit ſimpliciter impoſſibile*, 342. *Neceſſitas infallibilitatis non pugnat cum Dei libertate*, 346. *nec evertit uſum precum*, 345, 347. *nec vim infert voluntati*, 348, 364, 365. *radicatur in Dei decreto*, 338. *Nihil eſt tam contingens quoad modum quo fit, quod non ſit neceſſarium quoad ſuam futuritionem*, 218.
Neceſſitas *pœnæ infligendæ non tollit alterius ſubſtitutionem in locum primarij debitoris*, 636.
Nomen *tetragrammaton non habet puncta mutuatitia*, 113.
Nomen Dei *non ſignificat ſolummodo eſſe inſtructum authoritate Dei*, 97.
Nomina *quomodo ſignificant?* 1. *Communia minus accuratè appellativa dicuntur*, 88. *Appellativa quæ & qualia*, 80.
Non ens *ſtatim non eſt quod actu non exiſtit*, 356.
Noſtri *quomodo dicamur eſſe?* 421. *noſtra item quomodo noſtra?* 251.
Notitia Dei *inſita aſſeritur*, 8, 68. *futurorum contingentium non implicat contradictionem*, 336. *Eâ ſublatâ perit omnis religio*, ibid. *omnium poſſibilium Deo adſcribenda*, 338.
Novum *fœdus ſumitur bifariàm*, 509. *Ejus tempora ſunt tempora gratiæ*, 525.

O.

Objectum *non agit immediatè in voluntatem, ſed mediatè per intellectum*, 535. *An ullum objectum extra Deum vim habeat voluntatem ejus inclinandi?* 536. *Objectivè omnia ab æterno extiterunt in mente Divina*, 652.
Obligatio *in moralibus duplex, altera ex parte Dei, altera ex parte rei*, 685.
Obſtinatio *Iudæorum odioſâ exaggeratione declaratur*, 376.
Odium *in Deo quid ſonat?* 291, 569, 591.
Officium *noſtrum in legis obſervatione*, 772.
Omnipræſentia Dei *ex immenſitate ejus reſultat*, 477. *propriè Deo convenit*, 480.
Omniſcius *quid ſcire debeat?* 336.
Opera Dei *ad intra & ad extra*, 2. *omnia non ſufficienter diſtribuuntur à Volkelio*, 689. opus Domini *quid?* 196.
Opera *hominum peccati veniam non merentur*, 716. *Veteres ex operibus legis non ſervati*, 279.
Operculum *arcæ cur* propitiatorium *dictum?* 576.
Optare Dei, *quid?* 580.
Originalis *juſtitia in homine quid?* 709.
Originale peccatum *adſtruitur*, ibid. & 306, 307.
Orthodoxi *quomodo explicent contingentia?* 339.
Oſores Dei *qui?* 524.

P.

Parentes Iohannis Baptiſtæ *quo ſenſu juſti?* 770. *Parentum punitio in filijs unde?* 307.
Paſſio *voluntatis ab objecto eſt potius moralis quam phyſica*, 535.
Paſſio *Chriſti*, 306.
Paulus *irreprehenſibilis in foro fori*, 770.
Pater *& Filius pro una perſona cenſentur*, 252.
Pater *eſt fons totius Divinitatis*, 88. *& unus numero*, 159. *cur quandoque unus Deus dicatur*, 16. *Dedit Filio quod habet excepto eſſe Patrem*, 249. *quænam illa datio*, ibid. *facta eſt ſine alienatione*, 251. *Patris ſub imperio quomodo omnia manent etſi illis præſit Chriſtus*, 268.

Patres

Digitized by Google

Patres *habuerunt ſub V.T. promiſſiones ſpirituales*, 250. *participes vitæ æternæ*, 432. *æquè per Chriſtum ſervati ac nos*, 461.

Peccata *Deus odit*, 403. *etiam originale*, 574. *nec ſunt adſcribenda ejus decretis*, 443. *ſed ipſi creaturæ*, 403,404. *Ea Deus punit neceſſariò & naturaliter*, 398,413, 415,419,423,431,432,433,4[illegible]5,471. & ſeqq. 528. *Neceſſitas puniendi peccata qualis*, 520. *quandoque peccata peccatis puniuntur*, 410. *Peccatum Adami actuali pœnæ ſubduci non poterat*, 636. *Cur illud permiſerit Deus*, 404. *& quotidie alia ſinat fieri*, 451. *A Deo præſciuntur priuſquam fiant*, 340,341. *& licet certò futura, non deſinunt tamen eſſe peccata*, 352. *Eorum cauſæ quomodo extiterint ab æterno?* 353,354. *Peccatorum elata manu commiſſorum nulla expiatio ſub lege*, 737. *peccata vi ſacrificiorum non codonabantur in foro poli ſed vi ſacrificij Chriſti quod adumbrabant*, 337. *Peccatorum remiſſio eſt reatus ablatio*, 526. *per quid fiat à Deo & quomodo?* 517,520. *nobis non imputantur ad condemnationem*, 430. *ſed imputata ſunt Chriſto*, 425. *in quem pœna eorum tranſlata fuit*, 635. *nunquam eum abſque ſatisfactione remittuntur*, 716. *minus gravia nihilo plus habent venialitatis in ſe quam graviora*, 628. *gravius tamen eſt peccare ex deſtinata malitia quam ex infirmitate*, 628. *multa punientur in æternum*, 715.

Peccatores *juſtè puniuntur licet conſilio Dei ſubſerviant*, 349, 352. *citra remiſſionem peccatorum ſuorum ſervari non poſſunt*, 775.

Per *particula, non ſemper denotat cauſam inſtrumentalem*, 259.

Perfectio *& ἀκμὴ non accedit decretis Dei cùm ſuam exſecutionem ſortiuntur*, 637.

Περὶ *pro ὑπὲρ aliquando ſumitur*, 774.

Permiſſio *juris & facti benè diſtinguuntur*, 615,616.

Perſeverantia *ſanctorum aſſeritur*, 274, 276, 277, 396, 427, 465, 507. *eſt adjunctum infallibile veræ fidei*, 620.

Perſona *quomodo definiri debeat*, 158. *malè definitur à Crellio*, 85. *perſonæ plures poſſunt eſſe in una eſſentia ſingulari infinita*, 159.

Perturbationes *affectuum noſtrorum non cadunt in Deum*, 533.

Pharao *exemplum ſingulare Potentiæ Divinæ & contumaciæ humanæ*, 408, 442. & ſeqq.

Pietas *hominum eſt objectum amoris complacentiæ quo Deus in illos fertur, non tamen ejus cauſa*, 557.

Pij, *num plus boni poſſint facere quam faciunt?* 411. *Qui Pſalti dicuntur ſervare* fœdus Dei, *ſunt conſiderandi ſub fœdere Evangelico & gratiæ*, 769. *mortui ſub V.T. vitam æternam ſunt conſequuti*, 784.

Pœna *legibus ſancita*, 287. *ſervanda proportio inter pœnam & culpam*, 282. *denunciata lege naturali non eſt relaxabilis*, 288. *pœnas Deus exigit neceſſariò*, 289. & ſeqq. *punit enim ut Magiſtratus*, 294. *quomodo infrà condignum*, 282. *Pœnæ ſatisfactoriæ, medicinales, perſonales*, 310. *noſtris peccatis debitas pœnas Chriſtus ſuſtinuit*, 311. *pœnæ corporales ſub lege*, 758. *Pœna quotuplex*, 527. *Exactio ejus in quo fundetur*, 529. *ablatio quò ſpectet*, 509. *dilatio quò*, 523. 528. *extenſio in tertiam & quartam generationem*, 524. *illatio in continenti*, ibid. *ſequitur neceſſariò poſito reatu*, 636.

Pœnitentia *quomodo Deo tribuatur*, 359. & ſeqq. 465, 466. *non in Deo ſed in rebus ipſis mutationem ſonat, nedum revocationem alicujus ſui decreti*, 652. *propriè dicta pœnitentia in Deum non cadit, nec ulla mutatio*, 360,579,595. & ſeqq.

Poſſeſſiones *hominum quomodo æternæ?* 257.

Poſſibile & impoſſibile *idem dici poteſt vario reſpectu*, 341. *Poſſibilitas non labendi in Adamo unde*, 344. *Poſſibilia ineptè diſtinguuntur in contingentia & futura*, 330. *quomodo poſſibilia infinita*, 228.

Potentia Dei Chriſtus, 322. ad omnia Potentia Dei ſe extendit, 480. alia abſoluta alia ordinaria, 229.
Potentia ſimultatis quid? 342.
Poteſtas Dei quò ſpectet? num oppoſita reſpiciat? quid ſit? 243. indiviſſo nexu cum juſtitia & ſanctitate ejus cohæret, 244. quouſque extendatur? 246. & ſeqq.
Poteſtas Chriſti duplex, 249. quomodo eam habeat à Patre, ibid. num ſit poſterior naturâ poteſtate Patris? 251. quomodo differat ab hominum dominio? ibid.
Præcepta Dei ſeria ſunt, 447. alia abſoluta alia probativa, 441. & ſeqq. Priora abſolutè ſumenda, 301. Cæremonialia & Poſitiva unde vim ſuam accipiant? 685.
Prædeſtinatio ad decreta ab æterno facta pertinet, 686. fidem antecedit, 690. non facta fuit tantum generatim, 661. non eſt de conditionibus ſed de perſonis, 662. nullum datur diſcrimen inter Prædeſtinationem ad vitam & electionem, 659. conſtat electione & reprobatione inter quæ non eſt perfecta contrarietas, 646. ejus objectum eſt homo lapſus non creabilis tantum, 646, 647.
Præmium in Euangelio propoſitum non habet vim majorem homines Dei ſtudio inflammandi quem legale, 783.
Præſcientia futurorum ſoli Deo ſervanda, 332. non obeſt libero arbitrio, 337.
Præſentia alia realis alia intellectualis, 356.
Preces ſunt media quibus Deus ſua decreta exequitur, 347. quo fine à nobis fiant? ibid. non ſanè ut ipſe mutet ſententiam, 347. cur muniantur rationibus? 601.
Primi mundi religio ad ſalutem ſuffecit, 719. habuit præcepta generalia & quæ ad pietatem ſpectabant, 719, 720, 721. adeoque & promiſſiones ſalutis, 723. & ſeqq.
Primitiæ V. T. cur Deo ſacræ? 752.
Princeps quomodo ſolutus legibus? 296.
Proæreſis quid ſignificet & complectatur? 611. & ſeqq.
πρόγνωσις quotupliciter ſumatur? 607, 608.
Promiſſiones Dei ſub V. T. quædam conditionatæ, 440, 466. quis illarum uſus? 440. non fuerunt tantum terrenæ, 760, 764. Promiſſiones de remiſſione peccatorum ſub V. T. in quo fundatæ? 520. Promiſſio Dei conditionata eum debitorem facit rei promiſſæ ex juſtitia ſua univerſali, præſtitâ conditione, 623. Promiſſiones aut Comminationes conditionatæ non ſunt prædictiones rei futuræ, 633. nec ponunt in Deo decreta conditionata, 618. ſed pertinent ad voluntatem Dei præcipientem, ibid. Promiſſa non ſunt decreta, 623, 685. eorum vis & certitudo, unde? 685.
Promulgator legis & Euangelij quis & qualis? 762.
Propenſio naturalis ad ſupplicium de nocentibus, naturaliter Deo ineſt, 570.
Prophetæ quomodo cognoſcant futura comparatè ad Deum? 344. prædixerunt redemptionem in Chriſto, 784.
Propoſitiones hypotheticæ in ſuo formali conceptæ pro decretis non ſunt habendæ, 619. Contradictoriæ quænam ſunt? 343.
Proſopopœias fingit Crellius, 6. de proſopopœijs, 239. & ſeqq.
Πρόθεσις quid ſignificat, 608.
Providentiæ Dei actuali omnia ſubjiciuntur, 334, 592. ei homines ſubſerviunt, 714.
Puncta vocalia in vocibus Jehova & Adonai non ſunt omninò eadem, 90.

Q.

Qualitates abſurdè in Deo ponuntur quarum aliæ ſint naturales aliæ non, 575.
Quapropter particula, quid notet? 312.

R.

Rationis diſtinctio in ſuperiorem & inferiorem non eſt magni momenti, magiſque objectiva quam ſubjectiva, 710. Rationis ſanæ uſus legitimus in expendendis Myſterijs Dei, 392.
Rectorum pluralitas non ſtatim eorum infinitatem infert, 4.
Redemptio noſtra per Chriſtum quid reſpiciat, 255. non eſt metaphorica, nec facta abſque pretio, ibid. & ſeqq. nec confunda

Digitized by Google

denda cum liberatione temporali, 255.

Reges *& Principes quare ſua reſcripta in plurali concipiunt?* 82.

Regimen *mundi non eſt Polyarchicum*, 162.

Regnum *Chriſti*, 304. *Mediatorium naturale non tollit*, 267. *Regnum Dei aut ſenſu ſimpliciter æternum*, 193.

Religionis *abjectum Chriſtus*, 1. *Idem obtinuit in religione quæ Moſaica dicitur*, 59.

Remiſſio *peccatorum quid ſit*, 302. *qualis actus & unde pendeat?* 318, 456. *quomodo adſcribatur, Iuſtitiæ Dei?* 472. *ea non relaxatur ſanctio Legis*, 433, 472. *ſub V.T. quo ſignificabatur?* 510. *eam in quo Veteres ſunt conſequuti?* ibid.

Reprobatio *affirmativa, quid?* 647. *Comparativa in quid refundenda?* 263.

Res *quomodo poſſit aliter evenire quam evenit?* 345. *quæ eſt potuit non eſſe*, ibid.

Reſipiſcentia *in nobis eſt Dei opus*, 459. *ad eam num omnes vocentur?* 352. *Reſipiſcentia & deprecatio peccatoris vel alterius pro ipſo eum nequit ſubducere pœnæ*, 636. *per eam fit aliqua mutatio in peccatore non in mente Divina*, 277. *per eam à poſteriori colligitur peccatorem eſſe vas ad decus*, 277. *quomodo concurrat ad remiſſionem peccatorum*, ibid. & 302.

Reſpectus *Dei ad Creaturas & poſſibiles & futuras fuit æternus*, 672.

S.

Sabbathum *Iudæorum*, 750. *quomodo ab eo ſumus liberati & ejus loco primum ſeptimanæ celebramus*, 751.

Sacerdotum *conſecratio*, 734. *munera*, 735. *qualitates*, 733. *veſtitus, cibi, matrimonium*, 748.

Sacrificiorum *uſus viguit ſtatim poſt ejectionem protoplaſtorum ex Paradyſo*, 711. *homines jam tum ex oblatis comediſſe eſt veroſimile*, ibid. *primi mundi qualia*, 722. *per ſacrificia expiatoria & pacifica pars utraque ſacerdotij Chriſti adumbratur*, 737. *Sacrificijs per ſe non egebant corporis maculæ, ſed prout erant imagines quædam peccati*, 737. *peccatis enormibus quare nulla ſpecialia ſacrificia deſtinata*, ibid. *eorum tamen remiſſio in ſacrificijs communibus ſignificabatur*, ib. *& offerebatur*, 775. *Eorum repetitio adſacrificum Chriſti præparabat*, 741. *Simila pauperiorum non erat ſacrificium piapitiatorium*, ibid. *Sacrificia potuerunt conſiderari ſub* χέσι *mere legali*, 743. *quatuor mortis genera in ſupplicijs Iudæorum uſurpata in ſacrificiorum ritibus ſignificabantur*, 744. *In ſacrificijs non ſola præſentia victimæ ſed ejus ſubrogatio in locum peccatoris à* Deo *attendebatur*, ibid. *quoad ſorum poli ſatisfaciebant pro peccatis typicè & ſignificativè*, 745. *conſiderata* χέτιμως *ad rem ſignificatam importabant plenam veniam delictorum*, 775.

Salomon *non ſuſtinuit typum Chriſti in nomine* Elohim, 83.

Salus *pijs ſub V.T. obtigit per Chriſtum*, 58. *nec cuiquam aliter obtingit*, 646. *non eſt decreta ſub conditione poteſtativa*, 645. *ex Dei gratia eſt arceſſenda*, 663. *per Euangelij præconium non offertur omnibus*, 454.

Samuel *nuſpiam* Elohim *appellatur*, 84.

Sancti & pij *ex lege Dei erudiuntur*, 765. *eorum nemo dicitur habuiſſe apud Patrem ante mundum conditum eam gloriam quam tandem eſt conſequuturus*, 179.

Sancti *vocabulum quid notet*, 394.

Sanctio *comminatoria in fœdere legali & Euangelico poſità conditione ſub qua fiebat, eventum ſuum conſequitur*, 633.

Sanguinis *eſus quando & cur interdictus*, 722, 749.

Sapientia *Dei in Scripturis tripliciter dicitur*, 379. *aliter apud Salomonem quam Syracidem uſurpatur*, 383. *ſæpiſſimè eſt perſona ſecunda Trinitatis, nempe Chriſtus*, 321, 322, 379, 389. *de quo Salomon intelligendus*, 380. & ſeqq. *idque citra proſopopœam*, 383. & ſeqq. *inſtar mulieris deſcribitur*, 384. *Melancthonis de ea ſententia*, 381.

Satisfactio *dupliciter conſideratur*, 529.

Digitized by Google

Chriſti ejusque neceſſitas aſſeritur, 256, 472. *ipſa nobis imputatur*, 318.

Schaddai *quid notet?* 123, 223.

Scientia *practica quid?* 322.

Scientia *Dei quomodo verſetur circa poſſibilia & futura?* 329. *non eſt conjecturalis*, 334. *naturalis & viſionis*, 376, 378. *quæ diſtinctio ſufficit rejectâ ſcientiâ mediâ*, 378.

Senſus *non competit Deo formaliter*, 203.

Septem *lampades & ſeptem oculi in Apocalypſi quid?* 377.

Sermones *de rebus ad futurum ſpectantibus non ſunt illicò prophetiæ*, 368.

Servi *an injuriæ capaces & quomodo?* 421.

Severitas *quid?* 513. *non confundenda cum ira*, 508. *quo ſenſu annumerari poſſit boni Principis* partibus? 514. *ejus effectus qui ſint?* 521, 522. ib. *Severus quis ſit*, 514. *cur* Deus *nuſpiam ſeverus dicatur*, 513. *quo ſenſu tamen dici poſſit*, 516. *ejus ſeveritas in quo appareat*, 522. *ex illius rigore num agat cum hominibus?* 527. *ſummus illius gradus quis?* 528.

Sol, Deus *dictus à Gentilibus & cur?* 115.

Sors *quomodo caſura ſit à Deo præſcitur*, 334. *Sortem diverſam miniſtrorum Pharaonis Deus prænovit*, 337.

Spes *quid?* 579, 580. *quomodo differat à deſiderio & expectatione?* 585. *propriè non convenit* Deo, 579, 580, 585. *nec ei tribuitur in Scriptura*, 585, 587.

Spiritus *nomen quomodo ſumatur?* 237. *non eſt genus Dei*, 149. *nec univocè de Deo & Creaturis prædicatur*, 153, 199.

Spiritus *Sanctus cum 7. lucernis & 7. oculis cur collatus?* 377. *quomodo dicatur* Miſſus *à Patre & Filio?* 137. *non eſt mera qualitas emanativa omnipotentiæ Divinæ, ſed tertia perſona S. Trinitatis*, 237. *Spiritus Dei incubans aquis*, 706.

Spirituales *res cur immortales?* 200.

Suaſio & perſuaſio *diſtinguuntur?* 207.

Subordinatio *Chriſti*, 249, 266.

Subtractio *auxilij Divini reſpectu peccatoris duplex*, 404, 406, 442. *vide* Auxilium Divinum.

Summo bono *quod pro tali habetur theoreticè & practicè, nihil poteſt præferri* 212.

Supplicium *impiorum complectitur pœnam damni & ſenſus*, 574.

Spatia *imaginaria cerebrina ſunt commenta hominum otioſorum*, 266.

Sociniani *negant perſonalitatem Spiritus*, 234. *nolunt confiteri* Dei *Immenſitatem & Omnipræſentiam*, 237. *Rivales* Deo *ponunt in cultu religioſo*, 573. *eorum error de nativa corruptione*, 2. *de paſſione Chriſti*, 206. *de peccato originali*, ibid. *de animæ interitu*, 316. Reliqui eorum errores toto opere paſſim confutantur.

T.

Tempus *vitioſè diſtribuitur in finitum & infinitum*, 692. *infinitum dari nequit*, 25. *nec fuit ante mundum conditum*, 48. *ante temporis principium reſque conditas, nihil potuit exiſtere niſi in abyſſo æternitatis*, 110. *Tempus ab æternitate quid differat?* 184. *Ejus differentijs Deus non ſubjicitur*, 357.

Tentare *homines quo reſpectu Deus dicatur?* 364.

Θεὸς unde & quem propriè notet; vide Deus.

Terra *non movetur*, 12.

Timere *interdum idem quod præcavere & proſpicere*, 601.

Τιμωρία unde derivetur, 284, 291.

Tribunalium *duo genera in* Rep. *Iſraelitica diſtinguit Chriſtus*, 753.

Tribuni *& Centuriones à Moſe conſtituti ſpectabant potius caſtra quam forū*, 753.

Trinitas. 79, 81.

Triſtitia *in Deum non cadit*, 217.

V.

Vaſa *iræ & miſericordiæ Deus non refingit*, 274. *quæ libertas illis competat?* 276. *Vas ad dedecus nequit ſeipſum reſtituere*, 276. *quomodo fiant utraque*, 273.

Vaticinia *Prophetarum non ſunt meræ conjecturæ eventus contingentis*, 366, 367.

Velle *Dei variè ſumitur*, 582, 591. *aliquando*

Digitized by Google

quando idem eſt quod delectari vel approbare, 609. Velle & cupere quomodo ei tribuantur, 441. cum declarat quid ab hominibus fieri velit, ejus velle non reſtringitur ad affectum deſiderij, 615. Deus non vult appetitu inhiantis vel carentiæ, 288.

Velleitas Deo non convenit, 582, 583.

Venditionem Ioſephi præſcivit Deus, 337.

Ventura ſunt etiam futura, 370, eorum non eſt duplex ordo, ibid.

Verbera & mulctæ ex legis præſcripto τιμωρίαι erant, 758.

Verbum Dei vel præceptivum eſt vel decretivum, 640. cum ad ejus decreta refertur quomodo extendi debeat, 638. Verba Dei ad Abrahamum facta de futura illius obedientia quomodo intelligenda? 373.

Veriſimilia noſtri reſpectu, talia non ſunt reſpectu Dei, 331, 332. Veriſimiliter eventurum nihil decretum à Deo, 371.

Veritas poſſibilitatis rei à virtute futuritionis illius diſtinguitur, 342. Veritas Prophetiarum nititur futurorum contingentium præſcientiâ certâ, 336.

Victimæ in locum peccatorum duplicem ijs præſtabant immunitatem, pro duplici foro, 743. earum uſus viguit ſtatim poſt lapſum, 711.

Virtutis eſſentia difficultatem non exigit, 73.

Vis & efficacia quam Deus exſerit ad ſua decreta exſequenda ineptè reducitur ad tempus quo debent impleri, 638.

Vita, quid? 199. Dei eſt tranſcendentalis, 195. & variè ſumitur, 196, 197. Spiritualis quomodo vita Ieſu? 196. Vitam in ſe habere quid denotet? 197. Vitæ æternæ participes etiam Patres V. T. 432.

Vindicta Divina quomodo procedat? 511.

Unctio regum quid ſignificabat? 755.

Unus quo ſenſu Deus dicatur? 154. Unum primum in quo ſiſtendum, 14.

Vocatio noſtra, unde? 433. Vocatis externè cur Deus mandata ſuo proponat? 448.

Voluntas appetit quæ ratio bona eſſe judicat, 46. Voluntatis humanæ libertas quid? 206, 421. Voluntas noſtra eſt facultas cœca, 219. apta nata appetere bonum & refugere malum, 208. ſe habet ad intellectum ut appetitus ad ſenſum, 205. ſequitur ultimum indicium rationis & ab illo ſemper determinatur etiam in rebus æqualibus, 207. non eſt ſemper indifferens ad oppoſita, 211. non fertur in malum quà malum nec in bonum quà minus bonum, 215. ei competit eſſe mobili, 208. nulla cauſa impellens determinat voluntatem per ſe, ſed [illegible] prout apprehenditur & indicatur ab intellectu, ibid.

Voluntatis Divinæ nomen ambiguum, 204. eſt ipſiuſmet eſſentia, 217. & tamen liberrima, 216. ac prima cauſa omnium, 209. naturalis honeſtatis prima lex, 274. an benè diſtinguatur in voluntatem decreti & approbationis, 581. item in antecedentem & conſequentem? 582, 653. alia præcipiens alia decernens, 441. & ſeqq. 447. & ſeqq. 450, 455, 461, 476, 640, 669, 685. ſæpè nomen voluntatis de præceptiva ſumitur, 609. in Deo non ſunt contrariæ, 451, 665. decernente non vult omnes obſequi ſuis mandatis, 449. Ei nemo poteſt reſiſtere, ibid. ſemper ſuum effectum conſequitur, 467. eſtque immutabilis, 217, 468. Voluntas ſigni & beneplaciti, 665. inepta eſt oppoſitio, inter actus voluntatis Divinæ, ut alij Deo inſint per modum affectivum, alij per modum approbationis, amoris, deſiderij aut decreti, 609.

Votum Moſis de diſperſione Iſraelis ad quem fieret? 106.

Utinam quo ſenſu Deo adſcribatur? 580.

Z.

Zebaoth quando & quo ſignificatu collocetur in Scriptura? 95.

Index Authorum qui ſparſim vel laudantur vel citantur in Cenſuris Anti-Socinianis.

A.

R. Abba
Aben-Eſra
Accurſius
Aelianus
A Lapide
Albertus M.
Alcoranus
Althuſius
Aluarez
Anaxagoras
Anonymus author libri inſcripti *Dies Dominica.*
Anſelmus
Aquila
Ariſtoteles
Aſconius
Athanaſius
Auguſtinus
Auſonius.

B.

Barradius.
Baſilius
Becanus
Beda
Belgæ interpretes
Bellarminus
Beza
Bonaventura
Bucerus
Buxtorfius.

C.

Cajetanus
Calepinus
Callimachus
Calvinus
Carteſius
Carthuſianus
Caſſiodorus
Caſtalio
Catharinus
Cato
Cebes
Chaldæus Paraph.
Chryſoſtomus
Chryſippus
Cicero
Clemens Alexandrinus
Codex Theod.
Columella
Concilium Arauſicanum II.
Concilium Lateranenſe
Concilium Milevitanum
Concilium Sirmenſe
Concilium Tridentinum
Copernicus
Corpus Juris
Crocius
Cujacius
Cumel
Cyprianus
Cyrillus Alexandrinus.

D.

Damaſcenus
Deodatus
Demoſthenes
Didymus
Dionyſius Areopag.
Diphilus
Druſius
Durandus.

E.

Empedocles
Enjedinus
Epicurus
Epiphanius
Epiſcopius
Eraſmus
Erpenius
Euangelium ſecundum Hebræos
Eucherius
Euſebius
Euſtathius.

F.

Fileſacus
Flaccus Illyricus
Fonſeca
Sebaſt. Francus.

G.

Galatinus
Gellius
Genevenſes
Gerhardi
Glaſſius
Gloſſa Script.
Gratianus
Græci Interpretes LXX
Grotius.

H.

R. Haccados
Heraclitus
Hermogenes
Heſiodus
Heſychius
Heiderus
Hieronymus
Hilarius
Homerus
Horatius
Hugo
R. Hunna
Hunnæus.

I.

Jacobus VI.
Index Expurgat.
Innocentius III.
Jonathan BenUziel
Joſephus
Joſephus Albo
Irenæus
Junius Fr.
Junius Joh.

Kimchi

Digitized by Google

Index Autharum.

K.

R. Kimcki.

L.

Lactantius
Laertius
Lerius
Leo Judæ
Leſſius
R. Levi BenGerſon
Linus
Lipomannus
Lipſius
Lyra
Lombardus
Lorinus
Lucanus
Lutherus.

M.

Macrobius
Maginus
R. Maimonides
Marcianus
Marnixius
Martialis
Melanchton
Menaſſeh ben Iſrael
Midraſch Tehillim
Minutius Fœlix
Molina
Molinæus
R. Moſes Hadarſan
Muſculus
Mynſingerus.

N.

Noſtradamus
Novatus
Nugno.

O.

Oecumenius
Origenes
Orpheus
Ovidius.

P.

Pagninus
Pantoleon
Paræus
Paſchaſius
Pauſanias
Perſius
Philo
Pierius
Plato
Pleſſæus
Plinius
Plutarchus
Polanus
Pollux
Proſper
Publius Syrus
Puteanus.

R.

Rabanus
Ripa
Ruffinus
Rupertus Tuitienſis.

S.

Salazar
Salluſtius
Schindlerus
Seneca
Sennertus
Servetus
Silius Italicus
R. Simeon Ben Jarchi
Sixtus Senenſis
Sladus
Socinus
Sohnius
Steuchus
Stobæus
Suidas
Suarezius
Synodus Dordracena
Syrus Intrepres

T.

Tarnovius
Tatianus
Terentius
Tertullianus
Thales
Thalmud
Thargum
Theodoretus
Theodoſius
Theophylactus
Theophilus Antiochenus
Tholoſanus
Thomas
Tigurinaverſio
Tirinus
Toletus
Triſmegiſtus

V.

Valerius Maximus.
Vatablus
Virgilius
Vitruvius
Vives
Vorſtius
Voſſius
Vulgata Verſio.

W.

Wallæus
Weidnerus
Wiekus.

X.

Xiphilinus.

Z.

Zanchius.

Errata

Digitized by Google

Errata Typographica; quę raptim annotari potuerunt;

Pag.	*lin.*	*col.*	*pro*	*lege*
39	36	a	damonum	dæmonum
61	18	a	propium	proprium
77	25	b	cum	&
82	15	a	dicatus	dicatur
106	9	a	ipſum	ipſam
112	1	b	ſic	ſi
117	24	b	nominis	nomini
119	46	a	putatios	putatitios
125	8		blaſphemas	blaſphemat
126	4	b	compere	competere
131	4	a	anguſtiorum	anguſtiorem
136	26	a	ἰξοχὴς	ἰξοχὴν
148	19	b	Catechumanis	Catechumenis
156	1	b	operationem	operationum
196	35	a	eum	enim
ibid.	36	a	*qua*	*quæ*
209	11	b	ſitum	ſita
213	11	b	præferendum	præferendam
215	2	a	eſſet	eſſe
218	19	b	fiunt	fit
238	23	b	collegi	colligi
247	15		præſtitæ	præditæ
ibid.	37	a	fruſtrare	fruſtrari
260	15	b	ſatisfectio	ſatisfactio
263	17	b	poteſtatam	poteſtatem
267	29	a	ſimpliter	ſimpliciter
274	15	b	naturam	natura
281	33	b	*poſt* innocentẽ	*adde* certum eſt.
282	30	b	*Lanonicis*	*Laconicis*
284	32	a	debet	oportet
297	22	b	Zeleuci	Zaleuci
ibid.	43	b	deſerre	deſerere
298	9		tatitam	tacitam
296	26	b	crimen	crucem
307	12	b	quidam	quidem
308	39	a	erat	erant
418	14	a	ceſſerit jure	ceſſerit de jure
325	*ult.*	a	deſt	ideſt
357	7	a	*ſupergreditus*	*ſupergreditur*
378	*ult.*	a	nequidam	nequidem
415	31	b	ipſus	ipſius
430	10	a	nemde	nempe
ibid.	1	b	obligates	obligares
432	19	b	eum	enim
445	25	b	Conbuſtio	Combuſtio
ibid.	27	b	illius ejus cruce	illius cruce
453	9		Simpliciter	Similiter
488	19	b	poſſe	poſſit
510	44	a	auferandam	auferendam
524	40	a	punire	puniri
538	21	b	atatributa	attributa
543	*ant.*	b	prohibitię	prohibitæ (tu
552	33	b	dubius evẽtu	dubius de even-
592	22	b	Epicuræca	Epicuræos
606	2	a	quę obſervãda	qui obſervãdi
610	24	b	eam	cum
622	16	a	creatæ *vult*	creatæ *actum*
625	37	a	ſua	ſuas (*vult*
628	30	b	nihilomnius	nihilominus
670	4	b	præſtandi	præſtando
675	15	a	palam ten.	palam rei ten.
695	10	a	Sociniaſmum	Socinianiſmũ
697	29		eſſet	eſſe
710	32	b	laxationem	luxationem
711	17	a	ſuipſius	ſuiipſius
728	17	b	Ieſ.	Ioſ.
747	*medio*		XIV.	CAP. XIV.
748	8	b	docet	decet
761	4	b	indubitates	indubitatas
767	*pen.*	b	vel	III. Vel
768	21	b	*feris*	*feris*
772	2	a	Senſum	Senſus
ibid.	12	a	vam	viam
773	27	b	ſimilitudinis	ſimilitudinem
777	35	a	interpretur	interpretatur.

In paginis notandis 518. *ponitur pro* 318. *in quatern.* Rr 565. *pro* 465. *in* Nnn 506. *pro* 606. *in* Gggg. *Etiam in præfat. noſtra pag.* 2. *lin.* 25. *pro* ſolemni *lege* ſolemne *et p.* 6. *l.* 10. *pro* videremus *l.* videremur

Si qua adhuc ſimilia occurrent Lectoribus, ut proculdubio tum in accentibus Græcis, tum in notis numeralibus verſiculorum Sacræ Scripturæ, ea pro ſua æquitate facilè excuſabunt.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

9-3-3

Digitized by Google